BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
D
17
NAPOLI

G. 65. 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STRAVCHIANORVM
SIVE
OPVSCVLORVM
IVRIDICO - HISTORICO - PHILOLOGICORVM
IOANNIS STRAVCHII
ICTI CELEBERRIMI

PARS PRIMA

I. DE INDIGENATV GERMANORVM.

II. DE MODIS ADQVIRENDI PRISCORVM GERMANORVM.

III. DE ARMIS GERMANORVM PRISCORVM, EORVMQVE AD REMPVBLICAM VSV.

IV. DE REGNO ARELATENSI.

CVM PRAEFATIONE

D. CONRADI FRIDERICI REINHARDI
IVR. ET PHILOSOPH. P. P. IN ACADEMIA FRIDERICIANA

IN QVA

TAM DE INSTITVTI HVIVS RATIONE QVAM ETIAM DE COMMENTATORIBVS AD TACITI GERMANIAM DISSERITVR

FRANCOFVRTI et LIPSIAE
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM
cIɔIɔ CCXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NEminem fugit, quantum ad Iurisprudentiae, tam publicae, quam privatae ornamentum atque incrementum contulerit a) IOANNES STRAVCHIVS, Ićtorum Germaniae ſui temporis princeps. Teſtantur de eo tot b) ſcripta in hac eruditionis parte a celeberrimo Viro multa induſtria et acri iudicio elaborata, quaeque illius nomen omnium facile ſeculorum monimentis c) commendant. Nam in iis praeter concinnitatis gratiam, quam in perſpicuitate poſuit, et hoc ſibi inprimis curae eſſe voluit Beatus Vir, ut, relictis longo intervallo rivulis, ipſos fontes conſectaretur, neque vulgaria, ſed ex eruditae antiquitatis memoria deſumpta proferret in lucem. Quo factum ſane eſt, ut ſemel, iterum et ſaepius edita, magnoque paſſim applauſu excepta fuerint laudata ſcripta, licet, quod

a) Haud patitur inſtituti noſtri ratio, ut de vita IO. STAVCHII conſignanda hic ſoliciti ſimus, maxime cum otium nobis iam fecerit DN. LAVRENTIVS ANDREAS HAMBERGERVS *in narratione* illa, quam *de vita* celeberrimi huius Icti praefixit eiusdem *de perſonis incertis* diſſertationi, Ienae a. 1715. recuſae. Cum quo conferri merentur HENNINGVS WITTE *in Diario Biographico tom. I. ad an.* 1679. *d.* 2. *Decembr.* CONR. SAM. SCHVRZFLEISCH *in epiſtolis arcanis, epiſt. XIV. p.* 21. *et ſeqq.* et IOACH. FRIDER. FELLER *in ſpecimine novo Eponymologici critici, inter monumenta eiusdem inedita, trimeſtr. VII. p.* 429. *et ſeqq.*

b) Recenſentur haec in laudata DN. HAMBERGERI *de vita Io. Strauchii commentatione* paſſim, quanquam non omnium ibi facta ſit mentio. Sunt autem ab illo omiſſae Diſſertationes Strauchianae hae: *de errore, de tempore, de iuris naturalis et civilis convenientia; de provocatione ad litem, de iure vectigalium, de praeſenti imperii periodo, de fori competentia, de iuramento calumniae, de ſolutione in ſpecie dicta, de iure fratrum eorumque inter ſe et prae ſororibus praerogativa.*

c) Sincerum aeque ac grave eſt iudicium, quod de Io. Strauchii ſcriptis, inque rem literariam ſummis meritis legitur in GVNDLINGIANIS *part. VII. p.* 196. *ibi: In Teutſchland hat Ioannes Strauch mit ſeinen Amoenitatibus Iuris Canonici alle ſeine Landes-Leute ubertroffen; biſshero aber niemand gefunden, der in ſeinen Fuſſtapfen gewandelt. Die wenigſte verſteben, was Teutſchland an Strauchio verlohren. Schilter hat vieles von ihm profitiret.* Adde DAN. GEORG. MORHOF *in Polyhiſtore tom. III. lib. VI. ſect VII.* §. 17. *p.* 591.

omnino dolendum eſt, a multo iam tempore ea in commercio eruditorum eſſe deſierint, ideoque ab his conſilia hinc inde habita fuerint de iisdem recudendis. Et tale etiam conſilium DN. HAMBERGERVM, Doctorem apud Ienenſes quondam celebrem, noſtra aetate d) ſuſcepiſſe conſtat, quippe cuius cura tres IO. STRAVCHII Diſſertationes, prima *de oppignorationibus rerum Imperii*, ſecunda f) *de perſonis incertis*, tertia fa) *de regula Catoniana*, non ita multis ante annis denuo fuerunt impreſſae, ſpe ſimul nobis facta g) tum temporis ab eodem de Strauchianis *ad L. Deciſiones* exercitationibus proxime edendis. Verum cum brevi poſt morte, licet nimis praematura, vir ille doctiſſimus ſit extinctus, eo ſimul impeditus hic fuit, ne perficeret hoc utiliſſimum edendarum Strauchianarum Diſſertationum inſtitutum. Quae omnia probe ego perpendens, ipſe iam de nova Opuſculorum Srauchianorum editione procuranda cogitare coepi, et hinc auctor fui honeſto apud nos civi, Ioanni Chriſtophoro Krebſio, ut prelo iterum ſubiiceret illa, ſumptusque, quos operae efflagitabant, ſuppeditaret. De cuius inſtituti ratione, quae ſit, quo omnibus eo melius conſtare poſſit, admonendus eſt, quisquis haec leget, me hunc divulgandi modum conſtituiſſe, ut omnes ac ſingulae laudati Viri Diſputationes, non tamen uno volumine coniunctae, ſed potius in certas partes diſtinctae, ac diverſis temporibus typis exprimerentur. Atque hoc quidem conſilio forte medebimur illorum ſatietati, qui nihil magis optant, quam ut omnia, quae de praeſtantiſſimo Icto extant, ſcripta recuderentur, hocque mediante a ſolitudine et ſilentio vindicarentur. In hac prima autem, quae

d) Vide HAMBERGERVM *in deſcriptione vitae Io. Strauchii* ſub initium.

e) Recuſa eſt illa IO. STRAVCHII *de Oppignorationibus rerum Imperii* Diſſertatio cum animadverſionibus *Chriſtiani Thomaſii*, *N. H. Gundlingii* et *Stephani Chriſtoph. Harprechti*, recenſente *L. A. Hambergero*, Ienae 1715, 4.

f) Denuo prodiit haec Ienae 1714, 4.

fa) Ienae 1715, 4. cura et cum praefatione Hambergeri. Acceſſit etiam *Fr. Balduini commentarius ad eandem regulam Catonianam*, multa eruditione confectus.

g) Scilicet in praefatione, quam praemiſit Strauchianae, de oppignorationibus rerum imperii, Diſſertationi.

in

in aſpectum lucemque eruditorum nunc prodit, Parte praeter *tres ad Cornelii Taciti Germaniam* a IO. STRAVCHIO editas elegantiſſimas h) *Diſſertationes*, et illam, quae i) *de Regno Arelatenſi* inſcribitur, comprehendere volui, temporis exiguitate prohibitus, ne plura eiusdem Opuſcula iam potuerint excudi. Ad priores, nempe *ad Tacitum Diſſertationes* quod attinet, harum altera Vir celeberrimus *Germanos eſſe* k) *indigenas* probavit, altera *de modis adquirendi priſcorum Germanorum* tractavit, tertia denique *de armis Germanorum eorumque ad rempublicam uſu*, luculenter, et plane ex fontibus expoſuit, editae ab illo omnes eo tempore, quo Lipſiae docendarum Latinae Linguae et hiſtoriarum publico muneri adhuc vacabat. Atque utinam licuiſſet divino viro telam, quam explicando Tacitum tribus iſtis Diſſertationibus exorſus erat, pertexere, nihil amplius requiri poſſet. Verum aliis forte occupationibus poſtea diſtrictus ille, egregio et perutili hoc labore ſuperſedere fuit coactus, quo certe aegre caremus. Sunt quidem, quod fateri neceſſe habeo, multi, qui memoratum Taciti de moribus Germanorum ſcriptum ſuis animadverſionum acceſſionibus ka) locupletarunt, pauciores tamen parem cum *Strauchio* noſtro laudem inde fuiſſe conſecutos, id facile mihi quilibet concedet, cui evolvendi perſcrutandiq; illas, ac denique cum Strauchianis easdem conferendi et tempus fuit et occaſio. Quae cum ita ſint, non

h) Sunt hae celeberrimi viri ad Taciti Germaniam Diſſertationes prima vice annis 1650. et 1651. Lipſiae editae, dein vero ex autographo Auctoris auctae et emendatae, una cum eiusdem ſpecimine Inſtitutionum Iuris Publici, cura IO. GEORG. KVLPISII, de novo impreſſae Francofurti 1683, 8.

i) edit. Ienae 1674, 4.

k) Confer ea, quae de hoc Germanorum indigenatu fuerunt notata ab Illuſtri *Autore Gundlingianorum* in erudita obſervatione, *de Tuiſtone, Germanorum parente, part. IIX. p.* 211. *et* 212.

ka) Cenſet IACOBVS TOLLIVS *in epiſtolis itinerariis* (quas ex Auctoris ſchedis poſthumis recenſitas, ſuppletas, digeſtas, ac annotationibus et figuris adornatas *Henr. Chriſtian. Henninius* Amſtelod. 1700, 4. edidit) eum, qui in Taciti libellum de moribus Germanorum commentarium ſcribere voluerit, Weſtphalos, in quorum, praeſertim ruſticorum ſordes invehitur, tantum adire debere, inventurum illic uberrimam commentandi materiam. Adde HENNINIVM *in obſervationibus ad h. l. p.* 21. *et ſeqq.*

Digitized by Google

inutilem operam me eſſe ſuſcepturum puto, ſi, quae de diverſis ad Taciti Germaniam extantibus commentariis monenda habeo, opportuno hoc, ut opinor, loco expromam. Initium facio ab l) HENRICO GLAREANO, Helveto, multi iudicii et variae eruditionis viro, qui primum Taciti de moribus Germanorum opusculum explicare aggreſſus eſt in m) commentariolo, hunc in finem conſcripto. Quanquam autem in illo nihil de politía ac moribus veterum Germaniae incolarum conſignaverit doctiſſimus auctor, ob id tamen laudari omninò is meretur, quod ſitum et fines veteris Germaniae, item populos in eadem habitantes, horumque ſedes, pro diverſitate temporum diverſas, accurate ibi deſcribat, facta ſimul eorum populorum, qui hodie illas incolunt, mentione. Idem, quod Glareanus, praeſtitit communis ille Germaniae praeceptor, PHILIPPVS MELANCHTON, in ſuccincta, quam nobis reliquit, ad laudatum Taciti libellum n) commentatione, explicando ibi multa induſtria ac cura tam regionum, quam gentium vocabula, quae in eodem occurrunt. Utroque, et Glareano, et Philippo Melanchtone, multo prolixior eſt ANDREAS ALTHAMERVS, ortu Palatinus, in o) Scholiis, ad illud Taciti ſcriptum ſolida eruditione confectis ac lectu dignis. Nam licet non omnia, quae in iisdem notata inveniuntur, ab aliis probari ſciam, minime tamen ea de cauſa Auctor debita ipſi laude privandus erit, cum ſolutum opus a nemine mortalium ſit expectandum. Neque in p)

l) Vide de hoc Glareano, Philoſophiae Profeſſore in Academia Baſileenſi, MELCH. ADAMVM *in vitis Germanorum Philoſophorum p. 109. et ſeqq.* et THOM. POPE BLOVNT *in cenſura celebriorum Autorum p. 584. et in ſeqq.*

m) Extat hic commentariolus Glareani in SIMON. SCHARDII *Scriptor. rer. German. tom. 1. p. 70-76.*

n) edit. Auguſtae 1529, 8 et a SCHARDIO *d. l. tom. 1. p. 77. et ſeq.*

o) Prodierunt ALTHAMERI *Scholia in Taciti Germaniam* prima vice Norimbergae 1536, 4. recuſa dein ſaepius, ſcilicet, Auguſtae Vindel. 1580, 8. cura SIMON. FABRITII, Ambergae 1609, 8. Francofurti 1627, 8. et a SIMON. SCHARDIO *tom. 1. S R. G. p. 1. et ſeqq.* Poſt alia, quae in hiſce ſcholiis notari merentur, et hoc eſt, quod ibi aſſertum iverit Althamerus, fuiſſe Germanos antiquos Graecae linguae non omnino ignaros, idque ex vocum convenientia. Edidit idem *Germaniae veteris et novae deſcriptionem*, impreſſam Francof. 1617, 8.

p) Deſcriptionem vitae *Iodoci Willichii* dederunt MELCH. ADAMI *in vitis Germanorum Medicorum p. 28. et 29.* HENNINGVS WITTE *in Memoriis Medicorum* et PAVLVS FREHERVS, Medicus Norimbergenſis, *in*

IODOIC

Digitized by Google

IODOCI WILLICHII, in Viadrina Academia quondam Medicinae Profeſſoris, q) commentariis, quibus Taciti Germaniam illuſtrare ſibi ſumpſit, habeo quod deſiderem, niſi id, quod multa ibi, quae tamen a ſcopo ipſius aliena ſunt, immiſceat, melioribus magisque utilibus omiſſis. Proximum a Willichio locum, ſi nimirum temporis, quo uterque vixit, ratio habeatur, obtinet r) MICHAEL BEVTHERVS, cuius tamen notae, quas ad eandem Taciti Germaniam nobis s) reliquit, non magni aeſtimandae ſunt, cum non niſi vulgaria in iis attulerit, neceſſariis ad id ſubſidiis, uti videtur, deſtitutus. Eodem labore perfunctus eſt IVSTVS LIPSIVS, de quo in Tacitum de moribus Germanorum extant t) obſervationes, ſed pleraque ex parte criticae, ita ut magis verborum, quam rerum ibi contentarum explicationi inſerviant. Id ſaltim inde patet, fuiſſe Lipſium in Hiſtoria Germaniae non adeo verſatum, licet eiusdem in reliqua Taciti ſcripta u) commentarii magno in pretio ſint habendi. Et huc etiam merito referri debet x) PHILIPPVS CLVVERVS, qui de eo inprimis ſolicitus eſſe voluit, ut omnia, quae modo ad gentis

theatro virorum eruditione clarorum p. 1233. et ſeqq.

q) In lucem prodierunt hi commentarii Francof. 1557, 8. denuo impreſſi Argentorati 1601, 8. ac dein a SCHARDIO *S. R. I. tom. I. p. 38. et ſeqq.* inſerti.

r) Fuit hic Michael Beutherus initio a conſiliis eccleſiaſticis Electori Palatino, Ottoni Henrico, hocque defuncto dein publicum docendarum Hiſtoriarum munus in Academia Argentinenſi ſuſcepit, ubi etiam anno 1587. e vita diſceſſit. vide PAVL. FREHERVM *in theatro virorum eruditione clarorum, in vita eiusd. p. 1479. et ſeqq.*

s) edit. Argentinae 1594, 8.

t) Extant laudatae *Lipſii obſervationes* cum praefatione *H. Conringii*, edit. Helmſtadii 1635, 8.

u) Semel, iterum et ſaepius prodierunt Taciti opera cum doctiſſimis *Iuſti Lipſii* commentariis, nempe Antwerpiae 1574, 8. et ibidem 1589. Lugduni 1598. Antwerpiae 1598. in f. cum collatione et diſpunctione notarum Mirandulani Codicis; Pariſiis 1606. additis ſimul *Ioſiae Merceri* notis; porro Antwerpiae 1607. et 1627. it. 1648. ac denique 1668. ibidem in f°. Confer hanc in rem MORHOFIVM *in Polyhiſtore tom. 1. lib. IV. cap. XIII. n. 4. p. 893. et ſeqq.*

x) Philippus Cluverus, natione Boruſſus, et ex antiqua pariter ac nobili, in Bremenſium agro, Cluveriorum gente ortus, anno milleſimo quingenteſimo et octuageſimo Gedani, patre ibidem rei monetariae praefecto exiſtente, in lucem editus memoratur. Ineunte adoleſcentia, cum iam literis, quibus multum delectabatur, probe eſſet eruditus, deſiderium [illegible] eros ſalutandi cum capiebat. Hac mente primum Poloniam, Un-

Ger-

Digitized by Google

Germanorum ſplendorem atque dignitatem pertinere poſſent, ex remotiſſimis etiam antiquitatis latebris erueret atque vindicaret. Teſtis hac in re eſſe poteſt laborioſiſſimum illius, quod ſub titulo y) *Germaniae antiquae* publicavit, opus, ubi de Germaniae limitibus ac terminis, dein gentis ipſius habitu ac cultu, religione, pietate, armis, iure, oppidis ac populis diverſis prolixe egit, ac ſingula optimorum ſcriptorum teſtimoniis confirmavit, ita, ut inter illos, qui Taciti Germaniam ſuis commentariis illuſtrarunt, principem ſine dubio locum obtineat. Omitto alia in Hiſtoria Germaniae, praeſertim antiqua,

gariam et Bohemiam petebat, hocque itinere confecto, tandem et in Scotiam, Britanniam, Galliam et Italiam ſe conferebat, quam ultimam et pedibus aliquando, omnes antiquitatum latebras ibi diligenter perſcrutando, peragraſſe dicitur, ne forte quidquam ex iis, quae eſſent ſcitu ac notatu digna, ipſi incognitum remaneret. Qua occaſione cum vir celeberrimus in familiaritatem Iuſti Ioſephi Scaligeri veniſſet, Autor hic fuit illi, ut totum ſe inpoſterum daret is Geographiae ſtudio, poſthabita Iurisprudentia, in qua tamen addiſcenda excolendaque hucusque operam collocaverat multam. Aſt parente, cuius animum ob deſertum Iuris ſtudium a ſe abalienaverat *Cluverus*, ſumptus peregrinationis porro huic ſuppeditare denegante, militiae ob id iam nomen dare is neceſſe habebat, varias ab hoc tempore calamitates et penuriam, ad quam mitigandam adoleſcentes quosdam privatim erudire coepit, expertus. Tot itaque miſeriis atque aerumnis, quibus tum premebatur, cum ſe tandem explicaſſet, quieti ſe dare conſilium iam inibat, certum abhinc domicilium apud Belgas, et quidem Leidae, celeberrima illa Muſarum ſede, conſtituens, ubi etiam anno poſt milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo tertio diem obiit ſupremum, duos poſt ſe liberos, ſed in paupertate relinquens. Confer. DAN. HEINSII *orationem, in obitum Cluveri* anno 1623. habitam, apud HENNINGUM WITTE *in memoriis Philoſophorum pag.* 120. CASPAR. SCIOPPIUM *in paradoxis litterariis p. 66.* IOB. MAGIRUM *in Eponymologio critico p.* 226. HENNING. WITTE *in Diario Biographico tom. I. ad an.* 1623. *d.* 31. *Decembr.* PAUL. FREHERUM *in theatro virorum eruditione clarorum, in vita Philippi Cluveri, p.* 1515. *et ſeqq.* IO. CASP. SAGITTARIUM *in introduct. ad hiſtor. eccleſiaſt. cap. XII.* §. 19 *p.* 167. THOMAM POPE BLOUNT *in cenſura celebrior. authorum p.* 931. *et ſeq.* CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIUM *in epiſtolis ſelectis, epiſt. CCXXII. p.* 302. *et epiſt. DLXXIX. p.* 940. THOMAM CRENIUM *in animadverſ. philolog. et hiſtoricis, part. XV. p.* 130. et CHARITIUM *de viris eruditis Gedani ortis, p.* 25. *et ſeqq.*

y) Eſt haec CLUVERI *Germania antiqua* in tres libros diſtributa, editaque Lugd. Batav. 1616, f. ac dein an. 1624. et an. 1630. ibidem recuſa. Acceſſit illi eiusdem *deſcriptio Vindeliciae et Norici*, liber plane egregius, maximeque in Hiſtoria Germanica utilis.

ab

Digitized by Google

ab eodem ſumma eruditione elaborata z) ſcripta, quaeque idem probant atque confirmant. Haud me quidem fugit, fuiſſe aa) nonnullos, qui celeberrimum virum ob nimiam, qua

z.) Pertinet huc erudita CLVVERI *diſquiſitio de Francis et Francia*, et inprimis eiusdem inſignis *commentarius de tribus Rheni alveis oſtiisque, et populis quondam accolentibus*, edit. Lugd. Batav. 1611, 4. Quod ultimum ſcriptum anſam dedit eruditis illis contentionibus, inter ipſum et IO. ISACIVM PONTANVM brevi poſt ortis. Nam cum hic laudato commentario dein opponeret ſuas *diſceptationes chorographicas de Rheni divortiis atque oſtiis eorumque accolis populis*, edit. Amſtelod. 1614, 8. reſpondit ei CLVVERVS *in Germania antiqua lib. II. cap. 30. p. 139. et ſeqq.* Verum PONTANVS, hac reſponſione non contentus, anno ſequenti 1617. *diſceptationum chorographicarum novam Syllogen* edebat, et qua finis ſimul fuit impoſitus controverſiae iſti literatae. Neque a nobis hic ſilentio praetereundum eſt egregium illud ac plane incomparabile CLVVERI opus, quod ſub titulo, *Italia antiqua, cum Sicilia, Corſica et Sardinia*, duobus voluminibus an. 1624. Lugduni Batav. in f. prodiit, et de ſumma eruditione aeque ac ſtupenda viri celeberrimi lectione ſatis ſuperque teſtatur.

aa) Horum praecipuus eſt HVGO GROTIVS, *in literis, ad Io. Iſacium Pontanum* an. 1616. Rotterodami datis, de *Cluveri Germania antiqua* ita differens: *quantum Germaniam Cluverianam inſpexi, non poſſum non probare diligentiam, quae egregii aliquid ſolet parturire, ubi vires ſuas colligens uni operi affigitur. Caeterum etſi aliquid remiſiſſe videtur de ferocia, quae in libello* ſcilicet, in commentario illo, de tribus Rheni alveis &c.) *antehac edito apparebat, multum tamen audaciae retinet. Cuius inſigne documentum eſt, quod ſaepe voces delet, aut immutat, nullis librorum veſtigiis, ſola ingenii ſui fiducia. Deprehendendi quoque alios magna eum tenet prurigo. Quem morbum eo patientius in ipſo, qui vivunt, ferre debent, quod Caeſar, quod Strabo, aliique praeſtantiſſimi auctores ſaepe ab illo ſupinae ignorantiae aguntur rei, cum quibus una culpari id vero mihi videtur eſſe laudari.* Extat haec epiſtola inter *epiſtolas Hugonis Grotii*, quae coniunctim Amſtelodami an. 1687. in f. prodierunt, *in appendice num. XI. p. 755.* et in ANTONII MATTHAEI *Sylloge epiſtolarum*, Lugduni Batav. 1695, 8. una cum Andr. Alciati contra vitam monaſticam epiſtola edita, *num. XLVII. p. 132. et ſeqq.* Iungenda ſunt modo allatis ex *Grotio* et illa, quae apud eundem *in prolegomenis ad Hiſtoriam Gothorum, Vandalorum et Longobardorum* (edit. Amſtelod. 1655, 8.) *p. 7.* hanc in rem leguntur: *Cuius* (Germaniae deſcriptoris, ſcilicet Cluveri) *ego diligentiam et eruditionem ſic laudo, ut audaciam tamen, ſpernentis ſaepe ſine ullo firmo ſatis argumento codicum auctoritatem, conſenſumque vetuſtatis, et acceptas ab ultimis ſeculis famas, multaque fingentis ex inanibus valde coniecturis, nec probaverim unquam, nec ſim probaturus. quod ſemel mihi de illo, qui plurimis contradicendo neceſſitatem nobis ut ipſi contradiceremus impoſuit, praefandum cenſui, gratiam caeteroqui ei pro labore, ubi neque ſtudiis, neque invidia abreptus fuit, liberaliter para-*

Digitized by Google

in corrigendis veterum ſcriptorum locis fuit uſus, libertatem reprehenderunt, idque iure, neque ego eum ab erroribus omnino liberum pronunciabo, quae tamen haud impediunt, quo minus is in huius doctrinae genere princeps ſit dicendus, maxime cum omnibus aliis, qui ſimili cum eodem labore ſunt perfuncti, et ingenii viribus, et in iudicando vi ſumma, ac denique rerum, quae in laudato opere protulit, copia atque excellentia longe multumque antecellat. Eodem fere tempore CHRISTOPHORI COLERI, Iurium in Academia Altorfina bb) Profeſſoris, ICti et Philologi celeberrimi, doctiſſimum in Tacitum de moribus Germanorum commentarium cc) prodiiſſe conſtat, qui ſane eo magis aeſtimandus eſt, quo maiorem in hoc curam adhibuit Auctor, ut non ſolum loca ibi difficiliora atque depravata rite explicaret, emendaret ac reſtitueret, ſed et ea, quae de Germanis tradidit Tacitus, ex aliis ſcriptoribus, tam Grae-

vus reddere. Et p. 11. *ibidem* vocat Cluverum *virum doctum ſane, ſed mire confidentem,* item, *intrepidum omnium, quae ipſi collibita ſunt, aſſeveratorem, et ſub antiquae Germaniae titulo novatorem maximum;* p. 13. Addo adhuc iudicium, quod de Cluvero HADR. VALESIVS *in praefatione ad notitiam Galliarum* tulit ſequentibus verbis: *Saepe,* inquit, *miratus ſum, Philippum Cluverium, doctum gravemque Geographum, priſcis gentibus Germaniae, vagis et ſedes mutare ſolitis, ſuum ſingulis agrum, ſua flumina, montes ſuos ac ſilvas, confidenter attribuiſſe, ut plus quam Livius ac Tacitus ſcire videretur: tanquam ipſe Principatu Augusti Caeſaris natus eſſet eximius agrimenſor, qui totam, quam longa eſt, Germaniam et ſingulorum ac univerſorum eius populorum ſitus ſua decempeda metiretur.* Cum his conferri merentur GVIL. TVRCKIVS *in Differt. de ſcribenda Hiſtoria antiqua,* inſerta Bibliothecae *Hallenſi part. XI. p.* 99. et C. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS *in epiſtolis ſelectis, epiſt. CCXXII p.* 302. *et epiſt. DLXXIX. p.* 940. it. *in Diſſertationibus Hiſtoriae civilis* paſſim, quippe aeque notantes uterque Cluverum ob ſtudium novitatis, et in corrigendis antiquis ſcriptoribus audaciam ingentem. Caeterum et plagii, quale ab eruditis haud raro committi ſolet, reum fecit Cluverum THOMAS CRENIVS *in Diſſertatione epiſtolica de furibus librariis p.* 47. *et* 48. ſed fruſtra, cum potius is ſemper et ubique fontes, ex quibus ſua deſumpſit, diligenter ac fideliter indicaverit, ut taceam alia argumenta, quae ad eiusdem defenſionem ſimul faciunt, iamque a TENZELIO *in Bibliotheca curioſa tom. II. p.* 421. fuerunt hunc in finem allata.

bb) Confer de hoc Chriſtoph. Colero MARTINI *Schediasma hiſtorico-literarium de Coleris doctrina ſcriptisque claris* (edit. Vitembergae 1718, 4.) *num. IIX.*

cc) Scilicet, Hanoviae a. 1601. et 1612, 8.

ciſ, quam Latinis, illuſtraret, ipſosque Germanorum mores ac inſtituta cum aliarum gentium moribus ſemper conferret. Neque a me ſilentio hic praetereundus eſt dd) MATHIAS BERNEGGERVS, Hiſtoriarum in Academia Argentinenſi quondam Profeſſor, cuius extant ee) *Quaeſtiones ex Taciti Germania et Agricola miſcellaneae,* multa induſtria et eruditione confectae, quanquam in his vir celeberrimus magis de eo fuerit ſolicitus, quo notata a Tacito ſecundum praecepta Politicorum examinaret, atque exemplis, ex Hiſtoria, tam Romana, quam Graeca deſumptis, colluſtraret, quam ut eodem duce antiquitates Germaniae erueret et exponeret. Inprimis vero hac in parte multum debet orbis literatus HERMANNO CONRINGIO, rerum et antiquitatum Germanicarum ſolertiſſimo indagatori, quippe qui non modo ipſum Taciti de moribus Germanorum libellum, ope et fide optimorum codicum emendatum, ff) edidit, ſed et notis, criticis tamen, eundem auxit, additis ſimul ex *Iulio Caeſare, Strabone, Pomponio Mela, Solino, Plinio, Ptolemaeo* et *Ammiano Marcellino* excerptis, Germaniae antiquae ſtatum egregie illuſtrantibus, ita, ut omnia, quae de hoc in laudatis ſcriptoribus paſſim leguntur, illic collecta coniunctaque deprehendantur. Id quod ſane non poteſt non pergratum, perque acceptum eſſe iis, qui, ſumptibus ad id neceſſariis deſtituti, eo impediuntur, quo minus tot ſibi ſcriptores comparare queant. Exemplum Conringii in hoc ſecutus eſſe videtur GEORGIVS CASPAR KIRCHMAIERVS, Profeſſor Wittenbergenſis, qui brevi poſt inſignem ad Taciti Germaniam gg) commentarium, in quo multae erudi-

dd) Vitam Berneggeri deſcribit PAVL. FREHERVS *in theatro viror. eruditione clarorum p.* 1534. cum quo MAGIRVS *in Eponymologio critico p.* 121. *et ſeqq.* et HENNINGVS WITTE *in diario biographico tom. I. ad an.* 1640. *d.* 3. *febr.* conferri poſſunt.

ee) Titulus libri hic eſt: *Ex C. Cornelii Taciti Germania et Agricola Quaeſtiones Miſcellaneae olim moderante Mathia Berneggero academicis exercitationibus ſparſim diſputatae unum in corpus certumque ordinem ex B. Soceri mandato inſtitutoque tributas ipſiusque adnotationibus manuſcriptis paſſim auctas edidit Io. Freinshemius. Argentorati An.* 1640, 8. Recuſus dein fuit idem Argentor. 1669, 8.

ff) Helmſtadii 1635, 4 Quam primam editionem mox anno 1652. ſecunda, et an. 1678. ibidem tertia ſecutae ſunt. Faciunt huc etiam CONRINGII *de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii et viciniae coniecturae, edit.* Helmſtadii 1665, 4. item, illius *de Habitus corporum Germanorum antiqui ac novi cauſis liber ſingularis,* ex edit. tertia Helmſtadii 1666, 4. ac denique eiusdem Diſſert. *de republica antiqua veterum Germanorum.*

gg) edit. Vitembergae 1664, 8.

ſae pariter ac fructuoſae obſervationes continentur, publicavit. Quare etiam vir celeberrimus, IO. FRIDERICVS GRONOVIVS, quippe de illarum dignitate atque praeſtantia omnino certus, haud dubitavit multas ex iisdem inſerere elegantiſſimae illi Operum Taciti editioni, quae, tot clarorum virorum commentariis doctiſſimis aucta, ſeculo ſuperiore hh) exeunte ipſius cura in lucem prodire coepit. Sunt porro in hanc claſſem etiam referendi GABRIEL ACKELEY et CYRIACVS LENTVLVS, quorum ille ii) *politico-philologicos diſcurſus*, hic kk) *commentarios politicos* ad eundem Taciti libellum circa medium ſuperioris ſeculi edidit. Ad priorem quod attinet, fateri quidem cogor, haud ſatisfeciſſe eum in dictis Diſcurſibus expectationi et deſiderio Lectoris, interim tamen ſtudium ac diligentia Auctoris in hoc venit laudanda. Quicquid vero in *Lentuli commentariis* deſiderari poſſet, eſt, quod multa ibi, quae tamen ad illuſtrationem Taciti nihil plane faciunt, immiſceat, omiſſis rebus magis utilibus, et inſtituto ipſius convenientibus. Nec denique ulli forte ignotum eſt, quid in huius doctrinae genere praeſtiterit GEORG. WILHELMVS LEIBNITIVS, Vir ut incredibili diligentia, ſic acerrimo ingenio, et ſumma iudicandi prudentia, exquiſitiſſimaque rerum et antiquitatum Germanicarum ſcientia, omnes laudes complexus. Nam cum is ſub initium huius ſeculi ll) ſcriptores, rerum Brunſuicenſium illuſtrationi inſervientes, publici iuris faceret, placuit tum Viro ſummo huius collectionis mm) Tomo primo excerpta veterum Auctorum, inque his Taciti etiam, de populis, ad Albim et Viſurgim olim habitantibus, inſerere, eademque variis luculentis obſervationibus illuſtrare, ut vel inde, etiamſi alia, quae tamen adſunt, deficerent teſtimonia, iam ſatis omnibus de incomparabili prorſusque ſingulari illius in Hiſtoria Germanica peritia conſtare poſſit. Vltimus ex iis, qui ad Taciti Germaniam ſunt commentati, eſt VETTERVS, cujus tamen nn) notis facile carere poterunt illi, qui antea laudatos in Tacitum commentarios, vel ſaltim praecipuos eorum poſſident, cum illae ex his pleraque ex parte ſint excerptae atque collectae, ideoque auctor earundem potius collectoris quam commentatoris nomen mereri videatur. Tandem vero modus ſcribendi ac finis mihi conſtituendus, ne forte alii mihi obiiciant, me limites huius Praefationis tranſiiſſe. Caeterum, ea, quae fuerunt allata, Tibi, Lector Humaniſſime, non ingratiſſima fore, me ſpes aequitatis, et fiducia laboris non prorſus inutilis, et honeſti profecto conſilii, bonaeque mentis conſcientia ſuſtentat prorſus et magnopere conſolatur. Interim Vale, et alia adhuc Strauchiana ſcripta a nobis brevi expecta, praeſentibus vero feliciter ac proſpere utere.

hh) Scilicet, Amſtelodami 1685, 8. duobus voluminibus.

ii) edit. Sorae 1646, 8.

kk) edit. Marpurgi 1666, 8.

ll) Conſtat haec collectio Leibniziana tribus tomis, quorum primus an. 1707. alter a. 1710. et tertius a. 1711. Hanoverae in f. eſt impreſſus.

mm) *pag. 1. usque ad pag. 77. ibidem.*

nn) edit. Erlangae 1713, 8.

IOAN-

Digitized by Google

יהוה

IOANNIS STRAUCHII

In

Cornelii Taciti de Moribus Germanorum Capita priora IV. quibus

GERMANOS ESSE INDIGENAS

probat

DISSERTATIO I.

Reſpondente

IOANNE PHILIPPO OHEIM,

Lipſienſi Miſnico.

D. VII. EIDUS VIIBRIS 1650.

CAPUT I.

Indigenæ qui ſint; & Germanos eſſe indigenas.

Gentiles, incerti originis ſuæ, plerique perſuaſi, homines cum cæteris animantibus, non a Deo conditos, ſed e terra cum plantis ortos fuiſſe. Notum eſt illud ex Diodoro Siculo *lib. 1. p. 7. c.* Euripidis, qui Anaxagoræ Phyſici fuit diſcipulus, Menalippæ: **Gentiles hominem ex terra non creatum: ſed ſponte creviſſe putarunt.**

Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία,
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα
Τίκτουσι πάντα, καὶ ἔδωκαν εἰς φάος,
Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὓς θ' ἅλμη τρέφει,
γένος τε θνητῶν.

Adde *Horat. 1. Sat. 3. a verſu: cum prorepſerunt &c.* Ariſtotelem *lib. 3. de generat. anim. c. ult.* Nonium *in Blitum*, ubi ait ex Varrone, Empedoclem homines natos ex terra, ut Blitum ſtatuiſſe. Ovidius *lib. Transform. 1.*

Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati ſeruabat ſemina cæli.

Et fidem huius opinionis facturus Diodorus (*lib. 1. p. 8.*) argumentum ex muribus Ægypti ſumit. In Thebaide enim Ægypti, quo tempore Nilus exundat, tellure humectata, & a ſole calefacta, inde ſuperficie putreſcente copiam innumerabilem murium gigni. Deinde ex victu primorum hominum cum beſtiis communi communem utriusque ſpeciei ortum colligit. Etenim homines primitus natos vitam inconditam & belluinam egiſſe, ſparſim ad paſcua exiſſe, herbas ac ſponte natos arborum fructus comediſſe. *Vide* Diod. *d loc.* Et hinc illæ de antiquitate originis Ægyptiorum cum Scythis, *apud* Juſtin. *lib. 2. c. 1.* Ammian. *22. 34. cum Phrygibus*, Herod. *4, 5.* contentiones.

Idem de Germanorum Tuiſtone tradit Tacitus.

II. Idem de Germanis tradit *Tacitus*, non univerſis ſed conditore primo, ex quo generatos reliquos agnoſcit. Tantum enim Tuiſconem terra editum carminibus celebrari ait; Mannum autem ejus filium. *c. 2.* Filium vero nemo appellet, terra editum. Sed & accedit, quod Germanos indigenas vocat. Qnod genitos in ſolo, non ex ſolo notat. Græci αὐτόχθονας appellant. Eodem vocabulo ἀπὸ τῶν γηγενῶν diſcernentes Heſychius: αὐτόχθων ἐντόπιος ἐγγώειος, πολίτης. Item: αὐτόχθοσι τοῖς ἐν ἰδίᾳ γῇ ἢ τόπῳ οἰκοῦσι. Athenienſes αὐτόχθονας ſeſe eſſe jactitabant, qui γηγενεῖς non erat, Sic Cres, Curetum Rex indigena Hieronymo, & Macriano Heracleoti uſurpatur, non utique e terra, ſed Jove & Ida nympha natus, ut Stephanus (ſive is Hermolaus Byzantius eſt, Eugenii in Schola ſucceſſor) tradit: *Vide* Salmaſ. *in Sol. p. 169. C.*

Vocis, Indigenæ, explicatio.

III. Indigenas ergo Germanos credens, eos non e terra, cum Cadmea gente, prodiiſſe autumat: Sed quod minime

nime aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos, &, ut c. 4. loquitur, nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, & ſinceram, & tantum ſibi ſimilem gentem exſtitiſſe arbitratur. Hocque ſignificatu conuenæ populo, &, ut Juſtinus loquitur, paſſim collectæ populi colluviei, quæ migratione inſtar coloniæ has terras occuparit, opponit: Non vero terra editis. Secus atque exponunt Jod. Willich *com. c. 3. & Phil. Cluv. Germ. ant. lib. 1. cap. 4. v. 34.*

IV. Rationes, quibus probet Germanos nulla demigrationis ſocietate inita in hoc ſolo appuliſſe, Tacito ſunt. I. Defectus inſtrumentorum ad transmittendum Oceanum. II. Defectus cauſæ impellentis, quod Germania informis terris, aſpera cœlo, triſtis cultu aſpectuque. III. Auctoritas veterum, & fides inſtrumentorum Germanicorum, nempe carminum, quod unum apud Germanos memoriæ & annalium genus. Denique id colligit *ἐξ εἰκότων καὶ σημείων*, ab habitu corporis omnibus eodem.

Rationes Taciti pro indigenis.

CAPUT II.

Ex vehiculis
Quibus peregrinantes uſi olim, indigenæ eſſe Germani probantur.

I.

PRimum argumentum pro indigenis Germanis a defectu neceſſarii in Germaniam penetrandi inſtrumenti arceſſit Cornelius. Claſſibus enim plerumque advectos, qui mutare ſedes quæſierint vel Tacito credi pat ſit, ut nulla ejus ſuperſint teſtimonia. At cum hiſtoria tantum non omnis ſit teſtis locuples, operoſa probatione ſuperſedemus. Hoc tantum adjicio, hinc factum eſſe, ut ſignis advenarum antiquitus navis adderetur, argumentum hoſpitis ex inſtrumento peregrinationis. Ita Janus in numiſmatis antiquis pictus, & cauſam Naſo refert in adventum Saturni in Italiam, regnante Jano, qui ob hoſpitis honorem navim, qua advectus fuerat, depingi fecit. Faſt. *1. v. 239.*

Germani claſſibus caruerunt.

Claſſibus advecti peregrini.

Advenarum ſignum, Navis:

l.v. 239. Plutarch. *qq. R. 41.* & advectam Iſidis religionem peregrinam adSuevos ex ſigno in modum liburnæ figurato, conjicit auctor noſter *infra c. 11.* vid. Peutinger *Serm. convival. p. 829.* apud Goldaſtum *Polit. Imperii.* Hac itaque, tanquam propoſitione præſtructa, adſumit auctor, oceanum Germanicum, ſuo etiam tum ævo raris navibus aditum, ut concludat, multo minus antiquitus, in profunda navigandi imperitia, marisque ignorantia & nondum ita inſtructa re navali immenſum, & quaſi ex induſtria navigantibus adverſum infenſumque oceanum tentatum fuiſſe.

Germaniæ antiquæ facies

II. Sed vero ſi maxime demus, audax omnia perpeti genus mortale, cui robur & æs triplex circa pectus, nec fragilem truci commiſiſſe pelago noſtro ratem, ut loquitur poëta, reveritum fuiſſe; Qua vero ſpe commodi Germaniam petierint? Informem terris, aſperam Cœlo, triſtem cultu adſpectuque, ſilvis horridam, paludibus fœdám? Plerumque enim, vt Seneca habet *ad Helv. c. 6.* fertilis oræ & in majus laudatæ fama homines ſuis domibus excivit. Lydus & Tyrrhenus ſterilitate frugum compulſi ſortiti ſunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Paterculi. *1, 1.* Gallorum gentem dulcedine frugum, maximeque vini voluptate captam Alpes tranſiiſſe, Livius teſtatur *lib. 5, 33.* Cimbri, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant. Flor. *3. 3.* Adde Cerealis orationem apud Tacit. *4. hiſt. 76. ad fin.* Et facere huc, quod docti obſervant, *ex* Peuceri *lect.* Richter *axiom. pol. 21.* videtur, plures migrationes a locis magis ſeptemtrionalibus in occaſum factas, quam ex occaſu in orientem, nedum in ſeptentrionem.

CAPVT III.

De probatione per teſtimonia ἄγραφα, Germanos fuiſſe indigenas.

I.

COlonias in Germaniam ex cultiori terra neminem facile

facile deduxiſſe gentem, poſtquam probabili uno argumento oſtenderat Cornelius, jam ad monumenta ἄγραφα gentis ipſius devenit. Verba ita habent: Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſconem Deum terra editum & filium Mannum, originem gentis, conditoreſque.

Inſtrumenta non ſcripta, carmina.

II. Ergo ad carmina antiqua, quaſi quædam priſcorum inſtrumenta, ſed non ſcripta, provocat. Quippe unum gentis & memoriæ & annalium genus. Vbi memoriæ appellatione procul dubio commentarios rerum geſtarum intelligit, vel ephemerides. Sic enim Suetonius: Auguſtum memoriam vitæ proſa oratione compoſuiſſe *Claud. 1.* Et Tertullianus *adverſ. Judæ. c. 1. ſecundum memorias populus Judæorum, relicto DEO idolis ſuis ſervivit:* Et inter officia domus Auguſtæ, memoriæ magiſter & memoriales, itemque adjutores a memoria *Vid.* Salmaſ. *in Alex. Hiſt. Aug. p. 208. & Vopisc. p. 481.* qui ad memoriæ officium apparebant. *Vide* Gutherium *lib. 3. de off. dom. Aug. c. 7. p. m. 469.* Et memoria, cippus vel columna mortui tumulo impoſita, in qua elogium ejus tumulo inſcriptum viſebatur, quod nomen, patriam, parentes, profeſſionem, ætatem & ſimilia continebat. Salmaſ. *Sol. p. 1221.* In annales autem res illuſtres ſcribebantur. Differentiam oſtendit Tac. *lib. 13. Ann. Nerone,* inquit, *ſecundum L. Piſone Coſſ. pauca memoria digna evenere, niſi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Cæſar exſtruxerat, volumina implere cum ex indignitate P. R. repertum ſit, res illuſtres annalibus, talia actis diurnis mandare.*

Memoria pro monumentis.

Memoria inſcriptio tumuli.

Differentia annalium, & actorum diurnorum.

Monumenta antiquisſima, ligato ſermone.

III. Fuit autem hoc Germanis cum cœteris plerisque gentibus commune, quod monumenta antiquiſſima ligato ſermonis genere compoſita habuere. Prolixus eſt Strabo ut oſtendat proſa antiquiorem ligatam eſſe *lib. 1. p. m. 22. Et* Max. Tyrius *oratione, qua Poeticam laudat. Ex recentioribus* Gyraldus *1. hiſt. poet. Et* Plinius *lib. 5. c. 29. l. 7. c. 56.* proſæ inventorem Cadmum Mileſium alibi, alibi Pherecydem & Hecatæum, Porphyrius apud Svidam tradit Pherecydem primum omnium συγγραφὴν edidiſſe proſa oratione. Qua

Quis primus proſa ſcripſerit.

 in

in re etſi quodammodo diſſentire videtur Voſſ. *lib. 1. de arte Poet. cap. 1.* quod homines prius proſa locuti quam metro. Et nihil antiquius Moſaicis libris habeatur, qui proſa conſcripti: Fateri tamen cogitur antequam ſcribendi uſus obtineret, carmine comprehenſas eſſe res geſtas, partim ut facilius memoriæ mandarentur, partim ut cani quoque poſſent. Itaque carmina inter monumenta ἄγραφα prima origine eſſe nulli dubitamus, etſi fortaſſe proſa prior ſcribi cœpta. Qui mos neceſſario diutius ap. Germanos retentus, quo ſerius illi ſcribendi artem didicerunt, quo Taciti etiamnum ætate rudes.

Germanorum vt & Gallorum Carmina.

IV. Habuiſſe autem carmina non ſolium Cornelius *de mor. Germ.* ſed & alibi tradit, Arminii geſta cantata. Iulian. *μισοπώγ. pag. 35.* Prorſus eundem morem & Gallus fuiſſe, Cæſar auctor eſt. *Magnum*, inquit, *numerum verſuum ediſcere coguntur.* Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent. De *Bardis* Strabo *lib. 4. p. 136.* βάρδοι ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. *Vid. ibi* Caſaub. *not. p. 79. B. & Lucanus*:

Nos quoque qui fortes animos, belloque peremtos
Laudibus in longum vates diffunditis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Item Francorum.

De Francis Trithemius: *Mos erat maioribus noſtris ut heroum facta vel dicta memoratu digna per Sacerdotes templorum patriis commendarentur carminibus, in quibus diſcendis, cantandis & memorandis juvenum excitarent ingenia, quæ conſuetudo multis duravit annis, nec hodie defecit, cuius rei teſtes ſunt ſacri pæanes, de incarnatione, morte, ac reſurrectione Jeſu Chriſti, ſimiliter profanæ aliquot cantiunculæ, de veterum heroum, Regumque geſtis.* De Turdulis Strabo *lib. 3. pag. 96.*

Turdulorum, Scotorum Seneciones. Gothorum.

Scotorum Seneciones carminis genus ex Buchanano *lib. 2. Rer. ſcot.* notæ ſunt. Cantica Gothorum, quæ in laudem Anſium ſuorum componebant, JORNANDES, ſcriptorum Germanicorum antiquiſſimus, & Paulus WARNEFRIDVS hiſtoria Longobardica laudant.

Waſthali hiſtoria.

Ex talibus odis Waſthali hiſtoria ad Clodovæum usque, annos DCCCC XVI. Hunibaldo confecta fertur. Eorumque fidem non ſolum Saxo Sialandicus: Sed & Olaus Magnus Lincopienſis & Aventinus an-

nalibus

nalibus Bajoricis quandoque ſequitur. Olaus Wormius *de Faſt. Dan. c. 6.* inquit: *Priſco ſeculo tam pacis quam belli tempore ſecum in comitatu aulico circumferebant Reges qui bella, aliaque memoranda linguæ vernaculæ rhythmis comprehendebant ac populo decantanda, & longe lateque diſſeminanda exhibebant. Hos a.* Skald, *vocabant, nomine tam fœminis, quam viris competente.* teſte Arngrimo. Vide etiam ejusdem auctoris appendicem ad tractatum de literatura Runica *p. m. 175.* nec non D. Joh. Loccenium ICtum & Polyhiſtorem excellentiſſimum, *in Antiquitat. Sueo-Goth. cap. 15.*

V. Quod autem non ſcripta fuerint, teſtatur idem Tacitus. Et quam vernaculam ſcriptis comprehendere difficile fuerit noſtratibus, vel inde apparet, quod idem Carolus in pleriſque diſciplinis atque etiam Aſtronomia laudabiliter progreſſus, ad ſcribendum ſero & præpoſtere atque adeo infeliciter acceſſit, teſte Eginhardo qui Carolum M. demum ejusmodi carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, in ſcripturam redegiſſe tradit. Et quamvis Otfridus Monachus Wiſſenburgenſis cœnobii, Rabani Mauri diſcipulus, qui ſub Ludovico II. claruit, ſeculi noni anno LXX. ut habet Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, conqueritur in præfatione Evangeliorum paraphraſi rhythmica expreſſorum idiomate Francico, ad Luitbertum Archiepiſcopum Moguntinum, de linguæ Francicæ barbarie, quod inculta & indiſciplinabilis, atque inſueta capi regulari freno Grammaticæ artis. In multis etiam dictis ſcripto ſit propter literarum aut congeriem, aut incongruam ſonoritatem (*ſunt ejus verba*) difficilis. Quin tamen, ſi non propriis, Latinis certe characteribus tum temporis carmina exaraverint, non eſt dubitandum.

Germani ſcribendi literas ignari.

Otfridus Monachus.

VI. Quamvis vero a Carolo M. poſtea unus ac alter ſcribere voces noſtras conatus ſit, in morem tamen tantum abeſt ut ſtatim abierit, ut non temere ante ſeculum tertium decimum frequentatum reperias. Certe antiquiſſima Imperii conſtitutio lingua Germanica Friderico II. Cæſare condita eſt, anno clɔ ccxxxv. Cuius propterea rei, ut hactenus inſolitæ diſertim meminit Godofredus, ad S. Pan-

Prima Imperii Conſtitutio quando Germanice prodiit.

Pantaleonis Agrippinæ monachus.(*Tom. un. rer. Germ. Freheri p. m. 299.*) *Conſtitutio iſta habetur apud Goldaſtum*, (im andern Theil der Reichsſatzungen, *p. 17*.

Literæ Runicæ. VII. Sed huic adſertioni noſtræ runicæ ſeptemtrionis litteræ rupibus inciſæ, officere fortaſſis videbuntur, quibus monumenta ſaxea ante diluvium fuiſſe exarata Johannes Magnus *lib. 7.* tradit. Et meminit Saxo Sialandicus, præfatione operis ſui, rupis alicuius, tempore Voldemari Canuti F. (fuit a. is cum imperio ſeculo XIV.) quæ ævi injuria detrita, corruptis literis, runicarum antiquitatem confirmare poſſit. Sane Olaus Wormius, tractatu peculiari de literatura Runica, ut pluribus eius antiquitatem adſtruxit c. 20. Ita Johannis magni ὑπερβολὴν prudenter improbavit, *Vide* Voſſ. *lib. 1. de A. G. c. 9. & 10.* Clem. Alex. *1. ςρωμ. p. m. 225.* Euſeb. *præp. Evan. lib. 10. c. 5.* Scal. *in diatr. ad ann. Euſeb. 1617.* Grot. *de R. V. C. notis p. 147.*

IIX. Quamvis mihi autem non lateat, quæ hic ex Socrate *hiſt. Eccl. lib. 4. c. 27.* Jornande *in Gothicis*, Viterbienſi *in chronico p. 16. ad annum 373.* Ott. Friſing. *chron. lib. 4. c. 16.* Paul. Diacon. *hiſt. miſc.* reponi poſſunt, qui Gulphilæ Gothorum in Mœſia Epiſcopo inventionem Gothicarum literarum demum attribuunt, atque adeo natales in ſeculum IV. tempora Valentiniani & Valentis rejiciunt: Verum etiam quod Venedos ſeu Slavos demum temporibus Ludovici II. Imperatoris a Methodio Philoſopho literas accepiſſe, Aventinus *IV. Annalium* narret: Sufficiet tamen mihi hos qui longe ulterius ætatem Runicarum putant, hoc ipſos concedere, vulgo fuiſſe plane incognitas, nec in ullo uſu, ſolis eas callentibus vatibus, qui compoſita de heroibus carmina recitata populi memoriæ impreſſerunt. Ipſe Wormius *de Faſt. Dan. lib. 1. c. 7.* inquit: *Horum ad noſtra ſecula haut pauca devoluta ſunt poëmata, quibus tum Saxo tum alii rerum noſtrarum Scriptores plurimum ſunt adjuti. In Cantilenis ſuis proponendis hoc præterea obſervabant, ut, finita harmonia, rem geſtam cum omnibus circumſtantiis ſoluta oratione exponerent, unde factum, ut ipſi facilius poëma decantatum retinuerint, & ad poſteros per multa ſecula eodem pacto propagaverint.*

Gulphilas Gothorum in Mœſia Epiſcopus.

IX.

Digitized by Google

IX. Hæc ergo ſunt hiſtorica Germanorum veterum monumenta, carmina. Quæ ſua ætate in Germaniæ Bibliothecis reperiri Aventinus teſtatur: Goldaſtus *præf. in Tyrol. paræn. p. 346.* meminit carminum, de Otnite, Longobardo, Wolufftheoderico Græco, Gibicho Vangione, Laurino, Theoderico Veronenſi, Hildebrando Gotto, Sigfrido Agrippinenſi, cognomento, corneo. Edidit idem Goldaſtus carmina talia parænetica Tyrolis, Regis Scotorum, Winsbekii & Winsbekiæ. Quorum ille in aula Friderici Barbaroſſæ & Henrici filii. Hoc eius vero uxor ipſa, claruit. Cæterum antiquorum carminum λείψανα hodieque ſuperſunt aliqua in libro, qui vulgo das Helden-Buch, quod Henricus quidem ab Affterdingen, ex vetuſtiſſimis illis carminibus concinnavit, quamvis præſtaret, integra illa & intacta ad poſteros transmiſſa fuiſſe. Et inde fit veroſimile magiſtros cantilenarum die Meiſterſänger, qui quamlibet hiſtoriam, in certas carminum leges utcunque colligere docti ſunt, ex antiquiſſima illa Germanorum conſuetudine, quidquid id eſt, hauſiſſe. *Bernegg. qq. Tac. 6.*

Carminum Germanicorum quis meminerit.

Parænetica Tyrolis &c. Winsbekius quando vixerit.

Auctor des Helden-Buchs.

Meiſter-Sänger.

CAPUT IV.
De Tuiſcone & Manno.

I.

Itaque his inſtrumentis non ſcriptis probarunt jam olim Germani, ſe indigenas fuiſſe. Celebrant enim carminibus antiquis Tuiſconem terra editum. In cujus natales porro inquirendum nobis. Communis Doctorum virorum opinio Germanorum originem a Gomer deducit. Reſpicientibus itaque ad proximam Germanorum originem, Tuiſco fertur Gomer. Mannus autem Thogarma vel Aſcenez. Gomer Iapeti filius, *Gen. X, 3.* Alii, & inter hos Judæi originem ab Aſcenes vel Aſcanio repetunt. Quod non placet Voſſio *Theol. gent. 1. c. 38.* qui per Aſcenazim non Germanos, ſed Troada, Phrygiam, Bithyniam, Æolidem & tractus vicinos intelligit, ex Jeremia *51, 27.* ubi Propheta Aſcenes inter eos numerat, qui

Tuiſco.

Origo Germanorum an a Gomere, an ab Aſcene.

auxilia

Digitized by Google

auxilia Medis intulerunt. Exiſtimo itaque cum Voſſio, non neceſſe eſſe, ut quæ Tacitus de Germanorum primis parentibus tradit, ea de proxima eius gentis origine & conditoribus exaudiantur, quaſi nomina ſint eorum, qui poſt migrationem ex oriente primi in his oris appulere, ſed haut incommode ad communem omnium mortalium originem referri poſſe.

Tuiſco an Nomen Dei Germanorum.

II. Potuit itaque Tuiſco nomen Deí ap. Germanos fuiſſe, origine vocis ex Ægypto retenta, quibus Theut Deus fuit, auctore Platone *in Phædro* & *Philebo*. Cicer. *3. de Nat. Deor.* Lactantio *1, 6.* Et Livius *lib. 26.* Hiſpanorum, & Lucanus *lib. 1.* Gallorum Teutatem memorant. Eundem Cæſaris eſſe Ditem Gallis cultum ſuſpicari licet, (niſi potius terram intelligere malis, cum Voſſio *de idol. 1, 35.*) Quod nomen pro diverſitate dialectorum variæ pronunciatum, Theut, Thuit, Diet, Tacito in Tuiſconem, Tuiſtonem vel Tuiſconem abiit. Nec impedit, quod terra editum Tacitus memoret, quod Adamo, quam conditori ejus convenientius; ſiquidem e terra Deorum originem, quorum cauſas non reperiebant, tanquam ſponte naſcentium Gentiles deduxere. Hinc terra, Mater magna, omnium Deorum mater dicta, Lucretius *lib. 2. v. 657. Vide* Auguſt. *de C. D. 7, 26.*

Mannus an Adam?

III. Fuerit igitur Mannus, Adam, nomine ex Aſia ſecum ablato, unde & Turcimani, Othomani, Solimani. Nec abludit ſignificatio. Vt enim Man nobis marem, ſic Adam Hebræis hominem deſignat. *Vide* Bœcler. *Exerc. 2. in Joſeph. antiq. lib. 1. c. 2. th. 2.*

Ejus tres filii.

Cæterum Manno tres filios Germanorum carmina adſignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, Medii Herminones, cæteri Iſtævones vocati, inquit Tacitus.

Ingævones, Herminones & Iſtævones.

Beroſus nothus, Annii partus, & qui eum ſequuntur (Aventinus, *annal. Boj. lib. 1.* Henricus Mucius *de orig. Germ.* Alb. Cranz. *præf. in Vandal.* B. Rhenanus *3. R. G.* Willich. *comm. in Tac. c. 3.* Goldaſt. *de reg. Boh. c. 3. in Hermio;* Calviſ. *chron. A. M. 2124.* Beuth. *ad Tac. Germ. c. 5.*) fingentes Tuiſconem filium Noæ anno 131, a diluvio, ex Tytea genitum regnaſſe in Germania, poſte-

ros

Digitized by Google

ros Ingævonem, Iſtævonem, Herminonem, Marſum, Gambrivium, Svevum, Vandalum, &c. eius comminiſcuntur. At Tacitus trium filiorum Manni nominibus populos tres nominatos refert. Et gentium, non virorum nomina diſertim tradit Plinius 4, 14. Quemadmodum nec virorum ſingulorum ſed integrarum gentium appellationes, Marſos, Gambrivios, Svevos, Vandalos expreſſe & Tacitus & Plinius uſurpant. Suſpicari etiam quis poſſit in Tuiſconis nomine Tacitum quoque deceptum, vel nomen gentis, pro viri nomine accipientem, vel utrumque pro alterutro promiſcue habentem, quaſi Tuito & Tuiſco perinde dicerentur. Nam a Thuit, Germanis duite, Latinis Tuito, adjectione ſyllabæ, qua gentilia nomina formamus, ſke, factum Duitſke, inde Tuitſco. Id quod Petro quoque Albino, viro doctiſſimo, in animo fuiſſe videtur, *Chronico Miſniæ tit. 16. & tradit* Peucerus *ſub initium lib. 4.* CHRON. *Carionis*, exerte.

Non ſinguli fuere homines, ſed gentes.

IV. Ingævonum, Herminonum Iſtævonumque ſedes Plinius nobis monſtrat. Illorum pars ei ſunt Cimbri, Teutoni & Chaucorum gentes: Proximi Rheno Iſtævones; Herminones, quorum Suevi, Hermunduri, Catti, Cheruſci. Ex horum ſitu viri docti porro de vocum ipſarum origine & ſignificatione hariolari cœperunt. Peucerus in chronico Philippi *lib. 4.* Ingævones quaſi Inwohner, indigenas, Iſtævones, quaſi Weſtwohner, Herminones ab Heer, exercitu, dictus vult. Rhenanus *lib. 3.* pro *Ingævones*, Vigevones reſcribit, a Germanico Wig, vel Woug, ſinu maris, ut accolas maris denotent. Iſtævones, quaſi die üſerſten wohner, ultimos Germanorum ad Rhenum & Danubium. Herminones quaſi Hert, Herwohner, ab, Her, quod ſeptentrionalibus terram notet, Quod video clariſſimo quondam Davidi Peiſero placuiſſe, *in orig. Lipſiæ αἰνεκδότοις*, ubi lib. 1. conſtanter Hermiones ſcribit. Goropius in Beccesſalanæ lib. 5. p. m. 460. Ingævones quaſi hinge-See-wohner, quod ſecundum mare (hinge & hengen, ipſi, ſecundum) Hermiones hert-int-wohner, habitantes in medio corde notat. Philippus Cluverus *Germ. ant. lib. 1. c. 32.*

Eorum ſedes.

Origo, & ſignificatio harum vocum.

c.32.p.227. Ingævonem, Schemum, Iſtaevonem Japhetum, Herminonem Chamum interpretans, acrius, quam pro re, in Rhenanum invehitur.*lib.3.p.699.*quod pro Ingævonibus Vigevones ſubſtituit. Quandoquidem Germanos, non ex alluſione vocabuli, ſed e carminibus antiquis, neque ex ſitu locorum ſed a Manni filio appellatos fuiſſe conſtet. Sed pace viri, tanti hæc non ſunt, ut Rhenanum de humanioribus literis meritiſſimum propterea dementiæ & furoris arguere oporteret. Ex monumentis enim Germanicis hoc quidem conſtat, tres Manno filios fuiſſe, proprieque ſingulos procul dubio nomine: ſed unde nominis etymon petitum fuerit, indidem non æque liquet. Quemadmodum itaque monumenta illa non tollunt alluſionem vocabuli, ut loquitur Cluverus, neque ſequitur: Manno a Tuiſcone nomen fuit impoſitum: Ergo etymon nominis Germanis non deſignat virum. Ita a filio Manni accipere nomen potuerunt, cujus nihilo minus ſignificatio a ſitu loci deſumta fuerit. Quantum enim a ſe diſtant, auctor nominis impoſiti, & ejus ſignificatio ac etymologia!

Indigenis Germanis, ut genti, commune fuit nomen.

V. Quin itaque hæc nomina non propria ſingulorum hominum ſed gentium fuerint, non ſecus ac Marſorum & reliquorum, non eſt dubium. Indigenis enim noſtris antiquitus commune nomen non fuiſſe, Tacitus ſubindicat: Sed ſingulæ nationes ſingulis nominibus appellatæ. Nec Germanorum olim totius genus gentis, ſed unius modo nomen nationis fuit, ejus nempe, qui poſtea Tungri fuerunt. Soli enim Tungri primo Germani dicti, cum Rhenum transgreſſi Gallos expuliſſent, & feliciter rebus geſtis nominis ſui terrorem longe lateque auxiſſent, Galli, atque aliæ proximæ nationes, omnes Transrhenanos populos Germanorum nomine inſignivere. Ita intelligendus locus Taciti intricatus, in quo interpretes æternum fluctuaturos, Lipſius ad h. l. auguratur. Apparet itaque qua ratione Germanorum vocabulum, Tacito recens & nuper additum perhibeatur, vt nulla cauſa ſit, quam ob rem cum quodam viro docto, falſi eum arguamus. Nempe Galli a victore populo, tunc Germanorum, poſtea Tungrorum

Locus Taciti vexatus explicatur.

grorum

Digitized by Google

grorum nomine inſignito, omnibus reliquis Transrhenanis Germanorum vocabulum indidere. Transrhenani autem, cum jam illud Germanorum a Gallis inventum, commune omnibus illis factum eſſet, haud gravatim ipſi quoque inter ſe illud admiſere, a fortiſſima poſtea Tungrorum dicta gente illud mutuati. Locus ergo Taciti ſic diſtinguendus: *Primo a victore ob metum, mox a ſe ipſis, invento nomine, Germani vocantur.* Boxhorn. *in not. ad Tac.*

CAPUT V.

De Hercule & Ulyſſe Germanicis.

I.

HErcules tot fere numerantur antiquis, quot Hecatompyli portæ. Cicero *de nat. Deor.* Arnobius *lib.* 4. & (quem primus edidit cum Floro Cl. Salmaſius) L. Ampelius, *rubrica, quot fuere Joves p. 313.* Sex numerat. Varro quatuor & quadraginta collegit. Diodorus ad tres redigere conatus, Ægyptium, qui Gignon, vel Gigon Heſychio, Creticum ac Thebanum ſeu Amphitryoniadem. Fuit & Romanis proprius, qui Recaranus Aurelio Victori; *de origine gentis Romanæ*, Caranus Verrio Flacco, ut Servius *ad 8. Æneid.* Et duo unius templa, Herculis nempe Victoris unum in foro boario, alterum ad portam trigeminam. Fuit Phœnicius, nomine Melichartus, Deſanaus, vel Diodas. Fuit Celticus, Ogmios Luciano in Hercule Gallico, de quibus videri poſſunt prolixe LIL. GYRALD. *hiſt. Deor. Syntag. X.* VOSS. *Theol. gent. lib. 1. & 2.*

Multi olim fuere Hercules.

II. Ex omnibus iſtis neminem eſſe, quem quærimus, propemodum mihi certum eſt. Vide Camdenum *Britannia Danmoniis, p. m. 136.* Quippe indigenam fuiſſe oportet. Beroſus ὑπερβολιμαῖος inter Germaniæ Reges recenſet, addito Alemanni cognomine, quem ſequitur. Joh. Aventinus *Ann. Boj. lib. 1. & numero XI. facit,* conditorem gentis Bojorum. Willichius in annum M. 2332. æqualem Amenophti Aegyptiorum Regi collocat. Sed hæc quidem

Hercules Alemannus Rex

Conditor Bojorum.

Hercules & Mars vnius-ne Germanis? commenta videntur. *Vide* Rhenan. *3. rer. Germ. p. m. 350.* Beuth. *ad Tac. Germ. c. 13.* Cluver. *A. G. 1, 28.* Quod vero Cluverus Herculem, Martemque eosdem facit, & pro nomine naturali uno, nempe ſole, haberi, in eo a Tacito diſcedere videtur. Diſtinguit enim Tacitus his verbis: *Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant.* Et quod in numinibus animalibus fuit, monſtrant porro ejus verba: Primum virorum fortium ituri in prælia canunt. (ubi obiter notanda Lipſii interpunctio: p. virorum fortium. Ituri. &c. Quæ ſi ſequenda, non video, quorſum particula copulativa, in verbis ſequentibus: ſunt illis hæc quoque carmina. Nec dum plane agit, de his, quæ Germani in præliis egerunt, ſed occaſione carminis de Hercule, cantus reliqui generis obiter meminit) At Martem, non inter ſemi-deos vel indigetes Deos putat; Sed inter Deos ipſos præcipuum, *4. hiſt. 64.*

Lipſii interpunctio notatur.

II. Ergo Germanorum Hercules erat heros, inter ſuos celebris, non quidem Herculis nomine, ſed quovis alio, quod Romani Herculis eſſe interpretati ſunt, qui id cognominis omnibus viris fortibus tribuere ſoliti fuere. Aventinus nomen ei fuiſſe Erkle, vel Arckle, tradit, idque Germanis Leonem ſonare. Ejus ſimulacrum in Richenavia, inſula Rhenana, Conſtantiæ adverſa, ad Maximiliani usque Imperatoris ætatem ſervatum, eiusque auſpiciis inde Oenipontem delatum, quod & Althammerus aſſerit, *Comm. ad Tac. Germ. 13. p. m. 124.* Meminit etiam Sylvæ Herculi ſacræ Tacitus *Ann. 2, 12.* cis Viſurgim a Cheruſcis poſſeſſam, quam Cluverus inter oppida Minden & Stathagen, arcemque Bockenburg, collocat, *lib. 3. c. 19. p. 582.* Ammianus *lib. 18.* inter oppida Germaniæ ſecundæ, caſtrorum Herculis meminit. Eſt & in agro Bataviæ quodam ejus indicium, qui T'Land von Arckel. Vti in Zelandia, ubi anno 1514. in pago West-Capell repertus lapis, inſcriptus

Herculis Germanici ſimulacrum.

HERCVLI MARCVSANO

De quo Gigantomachia ſua prolixe Goropius *pag. 154.*

Vlyſſes. III. Videamus & de Vlyſſe, quem quidam longe illo

lo & fabuloſo errore in Oceanum delatum, adiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumque, in ripa Rheni ſitum, ab illo conſtitutum, nominatumque opinantur. Vt Tacitus teſtatur, Aram quin etiam Vlyſſi conſecratam, adjecto Laertæ Patris nomine eodem loco olim repertam, monumentaque & tumulos quosdam Græcis literis inſcriptos, in confinio Germaniæ, Rhætiæque tempore Taciti adhuc exſtitiſſe. Id quod etſi Tacito neque confirmare argumentis, neque refellere in animo fuit: demere nobis tamen, quam addere fidem proclivius eſt.

IV. Quod attinet Vlyſſis Troja redeuntis errores, videatur de his Homerus, *Odyſſ. 23.* Seneca *epiſt. 88.* Strabo *lib. 1.* Quo errore delatum in Luſitaniam condidiſſe Olyſipponem urbem tradunt Strabo *lib. 3. p. 103.* Solinus *c. 26.* Martianus Capella *lib. 6. in Hiſp.* Iſidorus Hiſpal. *Orig. 25, 1.* quam opinionem hodie adhuc tenent Olyſipponenſes, ut in Æde D. Pauli Latinum epigramma oſtendere auctor eſt Ferdinandus de Cordoua *didaſc. mult. c. 47.* Sed & Vlyſſeam (Nam diverſas eſſe urbes, ſecus atque plerique Geographi, Volaterranus *lib. 2.* Ortelius *theſau. Geograph. Maria de reb. Hiſp. c. 12.* putant, ſatis oſtendit idem Cordoua *d. c. 47.*) condidiſſe fertur, circa Malacæ Mediterranei maris emporii loca montana, in eaque Minervæ fanum exſtruxiſſe, in quo monumenta errorum Vlyſſis eſſe, aſpides & ſumma navium roſtra Strabo *lib. 3.* Inde per fretum Herculis in Oceanum delatum, Caledoniæ apuliſſe, teſtante id ara, Græcis literis inſcripta Sol. *c. 25.* Crates *apud Agell. 14, 9.*

Ejus errores. Conditor Olyſiponis.

V. Sed non magis Vlyſſem in Britanniam, quam Herculem veniſſe, verum eſt: Multo minus in Germaniam. *Navigia* enim qualia Homerus deſcribit, aperta, foriſque carentia longe infirmiora erant, quam quæ Oceani æſtum perferre potuiſſent, quam vix triremes firmiſſimæ ſuſtinere valent. At vero triremes multa ſecula poſt excidium Trojanum conſtructas primum Corinthi fuiſſe, docet graviſſimus auctor Thucydides. Per Hiſpanicum apud Gallicum, Britannicum Oceanum pervagari & in Ger-

An in Britanniam & Germaniam appulit?

Germanicum demum penetrare, bene inſtructæ claſſis opus eſt, non lembi a paucis remigibus agitati. Brodæus *3. Miſcell. 4.* Quare ſi Vlyſſis in Caledonia maxime exiſtent, monumenta, Homerici tamen Vlyſſis exſtare nulla cum Brodæo & Camdeno auſim affirmare, aramque illam in Germania in Vlyſſis potius honorem, quam ab Vlyſſe poſitam. *Confer.* Bernegg. *qq. Tac. 10.*

CAPVT VI.

Ex habitu corporum oſtenditur, Germanos fuiſſe indigenas.

I.

Germani nullis aliarum nationum connubiis infecti.

QVod Germaniæ populi nullis aliarum nationum connubiis infecti, propria & ſincera & tantum ſui ſimilis gens exſtiterit, ex habitu denique corporum omnibus eodem probatur. Quemadmodum enim habitus varii diverſæ argumenta originis ſunt, quomodo argui & dignoſci Britannos auctor eſt Tacitus noſter *Agric. 11.* Ita ſimilis habitus ſimilem originem demonſtrat. Illos enim hybridas appellabant, quo nomine Aſinium quendam Epicadum Suet. *in Aug. c. 19.* ſalutat, ex patre Parthico & matre Romana natum. Quod & Antonio, Ciceronis collegæ, objectum fuit in conſulatu. Translata a ſuibus denominatio, patre fero, matre cicure ſatis Plin. *8, 53.* Nicephoro Gregoræ, e mulieribus Romanis & viris Latinis prognati Gasmulicum genus audiunt.

Germanis plerumque & habitus & formæ ſimilitudo fuit.

II. Tales Germani non erant, quibus, ſi non in univerſum omnibus, pluribus tamen ſimilitudo habitus ac formæ conſtitit. Tribuit autem auctor noſter, & quotquot de Germanis ſcripſerunt, primo his cæruleos oculos, inde comas rutilas, tum magna corpora. De oculis conſentit Juvenalis:

Cærula quis ſtupuit Germani lumina?
Nempe quod hæc illis naturæ eſt omnibus una.

Idque in Biſſula ſua, puella Alemannica laudat Auſonius.

— — *Germana maneret*

Vt

Vt facies, oculos cærula flava comas.

Plutarchus *Mario* Cimbris tribuit oculos χαροπὺς, cæruleos vel cæſios. Vitruvius ſeptemtrionis gentibus cæſios tribuit.

III. Quod attinet comas, deſcribuntur illæ & promiſſæ & rutilæ fuiſſe. Vitruvius directum capillum tribuit & rufum, promiſſum Plinius. Illud vero omnibus Germanis commune non fuit, quod crines in vertice nodo ſubſtrinxerint, ſed Svevorum & Sigambrorum proprium. Tacitus *inf. c. 38.* Reliqui ergo Germani cirros habuerunt, id eſt, crines promiſſos, & dependentes. Non enim cirrus, crines ſubſtrictos nodo notat, ſed pendentes ac ſolutos, ut docet Salmaſ. *de coma p. 272.* De Sigambris Martialis: Germani promiſſas & rutilas comas alebant.

Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.

Nodi vero alias crobyli. De colore, Tacitus *in vita Agric. Rutilæ comæ Caledoniam habitantium, & magni artus Germanicam originem aſſeverant*: Juvenalis:

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem.

De Biſſula Auſonius, *oculos cærula, flava comas* Seneca *3. de ira 26.* tam vulgarem rufum, ſeu flavum crinem Germanis fuiſſe, quam nigrum Æthiopibus, aſſerit. Lucanus:

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis & indomitum Rheni caput.

Sed hunc colorem naturalem juvarunt etiam arte, teſte Diodoro *lib. 5* Plinius artem prodit *lib. 28. 12. Prodeſt*, inquit, *& ſapo, Gallorum hoc inventum, rutilandis capillis ex ſevo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis, ſpiſſus ac liquidus, uterque apud Germanos maiore in uſu viris, quam fœminis:* Hunc ſaponem intelligit Martialis, ubi ſpumam Batavam nominat, *lib. 7.*

Mutat Latias ſpuma Batava comas.

Lib. X.

Cauſtica Teutonicos accedit ſpuma capillos.

Et alibi:

Si mutare paras longævos cana capillo.

Accipe Mattiacas, qua tibi calva, pilas.

Ea propter capillitium Germanorum, matronæ Romanæ emere ſolitæ, & pro ſuo ſupponere: Ovidius:

Jam mihi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Et Tertull. *de cult. Pudet eas nationis ſuæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ ſint, ita patriam capillo transferunt.*

Germani pæne omnes robuſto corpore erant.

IV. Vaſtitatem etiam corporum omnes tribuunt. Mela *lib. 3. c. 3.* In univerſum ſcribit immanes eſſe animis atque corporibus. Tacitus infra: *In omni domo nudi ac ſordidi in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt.* Cæſar *lib. 4. B. G.* Germanos immani corporum magnitudine homines pronunciat. De Teutobocho Florus *lib. 3. c. 3. l. 10.* allegatur & Pontanus *Lib. 1. Hiſtor. Danic. p. 55.* qui videndus. De Cimbris Quintil. *declam. 3. nec minus animorum immanitate, quam corporum belluis ſuis proximi.* Exacte autem longitudinis menſuram non memini ullibi traditam. Quam tamen ſic fere conjiciendam putem: Conſtat juſtam ſtaturam æſtimatione Romana, ſenum pedum circiter fuiſſe. Confirmat id mos vetus in tironum delectu ſervatus, ita ut ſenos pedes, vel certe quinos & duas uncias habere probarentur, ut habet Vegetius *libr. 1. c. 5.* Et probatur inſuper ex *tit. Cod. Theod. de Tironibus,* ubi Impp. Valentinianus & Valens delectum haberi jubent in V. pedibus & ſeptem unciis uſualibus. Huic rei palus erat defixus, in caſtris, in quo inciſuris notæ pedum & unciarum diſtinctæ erant, ad quem palum tironum ſtaturam explorabant. Dicebatur hic palus incomma ab *ἐγκόπτειν*, infigendo. Quare qui ſeptimum pedem implebant, fere gigantum loco habebantur. Et tales fuiſſe Burgundiones, confer Chifletium *Comment. de Veſontione;* & Francos colligitur primo ex Sidonio, qui ſeptipedes eos appellat. Deinde ex Strabone, qui Britannos ſcribens majores Gallis, teſtatur viſos ſibi tantum ſemipedem longiores proceriſſimis Romanorum, Britannorum & Germanorum eadem erat proceritas. Ergo Germani juſtam Romanorum ſtaturam, quæ ſex pedum erat, uno vel

dim

dimidio pede ſuperarunt, atque fuerunt ſeptipedes, vel ſenum pedum cum dimidio.

V. Porro & candida, & fluxa, ad impetum magis valida, laboris atque operum impatientia, ſitim, æſtumque tolerare non aſſueta corpora laudant in Germanis ſcriptores. Vitruvius, Plinius, alii L. Florus alpina corpora humenti cœlo educata habere ſimile quiddam nivibus ſuis, quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eant, & levi motu, quaſi ſole laxentur. Quam fluxitatem & ſitis atque æſtus impatientiam efficere veriſimile eſt. Neque enim in ſudorem reſolvi facilius eſt caro, niſi quæ humore multo madeat, nec ſitis quem magis urget, quam cui multa humiditas familiaris eſt. Sed de cauſis habitus non eſt meæ profeſſionis agere. Videant & videantur Medicorum filii, & qui peculiarem huic rei dedit non ita pridem tractatum, Hermannus Conringius, Medicus & hiſtoricopoliticus excellentiſſimus. Germani operum laborisque impatientes.

COROLLARIA.

I. Et nomen & res herilis imperii etiam priusquam Theognis naſceretur, in mundo fuit.

II. Falſum eſt, incertum eſſe, quando lex regia Romanorum lata, nec verius, apud nullum hiſtoricorum ejus fieri mentionem, falſiſſimum latam unquam fuiſſe.

III. Summa poteſtas propterea non eſt illegitima, ſi titulo deſtituitur juſto, niſi quid injuſti aliud acceſſerit.

IV. Imperium proprie ſummum, non ratione auctoritatis, ſed poteſtatis dicitur & eſt.

V. Summum Imperium Dictatores Rom. habuiſſe contra fidem hiſtoricam negat Bodinus, nec perpetuitas ad ſummitatem facit.

VI. Poteſtatem judicandi & creandi magiſtratus, & conſultandi de rebus publicis, qui partes τῦ κυρίυ negat, quid κύριον in Rep. ſit, neſcit.

VII. Romani non plus juris habuerunt occupandi imperium aliarum gentium atque vel Ninus, vel Cyrus vel Alexander. Atque eodem jure interverti ipſis potuit, quo ipſi eripuerant aliis.

VIII. Nato Langobardorum regno, in occidente Imperatoribus Græcis nihil paruit, præter Romam, Pentapolin, Exarchatum Ravennatenſem, & Venetias.

IX. Longobardorum regnum, hoc ipſo regni ſed Italici nomine in ditionem ſuam Carolus M. & ejus ſucceſſores accepere.

F I N I S.

IOANNIS STRAVCHII
In
Cornelii Taciti de Moribus Germanorum,
DISSERTATIO II.
DE

MODIS ADQVIRENDI PRISCORVM GERMANORVM

Reſpondente
IOHANNE GEORGIO GRAEVIO
Numbargenſi
D. VII. EIDVS XBRIS 1650.

PRAEFATIO.

I.

Modus adquirendi ſignificatur potisſimum

DE modis parandæ rei veterum Germanorum acturi, non tam cum JCtis modos adquirendi jus aliquod & facultatem moralem circa rem, quam modos re, quocunque tandem titulo, apprehenſa ad vitæ neceſſitates ſuſtinendas fruendi; ſeu vitam ſuſtentandi inſtituta & conſuetudines intelligimus. Etſi hæc duo ita ſunt ſubinde conjuncta, ut divelli tractando ſemper non poſſint.

ratio victum parandi.

Quæ duplex naturalis ex fructibus

II. Itaque cum Philoſopho *1. Pol. 8.* veterum Germanorum κτητικῆς duo conſtituimus genera: Alterum τῆς κατὰ φύσιν; alterum δι᾽ ἐμπειρίας καὶ τέχνης. Horum priorem deſcribit Philoſophus, quod ſit ἐπιμέλεια περὶ τροφῶν ἀνα-

ἀναγκαῖαν, ἀπὸ τῶν αὐτόφυτον ἐργασίαν ἐχόντων καρπῶν καὶ ζώων. id eſt cura parandi alimenta ad vitam neceſſaria ex iis quæ quæſtum inſitum, ſeu ex ſe genitum, habent, nempe fructibus naturalibus & animalibus. Conſiſtit itaque vel in terræ cultu, vel animalium poſſeſſione, tam pecorum quam ferarum.

& animalibus

III. Sed cum alios alia delectent, neque eadem iisdem jucunda ſint, neceſſe eſt mortales ut diverſo, non eodem, vivant modo. Natura enim, prout commodiſſime exiſtimavit, ſingula iſtorum, quibus unaquæque gens delectatur, ſelegi ab ea poſſe ac comparari; Ita & viuendi rationem exquiſita prudentia diſtinxit, atque eorum victui accommodavit. Inter quos pigerrimos cenſet Philoſophus pecuarios, quibus quaſi aliud agentibus victum ex pecudibus domeſticis natura ſuppeditat. Nihil enim ejus cauſa agunt, ſicut reliqui, niſi quod ſequuntur pecudes, cum locum mutant, & paſcendi gratia in ſaltus alios aut paſcua ſe transferunt. Unde eos non inepte vivam agriculturam exercere ait.

IV. Hoc vivendi genere, ut antiquiſſimi plerique, ita qui antiquitatis mores & inſtituta diutiſſime retinuere, uſi ſunt. De Scythis ex Herodoto, Diodoro, Juſtino res nota. Qui armenta & pecora paſcentes una cum illis ſub plauſtris, corio tectis, per incultas ſolitudines errare ſoliti, lacte veſcebantur, tegebantur pellibus. Talis quoque Sacæ, ut Chærilus apud Strabonem. Tales Pendæi, Indi, Troglodytæ, Æthiopes, Numidæ, Afri, teſtibus Herodoto, Diodoro, Plinio, Solino, Mela, aliis.

Pecuaria antiquiſſima.

V. Tales & Germani olim, quibus arare terram, aut exſpectare annum tam facile non perſuaderi, quam vocare hoſtes & vulnera mereri poterat. Qui quoties bella non inibant, plus per ocium tranſigebant, dediti ſomno ciboque. Igitur præter pecuariam, & venatum exercuerunt, ſub quo cum Ariſtotele comprehendimus & latrocinium & prædam bellicam. Quæ ſingula Germanis fuere in uſu.

Venatoriam etiam exercuere Germani.

VI. His itaque modis victum ſibi pararunt Germani.

ni. Quo nomine comprehenduntur præter cibum, potum ac veſtitum, etiam habitatio omniſque generis inſtrumenta & operæ, teſte JCto Vlpiano *lib. 58. ad edictum* & Cajo *lib. 22. ad edict. prov. ff. de V. S.* quæ qualia fuerint, ordine videbimus.

CAPVT I.
De victu ex pecuaria.

I.

CErtum eſt, ex ſitu & ingenio loci non hominum ſolum: Sed & animalium reliquorum & plantarum ingenia formari. Qua de videri Hippocrates *περὶ ἀέρ.* Grut. *differt. ad Tacitum 45.* Juſt. *lib. 2. c. 1.* Cum itaque Germaniæ terra in univerſum aut ſilvis horrida, aut paludibus fœda, de rebus, unde victum parabant, facile fieri judicium poteſt. Pecorum ſuo tempore eam fœcundam laudat Cornelius: Sed hæc plerumque improcera, ut nec armentis ſuos honos, aut gloria frontis fuerit. Vbi per honorem Tacitus ſpeciem egregiam, proceritatem, & præſtantem corporis habitum deſignat. Sic Virgilio honeſtiori; Horatio honor Pavoni cocto negatur, per gloriam frontis, ſed quadrupedum, cornua intelligit. In viris enim capitis honor canitiem ſignificat; quod vel panegyricus ad Trajanum probet; *Jam*, inquit, *proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris nonne longe lateque Principem oſtentant?*

Pecora Germanorum improcera

II. In pecudum fructu ſunt fœtus, lac, pilus, lana, quæ natali ratione cuiusque eſſe dicuntur *§. 19. & 37. Inſt. de rer. div.* Nam qui dominus eſt rei, idem naturaliter eſt dominus fructuum rei, ut inquit Grotius *de I. B.* Victitabant itaque pecore, inemtis dapibus. Quippe quorum maior pars victus, ſunt verba Cæſaris *6. comm.* in lacte, caſeo, & carne conſiſtebat. Idem Strabo *lib. 4. de Gallis*: τροφὴ πλείστη μετὰ γάλακτος, καὶ κρεῶν παντοίων. De Scythis Herodotus *lib. 4.* ζώουσι δὲ μὴ ἀπ' ἀρότρου, ἀλλ' ἀπὸ κτηνέων.

III. De

III. De lacte res certa. Cæſar *lib.4. Non multo frumento, ſed maximam partem lacte, atque pecore vivunt.* Tacitus inter cibos eorum lac concretum ponit. Quo nomine quid velit, haut tactum interpretibus, nec expeditu adeo facile, quum non una concreſcendi ſit ratio. De caſeo quo minus accipiamus, facit Plinius, *XI, 41. Mirum barbaras gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut ſpernere tot ſeculis caſei dotem, denſantes id alioquin in acorem jucundum, & pingue butyrum. Spuma id eſt lactis, concretiusque, quam quod ſerum vocatur.* Accedit ipſa caſei apud noſtrates recepta appellatio, originem Romanam præferens. Haut vano argumento, rei a Romanis poſt Plinium demum, & fortaſſe Tacitum quoque, Germanis receptæ. Quo facit, quod apud Rhætos ante triginta demum annos caſei formationem cœpiſſe ad Conradum Geſnerum ſcripſit Jacobus Bifrons, anno ſeculi ſuperioris poſt quinquageſimum ſexto, teſte viro ad invidiam docto Hermanno Conringio *tract. de Germ. corp. hab.* Nec me valde moveat Cæſaris auctoritas, caſeos jamdudum victui Germanico accenſentis, quippe cui Germanica non ſatis explorata fuere omnia.

Eorum lacte victitabatur, etiam concreto. Inquiritur, quid fuerit lac concretum; Non Caſeus. Probatur auctoritate Plinii Et Jacobi Bifrontis.

IV. De butyro ſecus eſt. Neque enim hoc nomen Butter antiquum apud Germanos, nec adeo his vernaculum ac proprium fuiſſe oſtendunt excerpta Lipſii *cent. 3. ad Belgas epiſt. 94.* ubi butyrum Germanis *Kuosmeer* exponitur, quod ad noſtram pronunciationem & orthographiam eſt Kuhſchmär. Res vero longe in victu Germanorum fuit, atque vel Græcis, vel Romanis nota. Non dubito Herodotum, *Melpomena, c.2.* de confectione butyri loqui, ubi ſervos excæcatos Scytharum diffuſum in vaſa concava lignea lac agitare, cuius quod ſummum delibetur, ut precioſius, vilius haberi, quod ſubſidat, tradit. Scilicet tam mirum id viſum Græcis, quibus pariter ac Latinis nullum aliud pingue curando corpori, aut parandis cibis fuit in uſu, præter oleum, quod proprie ita dicitur ex olivis expreſſum. Nomen vero butyri & Græcis & Romanis ignoratum, qui illud demum a vicinis

An butyrum fuerit, quæritur? Nomen Butter Germanis olim non in uſu.

Butyrum Græcis & Romanis diu incognitum.

nis populis, una cum conficiendi ratione accepere. Nam, ut ſcribit Caſaubonus *in Ath. lib. X. animad. c. 14.* qui Thraciam, Pœoniam, Scythiam adierant, cum earum περιήγησιν ederent, primi id nomen in Græciam invexerunt.

V. Hecatæo res quidem cognita, ſed nomen nondum item, cui id ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος. Nec temere butyri antiquiorem in Græcia mentionem ea, quæ apud auctorem de morbis, ſi modo is Hippocrates, reperias. Ejus verba, quod maxime ad rem faciunt, huc referre operæ videtur. Ἔοικε δὲ τοῦτο ὥσπερ οἱ Σκύθαι ποιέουσιν ἐκ τοῦ ἱππείου γάλακτος. Ἐκχέοντες γὰρ τὸ γάλα ἐς ξύλα κοῖλα σείουσι· τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφριεῖ καὶ διακρίνεται καὶ τὸ μὲν πῖον τὸ βούτυρον καλέουσι. Quibus verbis non ſolum rem ipſam Græciæ ignotam fuiſſe apparet, quorſum enim ad Scythas amandaret Græcos, ſiquidem res domi nata & nota?) Sed & ipſius vocis cunabula e Scythia petuntur. Denique qua ratione is ſcriptor, quod ex lacte equino fieri docet, Græca appellatione butyrum vocare potuiſſet? niſi βοῦς fortaſſe tum temporis non bovem ſed equum ſcilicet notavit. De Romanis minus adhuc laborandum, quando quidem apud rei non modo ruſticæ ſcriptores altum de eo ſilentium: Sed & Plinio barbarorum cibus dicitur, *lib. 29. 9.* Et deſcriptio butyri, quæ tum ibi tum *lib. XI, 41.* rem ignotam Romanis arguit. Et quid mirum? cum etiamnum in ceterarum gentium provinciis, ut Hiſpania, tam rarus ejus uſus eſt, ut tantum vix comparari poſſit, quantum emplaſtris, & cataplaſmatis ungendis ſufficiat. Vide Nobiliſſimum C. Barthium *Adverſ. LIII, 14.*

VI. Quid ergo tandem de lacte concreto, quod vocat Tacitus? Anne butyrum intellexit? Id quod vult Cluverus. Præcipue, quod Plinius butyrum lac concretius vocet, *lib. XI, 41.* Verum enim vero cum non uno, ut & hodie fit, ſed variis modis procul dubio denſare lac noſtri ſciverint, mirum foret, hunc unicum a Tacito expreſſum fuiſſe. Itaque hoc nomine, tanquam generis, omnes eum modos, quibus lac concreſcit, ſive butyrum, ſive hyppace,

Digitized by Google

ce, quam Scythæ olim ex lacte equino eliciebant, ſive aliud quodcunque tandem, præter caſeum, deſignare voluiſſe verius videtur. Denique butyro non ſolum in cibum Germani, ſed & ungendis corporibus uſi ſunt, *Plin. XI. 41.* & Sidonius *carmine XII.* crinibus id illeviſſe refert:

Burgundio cantat eſculentus
Infundens acido comam butyro.

Veſcebantur & pecudum carnibus & ferarum.

VII. Pecudum quoque carnibus veſci ſolitos Cæſar tradit, quod maxime ſit veroſimile, utut Tacitus nonniſi ferinæ mentionem faciat. Cui enim bono tantus pecorum, quo gaudebant, numerus, ſi non ad victum etiam? Aſſas fuiſſe eas Poſidonius apud Athenæum; ſed & elixas, *lib. IV. 13* docet Diodorus, *lib. V.* πλησίον δ' αὐτῶν ἐσχάρας κεῖνται, γέμουσαι πυρὸς, καὶ λέβητας ἔχουσαι, καὶ ὀβελίσκους πλήρεις κρεῶν ὁλομερῶν. Strabo, qui initio *lib. 7.* Germanos quantum ad victum Gallis peræque aſſimiles facit, tribuit his τροφὴν πλείστην μετὰ γάλακτος, καὶ κρεῶν παντοίων, μάλιστα δὲ τῶν ὑείων καὶ νέων καὶ ἁλιστῶν. Vix itaque perſuadebit Mela, *lib. 3. 3.* qui Germanos ita cultu aſperos criminatur, ut cruda etiam carne uſi fuerint, aut rigentem in ipſis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque ſubigendo renovaverint. Parcius iſta Pomponi! Undenam tibi ſoli ejus rei notitia? Neque enim apud alios hujus ætatis tale quidquam. Sed nihil tam immane excogitare Quirites poterant, quod minus Germanis, quorum vim metuebant, convenire crederent. De ſalitis & fumo duratis non abnuerim, larido, ſuccidiis, pernis. Laudat Athenæus lib. 14. c. 21. pernas Gallicas. Marcus Varro & ſuccidias. *lib. 2. de RR. c. 4.* Nec hodie deſiit Germania inferior crudis his veſci. Non tamen recentibus, aut rigentibus in corio pecudum, ut Mela ſine teſte adfirmat, & ſine ſuffragio. Videtur tamen Florus hoc idem velle *lib. 3. cap 3. n. 13.* non maiori tamen, nititur fide, quam quod idem de panibus habet, quod refutatur *c. noſtri 3. th. 3.*

tam aſſis quam elixis.

non crudis recentibus.

Sed fumo duratis forte.

D CAPVT

CAPVT II.
De agricultura.

I.

Agrum colucre Germani.

QVod magis pecorum curæ, quam culturæ agrorum animum applicuerint Germani, ſupra ex Tacito dictum. Fuit tamen nec horum cultura nulla, ſecus atque Strabo tradit, *libro VII.* Quod Tacitus *c. 18.* oſtendit. Ubi initio ſtudium agri colendi non omnino, ſed ἐν λόγῳ συγκρίσεως, negat, & paulo poſt hanc curam fœminis, ſenibusque & infirmiſſimo cuique transſcribit. Et ita capiendus quoque Cæſar, qui dum agriculturæ non ſtudere ait, ex emphaſi & proprietate verbi, de præcipua & enixa hac cura loquitur. Non tamen proprietatis jure & dominii, ſingularis: Sed velut uſufructuario, aut mancipum rei univerſitatis fructus fecere ſuos. Teſtis eſt Cæſar, *IV. B. G. Privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt.* Et Cornelius noſter: *Agri pro numero culturum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur.* At quomodo hæc per vices occupatio facta fuerit, ambigitur.

ſed magis uſufructuario, quam proprietatis jure

Mutarunt enim quotannis agros.

II. Nobis non alia quærenda videtur ratio, præter hanc, quam Getis Horatius adſignat:

Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.

Firmat locus Cæſaris, *lib. IV.* ubi de Suevis: *Centum pagos dicuntur habere, ex quibus quotannis ſingula millia armatorum bellandi cauſa ſuis ex finibus educunt. Reliqui domi manent, pro ſe atque illis colunt. Hi invicem anno poſt in armis ſunt, illi domi manent, ſic neque agricultura, neque ratio atque uſus belli intermittitur.* Itaque non dereliquit ſuos univerſitas agros, alterius pro vices pagi poſſeſſionem occupans: Sed unus idemque ager per vices poſſeſſores mutavit, unius tamen omnes pagi.

Inde fruges ad cibum, qui panis & pultes.

III Frugibus uſos fuiſſe, tam ad cibum, quam potum palam eſt. In cibo panes & pultes. Illos ex Athenæo

næo probamus, *lib. IV. c.13.* ἡ τροφὴ δ' ἔστι ἄρτοι μὲν ὀλίγοι, κρέα δὲ πολλά. *p.151. in f.* Pultes ex avena parari Germanis, non minus quam ſeri avenam miratur Plinius, *lib.18, 17.* Germaniæ populi ſerunt avenam, neque alia pulte vivunt. Romanis vero avena pro vitio frumenti fuit, ut idem Plinius. Et Virgilius:

Romani avenam non ſerebant.

Exſpectata ſeges vanis eluſit avenis,
Et:
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Symmachus; *Nec rubigo ſegetibus obfuit, nec avena fruges necavit.* Turnebus *lib.19. c.29.* Hinc eſt, quod nihil de ejus ſatione legatur apud Auctores Latinos, qui de agricultura. Et Servius ad Eclogam V. notat, in Thracia avenas eſſe fructuoſas. Græci vero avenam fructuoſam a ſterili nomine diſtinguunt, hanc αἰγίλωπα, illam βρόμον appellantes. Dioſcor. *lib.2. c.85. Vide* Salmaſ. *in Solin.*

IV. Sed & hordeum & triticum ſatum fuiſſe conſtat, & hoc nomine frumenti Tacitum, ubi de potu noſtratium agit, deſignare opinor. Et hæc quidem agrorum cultura. Tacitus infra: *Arva per annos mutant & ſupereſt ager. Nec enim cum libertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſeparent & hortus rigent.* Itaque poma cibo non alia, quam agreſtia tribuit, & frugiferarum arborum impatientem terram memorat. Pomorum autem nomen, modo latius modo ſtrictius uſurpant: Quidam enim a nuce diſtinxerunt: Virgilius:

Sunt nobis mitia poma —— ——
—— —— Caſtaneæque nuces.

Plerique exceptis nucibus, ficis & uvis omnes arborarios fructus poma nominarunt. *Vide l. 205. de V. S. Macrob. 2. Saturn. c.14. & ſeqq.* Ita Græci μῆλον modo de omni genere fructuum δενδριτῶν uſurpant, aliquando ad certam ſpeciem reſtringunt. Heſychius: μῆλον πάντας δένδρου καρπούς, ἐξαιρέτως δὲ τῆς μηλέας. Et Tacitum de arborariis fructibus loqui, ut glandes non excludat, puto.

V. De potu ita ſcribit Hiſtoricus noſter: *Potui humor ex hordeo & frumento in quandam ſimilitudinem vini corru-*

Sed & ad potum

ptus. Hunc potum, ſi non vino antiquiorem, quod tentat Cluverus, certe non multum recentiorem dixeris, & per omnes orbis partes bibitum. Adi, ſi placet, Cluverum *lib. 1. c. 17.* Diverſa tulit veteribus quoque nomina. Plinius *l. 25. 22. Eſt & occidentis populi ſua ebrietas fruge madida, pluribus modis per Gallias, Hiſpaniasque nominibus aliis, ſed ratione eadem. Hiſpani jam & vetuſtatem ferre docuerunt. Nullaque in parte mundi ceſſat ebrietas. Meros quippe hauriunt tales ſuccos, nec diluendo, ut vina, mitigant.* Athenæus Thracibus βρύτον dictum eſſe docet, *l. X, 14.* Zythus Ægyptiis, Celia & Ceria Hiſpanis, Cerveſia Gallis, auctore Plinio *l. XXI. c. ult.* JCtus Ulpianus, *lib. 23. ad Sabinum*, ubi inquirens quid nomine vini veniat, excludit Zythum, camum & cerveſiam; Zythum ait, in quibusdam Provinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane confici. Cujacius, perfectorum JCtorum ab occaſu Romani Imperii primus & ultimus d. l. pro pane, legit panico, quod unquam quisquam ex pane fieri Zythum non audiverit. Alciatus legit, farre, *X Parerg. 15.* Sed eruditorum hoc tempore Medicorum Princeps incomparabilis REINESIUS *III. Var. lect. 9.* ex Guil. Britone Aremorico & Avicenna primus, quod ſciam, Ulpianum mendi abſolvit, oſtendens non ſolum ex pane apud Flandros olim Zythum factum: Sed Avicennam inſuper diverſa Zythi de pane genera recenſere. Et auctorem ἀνώνυμον ϗ ἀνέκδοτον in volumine Chemicorum Mstorum, περὶ ζύθων ποιήσεως tradere, e molito hordeo addito fermento fieri panes, eos in ahenum conjectos adfuſa aqua coqui, tum colatum liquorem potabilem fieri. vid. Paul. Diacon. *Hiſtor. Miſcell. 43. C. 21.* Poſſit aliquis Cujacii lectionem non improbare, quam veroſimile ſit ex ſcribendi ratione, a librario neglecta potuiſſe gigni. Forte ſcriptum, ut ſolenne eſt Pandectis noſtris (pane COnficitur) pro panico conficitur. Quin enim de panico Zythus factus, nihil adeo dubii eſt, quum conſtet ex Dione *lib. 49.* hordeum ac milium Pannonios juxta ediſſe ac bibiſſe. Confer. Cujac. *XI. obſerv. 39.*

cujus ap. antiquos varia nomina.

Zythus an ex pane?

Cerveſia quid

VI. De nomine Cerveſiæ (ita enim conſtanter ſcribunt

bunt Pandectæ) addendum aliquid. In cujus incunabulis inveniundis mirum quam ſeſe argutulos præbuere Etymologi. Alii quaſi Cerebibam, quod Ceres bibatur: alii quaſi Cereris vim, quæ aquæ ſubſit, dictam contendunt. Vide poſt Iſidorum, *LXX, 4*: Matth. Martinium in Lexico & Becmannum, cui hic omnia eſſe ſuda magis quam Rhodi videntur. A calore cereo Ruellio *2. de Nat. Stirp. c. 18.* & Hadr. Jun. *2. anim. c. 12.* Ego vero & hanc vocem in ſeptemtrionibus natam agnoſco, eoque magis, quod Plinius potum ex fruge madida aliis atque aliis nominibus; Sed ratione eadem factum faſſus, poſtea *lib. 22. ſub finem c. ult.* quum cuilibet genti nomen ſuum reddidiſſet, cerveſiam in Gallia, aliisque Provinciis, puto populi Romani, dici ajat. Sane huius quo que ſententiæ eſt ſummus Criticorum BARTHIUS *Adverſ. XLIX, 20.* & Voſſius *de vitiis Serm. 4. p. 20.* hic quidem a Zehren, concoquendo vel alendo, quod vim habeat alimoniæ. Illius vero verba non tempero quin exſcribam: *Cerviſiæ appellationem veteres magiſtri cum ἀπὸ τῶν κεράτων, aut aliunde de Græcis Latinisve vocibus deducunt, mihi magnopere ineptire videntur, ut ſunt Papias, atque alii eius cenſus Rhapſodi, cum & res ipſa, & vocabulum rei prorſus ſint barbara, & nullo modo ad Helladem aut Latium ſpectent.*

nominis, & cujus gentis origine.

Germanicæ.

VII. Sed operæ eſt audire Germanicæ antiquitatis, præſertim illius, quæ ſecretius in Magnatum ſcriniis cubat, promum condum Goldaſtum, *Tom. I. part. I. rer. Alem.* quem Cluver exſcripſit. Ejus hæc ſunt verba: *Nos didicimus. Belgis in uſu eſſe vocem τοῦ* Terwe, *ἀντὶ τοῦ* Cerwe *ſeu* Zerwé, *ſed ſtrictius pro eo, quod eſt triticum. Sunt vero* Terwe *aliquot apud Belgas ſpecies,* Winterterwe, Somerterwe, Türckiſcher terwe, Römiſcher terwe. *Quid ergo dubitemus, quin nomen cerveſiæ ex ipſius frumenti, unde conficitur, vocabulo defluxerit?*

VIII. Hic eſt οἶνος κρίθινος Athenæi *lib. X. c. 13.* eidemque fortaſſe ἀντὶ τοῦ ἀκράτου reſtituendus *lib. XXXIV, 13.* qui tales etiam potus πῖνον & βρῦτον (quod quodam tenus ſono aſſimulat noſtro Bier & fortaſſe βύρσον, niſi aliud viſum

Lupulus recens addi cœptus. ſum Godaſto d. l.) antiquitus dictos fuiſſe tradit. Lupulum autem recentiori, & fortaſſe Hiſpanorum, invento, quibus Plinius tribuit, vetuſtatem ferre docuiſſe, accelerandæ ebrietati, acuendo ſapori, & in diuturnitatem additum, quod nuſpiam legas, hunc inditum olim, (potu quantumvis toto terrarum orbe notiſſimo, Nobiliſſ. BARTH. *LVIII, 13. p. 2706.*) poſt Althamerum *p. m. 286.* in erudita *de Germ. corp. hab.* diſſertatione, opinatur Vir CL. H. Conringius, rerum Germanicarum Goldaſtus alter.

De vino. IX. De vino quid habendum? Id ripæ proximos mercatos fuiſſe Tacitus ait. Svevos omnino a ſe importari non ſiviſſe, Cæſar *lib. VI.* quod ea re ad laborem ferendum emolleſcere homines atque effœminari arbitrentur. An Gallia tempore Taciti vites coluerit, non ſatis expeditum. Etenim Vopiſcus *in Probo* ſcribit, quod Gallis ac Hiſpanis & Britannis Probus Imperator permiſerit, ut vites haberent, ac vinum conficerent. Ipſe Almam montem in Illyrico circa Syrmium militari manu foſſum, lecta vite conſeverit. Et Aurelius Victor: *Vt Hannibal oleis Africæ pleraque per legiones, quarum otium Reipub. ſuſpectum rebatur: Sic Probus Galliam, Pannoniamque & Mæſorum colles vineis replevit.* Idem & Eutropius. Quia vero ante Probum Vienna Allobrogum Romam vinum picatum miſſum Plutarchus, *V. Sympos. 3.* referat; & Plinius Bituricæ vitis, & vini Arverni mentionem faciat, ideo quod de Probo tot fide dignorum hiſtoricorum teſtimoniis aſſeritur, ad Galliam Celticam & Belgicam referendum putamus. Nam Diodorus ſua ætate in Gallia Comata vinum naſci negat. Hoc vero quod doctiſſimus Merula pro argumento adfert, *Coſmogr. p. 2. l. III. c. 3.* Eliconem Helvetium olei ac vini præmeſſa ſecum tuliſſe in Galliam *ex Plin. XII. c. 1.* parum ad rem eſt. Neque enim intuliſſe vites plantaſſeque Plinius Eliconem dicit; ſed fructus aſportaſſe, quorum dulcedine, & maxime vini, Galli invitati alpes tranſiere, ut *Liv. l. 5.* docet. At transrhenanam Germaniam adhuc ſeculo nono vini inopia laboraſſe, colligere eſt inde, quod cum Francorum regnum in tres partes divideretur, inter

quando Gallia uti cœpit.

Ludo-

Digitized by Google

Ludovici Pii filios, Ludovicus præter Germaniam Trans- Quando Germanici.
rhenanam ſortitus ſit, *ut habet Rhegino ad Ann. 842. Marianus item Scotus ac Sigebertus*, civitates nonnullas cum adjacentibus pagis trans Rhenum, propter vini copiam, nempe, *tradente Aventino lib. 4.* Moguntinos, Vangiones & Nemetas.

X. An acetum, quod condimenti & embammatis vice eſt, Cermani ignorarint, non dixero. Nam de aceto, Acetum an
quod vini numero, non dubium eſt, quin fuerit ignotum. Germanis.
De quo: *Vino legato & acetum continetur, quod paterſ. vini numero habuit*, inquit Vlpianus *in l. 1. & l. 9. pr. verſ. hæc* Aliud potui
omnia, &c, § *1. ff. de vin. trit. l. 2. §. 3. ff. de opt. leg.* Quin aperte docet *l. 3. §. 5. de pen. lega.* potui acetum fuiſſe, Spartianus *in Peſcennio c. 10. Juſſit*, inquit, *in expeditione neminem bibere vinum: ſed aceto univerſos eſſe contentos.* (Vbi obiter nota uſum verborum juſſit nemini, ἀντὶ τῦ prohibuit) Plutarchus *in Catone Cenſorio*: ὕδωρ δὲ ἔπινεν, ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε διψήσας περιφλεγῶς, ὄξος ᾔτησεν. *Aquam bibit in militia, niſi ſi in acri ſiti & calore acetum poſceret.* Et id quidem pro diſciplina Romanæ militiæ, de qua videbis plura *ap. Lipſ. de M. R. lib. V. Dial. XVI. p. m. 325.* Et hunc potum aqua dilutum vocarunt *Poſcam*, vel ut Celſus ſcribit *Puſcam.* Gloſſæ *p. 165*: poſca, ὀξύκρατον. Quod verbum, ut ab edo, eſca, a noceo, noſca & κατὰ μετάθεσιν, noſca: Sic ab inuſitato primo, cuius ſupinum (ut vult vir doctiſſimus, καὶ περὶ ταῦτα ἀκριβέστατος Daumius *de cauſ. amiſſ. Rad. c. 5.*) ſuperſtes, potum, poſca. Vel ut Voſſius *II. de anal. c. 32.* ab ἔδω καὶ πόω. Græci recentiores inde formarunt ſuam Φοῦσκαν. Cuius mentionem facit *Alex. Trall. lib. XXI.* Et deſcribit Phœmon Cynoſophii *c. VII.* Quod ſit ὄξος καὶ ὕδωρ θερμὸν καὶ ὠὰ δύο. Conſule Viri maximi REINESII *Var. III, 9.* qui aliam ibi faciundæ poſcæ rationem tradit.

XI. Et fuit culpatum iſtud vinum, ut Macrobio vocatur *VII. Saturn. 6.* non militum ſolum ſed ſervorum quoque, viliſque plebeculæ potus. Et præſcripto Philoſophi Oeconom. V. ἐπειδὴ ἡ τοῦ οἴνου πόσις, καὶ τοὺς ἐλευθέρους ὑβριστὰς ποιεῖ

ποιεῖ, φανερὸν ὅτι τύτυ ἢ μηδὲν, ἢ ὀλίγον, μεταδοτέον τοῖς ἐργάταις Hieron. Mercur. *var. lect. 7. c. 8.* Imo & captivos & vinctos omnesque adeo miſeros hoc vino potatos, ex Georgio Monacho, de Manaſſe Rege, Judæos, obſervat Magnus Caſaubonus in Spartiani Peſcennio *p. m. 125. edit. Pariſ. lit. P.* Verba Georgii: καὶ ἦν δεδεμένος ἐν οἴκῳ φυλακῆς, καὶ ἐδίδοτο ἐκ πιτύρων ἄρτος βραχὺς καὶ ὕδωρ ὀλίγον, σὺν ὄξει, ἐν μέτρῳ πρὸς τὸ ζῆν αὐτὸν μόνον. Et fortaſſe id eſt, vinum familiæ, de quo Cato *R. R. c. CIV. ed. Aldinæ*, ubi deſcribitur eius parandi modus.

Aliud exſtinguendo igni.

XII. Fuit itaque acetum Romanis in potu. Aliud erat quod ad exſtinguenda incendia ſervatum vino legato non continebatur *l. 3. §. 5. ff. de pen. leg. & l. 12. §. 18. de inſtr. vel inſt. leg.* Aceti enim hanc præcipuam eſſe virtutem vel Macrobius *l. VII. c. 6.* doceat. Propterea quod ex ipſo ignis partes evolarunt, unde frigidum & humidum eſt. Alber. Mag. *IV. meteor. tract. II. c. 13. Et de veget. l. VI. tract. I. c. 35.* vel quod intimius penetrans, poroſque latiores reddens, fomites, ubi ignis conſervatur, melius tollit, ut ex Theophr. *lib. de Igne*, Hieron. Mercur. *III. Var. II. oſtendit.* Quapropter illi ignes artificioſi, qui nec aqua exſtingui queunt, aceto, hocque ſolo reſtinguuntur. Qualis eſt ignis Græcus a Callinio quodam architecto, tempore Conſtantini Pogonati inventus, ut ſcribit Conſtantinus Porphyrogenitus de adminiſtratione imperii ad Romanum filium, *c. 48. inf.* Cujus conficiendi rationem docere hoſtes vetat, *c. XII. p. m. 26.* Adde de hoc igne Cedrenum *in comp. hiſtor. in Conſtant. Pog. p. m. 36.* Zonaram *tom. III. p. m. 73.* Luitprand. *l. III. c. 6.* Pancir. *Nov. rep. lib. 19. & ibi Salmuth.*

Aliud intinctui.

XIII. Aliud Aceti genus, quod embammatis loco habebatur, *d. l. 9.* nempe acetum Scylliticum, de quo Columella *XII, 34.* (apud quem, pro decem bambatæ, reſcribe, embammata, vid. Salmaſ. *Exerc. Plin. p. 324. D.*) id quod & aceto legato continetur, adeoque vino vendito, etiamſi in idem corpus conſenſum fuerit, venditio, hoc præſtito, nulla eſt. *l. 9. §. 2. ff. de cont. emt. Quod aliud pro alio vendatur*

Digitized by Google

nr. Quia hoc non ex vino corrupto fit; ſed ab initio acetum eſt. *d. l. 9.* τὸ ὄξ☉ σκευαςὸν acetum factitium. Cujac. *XV. obſerv. c. 27.* Dicebatur & ϐάμμα Syracuſiis, ut docet Heſychius. Ita enim legendum non ϐάμϐα, ut præfert Editio Aldina. Inde & noſtrum 𝔅amme, pro fruſto panis condimento aliquo, ſuccove illiti; Et Æolicum, ϐάππα, unde Vappa Latinis, de vino acetoſo. Latinum idem Bammum ἀντὶ τȣ̃ ἐμϐαφίȣ, vaſe ad embammata continenda. Inde ὑποκιςικὸν, βάμπυλον, & βάμβυλον, acetabulum candelabrorum, ad excipiendas candelæ emunctiones & decidentes ſordes. Inde μονοβάμβελον, candelabrum unica eiusmodi lance. Vid. Salmaſ. *d. l. p. 375.* apud Codinum Curapalatam περὶ τῶν ὀφφικιαλῶν τȣ̃ παλατίȣ. *p. m. 9.* Etſi notæ Codrino ſubiectæ cum Meurſio in Lexico Græcobarbaro in alia omnia abeant, *p. 252. n. 25.*

XIV. Sed redeamus ad priſcorum delicias, acetum, quod tradit Athenæus Atticis) quantumvis ſolum & merum, ἡδυσμάτων vice fuiſſe *l. II. p. 67. lit. c.* & paulo ante τὸ ὄξ☉ ἄριςον τῶν ἡδυσμάτων uſurpatur. Hinc ἡδ☉ κατ' ἐξοχὴν, acetum Græcis dicitur. Vſque adeo acida & auſtera fuere grata, quo nomine vinum quoque Pramnium commendabatur, cujus meminit Plinius *l. XIV, 4. Homer. Il. λ. Athenæus l. I. p. 26. E. & p. 31.* Ut & Laſeris tam frequens uſus in condimentis. Hinc Ariſtophanes ſtylum Euripidis reprehendens ὀξωτὰ καὶ σιλφιωτὰ ei exprobrat, id eſt, meras orationis phaleras & lenocinia, vel ut Petronius orationem ſeſamo ac papavere ſparſam, quibus non jam ceu ἡδύσμασι; ſed velut ἐδέσμασιν utatur. Vid. Diog. Laërt. *l. IV. in Polemone p. m. 265.*

CAPVT III.
De venatione & raptu.

I.

Vidimus hactenus adquirendi modos, ex rebus quæ αὐτόφυλον ἐργασίαν habent: Jam de occupatione mobilium: quæ fit captura avium, ferarum, piſcium; itemque raptu. De captura ferarum res certa eſt, quum — Fuere & adquiſitiones ex venatione & raptu.

 inter

Venatione non multum in pace utebantur. inter cibos recens fera Germanis ſit ap. Tacitum, & alibi, quoties bella non intrant, non multum venatibus tranſigere, dicit. Ergo plurimum tranſegere venatu in bello. Neque enim opus eſt cum Lipſio expungere particulam negantem, vel quomodocunque interpolare locum. Et **DeLipſii correctione.** rationem cur bello plus quam pace tranſegere, quod aliunde tum vix eſſet, unde commeatum miles habere poſſet, quando nec pecuariæ per caſtra, nec agriculturæ vacare licebat, nec frumentatio ſufficeret ibi, ubi agrorum cura infirmiſſimo cuique mandatur. Equidem Cæſar *lib. VI.* vitam omnem in venatione & ſtudiis rei militaris conſiſtere ait: Quibus verbis ſi univerſa cœtera ſtudia excluſa intelligas, falſum efficies vel pecuariæ vel agriculturæ eos vacaſſe. Itaque præcipuum tantum, & quo maxime cenſendi veniebant Germani, ſtudium deſignare videtur voluiſſe. Quamvis & dici poſſit, Cæſarem non de aliis, quam Rhenanis & Suevis accipiendum. Nam & de his ſolum loquitur.

Inſtrumenta Germanorum venatoria. II. Porro quibus inſtrumentis venatores noſtri uſi, non aliunde ſatius, quam ex armis, quibus inſtructi fuere, ſcias. **An accipitres habuerint.** De accipitribus fruſtra cogites, ſiquidem verum, quod Flavius Blondus Italia illuſtrata tradit, ante ducentos annos venationem iſtam incognitam fuiſſe. Quod & Budæo videtur in Pandectas. Verum enim vero præter quam quod Ariſtoteles *lib. IX. hiſt. animal.* & Solinus *c. 8.* Thracibus eam tribuit; Vel ex Martialis Apophoretis Romanis quoque cognita fuiſſe proditur:

Præda fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non ſibi mœret aves.

At in Germania quando uſus ejus cœperit, tam mihi non liquet, quam propemodum certum eſt Taciti tempore incognitam fuiſſe. Sane Francorum Regibus uſurpatam oportet, quod inter venatores Regios Falconarius refertur ab Hincmaro Rhemenſi *Epiſt. III. c. 16. & c. 24.* Facit & Lex Salica *cap. 7.* ubi de *acceptore* ut & *Sparuario*, qui hodieque nobis Sperber. Quæ lex antiquiſſima & dudum ante Carolum M. in uſu, etſi poſtea demum in ſcriptum redacta, & latinis utcunque verbis impreſſa. Et in Capitulari

culari Caroli M. de Villis, quod publicavit Conringius cum epiſtola Leonis, accipitres & ſperorarii nominantur. n. 36. Et e Germania venandi id genus Italiæ ipſi redditum a Friderico I. Imperatore perhibetur LILIO GYRALDO *Dial. 6.* De retibus vero & laqueis aliud ut ſtatuamus facit Poeta: An retia & laqueos.

Scit bene Germanus cervis ubi retia tendat,
Scit bene qua frendens valle moretur aper.

Maximam autem partem videtur curſu, framea & fuſtibus peracta. De uris Cæſar: *Hos ſtudio ſe foveis captos interficiunt, hoc ſe labore durant adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent.* Neque capturam volatilium aut aquatilium ademerim hominibus inertiam ſcilicet amantibus. Plinius *de Caucis: Fugientes cum mari piſces circa tuguria venantur, ulva ac paluſtri junco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia.* An venatio ad volatilia & aquatilia pertinuit.

III. Hæc de venatione. Unde patet Taciti ætate nonlum eodem uti Germanos jure deſiiſſe circa res iſtas, quæ n prima rerum diviſione diviſa non ſunt; ſed occupanti elicta. Quamvis autem Jure Romano dicatur ſubinde ju- e naturæ & gentium liberum eſſe cuique talia animalia ve- ari, quia tamen hoc jus naturæ non neceſſitatem præceti; ſed agendi facultatem liberam neminis interdicto imediendam denotabat, ideo potuit quandocunque lex pulica huic promiſcuo uſui intercedere, libertatem natuilem circumſcribere & vetare, quod naturaliter licebat, ;que etiam ipſum dominium naturaliter adquirendum vi ıa antevertere Covarruv. *c. peccatum p. 2. §. 8. n. 1.* Id quod ıo tempore fieri cœpit, etſi præciſe definire non poſſuus, certiſſimum tamen eſt tum factum, cum Germani riſtina Reipublicæ forma relicta ſub Regibus eſſe cœpeınt. Quibus cum bona quædam eſſent aſſignanda, unde gnitatem ſuam ſuſtinerent, ſapienter exiſtimarunt, ab is rebus incipiendum, quæ ſine damno cujusquam tribui oſſunt, cujusmodi ſunt res omnes, quæ in dominum ıllum pervenerunt. Quo jure & Ægyptii uſi ſunt. Nam ibi procurator Cæſaris, quem ἴδιον λόγον vocabant, vin- Quando jus venandi ap. Germanos inter Regalia receptum.

 dicabat

dicabat res ejus generis, ut ex Strabonis *l. 17.* docet *ὁ πάνυ* Grotius *de J. B. II. 7. 5.* Dicitur is *in Digeſtis* Procurator Cæſaris, vel Rationalis, denique *καθολικός*. Caſaub. *ad Strab.* Ejusque muneris deſcriptio habetur apud Statium *Lacrymis Etruſci.*

De raptu, quo plurimæ Gentes uſæ.

IV. Reſtat, ut de raptu agamus. Materia munificentiæ per bella & raptus, *inquit* Cornelius. Et Cæſar *l. VI, B. G.* *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt, atque exercendæ juventutis & deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicat.* Et Mela *lib. III.* *Jus,* ait, *in viribus habere, ut ne latrocinii quidem pudeat.* Idem & ex Ammiano & Panegyriſta Maximiani & Conſtantini probatur. Et conſtat bellicoſiſſimas olim ex raptu vixiſſe quasque gentes, qua de re videri poteſt Piccartus *Comment. Pol. Ariſtot. l. I. c. 8. p. 108.*

Quænam ratio cur latrocinia ap. Germ. non fuerint infamia.

Sed advertendum, quod addit Cæſar, non habuiſſe infamiam latrocinia, id nec mirum eſſe. Non enim fuere ejusmodi latrocinia, quibus ex inſidiis viatores aggrederentur & ſpoliarent, ceu graſſatores vel latrones famoſi. Quos Romani appellant. *l. 28. f. 45. ff. de pœn.* Græcis *περιβόητοι λῃσαὶ. 6. Eccl. 54. c. 30. §. 2. ἐπίσημοι λῃσαί.* 6. Harmen. 6. Quales fuere Iſauri, de quorum graſſatura Amm. Marcel. *l. XIV. p. 4. ed. Lindenb.* Paul. Diacon. *lib. XIII. c. 10. Vopiſc. Prob. c. XVI.* Arcadio & Honorio Impp. nulla feriarum ratione habita ad ſupplicia duci juſſi. *l. provinciar. X. C. de fer.* Et Leo imperator *l. fin. C. ad L. Jul. de vi publica,* eos teneri ſanxit, qui ad Iſauros, vel Bucellarios (vide de his Gloſſar. Rigaltii tacticum) domi alebat. Talibus hautquaquam accenſendi Germani noſtri, juſtiſſimi populi, apud quos plus boni mores valebant, quam alibi bonæ leges. Sed ita mos erat, ut Cæſar habet: *Ubi quis ex Principibus in concilio ſe dixit ducem fore, ut, qui ſequi vellent, profiterentur, conſurgebant illi, qui cauſam & hominem probabant, ſuumque auxilium pollicebantur, atque a multitudine collaudabantur. Qui ex iis non ſequebantur, in deſertorum ac proditorum numero ducebantur, omniumque rerum iis poſtea fides abrogabatur.* Erant igitur hi raptus non minus juſti atque in bello juſto & ſolemni, quippe qui ima-

gó

Digitized by Google

go & præludium juſti belli eſſent. Et ſi ex fine in moralibus facta cenſenda, is utique legitimus erat, exercere juventutem ad futura bella & minuere deſidiam. Nec alteri civitati fiebat injuria ex raptu, quippe cum conſenſu, ſaltim tacito, totius nationis hæ prædationes bellicæ, ceu in præmia victoris receptæ eſſent.

V. Profuit autem venatio non in victum ſolum: ſed & veſtitum. *Gerunt & ferarum pelles,* inquit Tacitus, *proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus.* Ubi fruſtra eſt *Philip. Cluverus,* qui turbat quam ordinat verius, dum ita locum ordinare præ ſe fert: *Gerunt & ferarum pelles,* ulteriores negligenter, &c. Sanus eſt locus & in aprico mens Taciti; proximos ripæ ob commercia & ad venarum frequentationem negligenter pellibus & ſuo veſtitu uſos, quippe aliunde, nempe adventitiis mercibus, ſe excolentes: At ulteriores, ad quos ea non importentur, pelles ſuas geſtare, idque exquiſitius, quaſi nullum præter has cultum aut ſcientes, aut admittentes.

VI. Sed numquid pecudum, puta caprinis ac agninis pellibus etiam uſi, nec Tacitus nec alius meminit. Cæſar *l. IV.* pelles in genere; Sed *l. VI.* Rhenonum tantum tegumenta nominat. Juſtinus Scythis ferinas ſolas, & murinas tribuit. Has Eginhartus Carolo etiam Magno. Vocat autem mures, ſylveſtres beſtias minores, pelle commendabiles. Seneca *cap. XC. 38. Magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac Murium.* Amm. Marcell. *XXXI, 3.* Hunnis indumenta tribuit ex pellibus ſylveſtrium murium. De Romanis expeditum eſt, pellicea non induiſſe. Varro *de Re Ruſt. II, XI.* dicens quasdam nationes pellibus veſtiri, ut in Getulia & Sardinia, hoc ipſo uſum pelliceorum Romanis ſatis perſpicue negat. Exceptis Laribus, quos Plutarchus *in Probl.* canum pellibus apud Romanos indutos teſtatur: Et quamvis JCtus Ulpianus *l. 23. §. ult. ff. de aur. & arg. leg.* veſtes etiam ex pelle conſtare adſerat, & Paulus in *l. ſequ.* tunicas & ſtragula pellicea nonnullos habere: Apparet tamen ex *l. 25. ff. eod.* Ulpianum non de Romano-

An ferarum ſolis exuviis amicti.

Romani pelliceis non induti.

rum; ſed barbarorum veſtitu ſentire. Nam ut probet pelles in veſte eſſe: *Argumento ſunt*, inquit, *nationes quædam velut Sarmantarum.* Juſtinus de Scythis agens, veſtium uſum ignotum, ait, ſed pellibus uti. Et fruſtra Hieronymus Magius Livium teſtem citat, qui Romanos in Vejorum obſidione pellibus hiemare cœpiſſe: Non enim de pelliceo veſtitu; ſed de tentoriis capiendus hiſtoricus. Sed pluribus de veſtitu, peculiari diſputatione, Deo volente agemus, hic tantum de modo quærendi eum.

CAPUT IV.

De adquiſitione artificiali.

I.

HActenus de adquiſitione, ejusque modis qui neceſſario ad vivendum deſiderantur. Sequuntur, qui faciunt ad bene vivendum, & fiunt alienationibus & traditionibus mutuis, puta permutatione. Quæ duplex. Vel enim permutamus res, quibus non indigemus ad victum, cum rebus quibus indigemus, vel cum ejusmodi re, per quam res ad victum neceſſarias comparare poſſumus. Cum enim non ſemper concurrebat, ut, quum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles; electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio æqualitate quantitatis ſubveniret. Hinc emtio venditio nata, ut pulchre JCtus *in l. 1. pr. ff. de contr. emt.* Quibus pro omnia conſonant, quæ Philoſophus *1. Pol. VI.* habet. Prior permutatio, ut antiquiſſima, (vide de Mauris, Salluſt. *Jugurth.* de Græcis antiquis Homer. *Odyſſ. o. Iliad. 7.* de Scythis *Strabo lib. 7.*) ita Germanis noſtris uſitatiſſima. *Interiores*, inquit Tacitus, *ſimplicius & antiquius permutatione utuntur.* Nec hodie hæc ratio penitus apud Barbaros obſolevit, quum Patrum noſtrorum memoria in novo orbe; antequam eum accederent Hiſpani, nullus eſſet numi uſus. *Vid.* Piccart. *comm. Pol. l. I. c. 9.*

Permutatio duplex, alia, ubi res victui inter ſe commutantur: Alia ubi victus cum pretio. Prior antiquiſſima:

II. Altera fit re & pretio, ſeu numo, quæ emptio venditio. Ejus numi materia debebat eſſe quippiam utilium ad vitam, & quod communi conſenſu homines ament, ut in-

Altera fit numo, cuius materia explicatur.

Digitized by Google

inſtrumentum eſſe poſſit commerciorum omnium, non tantum inter cives: ſed maxime externorum. Adeo, ut quicquid vel communi conſenſu mortales in pretio non habent, vel non facile aſportari alio poteſt, id numus eſſe non poſſit. Et hæc materia primum, rudi adhuc ſeculo, pondere & menſura definita erat, poſtea nota ei cœpit inprimi, tanquam videlicet examinis compendium. Nota enim illa, quanti numus ſit, oſtendit.

III. Talis materia utilis facilisque portatu ac tractatu ex omni hominum opinione inter metalla reliqua, aurum & argentum eſt, quod propitii an irati Dii negaverint Germanis Tacitus dubitat. Non affirmans tamen, nullam Germaniæ venam aurum & argentum gignere. Quod ſuo tempore nemo ſcrutatus ſit. Et tamen idem Tacitus *Annal. XI, c. 20.* auctor eſt, jam ante Curtium Ruffum in agro Mattiaco recluſiſſe ſpecus quærendis venis argenti. Ubi Lipſius ut hæc conciliet, pro Mattiacis; Mazyas Africæ populos intelligit. Sed jam dudum effecit *Phil. Cluverus* quo minus hæc Viri ſummi explicatio locum inveniret, quam ipſe Tacitus refutat *d. l.* Vide tamen, quid contra Cluverum diſputet Pontanus *Diſceptation. Chorograph. p. 3.* Et *l. Origin. Franc. 6. p. 32.* Nam poſtquam hic Curtium Rufum honorem triumphi adeptum dixiſſet, poſt ſingulos honores, prout alius alii ſucceſſit, ita enarrat; Conſulare imperium, triumphi inſigne, ac poſtremo Africam obtinuit. Jam vero honorem triumphi conſecutus eſt, ubi in agro Mattiaco ſpecus recluſerat. Ergo antequam Africæ præficeretur. Deinde ubi Corbulo triumpharit ibi & Curtius. Sine medio enim ſibi duo triumphi ſubjiciuntur. Sed ille in Germania. Denique eo ipſo, quo de agimus loco, Tacitus Curtium literas occultas nomine exercituum compoſuiſſe narrat. At in Africa duæ tantum erant legiones, ut Tacitus *IV. Ann.* Germaniæ ab VIII. legionibus tenebantur in duos exercitus diviſis, quibus unus prefuit, conſularis præfectus. Omnis itaque componendi ratio eſt a tempore petenda ſcriptorum a Tacito operum. Prior autem eſt liber de moribus noſtrorum, poſt quem

An Germani venas metallicas habuerint.

quem ſecundo Trajani conſulatu, hiſtoriarum libros,poſtea demum Annales ſcripſiſſe, certum. Itaque de Curtio, poſtquam hæc ſcripſiſſet, comperiſſe, veroſimile eſt.

Cur Germani antiquiorem permutationem tamdiu retinuerint.

IV. Sed& Plinius *Lib.XXVI.c.1.* in Germania Provincia repertum æs ſibi referri ait. Ex his facile judicium fieri poteſt, cur Germani ſimpliciore & antiquiore permutatione uſi fuerint, ſpeciei cum ſpecie, primo quod contenti eſſent victu ſimplici & domi nato & ſine apparatu, ſine blandimentis famem expellerent, tegumine etiam inemto, feris detracto, veſtirentur. Deinde, quod metalla non ſcrutarentur. Nam & venæ quas tum habuerunt, ea parte Germaniæ repertæ, quæ Romanis parebat. Tum, quod numus, qui artificioſæ permutationi alteri intercedit; conſtare debeat ex materia, quæ in aliquo ſit pretio. Atqui Germani auri & argenti poſſeſſione parum afficiebantur; *Eſt videre,* ait Tacitus; *apud illos argentea vaſa non alia vilitate, quam quæ humo finguntur.*

Numos certos Romanorum probant.

V. Tantum igitur proximi ripæ, ut habet Tacitus; ob uſum commerciorum, aurum & argentum in pretio habebant, formasque quasdam pecuniæ Romanæ agnoſcebant & eligebant. Et paulo poſt: *pecuniam veterem & diu notam probant, ferratos, bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum ſequuntur nulla adfectione animi: Sed quia numerus argenteorum facilior uſui eſt promiſcua & vilia mercantibus.* Itaque formæ numorum quas agnoſcebant & eligebant erant veteres & diu notæ; ut mos fere eſt hominibus ſimplicibus, & qui pecuniam accumulare non ſtudent: Sed ceu inſtrumento, cujus extra uſum non eſt pretium, commerciorum utuntur. Jam olim Theophraſtus, in characteribus Ethicis, inter ruſticiatis *γνωρίσματα* refert, monetam rejicere, & ut alia ſibi mutetur, poſtulare. Et nemo neſcit, quam ſit & nunc etiam difficile ruſticis hominibus hac in parte ſatisfacere, qui, quod ſint *τῆς ἀργυρογνωμονικῆς* imperiti, fraudem undique ſuſpectant, omnia tuta timentes. Ex hac re natum apud Græcos proverbium, de iis qui judicio & penſiculate omnia examinant, *ἐξετάζειν ἀργυραμοιβικῶς*, apud Lucianum. *Adde* Caſaub. *in Theoph.*

Theoph. VI. De Bigatis Romanorum expeditum eſt, ſic dictos a characteriſmo bigarum, i. e. duorum equorum currui junctorum, ut quadrigatos, a quadrigis, quorum ſæpe fit mentio, tum apud alios tum apud Livium *Lib. XXIII. c. 15. & l. XXXIII. c. 8.* De Serratis ambigitur. Lipſius exiſtimat, dictos, quod eorum ambitus dentatus, atque aſperat, in modum ſerræ, cujusmodi ſe etiam vidiſſe teſtatur.

Bigati & Serrati quales.

VI. Manſit hæc conſuetudo eo usque, donec, ejectis Gothis, Gallia univerſa a Francorum Regibus occuparetur. Qui non amplius Imperatoris Romani: ſed ſuam imprimebant imaginem. Quod licet nulli gentium Romani permitterent, prohibere Germanis non potuerunt: Sic enim Procopius *lib. III. Bell. Goth*: *Ad certaminis equeſtris*, inquit, *ſpectaculum aureum numum nativo e Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri ſolent, imagine; ſed ſua impreſſa. Perſarum ſiquidem Imperator, etſi ad arbitrium argenteum numiſma fecit, aureo tamen non illi fas eſt ſuam ut imponat effigiem, nec barbarorum Princeps alius quisquam id facere auſit.* Hæc Procopius. Ita ad Germanos privilegium monetam cudendi pervenit, cujus uſu poſtmodum, in Germania magna, in venas metallorum diligentius inquiri cœptum. Apud Goldaſtum in *Collect. Conſuetud.* habetur Privilegium de metallifodinis pag. 17. anno Chriſti 786. Quamvis ante Ottonis I. imperium venæ nusquam legantur apertæ. Prima repertarum mentio fit apud Ottonem Friſingenſem *lib. 6. c. 24. in f.* Ditmarum Merſeburgenſem *lib. 2. p. 18. editionis ab Reineccio procuratæ*, ibi: *Temporibus ſuis* (Ottonis) *aureum illuxit ſeculum, apud nos primum inventa uena argenti.* Sigebertus Gemblacenſis venas auri: Sed Otto Friſ. argenti & æris prope Goslariam inventas memorat. Henning. Gœden *conſ. 5. p. 38.* Sed operæ hic abrumpere jubent.

Primum a Germanis moneta cudi cœpta ſub Regibus.

Argentifodina prima in Germania ſub Ottone.

Goslariæ.

COROLLARIA.

I. Etiam ante diluvium obtinuiſſe carnium eſus videtur.

II. Permutatio ipſarum inter ſe mercium laudabilior, ea, quæ fit intercedente pretio.

III. Agriculturæ ſtudium ſtudio rei militaris præferendum.

IV. Germanos recens natos flumini immerſiſſe, dubium etiamnum eſt, nec Claudius Galenus idoneus ſatis teſtis.

V. Infantes durare gelu non tam barbarum eſt, atque viſum Magiſtro Pergameno, præſertim probante hunc morem Ariſtotele.

VI. Germanorum infantes non nutriri, perperam contendere auſit Galenus. Quamvis vero æquo animo doctrina ejus Germani potuerint carere; contumelioſum tamen eſt, quod ſcribit ſua tuendæ valetudinis præcepta non magis ad Germanos, quam urſos, apros, leones pertinere.

Problema.

Cur tempore Taciti pecora improcera, homines proceriſſimi: Noſtro, illa proceriora, homines breviores?

F I N I S.

IOANNIS STRAVCHII

In

Cornelii Taciti Lib. de Moribus Germanorum,

DISSERTATIO III.

DE

ARMIS GERMANORVM PRISCORVM, EORVMQVE AD REMPVBLICAM VSV

Reſpondente

MELCHIORE REDELIO;

Halenſi Saxone

PRIDIE EIDVS APRILIS ANNO 1651.

CAPVT I.

De armis in genere.

I.

Etymologia. QVi Romanos eodem jure, quo hominibus, civitatem dediſſe aliarum gentium verbis volunt, illi vocabulis

cabulis latinis pleriſque domicilium originis apud alios omnes quærunt. Armorum etiam etymon ex Græcia petit Iſidorus *lib. 18. c. 5.* ἀπὸ τοῦ Ἄρεος, a Marte. Non nemo ab ἄρω, congruo, quod aptanda veniant ut quadrent corpori, vel ἀπὸ τοῦ ἁρμοῦ, commiſſura ob concinnitatem. Varro ab arcendo, Servius & Feſtus, itemque Iſidorus, ab armis ſeu humeris, quibus vel geſtentur vel regantur, vel quos denique tegant. ab armis, ſeu humeris dici. Et id probat Scaliger ad Varron. *in etymologiis a Varrone perperam traditis*, quod arma proprie ſint ſcuta, ut Varroni *4. de LL. p. 13.* *Tarpeia necata armis Sabinorum id eſt*, *Scutis*, Propertius *lib. 4. Eleg. 4. ingeſtis comitum ſuperobruit armis*, & ancilia arma, id eſt, ſcuta. Sic & Græcis ὅπλον clypeus eſt, ſeu thorax. Germanis **Wehr**, ab uſu, defendendo. Et hæc ancilia reſtituit Vir ſummus Reineſius, veteri Saxo Romano, quod apud Gruterum eſt *p. 173.* repetitum a Dempſtero *ad c. 12. lib. 2. Antiq. Rom.* Ubi Gruterus *armorum annalium*; Caſellius *clavorum*. Perperam. Quid enim cum clavo annali Saliorum Magiſtris? quem Prætor maximus primum, poſt Dictator cum Magiſtro equitum figebant? Legendum itaque *armorum ancilium*, *Vide de ancilibus* Camerarium *prob. 8. decur. IX.*

II. Accipitur autem vocabulum vel ſtricte & proprie, Homonymia pro inſtrumentis, quæ ſecundum proprium uſum ad offendendum vel defendendum parata ſunt, ut gladius, lancea, quo pertinent & machinæ & tormenta, vel latius, quæ ad quemlibet finem alium facta aut comparata, ad defenſionem vel offenſionem adſumuntur, prout occaſio fert, vel furor ea miniſtrat. Hoc ſenſu JCti accipiunt. *L. armatos 9. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. quod eſt. 3. §. armis 2. cum ſeqq. ff. de V. & V. A.* Quæ inſtrumenta armorum nomine non veniunt, niſi percuſſione facta. Metaphorice pro quolibet inſtrumento, quo quiſque ad operas artemve ſuam inſtructus eſſe debet. Ut & in verbis nuptis reperias, pro armis, quæ geſtare ſola per legem Corneliam licet: Ovidius:

Quam multæ ante meis cedant ſermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitat arma Venus.

& alibi *& toto movimus arma thoro.*

F 2 III.

Synonyma Tela.

III. Alio nomine arma interdum tela, interdum & ornamenta audiunt; Etſi enim tela proprie vocentur ea, quod ab arcu vel manu mittuntur, Popma *de diff verb. lib. 1. §. 5.* eoque ſenſu ab armis diſtinguuntur. Livio, *lib. 22. c. 56. & alibi:* Tamen id ita perpetuum non eſt, quin telorum nomine, fundæ, lapides, fuſtes, gladii, & denique omnia, quibus homines nocere poſſunt, appellentur *l. 11. §. 1. ad L. Jul. de V. P. l. 233. §. 2. de V. S.* Virgil. *2. divini operis:*

Aſt alii ſubeunt, nec ſaxa, nec ullum
Telorum interea ceſſat genus. Et IX.
At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,
Effugies neque enim is teli, nec vulneris auctor.
Sic ait; & ſublatum alte conſurgit in enſem.

Quem locum Servius explicans, ait: *Telum hoc loco gladium dixit, a longitudine. Unde & Muſtela quaſi mus longus. Telum poſuiſſe, pro gladio, illud ſignificat quod infert paulo poſt: Conſurgit in enſem.* Vide Brech. *ad l. 233. de V. S.*

Ornamenta.

IV. Ornamenta pro armis, præcipue gladiatorum ſumi docet Lipſ. *l. 2. Sat. 12. & lib. 2. Epiſt. qq. 10.* Seneca *præf. Natural. quæſt. Cum omnia caveris* inquit, *per ornamenta feriet.* Ibi alii æramenta, alii ferramenta, alii munimenta volunt: Sed Lipſius *ornamenta* defendit, ex altero Senecæ *Ep. 14.* ibi: *Ars ei conſtat, qui per ornamenta percuſſus eſt.* Et Suetonium audentius ipſos gladios ornamenta appellare, ait *Tito cap. 9.* quæ Caſaubonus vero pro toto apparatu & habitu, ejus qui in ſcenam producitur, exponit. Sed facit tamen pro Lipſio Aurelius Victor, hunc ornatum mirmillonum gladios exponens, quos editori mos exhibere, ut periculum faceret, ſatisne eſſent acuti. Videſis Gruter. *ad lib. IV. Nat. qq.* Sen. Sic ornatus militaris, pro armis Tacito *5. Hiſt. 22. & 3. d. 63.* Cornelius Nepos *in Annib.* Elephantem ornatum opponit viro inermi. Lucret. *lib. 2.* claſſem armis ornatam. *Vide* Alciat. *ad L. 41. de V. S.* Certe cum ornare generatim ſignificet, inſtruere, ut ornati aſini ap. Catonem *de R. R.* ornata jumenta *ap.* Ulpian. *l. 30. de Aed. ed.* ornata provincia ap. Suet. *Cæſare 18.*

orna-

Digitized by Google

ornamenta pro armis tum demum accipientur, ubi pro præſenti materia alius apparatus intelligi non poteſt.

V. Inventores amorum, qui priſcis perhibentur ex Plinio *l. 7. c. 56.* Polydoro Virgilio *lib. 2. c. XI.* Alexandro Sardo *lib. 2.* Panciroll. *Nov. repert. tit 18.* repeti poſſunt. Inventorum autem fabrica in quavis Republ. cuilibet privato non fuit permiſſa, Officinas & fabricas armorum Mithridatem oppidatim inſtituiſſe, teſtis Appianus *Mithridat.* Plutarchus *in Pelop.* *ἐργαστήρια δορυξόων καὶ μαχαιροποιῶν* Thebis nominat. Carthagine ſingulis diebus CXL. clypei compacti in armamentarium referebantur & gladii C. C. C. & lanceæ, D. & mille tela; quæ á catapultis mitterentur, ad quorum funes conficiendos ancillæ crines præbebant. Strabo *I. lib. 17. p. 573.* Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum Epheſum hiematum reducens exercitum, officinas armorum inſtituit. Corn. Nep. *Xenoph. in Ageſ. Et lib. 3. Græc. hiſt.* tradit, forum Epheſinum equis & armis ita refertum fuiſſe, ut & fabri ærarii, & lignarii & ferrarii, & ſutores, & pictores arma bellica pararint, ut exiſtimaris ipſam belli officinam eſſe urbem. De armorum in urbe officinis Cæſ. *1. civ. Hirt. B. Alex. c. 2.* In provinciis validæ civitates exercendis armorum officinis deſtinabantur, Tacitus *2. hiſt. 82.* de Vercingetorige arma imperante civitatibus Cæſar. *7. Gall. 4.* Apud Romanos ſub pricipibus magnus fabricarum numerus per provincias ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum inſtitutus fuit; Fabricæ Orientis fuêre quinque: Scutaria & amorum, Damaſci, ſcutaria & armorum Antiochiæ. Clibanaria Antiochiæ. Scutaria & armorum Ædeſſæ. Haſtaria Irenopolitana Ciliciæ: Ponticæ fuêre tres: Clibanaria, Cæſareæ Cappadociæ. Scutaria & armorum Nicomediæ, Clibanaria Nicomediæ. Aſiana una, ſcutaria ſcilicet, & armorum, Sardis Lydiæ. Thraciarum duæ: Scutaria & armorum, Hadrianopoli, Hæmimonti, ſcutaria. Armorum, Marcianopoli Illyrici quatuor, Theſſalonicenſis, Naiſſatenſis, Ratiarenſis: Scutaria, Horreamargenſis. Occidentis vero in Imp. Notitiâ, ac primum in Illyrico: Sirmienſis ſcutorum, baliſtarum & armorum: Acincenſis ſcutaria, Carnutenſis ſcutaria, Lauriacenſis ſcu-

Efficiens remota, inventores.

Fabricæ Orientis quinque.

Ponticæ III.

Aſiatica una: Thraciæ II. Illyrici IV.

In occidente XIIX.

ſcutaria, Salonitana, armorum. In Italia Concordienſis, ſagittaria. Veronenſis, ſcutorum & armorum. Mantuana, loricaria. Cremonenſis, ſcutaria, Tecinenſis, arcuaria, Lucenſis, Spatharia. In Galliis, Argentoratenſis, armorum omnium. Matiſconenſis, ſagittaria. Auguſtodunenſis, loricaria. Sueſſionenſis, ſcutaria, balliſtaria & clibanaria. Rhemenſis, ſpatharia & ſcutaria. Trevirorum, ſcutaria & balliſtaria. Ambianenſis, ſpatharia & ſcutaria. Addeſis Pancirolli commentarium ad *d. Not. utriusque Imp.* Stevyech. *ad Veg. lib. 2. c. XI.* Guther. *lib. 3. de Off. dom. Aug. c. 12.*

Qui fabricenſes dicti?

VI. Opifices in his fabricis occupati, Fabricenſes dicebantur, *t. t. C. de Fabricenſ. lib. XI.* Cedreno, οἱ τῶν ὅπλων δημιουργοὶ. Mauritius *Stratag. 1.* ἀρματούρους nominat, ſed legere malit ἀρματουργοὺς Meurſ. *Gloſ. Juſtin. Nov. 85.* Φαβρικησίους, & Φαυρικησίους Cedrenus. Creabantur autem Fabricenſes non niſi probati, qui curiales non fuiſſent, id eſt, qui docuerint ſe nec avo, nec patre curiali genitos, nec ulli oneri civitatis obnoxios. Quare prius teſtibus hac de re examinatis, & apud Præſidem provinciæ actis conſcriptis, vel civitatis defenſorem, qui a curia liberi reperiebantur, in Fabricenſium collegium cooptabantur, & ex publico ſalarium accipiebant. *l. 4. C. de Fabric.* Creandorum formulam vide apud Caſſiodorum *lib. 7.* Erant inter hos Deputati, chartularii, Protectores, tribuni. Deputati a Juliano ſtatuti, numerorum dicuntur, qui numeri cujusque militibus arma procurabant, nec operabantur in fabricis, ſed ſolam diligentiam habebant armorum militum in numero conſtitutorum. Chartularii ad inquiſitionem privatorum, qui arma faciebant, depoſitiones a magiſtratibus accipiebant, quod nemini privato concederent arma facere. Protectores fabricæ Gutherius fuiſſe putat, quibus fabricæ tuitio commiſſa, *l. 27. C. Th. de erog. mil. ann.* qui Tribunatus dignitatem aſſequebantur. *l. 2. C. de domeſt.* & Protector. *Vide* Cujac. *Nov. 85.* Guther. *lib. 3. de Off. dom. 12.* Panciroll. *Not. Imp. Orient. c. 66.*

Gradus inter eos.

Arma veterum an ænea?

VII. Materia propria armorum nemini ignota. Hoc video quibusdam tradi, arma veterum Heroum non ferrea, ſed ænea fuiſſe, quemadmodum & aratra & alia ejusmodi inſtru-

inſtrumenta. Cælius Rhod. *antiq. lect. 19. c. 10.* Nicolaus Leonicenus *1. Var. hiſtor. c. 51.* Iſidorus *16. 19.* Hieron. Magius *3. miſc. 3.* Heſiodus, ἐργ. καὶ ἡμ.

χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Lucretius, *lib. V.*

Et prior æris erat, quam ferri cognitus uſus.

De armis Heroum id habet Heſiodus, *ſcuto Herculis*, Homerus *utroque opere*, Virgilius plurimis locis, ubi æreum enſem, galeam, ſecurim, clypeum, peltas, loricam, æratas acies, florentes ære catervas dicit. Ovidius ex hac materia Achilli dat clypeum *Metam. 12.* Heroum ad Thebas pugnantium arma ænea paſſim facit Papinius. Et Pauſanias, *Laconicis; p. 136. edit. Xyl.* diſerte, Heroum arma fuiſſe ænea probat Homeri auctoritate, ſecurim Piſandri, & Meroniæ ſagittam deſcribentis. Ducit item in argumentum Achillis haſtam, Phaſelide in Minervæ templo poſitam & apud Nicomedenſes in Aeſculapii fano Memnonis enſis totus ex ære. *Hæc Pauſanias.*

XII. Sed fortaſſe nondum iſta perſuadent. Nam & ipſe Heſiodus Herculis enumerans arma, in eodem ſcuto: **Rationes pro negante parte.**

θήκατο δ' ἀμφ' ὤμοισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα σίδηρον.

Et Homerus *Iliad. 7.* Ereuthalion σιδηρείῃ κορύνῃ perrupiſſe agmina ait. Sed & Euſtathius *Iliad. α.* ubi Homerus χαλκὸς & ſimilia habet, ferrum interpretatur. Et dubitat Plinius, utrum Achilleæ cuſpis haſtæ ferrea an ærea fuerit *lib. 34. c. 5.* Virgilius Heroum arma etiam ferrea facit. Nam & jaculis ferratis Aeneam inſtruit, *lato criſpans haſtilia ferro. 1. Æn.* Et haſtæ Turni & Æneæ clypeo ferrum tribuit, & Priami enſi, & Græcis:

Stat ferri acies mucrone coruſco.

Stricta parata neci. lib. 2. Naſo in Lapitharum pugna Pirothoum ferrata ornat haſta. Papinius Meleagrum ferro *2. Theb.* & Tydæum & Adraſtum & Polinicum & Hippomedontem & alios. Quin ſi Caſſiodoro credimus *1. Variar. 30.* Jam diu, antequam æs a Callidemo, *ut* Plinius *vult. lib. 4. 12.* vel a Curetibus, *ut* Strabo, *lib. 10.* vel Pannoniis, *ut* Clemens Alex. *1. Strom.* inveniretur, Belus ferreum gladium

pro-

produxit. Imo in libro ſacri codicis de generationibus, jam ante faber in ære & ferro Tubal-Cain laudatur, octavus ab Adamo. Ut profecto riſum debeat is, quisquis fuerit, cujus mentionem facit Ferdinandus de Cordua *didaſc. mult. c. 6.* qui rationem redditurus, cur in ſtructura templi Salamonici nullum ferrum exauditum fuerit, addidit nempe, quia omnia fuere ærea, ſimilis gloſſa hæc fabulæ de verme Salomonis Thamur nomine (vel Schamir. Hoc enim nomen ejus apud Rabbinos) qui lana (alii furfure) involutus, includatur fiſtulæ plumbeæ, quæ deinde luto obturetur. Fiſtulam eam applicatam cuicunque rei duræ, etiam monti & petræ, eam rumpere, corpus etiam adquirere, qua quis velit eſſe figuram. Sic & tabulas Decalogi politas, & Aaronis veſtes, quas acu tangere irreligioſum aptatas ejus adminiculo fuiſſe. Sic marmor templi Salomonis fractum & politum, *teſte codice Talmud. Gittin, e quo Schickard. proœm. Tarich. Regum Perſiæ p. 61. & Sota, unde refert* Conſtant. L'Empereur *ad Cod. Middoth c. 5. ſ. 3. p. 182.*

Vermis Schamir.

IX. Liquet itaque quod, utut quorundam Heroum arma non ferrea, ſed ærea fuerint, id tamen factum, non fuiſſe ob defectum nondum inventi ferri, ſed vel a ferri inopia, vel ut præcipui quid haberent. Prorſus ut aurea pariter & argentea arma pleriſque gentibus fuere uſurpata. De Perſis Curtius *3. 10.* Juſtin *11. 13.* Parthis Juſtinus *41. 2.* Gallis, *Polyb. 2.* Sic Alexander argyraſpidas inſtituit. *Juſtin. 12, 7.* & ejus æmulatione Alexander Imperator Chryſoaſpidas apud Lampridium *6. c. 50.*

CAPUT II.
De armis Germanorum in Specie.

I.

Arma vel ad petendum, vel tegendum.

Arma, qua denotant inſtrumenta ad pugnandum facta, cum varie diſtingui, ac dividi poſſunt, ex fine fiunt duplicia. Sunt enim vel ad petendum, vel tegendum. Illius generis quæ Veteribus fuere in uſu, habes apud Agell. *lib. X. c. 25.* De utriſque videri poteſt Vegetius

getius *lib. 4*. Polyb. *de Mil. Rom. & ibi* Lipſ. *lib. 3*. Anonymus *de reb. bell. quem cum Vegetio* Scriverius *edidit.* Modeſtus *de vocabulis rei mil.* Novella *85. c. 4.* Ælianus *tacticis c. 12. & ſqq.* Leon. *Imp. tactica c. 5. Ex novioribus* Dempſter. *ad l. X. antiq. Rom. c. X.* Grapaldus *l. 2. Onom. c. 10. W.* Lazius *l. 8. comm. Reip. c. 15. & ſeqq.* Rigaltius *gloſſ. tact.* Alexand. Neapol. *lib. 6. c. 22.* Lipſ. *de Mil. Rom.* Fronſperg. *part. 1. lib. 4. & p. 2. lib. 1.* Dillichius *lib. 2.* Spekle *lib. 3. de archit. c. 5.* Nos ad priſca Germanorum arma convertimur, quibus cudendis nec officinæ regales, nec certi fabricenſes erant, & ut Agathias loquitur de Francis, vilis ac neglecta armatura erat, quæque variis opificibus non indigebat, ut facile ab ipſis, qui ea utebantur, ſi quid forte fractum refici potuerit. Idem Tacitus innuit in genere, quando inquit: *Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus Lanceis utuntur.* Qualiacunque vero fuerint, ad petendum comparati erant gladii, majores lanceæ, haſtæ vel frameæ, miſſilia. Ad tegendum, ſcuta, lorica, caſſis, galea.

II. Gladiis, ſed raros uſos fuiſſe ait Tacitus. Diodorus *lib. 5.* σπάθας appellat μακράς. Plutarchus, *Mario*, de Cimbris: μεγάλαις ἐχρῶντο καὶ βαρείαις μαχαίραις. Ita & Strabo *lib. 4.* μάχαιραν μακρὰν nominat. Spatham Vegetius *lib. 2. c. 15.* gladium majorem interpretatur. Scriptor hiſtoriæ rhythmicæ definit latitudinem, de Theoderico Veronenſi: — Gladius. valde latus.

Die Ort ihrer Schwerdter hingen gar auff die Sporn,
Sie führten ſcharff Gewehr, die Ritter auserkohrn,
Seyfried der führt ihr eines zweyer Spanne breit
Der Ezeſamen den viel Freys Leichen ſchneit.

Ancipites fuiſſe, prodit Iſidorus *lib. 18. c. 6.* qui gladium ex utraque parte acutum, ſpatham vulgo vocari recte ait. Non tamen, ut idem cenſet, inde, quod ſpatioſa ſit: enim videtur. Kilianus, quem allegat Pontanus: Spade, veteri Theutonica lingua, machæra. Retinent eandem & Itali & Hiſpani, ipſique etſi corruptius, Galli. Anonymus S. Galli Monachus in vita Caroli M. ex Werinberto, — Anceps.

 ita

ita geſtamen hoc Francorum deſcribit: *Balteus Spatæ colligatus. Quæ ſpata primo, vagina fagea, ſecundo corio qualicunque, tertio linteamine candidiſſimo, cera lucidiſſima, roborata ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium auraretur.* Femori appenſus fuit gladius, & quidem, ut Diodorus ſcribit, dextro. Idem Strabo *lib. 4.* (Sic & Romanos machæram geſtaſſe Polybius auctor eſt, *lib. 6.* quod tamen nemini, præterquam Prætorianis fuiſſe proprium; Reliquos ſiniſtro latere geſtaſſe, Princeps eruditorum Salmaſ. *ad Spart. Severo*, diſputat pag. 136. ex Johanne Antiochenſi ἐπὶ φυλακῇ βασιλικῇ ταχθέντες, οὐκ ἐν τῷ ἀριστερῷ μέρει ἀλλ' ἐν τῷ δεξιῷ τὰ ὤν θαλω ξίφη νενόμισται. Polybius militem Romanum ſua ætate dextro latere cinctum enſem geſtaſſe ſcribit, poſtea ſub Imperatoribus ſoli Prætoriani ita cincti. At Sidonius ad Anathemium lævæ eum accingit:

Femori dextro appenſus.

bellis hoſtilibus aſper.
Applicat a læva fulgentem balteus enſem.

Et icones antiquas, quæ veterum ferantur Pictorum Britanniæ ſeptentrionalia incolentium, ex læva gladios oſtentare Phil. Cluverius *Ger. ant. lib. 1. p. 294.* adfirmat: In illa tamen Picti imagine quam Lazius exhibet nihil tale, *libr. 12. Migr. gent.* Quid igitur habendum? An tempore mutaſſe iſta, an de diverſis & uno pluribus gladiis id intelligendum? Quorum illud Cluverius, hoc Pontanus, *Orig. Franc. lib. 6. c. 19.* vult? Hos gladios non ex humeris ſuſpendiſſe, ſed lateri accinxiſſe ex Sidonio videntur, *carmine V. de Francis:*

Latus & anguſtum ſuccinxit balteus alvum. Ita & Hunni: *Sidon. car. 2.*

Succincta ſub ilibus alvus.

Et Galli, quos gladio Hiſpanenſi cinctos deſcribit Livius. Et Suevi, teſte Agathia. Et Britanni, de quibus Herodianus *lib. 3. hiſt. 14.* ventrem atque cervicem ferro incingunt. Solis fortaſſe Gothis pendulos ex humero balteos geſtantibus, ad quos pertinet, quod Sidonius *lib. 4.* ad Domitium habet.

III.

Digitized by Google

III. Lanceæ, Hiſpanis nomen debent, ut Varro *ap. Agell. lib. 15. c. 30.* Et eſt non unum Hiſpaniæ hoc nomine oppidum, Lancia memoratur in Hiſpania Floro *lib. 4.* Maxima Aſturiæ Urbs Dioni prædicatur, *lib. 53.* Oroſio *lib. 6. c. 21.* Ptolomæus λαγκίαν ὀππιδάναν in Luſitania ponit. Gallis tamen appellationem tribuit Diodorus *lib. V.* προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι. Quem ita conciliandum Varroni Voſſius putat, *lib. 5. de vit. ſerm. c. 3.* quod origo ab Hiſpanis, uſus ad Gallos quoque pervenerit & Germanos. Hos enim præter Cornelium, & Diodorus *lib. 5.* lanceis uſos tradit. Ut & Siſenna ap. Nonium *lib. 3. Galli materibus, Suevi lanceis conſigunt.* Hodieque Germani peditem vocant, Lantz-Knecht, quaſi lancearium militem. Formam idem Diodorus repræſentat, cuſpidem ferream longitudine cubitum æquare, vel etiam excedere. Latitudinem a gemino palmo non multum abeſſe. Majores lanceas appellat Tacitus quemadmodum *1. Annal.* Cheruſcis haſtas ingentes ad vulnera facienda tribuit. *c. 64.* & Germanicus *2. Ann. 14.* enormes. Lanceæ

IV. Haſſæ genus quoddam (*de qua in genere vide* Alex. ab Alex. *gen. lib. 4. c. 8.* Siccamam *lib. 2. de centumvir. Judic.*) Germanorum vocabulo frameam dici tradit Tacitus, anguſto & brevi ferro; Sed ita acri, & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio popoſcerit, vel cominus vel eminus pugnarint. Quod teli genus fuerit, quærere ſe ait Lipſius *in not. ad Tac.* Chriſtophoro Colero fuiſſe videtur bipennis illa, quam poſtea creberrime Franci uſitavere, & franciſcam vel franceſcam appellarunt. Quod nomen apud Gregorium Turonenſem haberi ait idem Colerus. Iſacius Pontanus *de orig. Franc. lib. 2. c. 1.* idem ſentiens, recitat Gregorii verba *ex lib. 2. c. 27. Accepit Rex franceſcam ejus, quæ eſt bipennis, & projecit in terram: At ille cum ſe inclinaſſet colligere eam, Rex ſtatim elevatis manibus ſuis, franceſcam ſuam in capite ejus defixit.* Ita Pontanus: Sed in noſtra, quæ Badii & Johannis Parvi eſt, editione, vox franceſca non habetur, ſed bipennis. Quam eandem prorſus lectionem præfert editio Theologorum Coloni- Framea. Franceſca.

 enſium

enſium *in Biblioth. Pat. tom. 6. part. 2.* Nec non Freheri, ut quam editionem Pontanus & Colerus ſecuti ſint, non liqueat. Eandem franceſcam Agathiæ ajunt ἄγγωνα dici.

Angon. Verba Agathiæ ita habent: *Sunt angones haſtæ quædam, neque admodum parvæ, neque admodum magnæ, ſed & ad jactu feriendum, ſicubi opus fuerit, & ubi cominus collato pede confligendum, accommodatæ. Hæ pleraque ſui parte ferro ſunt obductæ, ita, ut parum ligni laminis ferreis nudum conſpiciatur, atque vix imæ haſtæ, cuſpis tota. Supra vero ad extremitatem ſpiculi adunci quidam mucrones utrinque prominent, ex ipſo ſpiculo, inſtar hamulorum inflexi & deorſum vergentes.* Procopius *1. Goth. lib. 2. de iisdem Francis*: *Pedites neque arcus habebant, neque haſtas, ſed gladium & ſcutum quisque gerebat, & ſecurim unam, cujus ferrum robuſtum* (σίδηρος ἀδρὸς) *& utrinque acutiſſimum, lignum vero admodum breve. Hanc ſecurim ſigno dato ſemper jacientes clypeos hoſtium perfringere ſolent.*

V. Verum enimvero nec hæc, qualem nobis deformat Agathias ἄγγωνος ſpecies, frameæ Taciti ſatis convenire videtur, neque franceſca quoque. Fuerunt enim angones robuſto ferro, mucronibus utrinque prominentibus: Taciti autem framea anguſto & brevi ferro. Deinde ſigno dato ſecures ejusmodi ejaculabantur milites, unde & Sidonius ſecures miſſiles appellat. *lib. 4. Epiſt. 20.* At framea Taciti non fuit inter miſſilia, quibus ſolos pedites armat Tacitus, frameam autem dat equiti. Eadem ratio facit, ut angones & franceſcam pro eodem inſtrumento habere non poſſim. Bipennis enim hæc, non miſſile deſcribitur. Catholicon Joh. Januenſis: *Franciſca a Francis dicitur. Et ſunt Franciſcæ inſignia, quæ ante conſules ferebantur, ut ſecures, ſic dictæ a conſuetudine Francorum.* Salomon Epiſcopus Conſtantienſis (fuit is ex illuſtri & vetuſtiſſima Ramswagiorum familia. Lexicon vero ſuum ex variis variorum ſcriptorum gloſſis compilavit, ante hos DCCC & plures annos, uſus opera præceptoris Iſonis, nec non Notkeri, qui 850. anno ſcripſit & Tutilonis, virorum doctiſſimorum. Adi Goldaſt. *not. in Columban. p. m. 82.*) vocabulario

lario

lario bibliothecæ Paulinæ. *Franciſca, bipenna.* Secures vero &bipennes anguſto ac brevi ferro non fuere. Quid ergo frameæ? Philip. Cluverius *lib. 2. Germ.* intelligit, id haſtæ genus, quo hodieque Germani utuntur, einen langen Spieß, Pique. At gloſſæ veteres: *Framea*, ῥομφαία: Sed & Ulpianus JCtus in *l. 3. §. 2. de V. & V. A.* rhomphæam exponit. Item Iſidorus, *18, 6.* Et vocabularium Salomonis: *Framea, romphæa, gladius vel haſta verſatilis, i. bis acutus, lancea acutiſſima, haſta longiſſima. Quidam etiam gladios ſignificari putant.* Conſentiunt itaque gloſſaria JCto Ulpiano, & frameam, rhomphæam aut ipſam, aut ſimillimam ei faciunt. Convenit Juvenalis *Satyr. 13.* qui Marti frameam pro inſigni tradit: Fuit vero Martis non haſta ſed gladius. Et Heſychius rhomphæam interpretatur: ξίφος ἢ ἀκόντιον μακρόν. Suidas ῥομφαία, τὸ μακρὸν ἀκόντιον, ἢ μάχαιρα. Et LXX. gladium pariter ac haſtam ſignantes Hebraicas voces vertunt ῥομφαίαν. *Vide* Martinii Lex. *rhomphæa.* Ergo Taciti framea nec franceſca Pontani, nec angon, nec piqua longa Cluveri eſt, quippe quæ nihil, certe vix aliquid cum rhomphæa commune habet, nec ξίφος nec ἀκόντιον recte dici poteſt: Sed medium quid inter haſtam & gladium: Cujus formam quadantenus Valerius Flaccus *lib. 6.* deſcribit:

Æquaque nec ferro brevior nec rhomphia ligno.

VI. Superſunt miſſilia quæ pedites ſparſiſſe, pleraque ſingulos atque in immenſum vibraſſe ait Cornelius, prorſus ut de Luſitanis Diod. *lib. 5.* ἀκοντίζουσι δὲ εὐστόχως, καὶ μακράν. Horum genus forte σαύνιον fuit, quod Heſychius ἀκόντιον βαρβαρικὸν appellat. Et quod paſſim Dionyſio σαυνιὸν, id Livio pilum, vel verutum. Et γαισὸς quod Heſychio ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον, quo de prolixius agere, non eſt ex inſtituto. Vegetius, *lib. 1. c. 20, ait: Barbari ſcutati, pedites miſſilibus præcipue utentes, quas Bebras vocant, ac binos etiam ac ternos in præliis portant.* In quo nomine nec res ipſa, nec lectio ſibi ſatis conſtant. Nam, ut Stewechius notat, alibi *bebyas*, alibi *brebras, & brebas* legitur. Miſſilia

VII. Hæc ſunt arma, quibus rari & fere divites ac nobiliores uſi Germanorum fuere. Plebis in promiſcuo uſu præuſtas fuiſſe ſudes innuit Tacitus, *lib. 2. Ann. Primam utcunque aciem haſtatam, cæteris præuſta, aut brevia tela.* Quosdam ea urorum cornibus cuſpidaſſe Plinius, *lib. XI. c. 36. auctor eſt*, quemadmodum Fennos ſagittas oſſibus aſperaſſe. Noſter infra. Præter hæc & Cateias Germanis tribuit Virgilius. *7. Aen.*

Cateia.

Teutonico ritu ſoliti torquere cateias.

Salomon Epiſcopus ita deſcribit; *Cateia, quam Horatius caiam dicit. Eſt genus Gallici teli, quæ jacta quidem non longe propter gravedinem evolat, ſed quo pervenit, vi nimia perfringit, quodſi ab artifice mittatur, rurſum redit, ad eum, qui miſit.* Eadem Iſidorus, *lib. 18. c. 7.* totidem verbis adfert, hoc addens ſolum, quod ex materia ſit, quam maxime lenta. Papias telum facit Perſicum: de cala Horatiana non liquet: Cala Lucilii, unde Calones, ex Servio nota eſt. Lucilius *Satyr. ſcinde puer calam ut caleas, In noſtro* ſimile, **Keule.** Porro de clavis iſtis Ammianus *lib. 31. Barbari.* (Gothos, vaſtantes Thraciam deſignat) *ut reparabiles ſemper & celeres, ingentes clavas in noſtras conjicientes ambuſtas, mucronesque acrius reſiſtentium pectoribus illidentes, ſiniſtrum cornu perrumpunt.* Denique Fennis, ut ſupra habuimus, ob fœdam paupertatem ſolam in ſagittis ſpem fuiſſe, Tacitus noſter, & Gothis, Vegetius *lib. 1.* dat.

CAPUT III.

De armis tegentibus Germanorum.

I.

Scutum.

INter arma ad tegendum Germanorum primo loco nominat Tacitus ſcutum. Nota eſt differentia inter hoc & clypeum, quam Livius *lib. 8.* inſinuat, ſcuta pro clypeis fecere inquit, quod clypeus ſit rotundus, cavus & totum protegens pectus, Virg. 2. Æn. *clypeique ſub orbe teguntur*, ſcutum oblongum, quadratum & totum corpus muniens. De quo accurate egit Lipſius *de milit. Rom. lib. Dial. 2.*

Ca-

An inter clypeum & clupeum differentia.

Cæterum Grammaticis jam olim veteribus clypeus & clypeum, ut & clupeus diſtinguebantur, quibus clypeum eſt expreſſa corporis effigies, humerorum tenus, ex auro, argento, lapide, ſicut imago e cera. Idem & clupeus illis perhibetur. At clypeus demum illud tegumentum corporis: Sed differentiam non agnoſcunt boni auctoris. Ita Trebellius Pollio in Claudio: *Illi clypeus aureus, velut Grammatici loquuntur, clypeum aureum.*

Clypeo quid?

Fuerunt clypei omnino imagines, thorace tenus depictæ, quemadmodum Latine clypeus & thorax pro eadem re uſurpatur. Suetonius *Caligula. Inter reliquos honores decretus ei eſt clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent.* Et Domitiano: *Scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi.* Liv. *lib. 48. Duodecim clypea ærata ab Aedilibus curalibus P. Claudio & Sulpitio Galba ſunt poſita.* Idem *lib. 50. clypeaque de columnis & ſigna militaria affixa demſit.* Vide Popmam *de diff. Verb. lib. 1.* Salmaſ. *H. A. p. 325.*

Idem, quod vultus.

Vocant Hiſtorici etiam vultus; Capitolinus *in Max. & Balb. Legiones ipſæ & auxilia ubique terrarum vultus jam veſtros adorant. L. un. C. publ. læt. vel Conſ. nunc. Si ſacros vultus iubiantibus forte populis inferimus.* Ubi Græci *λάβρατα* verterunt, vultus illos ſacros. Synopſis *Baſil. lib. 56.* Gloſſæ: Labratum, *ἀσπαστικὸν βασιλέως*. Labratum igitur proprie ſalutatio vel adoratio, qua Imperatoris imago excipiebatur. Inde & hi vultus labrata, quod ab omnibus adorarentur, & labratis oſculis excipi ſolerent. Vide omnino Salmaſ. *in Vopiſci Flavio p. 440. & ſeqq.* Sed jam ad arma noſtratia.

Et λάβρατα

Scutorum materia & forma.

II. Scutum quantum & quale fuerit, colligendum, quod Tacitus 2. *Annal.* immenſa ea indigitat, & Diodorus, ad Staturam hominis porrecta *lib. 5.* Materiam indicat itidem Tacitus 2. *Annal.* Non Loricam, inquit, Germano, non galeam, ne ſcuta quidem ferro nervove firmata, ſed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas. Advaticos ſcuta Cæſar ex cortice facta, aut viminibus contexta pellibus induxiſſe *lib. 2. B. G.* Vocabantur verna-

cula

Scuta Germanis Hürte. cula Hürte quod crates eſt vimineus, Tyrolis, Rex Scotor. *paræn. ad filium* §. 30.

Da Hurt gegen Hurte dringet, und Schwerdt auff Helme klingen pflegen.

Ita quidem Taciti ævo. Nam poſteriores vimen mutarunt in nervos, a Romanis procul dubio edocti. Hinc apud eos, qui ſuperant, ſcriptores, nulla unquam viminum, perpetua nervorum mentio. Wolfram von Eſchelbach *part. 2.* Heldenbuch.

Den ſtarcken Schild von Horne
Er ihm do gar erſpielt, Et de Wolff Dieterich:
Den Schild von Horn feſte
Den hub er da für ſich. Et vetus Poeta in hiſtoria Gevvani
Mit ſeinem Michel Horne
Er ihm die Streich usſloß.

Hürnin Seyfried. Ubi cornu, ſcutum ex nervis, qualia in armamentariis hinc inde oſtentantur. Nomen inde Sigefrido Gibichi Vangionum Regis genero, Hörnin Seyfrid, non quia corneus erat, quæ fabula nihilo verior illa Græcorum de Achille, verum quod arma geſtaret ex nervis contexta ut vult Goldaſtus. Quamvis ego malim Sigefridum de lorica ex cornibus raſis & lævigatis ita appellatum, qualem deſcribit Ammianus *lib. 17.* & Sarmatis ac Quadis tribuit, ut & Pauſanias *lib. 1.* A vocabulo Hurt, verbum Hürten allidere, impingere, congredi cum impetu N. von Gravenberg.

Da hebt ſich recht Ritter-Spiel
Da wird gehürt und geſchlagen,
Davon ſie mal müſſen tragen
Groß Wunden und Büllan
Von Schwerdt und von Büllan

Confer Goldaſt. *animadv. in Tyrol. p. m. 380.* Equites ſcuta a collo ſuſpendebant, & quidem ſiniſtro. Anonymus in Parcival.

Un chevalier qui arme porte,
Sa lance tendit, & ſon frain,
Et ſon eſcu a la feneſtre. Ibidem:

Et

Digitized by Google

Et Peſcu par la guige pent
A ſon col & la lance prent.

Forma eorum fuit plana, non concava Liv. *lib. 48. ſcuta longa ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipſa plana, male tegebant Gallos.* Exceptis Rugiis & Lemoviis, quorum inſigne rotunda ſcuta, breves gladii *Teſte Noſtro.* Hæc ſcuta colore fucata erant, vel ut in hoc opere loquitur Cornelius, lectiſſimis coloribus diſtincta. Diodorus *lib. 5.* ὁπλοῖς δὲ χρῶνται, θυρεοῖς μὲν ἀνδρομήκεσι, πεποικιλωμένοις ἰδιοτρόπως. Herodotus in Caricæ gentis inventis numerat *lib. 1.* clypeis inſignia picta adjungere.

Scutorum forma, plana.
colorata;

III. Ex his ſcutis certum eſt, colores variegatos in inſignia quibus nobiles familiæ diſtinguuntur, migraſſe, ut conſentiunt doctiſſimi quique, Marcus Velſerus *de rebus Boiic. lib. 4.* Freher. *Orig. palat. part. 1. c. 13.* Lazius *de migr. gent. p. 497.* Unde etiamnum ea omnium antiquiſſima ac maxime genuina Nobilitatis ducuntur ap. Germanos inſignia, quæ omnium ſimpliciſſima, certis duntaxat ſpatiis ac coloribus diſtincta. Bernegg. *quæſt. Tac. 23.* Idque vel in formam πλινθίων, laterculorum ſeu rhomborum, quos Plinius ſcutulas nominat, *Adde* Scalig. *Varr. p. m. 67.* Georgio Codino περὶ τῶν ὀΦΦι. τῦ παλ. *p. m. 23.* videntur χαρτάρεια dicta, & paulo poſt χάρτια. *vide* Franc. *Jun. comment. p. 273.* Lombardi rutas, nos **Rauten oder Wecken** Gallo Franci Lozenges; Vel ῥάβδων, Virgarum, trabium **Strich oder Balcken** appellatarum. Univerſis tamen civitatibus ac Principibus auguſtiora fuere inſignia, appictis etiam animalium imaginibus, quod notat Diodor. *lib. 5.* Et Quintilianus *lib. 6. c. 3.* imaginem galli in ſcuto Marii Cimbrico pictam refert. De Widekindo Saxonum Duce Cranzius *lib. 2. c. 4.* memorat, cum ejus inſignia quæ militaribus ſignis præferebat pullum prius equinum haberent atrum, placuiſſe poſtea Carolo M. ut candidum acciperet. Sic Cimbris taurus, Gothis rurſus (tradit quidem ex Stigelio Reineccius **von des Adels Herkommen**, in urbe Gothana, Gothorum inſigne, Draconem contortum & alatum in baſi vetuſtiſſimæ turris ſaxo inciſum conſpici. Sed

Inde inſignia gentilia,

 fortaſſe

fortaſſe id ſimulacri a Gothis relictum non fuit, nec ad eos pertinuit. Alii Gothorum inſigne Draconem fuiſſe inde probant quod Nemauſi, quæ quondam regia Viſigothorum, ſaxis inſculptus alatus draco viſatur.) Alanis canis, Trojanis ſcropha, Perſis ſagittarius, Thracibus Mars, Scythis fulmen, Francis leo pro inſignibus fuiſſe traduntur. Vide Freher. *de inſig. pal. d. loco.* Reineccium von des Adels Herkommen, Limn. de J. Publ. *lib. 6. c. 6. René François, de Merveille, de nature, chap. 43. des armoiries.* De Francorum inſignibus Caſp. a Lerch. *in diſc. Ger. de ord. Teut. ap. Beſold. theſ. pract.* De tribus bufonibus Tilium *comm. rer. Gall. lib. 2. f. 128.* Forcat. *lib.. 2. de Imp. Gall.*

IV. Fuiſſe etiam, ſed paucis, loricas teſtatur Cornelius. Loricas Romanis a loro dictas vult Varro *de L. L. lib. 4.* quod de corio crudo pectoralia faciebant. Errat ergo Iſidorus *18. 13.* qui quod loris careat, ita dictum autumat, Serv. *XI. Æneid.* ad, *pellis erepta juvenco,* annotat, *id eſt, lorica. Nam proprie lorica eſt tegmen de loro factum, quo majores in bello uti conſueverant.* Fuerunt & loricæ linteæ, quas Iphicratem produxiſſe in uſum auctor mihi eſt Cor. Nepos. *Mutavit genus loricarum & pro ferreis atque æreis, lineas dedit.* Quo *facto expeditiores milites reddidit.* Ap. Hom. quoque *Iliad. 11.* Ajax Oileus λινοθώρηξ eſt. Tali indutum ait Alexandrum fuiſſe Plutarchus, & Dion in Caracalla meminit, hunc inſtituiſſe militum genus, quos Alexandrinos appellarit, thorace ex triplici lino ornatos. Meminit & Suetonius *Galba c. 19.* Nicetas Choniates *lib. 1.* lineorum thoracum conficiendorum ſingulare deſcribit artificium: *Ipſe Conradus ſine ſcuto tunc dimicabat, ſed pro lorica textum quoddam geſtabat; e lino factum, aceto probe ſalito maceratum; ſæpius replicatum, quod quidem ſale & aceto coactum adeo firmum adverſus ictus erat ut penetrari nullo telo poſſit. Erant autem hujus texti plagellæ octodecim, & eo plures.* E ferro ſuccudiſſe Gallo tunicam ferream, ex annulis idem habet Varro *d. loc.* & Diodorus *lib. 5.* De Cimbris Plutarch. *in Mario*: Adi omnino Lipſium *de Mil. Rom. lib. 3 dial. 6.* Dicta fuit Francis Halsberge, quaſi colli tegmen περιτραχήλιον

σιδηρῦν-

fuerunt & linteæ.

σιδηρῶν. In gloſſario Theodiſco: *Collicium Halsberga.* Legitur ap. Carolum M. in diplomate Wormaciæ dato, anno 1290. *Principes cum militibus de Romana expeditione acerbe contendere, eos multo plures halsbergas de beneficiis ſibi ducere, quam illi fatentur, ſe poſſe vel jure debere:* Sæpe mentio fit eorum im Heldenbuch: Inter cætera:

Da ſprach der Lampartere
Ich bin noch ungewehrt
Geh und bring mir doch here
Mein Halsberg und mein Schwerdt,

Et alibi:

Da entſtrickt ſie den Herrn
Die Frawe Lobeſan,
Schild und ſein Schwerdt mit Ehren
Helm, Halsberg ſie da nahm.

Anonymus rhythmo. de S. Anonne:

Mit ſchinintin Helmen
Mit veſt in Halbergen.

Dicta autem Halsberg eadem figura, qua Herberge, caſtrorum ſtatio Hauberge caſſis: Beinberge, ocrea, in LL. Ripuariis *C. 36. E. XI.* Lindebrog. *gloſſ.* Malberge, *Vide gloſſarium Salicum* Wendelini *in* Berg *&* Malberg. Verbum Gebergen, Servare a periculo. Winsbekius *paræn. ad fil.*

Swer ſich vor Schanden wil befrieden
Der mag gebergen niht den Lib.

Quod vero dicitur in diplomate Karoli, de beneficiis, quæ propter Halsbergæ debitæ fuerint, reſpicitur ad feuda, quæ loricæ vocantur, apud Sigebertum ſub anno 1160. & apud Girardum *hiſt. Gall. fol. 375.* Fief de haubert, feudum hauberticum. Joh. Skenæus *not. ad lib. 2. LL. Scot. c. 21.* Welches man mit einem Küriß oder Pantzer verdienen muß. **Feudum hauberticum.**

V. Denique *vix uni atque alteri caſſis aut galea,* inquit Tacitus; Caſſidem a galea Grammatici diſtinguunt materia, **Galea, inde** quod illa de lamina, de corio iſta. *Iſid. 18. 14.* Sed hoc perpetuum non eſt. Dictam volunt galeam, quod antiquitus ex pelle *τῆς γαλῆς,* muſtelæ, fieret. A galea galiarius, vel galearius, apud Vegetium, *1. 10.* prolixa, & Velium de or-

galiarius, calo. thographia, monentem, vulgo hunc militis puerum galeariam, ſed nonniſi per ſolœciſmum, dici. *p. 1245. edit. Putſch.* Sic calones exponit Iſidorus in gloſſario, galearios militum. Videndus omnino Scal. *ad Euſeb.* & Salmaſ. ad *Spart. Adrian.* Cæterum recentiores galeam navigii genus vocant. Familiare hoc Matthæo Pariſio & Guilh. Britoni. Godefridus Viterbienſis chronici parte 8.

Galea, navis. *Dum petit Italiam, celeri vectante galea.*

Apud *Matth. Par. A. 1243.*

In terris galeas, in aquis formido galeas.
Inter eas, & eas, conſulo, tutus eas.

Nomen inde eſſe creditur, quod navium παρέσημον ſeu tutela crebro habuit galeam, qualis Ovidii *1. Triſt. 10.*

Eſt mihi, ſitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis, & a picta caſſide nomen habet.

Triremen interpretanrur plerique Phranzes *1. 36. p. m. 91.* Paris. *ſub anno, 1191. galeiæ triremes L. C. oneraiæ naves, & XIII. buccæ* (quæ & buſciæ. Ita exprimunt Germanicum Boot,) *erant in comitatu Regis Angliæ Richardi navigantis in*
Burſecarli *Syriam.* A buccis vel buſciis dicuntu r Buzſecarli apud Rogerium Hovedenum *part. poſt. annal. fol. 468. in ed. Wechel.* qui Germanice dicerentur BoetsKerle, Bots-Knechte, (uti Suecis hodieque Dale Karles ſunt, qui in convallibus habitant, oppoſiti montanis, ſeu Alpinis, item foſſores mineralium.) Nomen officii nautici i. e. remiges,
Galeotæ. qui & galiotæ. Alii ſunt γαλεῶται, a Galeo vate quodam apud Siculos, de quibus Ælian. *lib. 12. πoιx. ἱςoϱ. &* Cic. *1. Div.* Clemens *1. Strom.* P. Victor. *12. Var. 1.*

VI. Sed ad galeas, ſeu caſſides, quas raras fuiſſe modo ex Tacito attulimus, cui convenit cum Agathia, qui loricas & ocreas Francis ignotas, capita non munita, paucis galea tectis, ait. Nempe nobilibus ac principibus. Aimoinus *lib. 4. c. 18. Rex enſe percuſſus in caput, deciſos cum parte galeæ crines patri per armigerum miſit.* Plebis & reliquorum capita Germanorum nuda paſſim ſcriptoribus produntur. Secus atque Gallorum, Diodoro *lib. 5.* Cimbrorum, Plutarcho, Mario, & Vettonum, Hiſpanicæ gentis,

Silio,

Digitized by Google

Silio. Cæterum Karoli M. ævo frequens earum ſub nomine bruniarum mentio, Germanice Brynn vel Brenn, inde Brenno Galeatus, & Scarabæus galeatus, HausBrenner. Kapitularium Karoli *lib. 3. t. 75. Neque bruniam vel gladium ſine noſtro permiſſu dare, aut vendere præſumat.* Item *addit. 14. c. 92. de bruniis, ut nullus foras noſtro regno vendere præſumat.* In LL. Æthelſtoni, Regis Anglo Saxonis, *c. 26.* generalius pro munimento. Byrne and Helm, and Ofergyldnie ſweord. In LL. Canuti Regis Anglo. Sax. *c. 69.* Feower Helmes, and 4. Byrnan, and 8. Spere. Otfridus Evangel. *lib. 5. c. 1.* | Galeæ, Brynn/ Brenn Bruniæ.

Iſt uns thas gerüſti
Brunia ala feſti,
Joh iſt uns Helm, ouch ubar thaz
Joh Waſan ala Waſaz.

Dicebatur & Hauberge, Heutbergen, quaſi capitis munimentum, & Helm, quam vocem LL. Ripuariorum *Tit. 36. §. 11.* retinent: *Helmum cum directo pro VI. ſolidis* tribuat. Has galeas, ſeu brinnas Winsbekii ævo geſtabant clauſas, loris utrinque dependentibus. Poſtea cum & vilioribus permitterentur, Nobiles ſuas cœperunt coronare. Quod & ipſum diu proprium non fuit, ut Nobiles denique aperire clatratim oportuerit, reliquis clauſas geſtantibus. Lora illa, quæ plerumque a virginali manu, conſtringendis galeis ſerviebant, inde nomen, Strick, & Helmlör. Anonymus *in Gamvret:* | Helmus Galeæ olim clauſæ, | poſtea apertæ: conſtrictæ loris, manu virginis.

Die Helmlör bald da brachten
Damit ſie ſtrickt ſein Helm.

Henrich von Offterdingen *part. 4.* Heldenbuch.

Den Helm ſol tu binden bas
Ich fürchte er trag uns Has.

CAPUT IV.
De machinis Germanorum.
I.

Tacitus noſter *Annal. 12. 45. nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta & aſtus oppugnationum* Et 4. *Hiſt.* de Batavis & Transrhenanis Vetera oppugnantibus: *Machinas etiam, inſolitum ſibi auſi.* Tranſiere | Machinæ ignotæ Germ;

Digitized by Google

Francis innotuere. ſiere tamen poſtea a Romanis ad Francos. Gregorius Turonenſis, *7. 37. Leudegiſilus novas ad deſtruendam urbem machinas præparabat. Plauſtra enim cum arietibus, clitellis & axibus tecta ſub quibus exercitus properaret ad deſtruendos muros.* Arietes Abbo Levita de bello Pariſiacæ urbis *lib. 1. p. 547.* videtur carcamuſas dicere, a ſono, ut Lipſius conjicit:

Arietes, carcamuſæ.

Arrietes carcamuſas vulgo reſonatos
Dimiſere duos.

Adde Claudium Fauchetium *des origines*, In Chronico Colmarienſi cancer appellatur. *Poſthæc cancrum ad civitatem perduxerunt. Fuit cancer inſtrumentum magnum, forte pariter & ponderoſum in eo erat trabs magna, pariter longa, in una parte groſſa, in altera parte parva. In groſſiori parte, ſive in capite, fuit ferro circumdata, & in fronte ipſius cancri fortiſſime colligata. Trabs hæc ſuper quædam inſtrumenta jacuit, quo faciliter moveretur.* In hac machina ſubinde quingentos homines fuiſſe occupatos Vitruvius ſcribit. Videatur Vitruvius, *lib. 19. c. 18. Et quæ ibi notant* Philander, Daniel Barbarus & Salmaſius *p. 230.* Athenæus *de bell. mach. cujus fragmentum repræſentat* Turnebus, *adverſ. 23. 33.* Leo Imp. περὶ τακτ. διατ. 15. θ. 9. Joſeph. *3. Excid.* Lipſ. *polior. lib. 5. dial. 8.* Dillich. Kriegs Buch. *p. 223.*

Cancer.

Clitæ, clidæ, Clitellæ.

II. Clitellæ, quas Turonenſis nominat & Feſtus tormenti genus agnoſcit; clitæ aliis etiam dicuntur. Engoliſmenſis: *Paraverunt clitas ad debellandum per virtutem caſtrum. p. m. 241.* Clida legitur in LL. Ripuariorum *Tit. 77.* fuit omnino teſtudo vel vinea, qua tegebantur, qui arietabant muros. Forte cratibus contexta, ut vineæ, quas Joſephus διηνεκῆ γέῤῥα facit, *lib. 3.* Sic enim gloſſarium vetus, citante Lindenbrogio, *clida*, Hürdel. Videntur nomen a forma tuliſſe, quod ſuperne in modum tectorum noſtrorum, trigoni forma divaricatæ. Vide figuram apud *Lipſ. poliorc. 5. dial. 8.* Sic clitellas pro locis acclivis dicunt Græci: Sed & κλιτὺν dicunt locum in vallem demiſſum, ut habet Scal. *ad Feſt.* Papias gloſſario: *Clitellæ dicuntur locus Romæ, propter ſimilitudinem, & in*

via

Digitized by Google

via Flaminia loca quædam devexa ſubinde & acclivia. Eſt & tormenti genus. An blida Suecorum idem. Videatur Olaus Magnus *Lib. 9. cap. 10.* Fauchet *lib. 2. de la mil.* La clide eſt un long bois lequel retenu par un contrepoids, quand il eſt deſerré, laſche un grand fais de pierres, das les forteresſes aſſiegées. Otto de S. Blaſio meminit Talparum, vulpecularum, Cattorum. De catto Chronicon Colmarienſe *ad a. 1297.* Petraria occurrit apud Paulum Diaconum *de geſtis Longobar. lib. 5.* Et Engoliſmenſem, nec non Guilielm. Britonem *Philip. Lib. 7.* De qua viva omnis literaturæ bibliotheca, nobiliſſimus Barthius, *adv. 46. c. 23. Sunt non aliæ,* inquit, *machinæ, quam grandes quædam fundæ, uſitatæ ante inventionem ſclopetorum, & pulveris nitrici, inveniunturque nunc quoque ſuperſtites veterum uſui tales machinæ. Ipſemet memini videre quampiam, in turri præalta ad Rhenum, quæ Catta appellatur, ex adverſo nobiliſſimi caſtri Reinfelſii.* Idem ex Rigordo, in rebus geſtis Philippi Auguſti Regis Francorum, docet, mangonellas eſſe minores fundas, itidem ſaxis jaciendis, ſed quæ manu regerentur. Brito *lib. 2.* adparatum ejus machinæ accurate deſcribit. Legitur & mangana apud Abbonem p. m. 545. Mango Paulus Diaconus effert, manga Radevicus *lib. 7. c. 47.* Et Friſingenſis *de geſtis Friderici, 2. 16.* Turpinus Rhemenſis mangatellus uſurpat. Heſychius *μάγγανα μηχανήματα.* Habetur & apud Curopalatem, p m. 164. Etymologum M. *in ἑλεπόλεις. Vide Voſſ. 3. de vit. ſerm. p. 490. Lipſ. polior. lib. 1. dial. 3. Scholiaſtas item Ariſtophanis & Thucydidis.* Talpæ, vulpeculæ, catti.

III. Trebuculi, vel ut in chronico Leodienſi, Tribuceta, Græculis ultimi ævi *τριμπουτζέτα,* fuerunt machinæ; quibus muri & portæ urbium effringebantur. Occurrit ſæpius apud Matthæum Paris. Auctor geſtorum Ludovici VIII. trabucheta appellat. Fragmentum Anonymi ab Urſtiſio proditum. *lib. 2. hiſt. Germ.* de Ottone Imperatore adverſus Hermannum Landgravium Thuringiæ: *Anno Domini 1222. Otto Imperator ab Apulia & Italia reverſus obſedit oppidum VVizenſee, quod ſimiliter expugnavit usque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi uſui* Trebuculi.

inſtru-

inſtrumenti bellici, quod vulgo Tribock appellari ſolet. Eſt
Triebbock. igitur vox Germanica Triebbock aries impellendo aptus. Vide Lipſium *polior. 3. 3.* Reineſium. *Amicum noſtrum honoratiſſimum, var. lib. 3. p. 320. & 687.* Memorantur in chronico porro Leodicenſi aliæ machinæ. Et Sigonius *lib. 19. de reg. Ital.* ſub anno 1260. *Ita muris* (caſtri S. Zenonis in Marchia Tarviſina) *ſæpe trabuchis, manganis gattis; lithobolisque percutiendis res usque in menſem Auguſtum extracta eſt.*

IV. Inter machinas & naves, lubens retero, quibus
Naves. inſtructos fuiſſe Sviones Noſter tradit. *Svionum civitates in Oceano, præter viros armaque claſſibus valent. Forma navium eo differt, quod utrinque prora paratam ſemper appulſui frontem agit, nec velis miniſtrantur, vel remos in ordinem Lateribus adjungunt. Solutum ut in quibusdam fluminum, & mutabile ut res poſcit, hinc vel illinc remigium.* Ad uſum bellicum paratam fuiſſe claſſem indicio eſt, quod viris armisque Tacitus adhibeat. Idem & de Sitonibus credo. Æquiparat enim Noſter utramque gentem, excepto, quod fœmina dominetur iſtis. Sunt illi Norvagiæ incolæ quæ Nerigon Plinio eſſe videtur, unde in Thulen navigari ait *lib. 4. c. 16.* Sed & de Chaucis Noſter *Ann. XI.* Francos bella piratica exercuiſſe Mamertinus ad Maximianum docet. Et Nazarius ad Conſtantinum Auguſtum, Marcellinus *lib. 26. Gallicanos tractus Franci & Saxones, iisdem confines qua quisque erumpere potuit, terra vel mari, prædis acerbis incendiisque violabant.* De Brittannis ad Victim inſulam navigantibus teſtatus eſt jam olim Timæus, *Plin. 4. 16.*

Naves fuere V. Sed formam intueamur. Utrinque fuiſſe pro-
amphiproræ. ram ait Tacitus, ut frons ſemper parata appulſui, ne in obvertendo diſpendium temporis facerent. Velis non miniſtraſſe, quemadmodum nec Angli, *teſte* Procopio
ſine velis. *Goth. lib. 4.* Nec remos in ordinem lateribus adjunxiſſe,
nec remi ex *pergit Noſter.* Scilicet remi ordine alias per latera navi-
ordine diſpo- um diſponebantur, unde ab eodem remorum ordine bi-
ſiti. remes, triremes, & deinceps, non a numero remorum dicebantur. Virgilius: *Ter-*

Digitized by Google

Terno conſurgunt ordine remi.

Sed nihil tale Sviones, quibus ſolutum & mutabile hinc inde remigium. Materia vero forſan non alia, quam Saxonibus, quorum naves pandos myoparones Sidonius appellat *lib. 8. Epiſt. 6.* Iſidorus 19. 1. definit *parvam ſcavam ex vimine factam, quæ contexta crudo corio genus navigii præbeat, quales utantur Germanorum piratæ in Oceani littoribus.* Sidonius *in paneg. Aviti*:

Quin & Aremonicus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum,
Ludus.

Plinius Britanorum naves vitiles & Corio circumſutas depingit. Et Cæſar *comment. B. c. 1.* navigia quæ in Hiſpania ad Sicorim fluvium ædificavit, uſu Britanniæ ſe edoctum ait, juſſiſſe fabricari. Nempe quarum carinæ ac ſtatumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium, viminibus contextum coriis integebatur. Et hodie Grönlandiæ cultores ſcorteis navigiis utuntur, tutis nihilominus a quaſſatione maris & ſcopulorum. Lappones eadem habent, nullis clavis, ſed nervis & viminibus compaginata, *teſte Althamero, Vide* Olaum Magnum *lib. 4.* Naves vitiles ex corio &c.

CAPUT V.

De armorum jure adquirendo.

I.

EGimus hactenus de iis armorum generibus, præcipue, quæ Germanis Tacitus adſignat, ſed & per occaſionem de aliis, tum aliorum, tum ipſorum Germanorum: Jam de ipſorum uſu ad Rempublicam diſpiciendum. Conſiderabimus autem circa utendi facultatem, tum quibus modis adquiri illa potuit, tum qua ratione adquiſita exerceri.

II. Facultas arma poſſidendi, quo quæque Reſpubl. egit cautius, eo privatis parcius fuit diſpenſata. Præſertim in regnis & optimatum ſtatu. Lartes Porſenna Rex Cluſinorum in fœdere cum Romanis, *de quo* Dionyſ. Hal. *lib. 5.* legem poſuit ne ferro niſi in agricultura uterentur. Plin. Facultas armorum parce danda.

lib. 34. c. 14. (quod nemo hiſtoricorum præterea annotavit Etiam in fragmentis antiquit. Ethruſcarum a Curtio Inghiramio editis, in quibus quod ad res patrias, pleraque aliter atque a Romanis Scriptoribus narrantur, nihil tale.) Pertinet enim ad ſecuritatem Imperantium, ſi arma non niſi in ſua ditione ſunt. *χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία, ἔχουσα ὅπλα, inquit*, Phil. *1. pol. 2.* Adde quæ habentur *7. pol. 8.* Neque Tyrannorum duntaxat eſt arma adimere, ſed bonorum quoque Principum, ſine inter utrorumque actionem diſcernente, dum illi ad opprimendum ſubditos, hi ad conſervandum præſentem Reip. ſtatum, ubi fides civium in ancipiti, armorum uſu interdicunt.

Armorum jus legitimis modis, adquirendum.

III. In his itaque Rebuspublicis, ubi ſubditis armorum plane uſus negatus eſt, de facultate ea adquirendi fruſtra quæritur, quæ nulla alia eſſe poteſt, quam ſi imperans ea vel e publico diſtribuat, vel ſubito imperet de ſuo comparanda. Ubi vero tale jus arma habendi, ad certum ordinem vel ætatem civium pertinet, ibi plerumque ſolennibus etiam modis, ſanctionibus publicis eorum adquiſitio fit. Id fieri maxime in ſtatu populari amat. Quia enim ibi in plena libertate vivitur, armorum promiſcuus uſus, non modo licitus: Sed etiam ob majorem, cui tales Reſpublicæ obnoxiæ, aliorum invidiam inſidiasque neceſſarius eſt. Ideo legibus ſolet mandari.

Publica auctoritate, ap. Germanos

IV. Ejusmodi Reipublicæ forma cum Germani uſi quoque ſint, ut ſine armis tuti eſſe non potuerint, præſertim quod nullis urbibus aut mœnibus defenderentur, armorum jus omnibus erat, dummodo legitime adquiſitum foret. Adquirendi modus deſcribitur Tacito *c. 15. Arma ſumere nec ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornat.* Vide Goldaſt. *Alemannicar. rer. Tom. 1. p. 190. ſ.* Publica itaque auctoritate ſumebantur arma, non ut peſſimo more, hodie ſolet fieri, ſuo cujusque arbitrio. Quamvis ex antiquo apud nobiles id reliquum ſit, ut jus gladii iis non ante adquiratur, quam ſuffecturi viſi ſint. Et olim nobiles

juvenum

juvenum appenſione ſcuti, galeæ impoſitione & accinctione enſis in equeſtrem dignitatem lecti: Miniſtri vero illis adjuncti alapa & gladio jus arma ferendi impetrabant, non ſecus ac per injurioſa rhapiſmata olim emancipabantur Romanorum filii. *l. ult. C. de emanc. lib.* Iſid. *lib. 9. c. 4.*

mos, wehrhafft zu machen/

V. Indidem eſt equites creandi mos, quem Paulus Diaconus tangit, *1. de reb. Longob. c. 23.* Wilhelmus, Comes Hollandiæ, licet jam deſignatus Romanorum Rex, tamen ab alio eques creari voluit, priusquam Aquisgrani diadema regni ſuſciperet Goldaſt. *tom. 3. Conſtit. Imp. p. 409.* De Friderico II. vide Pet. de Vineis *lib. 3. epiſt. 20* Ludovicus II. Rex Galliæ a Philippo Burgundiæ Duce eques factus, anno 1461. Franciſcus I. Rex Galliæ enſem equeſtrem a Petro Boiardo, copiarum præfecto in pugna Marigniana agri Mediolanenſis accepit. *anno 1515.*

Et Equites creandi.

V. Cæterum armorum facultatem impetratam poſſeſſio, poſſeſſionem uſus ſequitur. Poteſt enim fieri in Rep. ut arma poſſidere liceat, uti, niſi ex imperio ſummæ poteſtatis, non liceat. Apud Romanos ſæpe edictum, ne ullum in urbe telum eſſet. Cic. *5. Verr.* Plin. *34. 14.* quo ipſa poſſeſſio vetita. At L. Julia uſus duntaxat prohibitus videtur. Coërcetur enim initio, qui arma, tela, domi ſuæ, rurive præter uſum venationis vel itineris vel navigationis coëgerit, *l. 1. ff. ad L. Jul. de V. Pub.* Ideo in legem non incidit, qui arma promercii cauſa habet, *l. 2.* Ex quibus apparet, L. Juliam non de poſſeſſione, ſed coactione plurium & variorum armorum ad machinandam vim loqui.

Lex Julia armorum uſum, an poſſeſſionem prohibuerit.

VII. Liquet ergo, quibus competit facultas habendi arma, illis poſſeſſionem, adimi non poſſe, etſi uſu interdici queant. Poſſeſſionem autem Germani adquiſivere vel per commercia cum finitimis, vel prædationes. Et quantum ad commercia, arma utique ex earum rerum numero ſunt, quæ moribus gentium in privati proprietatem deſcribi poſſunt, niſi ubi commercio expreſſa lege eximantur, in tantum ut dentur Reſpubl. quæ cives ad armorum poſſeſſionem adſtringunt, datis etiam in hanc rem luſtratoribus armorum & cenſoribus. In Repub. Romana

Poſſeſſionem armorum Germani adquiſivere vel per commercia,

Juſtinianus demum Novella conſtitutione 85. commercium iſtud ſuſtulit, ut nec fabricari licuerit. *Nov. 85. c. 4.* Et Fabricenſes ac Deputatos ſuppliciis ſubjecit, ſi arma inter privatos diſtrahant, *c. 2. in f. & c. 3. §. 1.*

VIII. Germanis inter ſe fuiſſe tale commercium non dubito, cum dono & doti data fuiſſe Tacitus tradit. An cum Germanis aliis gentibus fuerit, non ita certum. De Romanis id liquet, L. Julia Majeſtatis reos fuiſſe, cujus opera hoſtes populi Romani armis, telis, equis, pecunia, aliavere adjuti erant. *l. cujusque 4. ff. ad L. Jul. Maj.* Imo ne cotem quidem ferro acuendo vendere licuit. *l. cotem 11. de publ. & vect.* Quæ nec poſterioribus ſeculis mutavit, ſed auxit prohibitio. *Vide l. 2. C. quæ res exp. non deb.* Sed de aliis gentibus ſecus fuit, auctore Tacito, qui Germanos gaudere finitimarum gentium *donis*, quæ non modo a ſingulis, ſed publice mittantur, ait, *electis equis, magnisque armis*. Similiter ex præda arma ſibi comparaſſe conſtat eodem auctore, quando inquit: *Magnum comitatum non niſi vi belloque tueare. Exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem* equum, illam cruentam victricemque frameam. At unde ſuppetebant talia principibus, magnum comitatum trahentibus? Nempe materia munificentiæ per bella & raptus, inquit Cornelius, *c. 17*

Vel prædis.

CAPUT VI.

De armorum uſu.

I.

Armorum uſus civilis, vel militaris.

SEquitur armorum uſus, quem duplicem facio, civilem & militarem. Hunc ad ſequentem diſſertationem rejicio, *de militia equeſtri & pedeſtri Germanorum.* Ille in genere deſcribitur ab hiſtorico noſtro *c. 15. Nihil neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armati agunt.* Quod etſi in univerſum barbarorum eſſe Philoſophus velit, *2. pol. 8.* nempe eorum populorum qui Græci non eſſent, barbarum tamen non fuit. *Vide etiam* Thucyd. *lib. 1. p. 3.* quippe ex hypotheſi ſuæ reipubl. neceſſarium, ſupra *c. 5. th. 3.*

Civilis vel in publicis vel privatis negotiis.

In

Digitized by Google

In publicis armorum uſum ad auſpicia, ad comitia, ad ſpectacula refert.

In publicis adhibebantur ad auſpicia. & dirimendas lites,

II. Auſpicium ex armis captabant, ut gravium bellorum eventus explorarent, nempe duello. Ejus enim gentis, cum qua bellum erat, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum patriis quemque armis committebant. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipiebatur, *ut loquitur* Tacitus *c.12.* Neque ſtetit hæc divinatio inter incerta eventuum publicorum, ſed ad privatarum quoque litium exitus tranſiit. Vell. *lib. 2.* Jam olim in Dania tulit Frotho, III. ut omnes controverſiæ duello finirentur. *Saxo lib. 5. H. D.* Aventinus *lib. 4. Annal.* Id quod adhuc in Muſcovia uſitatum refert Bodin. *4. Reip. c. ult.* Hinc in LL. Bajuvariorum *Tit. 2. c. 12.* cavetur, ut *ubicunque pugnaverint campiones, iis manus non injiciantur.* Burchardus in lege, quam familiæ dedit: *Duo eligentur ad pugnam, & cum duello litem decernant & cujus campio ceciderit, perdat.* Vide LL. Langobardorum, *9.39.* Lege Ottonis IV. in Ramaniola de principum Italorum ſententia cautum, non refragante Papa Johanne XIII. Synodoque quæ tum Ravennæ convenerat, ne deinceps controverſias jurejurando diſceptent, propter metum perjuriorum, ſed per certamina. Longob. *tit. 55. l. 34. lib. 2.* Contra quem morem multis Agobardus Epiſcopus agit, *tom. 9. Bibl. Patr.* Sed & ob nuptias regiarum ac nobilium puellarum duello tranſegiſſe apud Kranzium plurima exſtant exempla, *lib. 2. Daniæ c. 4. & 22.* Olaum *lib. 4. c. 5.* Saxonem *lib. 6. &c.* Sicut ap. Gregoram *lib. 7. c. 12.* quidam ὅπλοις ἐπιτρέπουσι τὴν τῆς ἔρωτος τύχην. Crimhildæ, Regis Vangionum filiæ, cujus gratia in roſeto Wormacienſi plures duello occubuerint Heroes, ſive fabulam ſive hiſtoriam vide ap. Cruſium *p. 1. ann. Suev. lib. 7. p. 219. & 220.*

Et demerendas nobilium puellarum nuptias.

Ad comitia

III. Ad concilia non ſolum armati proceſſere, ſed & ita conſederunt. Indutiomarus, cum Cingetorigem generum ſuum, Cæſaris partes ſequentem hoſtem judicatum iret, armatum multitudinis concilium indicit, quo, lege communi, omnes puberes armati convenire coge-

 bantur.

bantur. Neque aliter etiamnum in Hungarorum & Polonorum comitiis, & retinent fere Helvetii, Mich. Beuth. *comm. ad Tac. c. 25.* adeo ut & legibus iis injunctum, geſtare gladium *Bodin. de Rep. 7.* Sic olim & Galli *Liv. lib. 21.* Idem Naſo de Tomitanis ac vicinis Getis ſcribit. Olim etiam apud Francos, notat ad legem Salicam, Franciſcus Pithœus fuiſſe in uſu. Id quod vero Ludovicus Pius in concilio Moguntino fieri vetuit. Gagvin. *lib. 3. p. m. XXXI. edit. Par. anno 1504.* Uſus autem duplex, in comitiis, armorum, vel ut iisdem ſuffragia probarent, velut crearent Ducem. De ſuffragiis Tacitus: *Si diſplicuit ſententia, fremitu adſpernantur, ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum adſenſus genus, armis laudare* Idem ex Cæſare liquet, *7. B.G.* ubi Vercingetoriæ coram concilio proditionis ſeſe purgat, inquit Cæſar, conclamat omnis multitudo, & ſuo more armis concrepant, quod facere in eo conſvevere, cujus orationem approbant. Alias fuit hic mos militaris: Ammianus auctor eſt, ſi quando milites ſcuto genibus illiderent, favoris indicium, contra cum haſtis clypei ferirentur, iræ documentum fuiſſe, *T. Livius lib. 28.* de militibus Scipionis orationem comprobantibus, cum ſumma adverſus ſeditionis auctores indignatione: *Exercitus,* inquit, *gladiis ad ſcuta concrepuit.*

& ſuffragia.

Ad creandos belli Duces.

IV. Dux belli creabatur hunc in modum, quem Tacitus deſcribit, *lib. 4. hiſt.* de Brione nobili Caninefate, delecto rebellionis Batavicæ duce. *Igitur ipſo,* inquit, *rebellis familiæ nomine placuit. Impoſitusque ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus dux deligitur.* Gregorius Turonenſis *lib. 2. c. 40.* de Clodovæo Francorum Rege ſimilia. Impoſitum ſcuto aliquoties in gyrum circumtuliſſe oſtendit idem, *lib. 7. c. X.* de Gundebaldo. De Gothis adde Caſſiod. *var. lib. X.* Eundem morem Romani poſtea quoque milites recepiſſe multorum auctorum proſtant teſtimonia. De *Gordiano* Herodianus *lib. 3.* De *Juliano* Marcellinus *lib. 20.* Zoſimus *lib. 3.* A Romanis ad Græcos tranſiit: De *Hypatio* Zonaras & Codinus, de officiis aulæ, de *Theodoro,* Ducæ filio Niceph. Gregoras, *lib. 3.*

V.

V. Spectaculorum unum atque in omni cœtu idem genus, inquit Cornelius; *Nudi juvenes, quibus id ludicrum eſt inter gladios ſe, & infeſtas frameas ſaltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quæſtum tamen, aut mercedem, quamvis audacis laſciviæ pretium eſt voluptas ſpectantium.* Similis quodammodo hic luſus Græcorum pyrrhicæ, quam ſaltatationem armatam appellat Dionyſ. Halic. *lib. 7. c. 68.* Nicolaus *ap. Stobæum. Theon in Aratum, Pollux.* Hæ militares pyrrhicæ ex viris & mulieribus componi ſolitæ fuerunt, & buxeis armis, non ferreis inſtructæ, ut ex epigrammate ἀνεκδότῳ docet Salmaſ. *Spart. p. 51.* Cæterum manſit ad noſtrum ſeculum tale Germanorum, ſaltem non nimis diſſi[illegible]le, ludricum, quam gladiatoriam choream appellant, q[illegible] medios inter & ſubter gladios ſtrictos ducitur. Ad ſpectacula. Schwerdtanz.

VI. Armorum uſus in privatis fuiſſe reperitur in negotiis & conviviis. Negotia illa ſunt vel adoptiones, vel emancipationes, vel donationes vel funerationes. Adoptio fiebat armorum traditione. Sic enim nomine Theoderici Regis, Herulorum Regem ſibi adoptantis Caſſiodorus 4. *Epiſt. 2. Per arma poſſe fieri filium, grande inter gentes conſtat eſſe præconium.* Et paulo poſt: *Et ideo more gentium & conditione virili, filium te, præſenti munere procreamus, ut competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris.* Ipſe quoque Theodericus a Zenone Imperatore per arma filius adſcitus fuit, ut refert Jornandes Gothicis. Juſtinianus Adalarici patrem per arma adoptavit. Caſſiod. *lib. 8. Ep. 1.* Sed hanc quidem adoptionem non perinde jus ſui hæredis tribuiſſe, atque eam, quæ legibus Romanis facta eſſet, obſervat P. Pithœus *1, ſubſ. 1. ex Procopii lib. 1.* Cum enim Cabades, Perſarum Rex, Corſroen, ex ſorore filium, Juſtino Imperatori adoptandum daturus eſſet, ne hac occaſione Coſroës ad imperium, ut filius vocaretur, promiſit Juſtinus, ſe eum adoptaturum ſed ita, ut barbarum deceret, id eſt, per arma, non per literarum inſtrumenta. *Adde* Chriſtoph. Coler. *παρέρ. c. 7.* Armorum uſus in privatis. Adoptioni.

VII.

Emancipationi VII. Signum etiam emancipationis fuiſſe liquet, ex *c. 13. In ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornat. Hæc apud illos toga hinc primus juventæ honos. Ante hoc domus pars videntur* donationi & *mox Reip.* Quod dono pariter & doti data fuerint arma dotis dationi ſubantea indicavimus. *Capite 14.* Dixit Noſter: *Exigunt Principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.* De dote *c. 18. Munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur. Sed boves & frenatum equum, & ſcutum cum* Funerationi. *framea gladioque.* De funeratione *exſtat c. 27. Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus a[illegible]citur.* Et Saxo Sialandicus *lib. 8.* Regis rogo etiam ali[illegible] injecta arma memorat. Similis ritus, de quo *Iliad.* ψ. & Apollon. *lib. 1.* ut rogus luſtraretur militari more, inſtructis armatisque aciebus ter circa incenſam pyram, ubi defunctos cremabant, arma quatientibus cum luctu & lamentabili carmine, nunc frena, nunc balteos, nunc galeas & criſtas,, nunc enſes & alia arma in ignem injicientibus. *Confer* Hartung. *decur. 3. memor. c. 8. §. 30.*

ADDENDA.

AD *Cap. 2. th. 3. ubi de lancea,* addatur: Brito *lib. XI.* in deſcriptione prœlii inter Philippum Pulcrum & Ottonem IV. commiſſi (*de qua præter* Rigordum *lib. 1. de geſtis Philippi ſub anno 1214. & Paris fol, 241.* Urſperg. *fol. 333.* Polyd. Virg. *lib. 15.* Naucl. *gen. 41.* Roya *in annal. Belg.* Gagvin. *a. 1211.* Meyer *lib. 5. ann. Flandr.*) Cæſarianorum haſtas aliquas deſcribit:

Quarum cuſpis erat longa, & ſubulæ inſtar acuta,
Et nonnulla velut verubus dentata recurvis,
Cuſpidis in medio uncos emittit acutos.

Fuerunt haſtæ Gothorum peditum, quas lanceas uncatas Gothorum proprias nominat *Sidonius 4. Ep. 10.* Nos Alebardas vocamus. Inventum Alemannorum & Helvetiorum, a. 1475. ſub Ludovico XI. primum in Gallia cu-

Digitized by Google

Halebarda.

ſas fuiſſe notat Claude Fauchet, *de la milice & armes.* Sunt hæ quidem contis, lanceis, & pilis, quantum ad haſtile prælongum, ferreum, & acutum, harpagonibus verò obuncos hamosque utrinque prodeuntes ſimiles, quibus & punctim vulnerare, & fugientes retrahere, equisque devolvere ſolerent.

Ancones.

Ad th. IV. *Ubi de angone.* Ancones Agathiæ, fuerẽ miſſiles & ſcutis hoſtium corporibusque impingi ſolitæ, perinde ut πελέκεις Francorum de quibus Procop. *lib.* 2. *Goth.* quas Germanis etiam & Dacis tribuit *Brito*, Gothis *Sidonius.* Has ἐιπλαρίων nomine Græci recentiores complectuntur, & ſpecies eorum βαρδύκια μαρτζοβάρβελα, σαλίβας, σειρωμάςας nominant, ea de Zona vel Sella pendentia equites geſtabant, pedites manu, Wurff-Beyl, Barten.

Ad cap. 2. th. 2. *ubi de gladiis,* Cultri ſubulares *Britoni* memorantur. *Rigordus* etiam cultellos longos & graciles, triangulos quibus Germani pro gladiis uſi, ſimiles verubus:

Cultris alter ſubularibus arctas
Scrutatur thorace vias, galeæque feneſtris
Qua ferro queat immiſſo terebrare cerebrum

Cultri ſubulares.

At c. 3. th. 4. *poſt verba Nicetæ.* Sunt & tegumentorum ſpecies, gambeſa, gambeſones, quibus pectus muniebatur. Gallis gobiſon, gaubeſon. Non a gamba, quod Italis crus eſt, ut quidam volunt, qui per ocream exponunt. Eſt enim germanicum Wambes, thorax, e lino vel corio, ut cenſet *Ampliſſ.* Reineſius, *qui lib. V. var. c.* 17. *& hæc & alia plura ubertim tradere, & e tenebris vindicare mihi modo adſirmavit.* Ejus generis erant & κέντυκλα Φαρδέα. Leon. *conſt.* 5. §. 4. panni e lanis coactiles, quibus non ſolum corpora muniebantur militum pariter & equorum, Leo, *conſt.* 6. §. 12. Sed & machinæ. Vocabantur Filtra feltra, Helmold. *chron. Slav.* in LL. Bajuvariorum, *c.* 6. *Si quis in exercitu aliquid furaverit, paſtoriam, capiſtrum, frenum, feltrum.* Charta vetus inveſtituræ ſub Karolo M. *in Germanicis* Goldaſti *Tom. II. n.* 58. *Auro & argento, ſolid. LXX. & cavallos V. cum ſaumis, & tufis & filtris, cum ſtradura*

Filtra.

 ſua

ſua ad noſtrum iter ad Romam ambulandum. Hæc erant coactilia de quibus Ulp. *l. 25. §. 1. ff. de A. & A. leg.* Gloſſæ πιλωτὸν, coactile, πιλωτοποιὸς, coactilarius. Cæſar. *lib. 3. de B. C.* tunicas ex coactis factas. *Vide* Cujac. *5. Obſ. XI.* Rigaltium ἀφίλτερα. Reineſ. *var. p. 461. Balbum catholico.* Vox noſtras eſt, Filt, Filtz. Speculum Saxon. *lib. 3. art. 89.* Sadel, edder Vilt, edder Thom.

καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ.

COROLLARIA.

I. Monomachia regulariter eſt illicita.

II. Armatos ad deliberandum convenire, non eſt conſultum.

III. Pueri, adoleſcentesque proprie non ſunt cives.

IV. Poſſeſſio armorum adimitur vel peregrinis. Et his indiſtincte, optimo jure: vel civibus. Et civibus vel omnibus, vel certo ordini. Omnibus, vel belli etiam tempore, quod tyrannicum: Vel ſolo pacis. Hoc in Monarchia & Ariſtocratia, cæteriſque paucorum regiminibus prudenter: In Republica vero populari poſſeſſio armorum non modo licita civibus: Sed quodammodo neceſſaria. Licet tamen & ibi Clericis abſtinere.

V. Ubi poſſeſſio & uſus armorum pace permittitur, id ſub diſtinctione armorum fieri convenit, ne machinas habere privato liceat.

VI. Lucii Domitii factum, de quo Valer. M. 6. 5. Cic. Verr. 7. per rationem ſtatus defenditur.

FINIS.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO IVRIDICA, DE
REGNO ARELATENSI,

HABITA IENÆ DIE MAII ANNO 1674.
Reſpondente auctore
PHILIPPO HENRICO a Gottfart/
Eq. Thur.

INTROITVS.

Difficile argumentum de REGNO ARELATENSI publicæ luci nunc expono, & quidem ſub arbitrio Viri INCOMPARABILIS DN. IOANNIS STRAVCHII, ſine laude etiam mea ſat celebris. Jacta ergo eſt alea, an feliciter, deſpero. Placuit igitur Ingenium in materia potius gravi, quam humili exercere, in qua hallucinari, ſi non laudem, ſaltem veniam merebitur: Nam hic quoque me non latet, ſummos viros in hac materia aliquid humani fuiſſe paſſos. Iccirco non paucos prævideo, qui idem etiam, quod Photeæ olim Rhetori contra Alexandrum M. peroranti fuit objectum, in me quoque jactitabunt: NVM AVDES IVVENIS DE TANTIS LOQVI REBVS. Tantum abeſt, ut anniſu meo quid novi ſtatuerem, ut potius hinc inde apud Doctores ſparſim delibata in formam diſputationis redigerem; Satius putans, ex variis prudentiæ Autoribus, hic optima quæque congerere, quam propriæ induſtriæ viribus excogitata periculoſe proferre. Corrige, Candide Lector, errores meos æquo animo. Fides enim diſſonantes calore iracundiæ haud abrumpit cytharædus, ſed paululum pertendendo reducit ad concentum. Hunc etiam imitari te non pigeat; meliora edoctus lubenter ſequar: forſan invenies aliquid ibi ad palatum tuum, de quo mihi gratularer, interdum etiam ſunt mixta mala bonis. Candidi Cenſoris judicio

 fretus

fretus plura præfari inſuper habeo: Ante omnia tamen Dei omnipotentis auxilium, ut conatui huic gratioſiſſima aſſiſtentia ſuccurrere velit, devotis imploro precibus.

CAPUT I.
De urbe Arelate.

§. I.

REgno huic nomen, ab urbe, ARELAS, dicta, ſed & ARELATE, Ἀρελάται, Straboni Ἀρελάται, Ptolomæo Ἀρελάτον, Latinis Veterioribus ARELATUS & ARELATUM, hodie ARLAS. Urbs famigeratiſſima, non procul a mari Gallico, qua Araris & Rhodanus ſimul unum facientes mare illabuntur. Prior fluvius ortum capit ex Voſego monte; falſum igitur erit, cum Æthicus in Coſmogr. ſtatuat, quod a Pœtavione naſcatur fluvius Araris, recte ergo rejicit hanc opinionem Joſias Simlerus in Scholiis ad *Æthic. Coſmogr. p. 475.* dum dicit. Ingenue fateor me non aſſequi neque ſcire, de quo Pœtavione loquatur. Petavio illa, ut appellat tabula Peutingeriana, vel Pœtovio, ut ſcribitur in Itineratio Antonini Auguſti, eſt urbs ad Dravum fluvium, hodie die Pettaw. Quæ quomodo ad Arelaten pertineat, non liquet.

§. II. Confirmat quoque Otto Friſingenſis *l. 2. c. 29.* ubi hæc verba: Protenditur hæc provincia usque ad Iſaram fluvium. Hi vada Iſaræ liquerunt. Junctam habens dominatui ſuo eam terram, quæ proprie provincia vocatur, & ab eo flumine porrigitur usque ad ea loca, qua Rhodanus mari percipitur, *& Arelatum civitas ſita eſt.* Eo igitur pertinet Philoſtrati illud in vita Favorini Galli Arelatenſis. *Τὴν μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν ἦτος, Ἀρελάτου πόλεως, ἣ ἐπ' Ἐριδανῷ ποταμῷ ᾤκισται.* Ubi nemo non videt legendum Ῥωδανῷ pro Ἐριδανῷ Merula in Coſmogr. *p. 2. l. 3. c. 39. Zeil. in Itinerar. Gall. cap. 5.* confer. etiam *Notit. Imper. Occid. cap. 37.*

§. III. Thelinen olim nuncupatam a Græcis eam incolen-

Digitized by Google

colentibus literarum monumentis conſignatum reliquit Feſtus Avienus:

Arelatus illic civitas attollitur
Theline vocata ſub priore ſeculo
Grajo incolente.

Vid. Zeil. cit. loc. ARELATUM autem Rhodani fluentis interſcindi, notat Auſonius de *clar. urbib. p. 83.* carmen ejus ita ſonat:

Pande duplex Arelate, tuos blanda hoſpita portus
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna Colonis,
Præcipitis Rodani ſic interciſa fluentis
Ut mediam facias navali ponte plateam;
Per quem Romani commercia ſuſcipit orbis.

ARELAS hic duplex vocatur, & quidem exinde, quod in duas a Rodano partes divideretur. Quin & pontis in Rodano, præter Auſonium, meminit Caſſiodorus in Epiſt. quadam ad Senatum *urb. Rom. lib. 8. Epiſt. X.* ARELATE eſt civitas ſupra undas Rodani conſtituta: quæ in Orientis proſpectum tabulatum pontem tranſmittit Merula *p. 2. l. 3. c. 39.* Sed mutata rerum facie, ſimplex exiſtit. Tota in parte Rodani, qua Italiam reſpicit, poſita: Noſtra ergo civitas ſepta undique eſt paludibus, in quibus præferoces aluntur boves.

§. IV. Hinc major fuiſſe cenſetur, & magni viri partem olim urbis florentiſſimæ alteram a Gothis exciſam, ſibi perſvadent. Sarraceni enim cum ab Eudone Aquitaniæ duce in auxilium vocati. *Annal. Fuldenſ. ab ann. 725. ad ann. 740.* ut & Marianus Scotus ad eosd. ann. cum innumerabili multitudine poſt deletum in Hiſpania Veſe-Gothorum regnum (tum temporis eorum erat Rex Rudericus, qui cum Saracenis congrediens vincebatur. *Gervaſius Tilber. p. 26.*) in Gallias tranſirent, ARELATO quoque urbe capta, & omnibus circum demolitis. At Carolus, (quod regna vicina ſibi inſtar mallei attereret, Martellus eſt cognominatus) pugnaciſſimus princeps omnes terras has occupatas

K 3 e fau-

e faucibus eorum iterum eripiebat. Theudoretus fruſtra olim tentavit eam occupare per Ætium ducem, nam fortiter ab ejus obſidione fuit repulſus vid. Proſper *Aquitan. ad Theodoſ. XI. & Valentiniani. I. Conſulat. Marianus Scot. ad ann. 426.* ibi hoc notandum, quod apud hunc pro ARELAS legatur vitioſe ARCHILAT, apud iſtum ARCHILLAS. Licet paulo poſt iterum obſidione cinxit Clodovæus rex Francorum, tamen non valuit iſtam ſuæ poteſtatis facere, utut omne tentaret, quod ad expugnandam eam conduceret. Athalaricus Rex Gothorum, ſub cujus ditione tum temporis erat, exinde commotus ut Arelatenſibus perdurantem glorioſæ obſidionis penuriam perpeſſis ad tempus fiſcalia tributa relaxaret. Demum Vitiges Rex Gothorum pactus Francorum Regum amicitias, cum putaret, ſe minus Romanis ſimul & Germanis reſiſtere poſſe, adhæc ut Franci ſibi ſubvenirent contra Beliſarium multis prœliis glorioſum, ac a Juſtiniano ad liberandam Italiam a Gothorum jugo miſſum. *Procop. lib. 2. de bell. Gothic. p. 337.* eam illis dedit: Factum ergo eſt, ut procurator monetæ Arelatenſis Imperante Iuſtiniano non vultus principis, ut alibi, monetæ imprimeretur, ſed ipſorum Arelatenſium *Procop. l. 3. de bell. Goth. ut Gallias,* inquit, *Germani haberent, Iuſtinianus permiſit: Ex quo tempore principes German. Maſſiliam & cætera circa id mare loca tenuerunt, unde & Arelate reſident aureum nummum e nativo Galliarum metallo hi cudunt non Romani Imperatoris, ut ceteri ſolent, imagine ſed ſua impreſſa, Notit. Imper. occid. cap. 37.*

§. V. Quam multis periculis ſemper fuerit expoſita Arelas noſtra, ex hiſtoriis notum eſt; Sed tamen beneficio divino hiſce malis usque ſeſe extricavit, quod Arelatenſes etiam ipſi adſcribunt divinæ clementiæ, dum inquiunt: *Nos quidem credimus & confidimus in Domini miſericordia & precibus beati Cæſarii id effectum eſſe, ut ipſius temporibus ita obſeſſa ſit ab hoſtibus civitas Arelatenſis, ut tamen nec capi potuerit nec prædæ patere atque ſic deinde*

de a Wiſigothis in Oſtrogothorum ditionem pervenit, hodieque in Chriſti nomine paret Childeberto Clodovæi filio, ut poſſit de ea quoque dici: Transferunt de gente in gentem & de Regno in regnum ſeu ad populum alterum, & non permiſit DEus ſub illo hominem nocere Arelatenſibus ſuis Baron. *ad Ann. 508. n. 11.*

§. VI. Cædem Pariſienſem Incolæ civitatis noſtræ ſat experti fuerunt, quæ in nuptiarum feſtivitatibus Margarethæ (hæc autem ſoror fuit Caroli IX.) & Heinrici Navarræ contigiſſe fertur. Nam dum ARELATÆ, ubi puteorum & fontium penuria aquam e flumine vicino hauſtum petant, ultra facinoris deteſtationem, graviſſimo incommodo oppidani conflictati ſunt, cum eſu piſcium & aqua, quæ ipſis e ſolo Rodano ſuppetunt, uti nollent & a conſpectu fluvii ipſius abhorrerent. Plura deſiderans ſcire adeat Lanſium in *Orat. contra Gall. p. 267.* de hac laniena Maximilianus II. Imp. in literis ad Lazarum Schwendium tale fert judicium: So viel die redliche That, ſo die Frantzoſen dem Admiral und den Seinigen tyranniſcher Weiſe erzeiget haben, die kan ich gar nicht loben, und habe es mit hertzlichen Leide vernommen, daß ſich mein Tochter-Mann Carolus IX. zu einem ſolchen ſchändlichen Blut-Bade hat bereden laſſen ꝛc. In Summa, Spanien und Franckreich machen es wie ſie wollen, ſo werden ſie es doch gegen GOtt den gerechten Richter müſſen verantworden. Goldaſt. in Reichs-Satzungen *part. 2. f. 324.*

§. VII. Quod nonnulli augurentur Arelatum fuiſſe nuncupatam tanquam aram latam Deorum, quod illic ſolerent quotannis omnes illius regni incolæ convenire, & in omnium conſpectu ſacrificium triſtis amneſtiæ ſuſcipere in loco ſuburbii, qui vulgo la Roquette dicitur, ubi ſuper duas columnas, & quidem ex ſtriato marmore factas: tradit *Sebaſtian. Schröter in deſcript. orb. tom. 1. p. 303.* fuit poſita prægrandis & execranda, Cæſari Auguſto quoque dicata, trium juvenum illo de ſanguis innoxius, pro ſalute populi, populo ſuper ſpargebatur, quos velut ſues

de

de communi emtos ad nefandam victimam ad ſtatum tempus poſcebant. *Stunic. in Itiner. Tomo III. Biblioth. Hiſp. pag. 631. Zeil. in Itiner. Gall. cap. 5.* Paul Merula *p. 2. l. 3. c. 39.* cenſet, hæc eſſe ſomnia ocioſorum & ignavorum hominum, puraque delirantium figmenta. Peucerus *in Chron. lib. 4. p. m. 451.* ab Ara lunæ ARELATEN denominatam eſſe, conjecturat; verba ejus ita ſe habent: Arlum lautet ara Lunæ. vielleicht daß man der Lunæ oder Mond nach heidniſcher Weiſe, ſonderliche GOttes-Dienſte daſelbſt gepfleget.

§. IIX. Spectatu ibi dignum palatium de Froilla, quod grata olim Burgundiorum Regibus ſedes extitiſſe legitur: teſtis ejus rei erit Guntherus *lib. 5.* Ligurini ſui.

Quæque caput regni ſedesque fuiſſe vetuſti
Fertur Arelatum, priſcorum Curia Regum.

Ob loci huius præeminentiam & celebritatem Burgundiæ Reges ibi lares fixerunt. ARELATE etiam apud Imperatores impenſe gratioſa COLONIA ROMANORVM a Ptolomæo ſalutatur, & quidem non inmerito, quia populi Romani Imperio erat ſubjecta; hoc etiam vetus inſcriptio demonſtratum dabit:

COL. IULIA PIA ARELATE

Similem exhibet inſcriptionem Merula *p. 2. lib. 3. c. 39.*

COL. IULIA AQUIS
ET COLON. IULIA. P. AREL.

Coloniarum origo admodum vetuſta, nam *Nimrodus primus urbes condere, reparare & munire ad ſecuritatem ſuam coepit. Cumque ex Montanis in planitiem deſcendiſſent, jubente* DEO, *ut propagandi generis, cavendæque diſſenſionis gratia colonias deducerent, totamque excolerent terram, homines ſtulti non paruerunt. Cluv. Epitom. hiſtor. p. 5.* a plurimis igitur gentibus, ut Vellejus *lib. 1.* docet, etiam introducta. ſed a Romanis longius latiusque diducta. Romanorum Coloniarum frequentiam ſive intra ſive extra Italiam quis brevi papyro comprehenderet? hic populus ait Seneca *Conſol. ad Helv. cap. 7. quot Colonias in omnes provincias miſit? ubicunque vicit Romanus, habitat: Ex Roma tanquam regina*

gina gentium hæ Coloniæ civitates propagatæ. Initium igitur earum ad Romulum refert Dionyſius, qui loca bello capta non præſidiis, ſed coloniis muniebat. *Lipſius de Magnitud. Rom. 1. c. 6.* Nunc ad iſtam, Coloniæ deductionem SCto aut populari rogatione opus erat, quæ LEX AGRARIA vocabatur. Hanc igitur legem Sp. Caſſius de agris plebi dividendis primus promulgavit, nunquam deinde ſine maximis Romæ motibus agitatam *Cluv. Epit. hiſt. p. 64.* cujus legis rationem omnem explicat *Sigon. lib. 2. de Antiq. provinc. Jur. Ital. c. 2.* Hoc SCto facto, aut lege accepta, curatores, qui deducendæ Coloniæ creati, Colonos in Coloniam ſub vexillo deducebant. Cicero in Rullum: *Tum illud vexillum Campanæ Coloniæ vehementer huic Imperio timendum Capua a Decemviris inferetur.* Talis curator extitit noſtræ Coloniæ Tiberius Nero pater Tiberii Imp. tum QuæſtorC. Cæſaris, qui ejus juſſu ad deducendas Colonias in Galliam, in quibus Narbona & ARELATE erant, miſſus fuit *vid. Sueton. in Tiber. c. 4.*

§. IX. Miſſi in Colonias non novum jus adipiſcebantur, ſi ſcil. Colonia Romani juris foret. Sin Latini juris, mediam capitis deminutionem patiebantur Coloni Roma miſſi. Unde nec publicum nec privatum jus Civitatis retinebant. Cicero pro Cæcin. merito miratur eorum incogitantiam, qui ex civitate abeunt in Colonias Latinas, cum Cives Romani, ſi in Colonias Latinas proficiſcerentur, Romanam civitatem amitterent. Egregie id explicat Boëthius in topic. dum infit: *deductione in latinas Colonias Cives Rom. mediam capitis diminutionem conſecutos eſſe & Romanam civitatem amiſiſſe*, id quod ipſe interpretatur per jus Quiritum privatum: *Quod Coloniæ Civium Roman. adhuc reliquum habebant, neque hi omne jus plenum retinebant, ſed tantum privatum*; nimirum neque connubii, neque teſtamenti, neque mancipii aut nexus aut poteſtatis patriæ jus, quod erat proprium civium Romanorum, habuiſſe. Hoc enim differebant Coloni Latini a Romanis Colonis. *Arniſæus de Republ. lib. 1. c. 5. Sect. 9. p. 255.* poſteriores

Digitized by Google

riores non erant Cives Rom. quoad jus publicum capeſſendi magiſtratus & ferendorum ſuffragiorum, niſi id privilegium conceſſum beneficio Principis aut nave aut militia &c. *Ulpian. tit. de Latin.* Quo autem jure fruita ſit civitas noſtra, mihi non conſtat; nam omnes autores, qui ad manus meas pervenerunt, hac in parte magis muti fuere quam piſces. Igitur me quoque candide lector, excuſatum habebis, ſi expectationi tuæ non ſatisfacere queam.

§. X. Si alii vero nomina dediſſent in Coloniam civitatem ſuam amittebant, nec cives Romani dicebantur. Hinc *Livius l. 34.* ait: *Novum jus a Ferentinatibus tentatum: Ut Latini, qui in Coloniam Rom. nomina dediſſent, cives Romani eſſent. Puteolis, Salerno, & Buxento Romanorum civium Coloniis adſcripti, qui nomina dediſſent, cum ob id ſe pro civibus Rom. ferrent. Senatus judicavit, non eos eſſe cives Rom.* Quod autem Grotius *de J. B. P. lib. II. c. IX. §. 10.* ſtatuat, *miſſione in Coloniam adipiſci jus novum.* Hoc aſſertum non videtur juri Gentium conſentaneum, ſed omnino videndum cujus auſpiciis, qua mente, quo jure, in quæ loca emittantur. In dubio tamen, cum de jure gentium quæſtio eſt, nec de mente mittentium conſtat, & in loca ſit miſſio, quæ civitati, unde exit Colonia, non paret, populum liberum & ſui juris factum facile admiſerim, inquit Illuſtris Præſes in ſuo Beryto *cap. 2. §. 13.* Sic quoque venit intelligendum exemplum a M. Grotio *cit. loc.* allatum: Quod Rex Tullius apud Dionyſium profert. *Ut omnino matrices urbes Coloniis imperent, quaſi naturæ lege, id vero nos neque æquum neque verum arbitramur.*

§. XI. Quia Colonorum jura & inſtituta omnia populi Romani arbitrio ſubjiciuntur. Tunc ſtatim inter Colonias & municipia differentiam videmus, quod etiam obſervavit *Gellius lib. 16. c. 13.* inquiens: *Municipes ſunt cives Romani ex municipiis, ſuo jure & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, neque ulla populo Rom. Lege adſtricti, ni populus eorum fundus factus foret, Coloniarum*

rum vero alia neceſſitudo eſt. Non enim veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur; ſed ex civitate quaſi propagatæ, licet ergo conditio Coloniarum magis ſit obnoxia & minus libera: potior tamen eſt & præſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem Majeſtatemque populi Romani, cujus iſtæ Coloniæ quaſi effigies parva, & ſimulacra quædam eſſe videntur.

§. XII. Sed hic non immerito quæritur, an populus quidam locum deſertum & incultum in alicujus territorio ſitum ob deducendam Coloniam occupare liceat? N. nam quod ſemel quis occupavit, id non excolendo non cenſetur dereliquiſſe, animus ergo ſpectandus Domini, qui in dubio non præſumitur. Grotii igitur ſententia non eſt arripienda, dum infit *lib. 2. c. 2. §. 17. Ab illis recte occupatur locus deſertus ac ſterilis, quia occupatum cenſeri non debet, quod non excolitur.* At ratio Autoris citati valde claudicat; nam belli Germanici calamitas docuit nos ſatis contrarium, ubi multas ditiones fuiſſe exhauſtas deſertasque ſcimus, quæ tamen occupanti non cedebant ſed impetranda foret venia a Principe, ut liceret illas excolere. Quin ſi Imperium populo veteri, ut ipſe fatetur Grotius ſalvum manet, intereſt certe, ne ipſi invito civis agnaſcatur. Poſſet enim ejusmodi populus deſertorum culturam petere, quæ Reipubl. magis eſſet damno, quam emolumento; Itaque quicquid inculti & deſerti ſoli in regno invenitur; Id omne arbitrium Superioris expectat, cui id velit addictum, ut non occupatione ſed aſſignatione poſſeſſoribus acquiratur *Ziegl. ad Grot. cit. loc.* Illa aſſignatio, cujus mentionem facit *Grot. l. 2. c. 2. §. 4.* olim fiebat aſſignando certam partem in Coloniam miſſis hanc aſſignatam partem nemo poterat jure præripere. Neque etiam huic peregrinæ genti competit poteſtas, ſeu jus alteri bellum inferendi, ob denegatam conceſſionem loci, tum ob ceſſantem cauſam juſtificam ut *Grot. l. 2. c. 22. §. 1.* vocat, tum quia utilitas non par jus facit cum neceſſitate. Sæpe etiam quæſtio obvenit, utrum Colonia cenſeatur ex ſolo an ex Colonis dedu-

ctis? Interdum enim ex ſolo, ubi ædificata, uti videmus in urbe Cæſarea, interdum ex nonnullis ritibus, ſi incerti ſint Coloni forſan, unde deducti. In qua quæſtione ad Dn. noſtri præſidis Berytum *cap. 2. §. 13.* ubi pluribus exemplis illuſtravit rem, lectorem cupidum remitto.

§. XIII. ARELAS igitur COLONIA SALYORVM vocatur ab antiquiſſimis Galliæ populis. Nam Ptolomæus *lib. 2. c. 10.* SALYVM oppida inter alia nominat ARELATVM & *Aquas Sextias*, cum quo conſentit Plinius *lib. 3.* Inter *Salyos* habitaſſe *Sextanos*. Denique urbs dicta COLONIA SEXTANORVM *Plin. l. 3. Natural. hiſt. cap. 4. Merula p. 2. lib. 3. c. 39.* ARELATEN Autor *Sextanis* aſſignat, & quidem exinde, *quia milites veterani Sextæ legionis erant.* De iis vetus inſcriptio, quæ Romæ eruta Anno CIↃIↃLXII.

DIVÆ
FAVSTINÆ
AVG.
SEXTANI
ARELATENSES

Quod genus Coloniarum, *Militares* audiebant *Sigon. de Antiq. provinc. Iur. Ital. l. 3. c. 4.* ut prædiorum diuturnitate feſſi præmium aliquod aliquando caperent periculorum laborumque. Romani ergo a ſe devicta in loca vel firmandi vel propagandi Imperii ergo, ut alias nunc omittam cauſas, Colonias deducebant, quod velut ſummum pretium poſtremis temporibus perſolvebant emeritis militibus, qui ſtrenue & fortiter ſe geſſerant. ARELATE igitur idipſum obvenit, quam SEXTANORVM COLONIAM Plinius appellat. Talem quoque felicitatem expertæ ſunt BLITERÆ SEPTVMANORVM, ubi ſeptima legio deducta fuit, ſi ergo non univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus & ſuis cujusque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate Rempubl. efficerent, ſed ignoti inter ſe diverſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam Colonia. Tacitus *Annal. XIV. c. 27. n. 4.* Occupa-

cupa-

Digitized by Google

cupatum ergo bello Veteranis aſſignabatur *l. 11. de Evict. l. 15. §. 2. de R. V.* unde Bodinus *lib. 2. de Republ. c. 2.* tradit: *Longobardos, Alemannos & Francos dominatum rerum omnium ſic occupaſſe, ut nemo terræ glebam, niſi eorum beneficio poſſideret.* Romanos vero, ut coeteros fere populos, captivos ſuos in ſervitutem redegiſſe: Expugnatas autem urbes ac populos devictos agri parte ſeptima mulctaſſe, eamque Coloniis civium Romanorum aſſignaſſe.

§. XIV. Optime Feudorum origo inde deduci poteſt. Germani enim Principes habebant Comites, qui ipſis fidelem in bello exhiberent operam: fidelibus iſtis credibile eſt, conceſſa poſtea fuiſſe a principibus prædia tum in ipſis Germanorum, tum etiam in occupatis bello terris ſub conditione fidei & ſervitii militaris: ut non ſolum ipſorum opera in bellis uti, ſed etiam devictos virtute illorum in fide continere poſſent: Quod confirmant ipſæ leges & mores feudales, ex quibus apparet feuda propter militiam conſtituta, iisque Vaſalli, milites perſæpe nominantur *2. f. 21. 22.* Molinæus itidem ex hiſtoriis demonſtrat; *Francos terras marte ſuo occupatas in feudum conceſſiſſe.*

§. XV. Noſtra urbs MAMILIARIA cognominatur, cauſa hujus denominationis latet omnes. In Inſcriptione pulcherrima, quæ ibidem in columna viſitur, teſte Joſepho Scaligero, in ædibus honeſtiſſimæ Matronæ Vallenſis.

SALVIS. DD. NN.
THEODOSIO. ET.
VALENTINIANO.
P. F. V. AC. TRIVM.
SEMPER. AVG. XV.
CONS. VIR. INL.
VALLENSIS.
AVXILIARIS. PRÆ.
PRÆTOR. GALLIA.
DE ARELATE. MAMILLIA-
RIA. PONI. S.
M. P. I.

Merula *p. 2. lib. 3. c. 39.* Imo GALLVLAM ROMAM vocavit Auſonius, cum in multis Romam Genetricem æmulatur. Ammianus vero *multarum civitatum decus* appellat *Cluv. in Introduct. Geograph. l. 2. c. XV. p. 149.* tum etiam ob celeberrimum Emporium, cujus commoditatibus invitatus Conſtantinus Tyrannus ſedem Imperii illic ſtatuit, ut refert Plinius *in not. l. 3. c. 4.* Laus noſtræ civitatis dilucidior fit ex conſtitutione Honorii & Theodoſii, quæ tota tranſcripta habetur apud Lanſium *in Orat. pro Gallia p. 158.* ejus autem verba ita ſonant: *Tanta eſt loci opportunitas, tanta eſt copia Commerciorum, tanta illis frequentia Commeantium, ut quicquid usquam naſcitur, illic commodius diſtrahatur. Neque enim ulla provincia fructus ſui facultate lætatur, ut nonniſi hæc propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quicquid dives oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod fœcunda Gallia poteſt habere præclarum, ita illic exhibetur affatim, quaſi ſibi naſcantur omnia, quæ ubique conſtat eſſe magnifica.* Hinc quoque *Cluv. in Introduct. Geograph. l. 2. c. XV. p. 149.* dicit: ARELATO regio adjacens frumenti feraciſſima eſt, unde dum Genueſes & Hiſpani id avehunt, incolæ non parum diteſcunt. Cum ergo ferviat huic civitati, quicquid terra habet præcipuum, ad hanc vel nave vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur: quicquid ſingulis naſcitur. Ob frequentiam navium, quæ ibi appellabant, præfectus claſſis ARELATI ſeu Viennæ reſidebat, quia utrobique ſtationem habebat. A Ripis horum fluminum, ubi claſſes ſtabant, GALLIA RIPARIENSIS eſt appellata, unde RIPENSES milites *in l. 4. C. Th. de veteran. Notit. Imper. Occid. c. 37.*

§. XVI. CONSTANTINVS Imp. urbi Arelatenſium primus nomen CONSTANTINÆ impoſuit, quæ etiam locus erat Theſauri & Brombaricariorum ſive Argentariorum præpoſitis, ibi & Iura Conſtantinus condidit *l. 6. C. th. de appellat.* & moneta cudebatur, ejus meminerunt ICti *in l. 13. de Inſtit. act. l. 34. de uſufr. legat. vid. Notit. Imp. Occid. c. 38.* Hæc

38. Hæc civitas a Conſtantino Galliæ metropolis ac ſedes præfecti prætorio Galliarum facta eſt, nec Conſtantino devicto mutavit Honorius, qui non potuit Galliarum prætorium Treviris, quibus ademtum erat, reſtituere, cum profligato Conſtantino illas tantum provincias receperit, quæ in Tyranni poteſtate remanſerant. Labante poſtea Imperio ex conſtitutione Impp. Honorii & Theodoſii de agendo ſingulis annis ARELATE conventu ſeptem provinciarum poteſtas data fuit. *ſeptem autem provinciæ dictæ*, ut Bertherius putat, *non numero, ſed ex Tiranni deſignatione, ex qua factum, ut quod remanſerat in Imperio, hoc nomine a reliquis ſecerneretur.* Hæ provinciæ vocantur: Viennenſis, Narbonenſis prima & ſecunda, Alpina & Nova populania, Aquitania prima & ſecunda. Iſtas ergo provincias a numero denominatas, arbitratur Iacob Gutherius *l. 2. c. 7.* ea præprimis ratione; quæ ex hujus ævi ſcriptoribus colligi poteſt: Barbari enim incolas Inſulæ Britanniæ eo diſpoſuerunt, ut ab Imperio deficerent, & ſuo arbitratu viverent: Imo Celtæ & Armorici ex Galliarum provinciæ ſpreta Conſtantini ſocordia, ſeſe in libertatem vindicarunt. Romanosque expulerunt Magiſtratus *Cluv. Epitom. hiſt. p. 319.* palam igitur libertatem & ſpecioſa nomina prætexebant, innumeraque libertatis dona concepta blanditie cum graviſſimis Imperantis injuriis odioſe conferentes, animos Plebis Britannicæ & reliquarum provinciarum eo impellebant de facili, ut quibus paulo ante grave viſum fuit, tam violentis precibus onerum levamen extorquere, ii nunc indurato flagitiis animo, umbratili libertatis ſpe tumeſcentes, quærant non de remedio præſentis, ſed inſtitutione novæ formæ. Hinc neglecto Principe ſuo, liberam Rempubl. & liberius vitæ genus incipere geſtiunt, tam infelici plerumque eventu, ut loco Iuſti & Clementis Domini, ſæviſſimum Tyrannum, vel vice unius plures prædones cervicibus imponant, & poſtea omni libertate extincta populi, abſolutiſſimum Imperium ſibi concilient.

Quod

Digitized by Google

Quod limitatum admodum in alio perferre non poterant, idque egregio quidem populi merito, qui manus a legitimo Rege ideo non abſtinuerunt, ut crudeliſſimos hoſce Tyrannos haberent. Quod etiam Britannis contigiſſet, niſi contra Barbaros arma arripuiſſent, notanter dicit Gutherius *l. 2. c. 7. Itaque Britanni ſumtis armis & pro ſalute ſua periclitati civitates ſuas a Barbaris imminentibus liberarunt.* Edocentur profecto nimis ſero, & ſuo inprimis damno, neminem libertati magis inſidiari, quam qui libertatem laudare ſolent Tacitus *Annal. 16. c. 22. n. 8.* cedro digna profert: *Nam ut Imperium* inquit, *evertant, libertatem præferunt, ſi everterint, ipſam aggredientur, nec quisquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem vocabula uſurparet.*

§. XVII. Sed hic non multum dubitationis habet illud, an Galliarum provinciæ & reliqui populi recte fecerint, dum ſe in libertatem vindicarent? At reſponſionem ſtatim ſuppeditat hæc ratio, dum omne imperium & poteſtatem populus in principem, etiam in ſe *§. 6. I. de I. N. G. & C. Grot. l. 1. c. 3. §. 8. n. 10.* transtuliſſe fertur, nec potentia paſſiva, nempe gens poteſt agere in potentiam activam, quocunque modo hoc fiat, ſive per modum reſiſtendi ſive abnuendi paritionem. Nec igitur magiſtratui ſummam poteſtatem habenti, ſed conceſſa nequiter abutitur, juſte reſiſti valet populus. Quamvis alias operoſe diſtinguant; Securiſſima forſan erit Taciti ſententia: *qui, bonos Principes optandos, non aliter ac ſterilitatem, hyemem, cæteraque naturæ mala tolerandos eſſe, ait*, rebellionem ſemper pejora ſequuntur; Inviolabilis credenda Majeſtas Dominantium, & id neceſſarium pignus publicæ pacis, ne ſcil. aut pluribus, aut unoquoque ſeorſim ſuccenſentibus Regi, & res novas attentantibus periclitetur omnium ſalus & ruat patria: plus enim damni allatura eſt rebellio, quam maxima vitia regnantis. Ut pluribus rem perſequitur Becker *in ſynopſ. I. P. c. 1. §. 4. Grot. l. 1. c. 3. §. 8. 9.* Sicut enim ille, qui ſe arrogandum dedit, non habet poſtea

Digitized by Google

poſtea facultatem ſemet emancipandi, & in ſtatum ſui juris reponendi §. *fin. J. Q. M. P. P. S. l. 31. ff. de adopt.* Sic & qui deliberato ſervitutem ſui commodi cauſa ſubierunt,& qui ex his nati ſunt, ad libertatem proclamare non permittuntur *l. 1. l. 3. Quib. ad liber. procl. non lic.* Se igitur a jugo Conſtantini provinciæ liberarunt ob ſocordiam illo culpandam: Quam male fecerint ergo hi populi, cuivis, qui principia Politica modo delibavit, ad oculos patebit. Imo nec illis ſubditis licebit in libertatem eam ſc. quæ populi eſt, ſe vindicare, ubi Imperium vi partum eſt. Vi parta primum imperia poſſunt ex voluntate tacita firmum jus accipere, & voluntas aut ex initio conſtituti Imperii, aut ex poſt facto eſſe poteſt talis, ut jus det quod impoſterum a voluntate non dependeat *Grot. l. 2. c. 4. §. 14.* confer. Henniges *ad Grot. cit. loc.*

§. XIIX. Ex ſeptemdecim igitur provinciis decem cum Britannis defecerunt: quæ vero in fide manſerunt, a nobis §. XVI. ſunt deſignatæ. A ſeptem vero provinciis, quæ non deſciverunt, Imperium illud SEPTIMANIAM vocatum putat Joſephus Scaliger *lib. 1. c. 24.* In quo, uti mihi videtur, hunc erraſſe. SEPTIMANORVM enim gens Narbonenſi provincia concluditur, Plinius inquit; BLITERÆ SEPTVMANORVM. Septimania ergo appellabatur, quod ſeptimani ſeptimæ legionis milites ibi commorarentur: Unde Narbonenſis provincia in Martyrum hiſtoriis SEPTIMANIA nominabatur, ut ipſe fatetur Scaliger. Inde Septimaniam ſex provincias includere & ex ſeptem unam facere, falſum erit.

§. XIX. Nunc venit perluſtrandum jus Metropolis: tales vero urbes apud Romanos erant *maximæ*, *majores & minores l. 6. §. 2. ff. de Excuſat. tut.* Quorum quæ maximæ, *Metropoles* audiebantur. Imo provinciarum caput JCtus Ulpianus appellat *l. 7. ff. de offic. Proconſ.* Ammiano Matres urbium, Curtio MAIOR PATRIA, Saluſtio ORIGINES vocitabantur. Sicut Metrocomiæ inter vicos, nam plura caſtra, vicosque comprehendebant *l. 6. C. th. de patroc. viror.* Ita

M Metro-

Digitized by Google

Metropoles inter urbes & CUIAC. ſentit *ad l. 8. C. de Exact. tribut. Gothofred. in not. ad l. 4. §. 5. de Offic. Proconſ.* In *maximis* vacatione munerum habebant decem medici & Rhetores quinque, totidemque Grammatici. In *majoribus* ſeptem qui curent, quatuor qui doceant utramque doctrinam. In *minoribus* quinque medici immunes ſunt, & tres Sophiſtæ, totidemque Grammatici *l. 6. §. 2. de Excuſat. tut. Cujac. ad d. leg.* Denique hac quoque prærogativa gaudebant; ut Rectores provinciarum Roma miſſi per eam partem provinciam ingrederentur, per quam ingredi moris erat: Imo ex neceſſitate ſumma eam attingere cogebantur. Sic enim Imperator Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſit, *Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον* i. e. *inter matrices urbes Epheſum primam attingere l. 4. §. 5. de Offic. Proconſ.* Hoc autem reſcriptum, erat reſponſum Imperatoris ad conſultationem vel relationem illorum, qui Summo Principi ſupplicarunt *l. ult. C. de Reſcript. vid. Magnif. Præſes in diſſ. ad Jus Juſtin. 1. §. 7.* ut & *in diſſ. de ſtatut. §. XVI. XXI. XXIX.* Sedes ibi habebant Provinciæ Præſides, Vicarii Rectores. Hinc Tacitus *lib. 4. Hiſt. c. 55.* inquit: *A Vitellio Julium tutorem Ripæ Rheni præfectum fuiſſe; ſub Domitiano Lucius Antonius Præſes Superioris Germaniæ a Suetonio ſalutatur.* Jure vero Saxonico: Soll in allen Landen die älteſte Stadt des Reichs ein Haupt ſeyn des Rechten. Weichbild *art. 11.* Secundum Gloſſam.

§. XX. ARELAS poſtquam Metropolis evaſiſſet, mirum non fuit, ſi deinceps etiam multarum inſtar urbium aliarum in Eccleſiaſtica dignitate augmentum conſecuta ſit, & ad altiora conſcenderit. Ideo in ſedem Metropolicam ſublimata reperitur, ac non pallio tantum Archi-Epiſcopali honorata fuit, ſed diverſi etiam præſides ipſi ſubjecti ſunt. De re quidem inter omnes conſtat, de tempore non item. Quamvis igitur certum terminum firmiter invenire non valeamus, longe tamen antiquius Metropolitanum jus ARELATENSIS Antiſtitis, quam a Joſepho Scaligero

ligero aſſeritur in Epiſt. ad Carol. Labbæum *lib. 4. Epiſt.345.* verba autoris ita ſonant: *Se Aquis Sextiis vidiſſe notitiam Epiſcoporum Galliæ ante trecentos annos ſcriptam, in qua adhuc ARELATENSIS Præſul non Archi-Epiſcopus ſed Epiſcopus ſub Metropolica Viennenſi cenſitus fuerit.* Aſt quam falſa ſit hæc notitia Scaligeriana, inde patet; Quod in Viennenſis Eccleſiæ gratiam compoſita partium ſtudium nimis prodat. Contentio tum temporis magna inter ARELATUM & Viennam exiſtebat de Jurisdictione & Superioritate. Arelatenſes enim Epiſcopi prætendebant: quod Arelatenſis Eccleſia dicatur prima ſanctarum Galliæ Eccleſiarum Collation. VII. quintæ Conſtantinopolitanæ ſynodi *tom. II. Concil. p. 581.* Inde Arelatenſis Epiſcopus Galliar. Primas audit: Bertherius Pithan. *p. 201.* a Conſtantino M. quoque Romæ & ARELATE indicta fuere Concilia, præceptumque Miltiadi Rom. & aliis Epiſcopis, ut COECILIANI Carthaginenſis & DONATI controverſias, præſentibus Auguſtæ Majeſtatis vicariis, deciderent. In hiſce abſolutus Cœcilianus, damnati Donatiſtæ *Cluv. Epitom. hiſt. p. 294.*

§. XXI. Ob has & plures alias, quas recenſere jam ſuperſedeo, rationes, Epiſtolam quandam ſcripſerunt pro Archi-Epiſcopali ejus jure Seculo V. Comprovinciales Epiſcopi Arelatenſis Metropolis ad Leonem Magnum Papam Romanum contra Viennenſem Epiſcopum: Quod, ſcil. a dicto Conſtantino peculiariter CONSTANTINAE nomen acceperit; quod Valentinianus & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus privilegiis MATREMONIUM (matrem omnium) Galliarum appellando, decorarint: Quod in ea urbe, quicunque intra Gallias ex tempore iſtorum oſtentare voluerit dignitatis inſignia, conſulatum ſuſceperit & dederit: Quod eam ſublimiſſima præfectura, ac reliquæ poteſtates velut communem omnium patriam, ſemper inhabitarint; quod ad eam ex omnibus civitatibus utilitatis cauſa concurreretur: quod primum S. Trophimum a B. Petro intra Gallias miſſum habere meruiſſet ſacerdo-

Digitized by Google

tem; Ex cujus fontibus univerſa Gallia fidei rivulos accepit, Merula *p. 2. l. 3. c. 39.* iſtam Epiſtolam nobis exhibet Baronius *ad an. 450.* It. *ad ann. 417.* ferme iisdem verbis utitur Autor: Quod enim Evangelium in Gallias per S. Petri Apoſtoli diſcipulum Trophimum allatum fuerit, & per eundem ſedes Arelatenſis erecta: Eâ de cauſa eadem Eccleſia primaria olim in Gallia habebatur, cum ejus Epiſcopi non ſolum pallium acciperent a Rom. Pontifice, ſed etiam vicem ejus agerent, vicariique ipſius dicerentur. De Trophimi illiusque epitaphio legatur Itinerarium Stunicæ. Hoc quoque addendum, quod in ARELATI templo, loco celſiori ac ferreis januis concluſo, argentea theca reconditum hujus S. Viri corpus ſemel in anno IV. videlicet kal. Januar. quo die ejus feſtum agitur, publice oſtendatur. Zeil. *in Itiner. Gall. c. 5.* Inter has duas urbes lis demum ſopita; quæ verba ſententiæ ad meliorem intellectum non piget tranſcribere: *De Altercatione Urſionis Viennenſis, Epiſcopi & Eliſanti Arelatenſis Epiſcopi lectæ ſunt Epiſtolæ Beati Gregorii, Zozimi, Leonis & Symmachi, quæ definierunt, eo quod Viennenſis Eccleſia quatuor ſuffraganeas ſedes habere deberet, quibus illa quinta emineret, & Arelatenſis Eccleſia novem ſuffraganeas, quibus ipſa emineret.* Ex quibus colligere licet, Arelatenſem Metropolim jam inde a Leonis Papæ tempore, & quidem Imperante Carolo M. origines repetere ſuas. Hadrianus enim Pontifex inter alia hæc ſcribit Berterico Viennenſi Archi-Epiſcopo: *Habeat unaquæque Metropolis civitates ſibi ſubditas, quas beatiſſimus Leopoſt Calcedonenſem Synodum ſingulis Metropolitis diſtinxit,* Mallinkrot. de Archi-Cancellariat. *p. 223 224.*

§. XXII. Sane Arelatenſibus magno fuere honori Concilia plura in hac civitate inſtituta de rebus Eccleſiaſticis, nam non ſolum Imperator Conſtantinus de maximis Eccleſiæ rebus Concilia celebrare voluit, imo & Carolus M. inter tantas Imperii curas ARELATI memoriam minime depoſuit. Circa ann. 813. enim, *vid. Annal. Adelmi*

ad

Digitized by Google

ad dict. ann. perGalliam univerſam ſuper ſtatu Eccleſiæ corrigendo Concilia celebranda juſſit, & iſtic ejusmodi conventum fieri voluit, Epiſcopos ibi congregatos per miſſos ſuos Johannem Arelatenſis Eccleſiæ, & Nebridium Narbonenſis ſedis Archi-Epiſcopum obteſtando, ut Eccleſias, quas Gubernandas ſuſcepiſſent, & pia prædicatione inſtruerent, & moribus ſanctis exornarent, beatæque vitæ exemplis ædificarent. *Vid. Gervaſ. Tilberienſ. de Imp. Rom. & Gothor. Lombard. Regn. Commentatio a Madero nunc primum edita.* Facultatibus quoque ſuis paupertatem glorioſe ſublevarunt hujus urbis Incolæ, dum non ſolum in gratiam pauperum Xenedochium & propter ſtructuram & proventus ſplendidum erexerint Zeil. *in Itinerar. Gall. c. 5.* Carolus jam morti vicinus Theſauri ſui partes Metropolitanis ut & Epiſcopis diſtribuens, ARELATÆ ſeparatim portionem in Egenorum ſublevamen eſt largitus. A qua libertate non receſſit Ludovicus Pius, cujus cognomentum poteſt manifeſtum facere, licet quæ in ARELATEN contulerit ſpeciatim, haud facile invenias. *Eginhart. c. 33. Hugo Floriac. in Chron. p. 175.*

§. XXIII. In hac urbe multa etiam viſu digna inveniuntur, Nam ſtatim ſe offert ibi oculis domus PORCELLETTORUM, ubi novem pueruli in lapidem inciſi, de quibus ex Belleforeſto hiſtoria refertur, quod aliquando quædam mater multorum liberorum, & quidem valde egena, Eleemoſynam petiiſſet a Domina harum ædium, ſed tantum abfuit, ut ſtipem acciperet, ut potius eam libidinoſam & porcacem mulierem vocaret. Mendica igitur DEUM ardenter imploraüit, ut hæc dives mulier tot liberos, quot porcellos uno partu ſcropha pareret; Quo facto novem puerulos fuit enixa; unico filiolo retento, reliquos ancillæ ſuffocandos dedit. At eorum vita per providentiam divinam conſervata, materque in perpetuum carcerem fuit detruſa. *Zeil. in Itin. Gall. c. 5.* Perſpicitur ibi quoque turris ROLANDI, ſeu armamentarium cum quinque triumphalibus portis Romanorum. Prope portam *novi Fori*,

 (Dee

(des Neumarckts) habetur templum HONORATI, ab Honorio denominatum. Imo apud Hiſtoricos reperitur lapis in dicta æde ſacra ferreis cancellis clauſus, in quo B. Virginem Mariam, dum ubera Salvatori noſtro præbuerit, ſediſſe fuerunt; Sed an hæc dicta magis fabulæ quam hiſtoriæ ſint conſentanea, in medio relinquo. Qui relationem plurium antiquitatum in Civitate Arelatenſi repertarum adhuc deſiderat; adeat Itinerarium Galliæ Iuſti Sinceri, ut & *Zeilerum d. l.* Denique paucis attingendum, quod inter Maſſiliam & ARELATUM viſatur *campus lapideus* qui Las Craux nominatur; ſed ratio hujus nominis hactenus omnes fugit. Cambdenus quidem putat, hanc vocem ortum ducere ex antiqua lingua Britannica ubi per vocabulum *Craig* lapis indigitatque. Tota regio adeo eſſe ventoſa perhibetur, ut a vento, cui nomen Melamborio, lapides commoveantur, hominesque curru ejiciantur.

CAPUT II.

De Origine regni Arelatenſis, ejusque Succeſſoribus.

§. I.

NOn ultimo loco inter laudes hujus civitatis ponendum, quod ab illa REGNUM ARELATENSE ſit dictum, *vid.* §. *1. c. 1.* Continet autem iſtud Delphinatum, Sabaudiam, tractum Sequanenſem, ſive comitatum Burgundiæ & tractum Helvetiorum. De hoc regno res a primordiis deducenda. Conſtantinus M. diviſo inter filios regno, fixaque ſede Bizantii, Imperii Romani ruinam maturavit; nulli alii uſui id factum, ut divulſus ab Oriente Occidens Barbaris eo facilius ſuccumberet. Quam egregium ſoloeciſmum Politicum Conſtantinus hic commiſerit, eventus ſufficienter docuit. Cum enim Cæſares in Oriente graſſantibus Longobardis Italiam ſpernerent, Romanus Populus ac Pontifex externam circumſpexere defenſionem. Tum temporis autem valde illuſtris erat familia Regum Francorum, igitur in auxilium vocatus Carolus M.

Pipini

Pipini Francorum Regis filius, natione Germanus, *Magniſ. Præſid. diſſ. Exot. 4. §. 6.* Italiamque ingreſſus victos Longobardos ſub poteſtatem ſuam redegit, purgata quoque ſede Romana a Barbarorum immanitate: ob exhibita tam Papæ quam Romanis ipſis ingentia beneficia Leo III. conſenſu populi, Clerique rogatu Carolum M. Imperatorem Occidentis ſalutat, ac inunctum Auguſtum appellat, *Magniſ. Præſ. Diſſ. Exot. 5. §. 5. Becker in ſynopſ. Iur. P. c. 1. §. 6.* Imperium ergo ad Germanos eſt translatum active & paſſive, i. e. quod Germani Imperatorem eligere habeant, & quod ſolum Germanus eligi debeat Cæſar.

II. In hujus invictiſſimi Caroli, qui in tantum laudantibus, in quantum Virtus & felicitas intelligi poteſt, potentiam ſucceſſit filius ejus Ludovicus cognomine Pius, qui ſuaſu Iudithæ Conjugis diviſit inter filios degeneres, regiones, quorum Lotharius Imperium cum Italia accepit, partemque Regni Franc. Auſtralem ad Moſam usque fluvium, Carolo Iudithæ filio Francia, Ludovico Bajoaria obvenit. Sed Ludovicus nequaquam portione aſſignata contentus, quicquid trans Rhenum erat ſibi aſſerendo, novis igitur Germaniam motibus concuſſit. Ludovico pio mortuo poſteaquam ingentibus præliis, cumprimis eo, quod ad Fontiniacum Anno 840. geſtum eſt, ſeſe mutuo & Rempubl. miſerrime afflixiſſent, pace tandem conſtituta, tres fratres ſuperſtites omne Francorum imperium diviſere Ao. 842. quæ præcipua fuit cauſa convulſæ potentiæ Francicæ proſtratæque familiæ Caroli, dum nunquam rurſus in unum potuit coaleſcere.

§. III. Illa partitio quemadmodum fuerit inſtituta, accurate eſt obſervandum. Sed hanc diviſionem bene exprimit Chronographus Regino Abbas Prumienſis *f. 41. Anno Dominicæ Incarnationis 842. tres fratres Imperium Francorum inter ſe diviſerunt, & Carolo Occidentalia regna ceſſerunt a Britannico Oceano usque ad Moſam fluvium. Ludovico vero Orientalia, ſcil. omnis Germania, usque ad Rheni fluenta, & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Rhe-*

Digitized by Google

Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius, qui & major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, regnum ſortitus eſt, quod ex ejus nomine Lotharingia nominabatur, totam provinciam, i. e. Galliam Narbonenſem, nec non omnia regna Italiæ cum ipſa urbe Roma. Magnif. Præſid. Diſſ. Exot. 2. §. 9. Dn. Conring. de finib. imper. C. 3. Erant autem Lothario Cæſari filii tres, itaque totidem in regna, ex more ævi, tertia illa pars Francia imperii diviſa. *Ludovico II.* Italia cum imperii dignitate, *Carolo* Provincia, ſeu Gallia Narbonenſis, ut & Burgundiæ minoris nonnulla, ſi aliis credimus, *Lothario II.* reliqua paternæ hæreditatis trans Alpes, nempe Lotharingia obtigit CONRINGIVS *de finib. Imp. C. 6.* Carolo Lotharii Imperatoris filio mortuo, frater *Ludovicus* Provinciam iſtam, *Lotharius II.* Burgundiæ minoris partem, ſuperſtites fratres hæreditario jure creverunt. Ludovico II. fatis decedente, ut Italiam cum Cæſarea dignitate, ita & Provinciam ſolus CAROLVS CALVVS fratri natu majori Ludovico Germanico jure debitam per injuriam præripuit. Eadem poſtea potitus, novum regnum condit, unus apud illum bene poterat Judithæ Uxoris frater Boſſo dictus, Ludovici II. Imp. defuncti filiæ Irmengardæ maritus hunc Provinciæ Regem creavit. Lazius *de migrat. Gent. lib. 3. p. 92.* Regino ad ann. 877. eodem modo diſſerit: *Dedit inſuper eidem Boſoni provinciam, & corona in vertice Capitis impoſita cum Regem appellari juſſit, ut more priſcorum imperatorum regibus videretur dominari.* Boſonem tamen nihilominus non alio quam Comitis titulo frequenter illius temporis ſcriptores appellitant, quaſi Regii nominis invaſorem eum habentes. Boſo, inquam, primus Rex hujus Provinciæ creatus, & quidem impulſu Auguſtæ ſuæ, quæ negabat jucundam ſibi vitam fore, niſi virum regem complecteretur. Hic videtur *Cluv. in Introd. in Geogr. l. 2. c. 13. §. 7.* a nobis diſſentire, dum ultimum ſtatuat Boſonem Regem iſtius regni. Nam Carolus Calvus in Provincia de facto ſibi attributa regnum erexit, & in eo Au-

guſtæ

guſtæ Germanum fratrem regem conſtituit, ambitione ductus ut non ſolum Duces ſed & Reges crearet. Atque hoc eſt REGNVM a præcipua ſui urbe, ARELATENSE dictum.

§. IV. Hic Boſo deinde Ludovico Balbo, Calvi filio vita functo, non ſolum Provinciæ, verum etiam Burgundiæ rex appellari voluit, (Francis de Regno iſto varie ſentientibus, aliis, filiis Ludovici Balbi ex Concubina natis deberi cenſentibus, aliis Boſoni ipſi, Regi Provinciæ ad illud injuſte invadendum aſſentientibus, aliis vero id regno Germaniæ reſociare volentibus Siegebert. ad ann. 880.) pro nihilo ducens adoleſcentes filios Ludovici, & velut degeneres deſpiciens. Quæ res obtulit illi magis odium continuum ac incrementum periculorum quam gloriæ & dignitatis emolumentum. Siquidem dicti Ludovici Balbi filii, Ludovicus & Carolomannus, cum regnum paternum dividerent, ita ut Ludovicus, quod de Francia reſiduum erat, & Neuſtriam cum Marchiis ſuis haberet; Carolomannus Burgundiam & Aquitaniam cum Marchiis ſuis; tunc hi eundem Boſonem diebus vitæ ſuæ omni inſtantia ſunt perſecuti, etiam illum apud Viennam obſeſſum una cum conjuge & liberis in poteſtatem redegerunt. *Lazius de migrat. gent. lib. 3. p. 96. Gervaſius Tilberienſ. de Imp. Rom. & Longobard. Regnis Commentatio, & quidem in ejus præfatione.* Mortuo autem Boſone, Carolus Craſſus filium Ludovicum de filia Ludovici II. Irmendruda genitum, apud Kirchaim pagum Rheni honorifice ſuſcepit ad hominem, ſibique adoptivum filium eum conjunxit. *Annal. Fuldenſ. ad ann. 887.* Adoptata igitur Boſonis rebellis iſtius prole, iras accendit Germanorum. Iſte Rex clarus & felix fuiſſet, ſi tam ſciviſſet parta tueri quam quærere; duobus enim ſuis fratribus defunctis, Germaniam omnem, Galliam, & Italiam obtinuit, quod præter Carolum M. & Ludovicum nemini contigit, adeo plus eſt provincias retinere, quam facere, *Flor. L. 2. C. 17.*

Nec minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic; hic erit artis opus.

Omnino artis opus, excellentisque ingenii eſt, ac ſummæ prudentiæ tueri parta. Fortitudo ad acquirendum, ſed prudentia ad conſervandum prodeſt; infeliciſſimus itaque Carolus Craſſus imp. propria culpa ob adoptionem factam, & alias cauſas, in odium omnium populorum incurrens, tandem inutilis imperio, nec animo nec corpore valens, virum ſucceſſorem habuit Arnolphum, Carolomanni Regis filium; quem Franci, Saxones, Thuringi e Carinthia acceſſerunt Francofurtum, eumque Regem ſibi ſtatuerunt, fruſtra obnitente Carolo Craſſo, *Cluv. Epit. hiſtor. p. 384.* Itaque Ludovicus Boſonis filius reconciliatus, indubie regi noſtro Craſſo, & regnum ejus feudi legibus juris Germanici factum eſt. Neque vero vel ab Arnulpho Succeſſore, quicquam in illum inclementer actum. *Conring. de fin. Imp. cap. 12.*

§. V. Boſonis filius Ludovicus in provincia ARELATENSI ſuccedens patri, & quidem conſenſu regum, qui cum Italiæ quoque regnum affectaret, a Berengario captus & excœcatus. *Cluv. introduct. in Geogr. l. 2. c. 13. §. 7.* Neque ſatis conſtat, num & ille regio titulo fuerit uſus: Nec enim eum hoc nomine ſive Luitprandus ſive Annalium ſcriptor, ſive quis Veterum alius, temere dignatus eſt. Hujus hæreditatem accepiſſe videtur Hugo, Lotharii Comitis Provinciæ filius, Lotharii regis Lotharingiæ nepos, Lotharii Imp. pronepos, Pii Ludovici Abnepos, *Gervaſ. Tilber. de imp. Rom. & Longobard. Regn. Comment. in præfat.* hunc alias Bertæ filium patris nomine diſſimulato appellant. Is provincialium Comes potentiſſimus audit Luitprando l. 3. c. 3. In Italiam quoque evocatus, dum priorem dominum deſeruiſſent Itali nempe Rudolphum Burgundiæ regem, *Cluv. Epitom. Hiſt. pag. 393.* Hugo, ut Rudolphum, quem mox mutatis armis revocare ab adverſa factione compertum habebat (Italienſibus ſemper geminis uti Dominis volentibus, quatenus alterum alterius terrore coërcerent) ab illis conſiliis penitus averteret, cum bello imparem ſe opibusque ſciebat, icto fœdere quic-

Digitized by Google

quicquid ipſe In Gallia urbium finiumque obtinebat, ei tradit, jurejurando adacto, in Italiam deinceps non ſe ducturum. *Id certum eſt, regni* ARELATENSIS *dignitatem cum Burgundico conjunctum, & in unum quaſi corpus duo regna illa coiiſſe.* Dubium an Imperatoris Henrici Aucupis tum temporis conſenſu; tametſi Hugonem Comitatum Arelatenſem Arnulphi beneficio habuiſſe affirmet Lazius *de Migrat. Gent. l. 3. p. 117. 110.*

§. VI. Dum igitur utroque illo Rudolpho rege pene avulſum fuerit a Corpore Germaniæ regnum Burgundicum: tamen ſenſim ad officium rediit, initio facto circa annum quadrageſimum poſt nongenteſimum. Nam Otto M. rex, regnante Conrado Rudolphi filio in iſto regno, regem & regnum in poteſtatem redegit. Fertur quidem de rege quodam ARELATENSI, cui nomen Boſo, quod Epiſcopo mandaſſet, in nativitate Chriſti, ne officium divinum ante ſuum adventum inciperet, ac moram trahente rege id non obſervaſſet, rex ſero accedens indignatus Epiſcopo alapam inflixit, quæ quærela ad imperatorem delata, collecto exercitu urbem cum rege cœpit, & capite plecti juſſit. At Epiſcopi & Cleri precibus vita donatus in monaſterium fuit detruſus, ac Imperio regnum ARELATENSE attributum. Herm. Hermes cap. 17. num. 7. Theodoric. Niem. in Nemore Union. tract. VI. Cap. 33. Sed videmus ſtatim, quomodo hæc conveniunt cum fide hiſtorica. Otto vero de die in diem proficiens, paterno nequaquam fuit contentus regno, ſed abiens Burgundiæ regem cum regno in ſuam poteſtatem redegit, Witikindus Corbejenſis *l. 2.* ab eo tempore in Germaniæ regum fide hoc Burgundicum ſive ARELATENSE regnum exſtitit: Verba autem Boſonis, quibus allocutus Ottonem refert Gotefriedus Viterbienſis part. XVII. Chron. p. 504.

Trado tibi regnum, cunctos depono decores,
A modo noſtra tibi ſacra lancea perſtet honores,
Sola mihi Monachi vita colenda foret.
Do tibi vivarium, Lugduni ſede ſedebis,

Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, caſtra tenebis,
Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
Lancea Mauritii, mea quam tibi dextera tradit,
Eſt caput illorum, quæ nunc mea regna notavi,
Nunc caput imperii lancea ſancta dabit.
Qua Dubius, Sana, Rhodanus fluit, eſtque Vienna,
Cũ mare Thyrrhenum fuerunt Boſonica Regna,
Huic ſemel Allobroges, & Morienna favent.

Sed hic valde dubito, cum Otto Friſing. *l. c. 6. 18.* ut & Luitprand. *l. 4. c. 12.* ſint in hac opinione, Henricum Cæſarem Ottonis M. patrem, ſacram illam lanceam Rudolpho Burgundionum Regi nimis extorſiſſe; ergo Boſo Ottoni illam tradere nequivit, conf. §. 6. c. 2. Qui vero plene reſtituit illud Burgundiæ regnum, eſt Rudolphus id nominis tertius, per quem factum eſt pars Imperii. Nam dictus Rex primum Henrico II. Imperatori, filio ſororis ſuæ, eo autem denato, Conrado II. proprium tranſcripſit, *Magnif. Præſ. Diſſ. Exot.* 2. §. 9. Hic Rudolphus, inquit Wippo in vita Conradi, dum in ſenectute regnum molliter tractaret, maximam invidiam apud principes regni ſui comparans. Secundum Henricum Imperatorem invitavit, eumque poſt vitam ſuam Regem Burgundiæ creavit, & Principes regni jurare ſibi fecit: Sed defuncto Henrico II. Imperatore Rudolphus Rex promiſſa ſua irrita fieri voluit, Conradus vero Rex magis augere quam minuere regnum intentus, Anteceſſoris ſui labores metere volens, Baſileam occupavit, tentaturus, utrum pactis Rudolphus ſtaret, quos Giſela filia ſororis ipſius Regis Rudolphi conciliavit, *Cluv. Epit. Hiſt.* p. 412. Confirmata poſtea inter eos pace, mediante dicta Giſela Regina, regnoque Burgundiæ Imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius Anteceſſori ſuo Henrico datum fuerat Ipſum Conradum etiam ann. 1033. Henricum vero III. conceſſu patris, anno demum 1038. Regem Burgundiæ coronatum eſſe, narrat Wippo. Interim certum, Regno Burgundiæ Rudolphum Conradò tradidiſſe, quod a temporibus Ar-

nolphi

Digitized by Google

nolphi Cæſaris per annos pluſquam centum triginta gentis ſuæ Reges tenuerat: & ſic Burgundia iterum in provinciam redacta fuit; recte ergo cecinit Güntherus *l. 5.* Ligurini,

donec ſuprema voluntas
Regis Rudolphi regnis accedere noſtris
Juſſit, & antiqui detraxit nomen honoris:
Vt jam non regnum, ſed ſit bona portio Regni.

§. VII. Quamvis per Comitum inſolentiam maximam, autoritatis ſuæ non raro fecerint jacturam, ut ferme jus in totum hujus provinciæ amiſiſſe Imperatores videantur, dum ſemper ad ſe pertinere arbitrati ſint Comites. Tamen hoc monuiſſe ſufficit, quod Fridericus Barbaroſſa Henricum filium, in Regem Teutonicorum, ARELATENSIVM & Lombardorum crearit. Gervaſius Tilberienſ. p. m. 65. Imo & Otto IV. Imp. ſe ARELATI vel Burgundiæ Regem appellavit, & poſſedit: de priori dubitat DN. CONRINGIVS *c. 13. p. 148.* cum inquit: Prius illud haud memini alibi a me lectum, poſterius certum eſt ex eo, quod ſigillatim regno illo, qui ſumma cum autoritate præeſſet, Marſchalli titulo, conſtitueret Gervaſium Tilberienſem dictum, Heinrici II. Regis Angliæ nepotem. Qvamvis forte ob varias, quas tempore imperii ſui ſenſit adverſitates, ipſemet eam viſere haud potuerit. Uti ſatis ſuperque patet ex loco Gervaſii *deciſ. 2. cap. 12.* quo provinciæ, ad regnum noſtrum pertinentes & emolumenta maxima, qui cuncta cognita habebat; Item mores incolarum quam accuratiſſime depingit; ibi denique inquit Gervaſius: *Cum in omnibus abundet, in ſolo Rectore bono ac Principe egena eſt; Tibi hoc eſt Domine, quod imputetur, qui caput tenes imperii, & cum membra extranea moderaris, quod non minus eſſet commodum, regere ac moderari contemnis.*

§. VIII. Burgundicum regnum olim erat ſub Parlamento Aquenſi, quod comprehendebat præprimis etiam has duas urbes Archi-Epiſcopales, ARELATEN & Aquas Sextias, Merula *p. 2. l. 3. c. 39.* Quamdiu in Gallia floruerunt

Digitized by Google

runt Comitia, tam diu vel nullus vel rarus uſus Parlamentorum, & Parium Franciæ fuit, ut origo demum videatur referenda ad familiam Capetingorum. Fatetur Hotomannus *c.17.* Franco-Gall. ipſum Hugonem Capetum comitia paulatim enervaſſe, quod videret illa regna, quæ nimium indulgent Comitiis, plerumque ad Ariſtocratiam delabi. Sic cum *Auguſtus invaderet imperium, ſuſpectum erat populi Senatusque imperium ob certamina potentium* Tacit l. i. c. 2. ſucceſſerunt ergo in locum Comitiorum velut ludibria quædam Pares & Parlamenta. Nonnulli Franciæ Hiſtorici inſtitutionem PARIVM ad tempora Ludovici VII. referunt. Autoritas eorum non fuit adeo magna, ſed inſervire potius regum libidini, quam adverſari eidem ſunt ſoliti, ut nimirum haberent inſtrumenta ſervitutis, & Principes. Neque major fuit Parlamentorum autoritas in Gallia, utpote cum vix umbra priſcæ libertatis ſub voce Parlamenti retenta, ſuperſit. Parlamenta Galliæ nihil aliud ſunt, quam Collegium JCtorum, qui non eliguntur a populo, ſed a ſolo rege, ſuntque curiæ ſtabiles ac perpetuæ, ad controverſias potius privatas ac minores decidendas, quam regni negotia inſtitutæ. Omnes, qui in iis ſunt, regis ſtipendiarii exiſtunt. Dum autem Bodinus Parlamenta Galliæ cum comitiis Germanorum Principum comparet, hoc tam abſurdum, ut non mereatur reſponſionem.

§. IX. Quamvis ratum non eſt promiſſum a Rege factum, niſi confirmetur a Parlamento, & quod Reges libenter vellent eſſe infectum, rejiciunt in Parlamenta. Egregie falluntur, qui exiſtimant, cum reges acta quidam ſua nolunt eſſe rata, niſi a Senatu aut alio coetu quodam probentur, partitionem fieri poteſtatis: Nam quæ acta eum in modum reſcinduntur, intelligi debent reſcindi regis ipſius imperio. Vid. Magnus Grotius *l. 1. c. 3. §. 10. n. 4.* ut & *§. 18.* nam non in partem regiminis ſed conſilii adhibentur. BECKER *in Synopſi I. P. lib. 2. c. 4. §. 4.* apte de hac re diſſerit; *Cenſetur n. Rex alios ſibi aſſumere in partem ſolli-*

Digitized by Google

ſollicitudinis, non vero in plenitudinem poteſtatis, quæ omnem reſpuit diviſionem, & quaſi ſanctum eſt, in quod nemo intromittitur, niſi ſolus Princeps. Reinck. 1. Claſſ. 2. c. 2. n. 238. Hæc lex magno uſui fuit Franciſco I. in Hiſpania captivo, dum renunciaverat omni juri ſuo in Flandriam, Burgundiam. Eo vix dimiſſo, Parlamentum Pariſienſe refragari, irrita regis promiſſa pronunciare, adeoque ſemel datam fidem frangere, volente Franciſco, decernebat, cui nihil gratius & acceptius accidere poterat, quavis recti ſpecie liberari a tam damnoſa deditione. Male itaque concluditur, regem facere non poſſe, quod Parlamento aut ſenatui improbatur, ſed hoc potius ſequitur, regem id facere nolle: atque hoc ipſum ſummæ poteſtatis argumentum eſt. *Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 18.*

§. X. Hic videtur aliquid dicendum de noſtris Comitiis. Perſpeximus in §. 8. affatim intentionem regnantis, dum hæc abrogata eſſe voluerit Comitia. E re ſane imperii noſtri eſt, ut illa frequenter inſtituantur, unde quo Comitiorum numerus minus frequens eſt, eo minus libertati cautum eſt. Locum quod attinet, ubi illa celebranda, variatum in Imperio videmus ex legibus & conſuetudine. Conſtantinus III. Comitia annua in urbe ARELATENSI perpetuo habenda conſtituit, *Goldaſt. Tom. 3. Conſtit. Imperial. p. 1.* Idem tamen conventus a Carolo M. Moguntiam, Moguntia deinde a Friderico II. Francofurtum translatus eſt. Ex Francorum igitur hiſtoria patet, tempore etiam Caroli M. quotannis conventum populi univerſalem celebratum eſſe, & quidem plerumque circa feſtum Paſchatis. Hodie vero certus imperii a legibus temporis terminus illa indicendi non eſt poſitus, ſed a neceſſitate ac utilitate imperii dependet, ut ſcil. tunc haberi Comitia juſtum ſit, quando ea haberi utile & neceſſe. Unde apparet, non eſſe in liberrimo arbitrio Cæſaris tempus indicendorum Comitiorum. Hæc autem debet indicere Imperator adhibito Electorum neceſſario aſſenſu ex legibus Capitulationis *Lampad. de Republ. l. 3. c. 8. §. 2.* Frequen-

quentiora ergo olim fuiſſe Comitia quam hodie ſunt, nemo eſt, qui negare audeat; Inde quoque alii dicteria evomuerunt in frequentiam Comitiorum: *Germanorum diætas eſſe foecundas, & quamvis in ventre habere aliam, ac credibile eſſe; quia foemininum nomen ſit, libenter imprægnari ac parturire diætas.* Quin & Albanus acta publica audiens, ac ex iis, quod Germani iterum indixerint einen Reichstag percipiens, Hiſpanica ſuperbia intumeſcens quæſivit, ob es bey den Teutſchen immerfort Tag, und gar keine Nacht habe? woher ſie denn Zeit nehmen, ihre Räuſche auszuſchlaffen? ut refert *Anton. Comit. Ratisb.* Cæterum hæc ſiniſtra exterorum judicia non magnopere curanda. Comitia vero moderna depingit *Dn. Peller in Polit. ſcelerato denuo impugnato p. 134.*

In proteſtando convenimus,
Conveniendo competimus,
Competendo conſulimus,
Conſultando confundimus,
In confuſione concludimus,
Concluſa rejicimus,
Et ſalutem patriæ conſideramus
Per conſilia lenta, violenta,
Vinolenta.

Sed hæc facies rerum omnino deploranda. Cum utilitas publica deſiderat, & gravitas materiarum tractandarum efficit, ne diu jacere debeant indeciſæ, ſed communi opera eo laboretur, quo debitum nanciſcantur exitum mature. Summopere igitur imperii intereſt, ut iſte defectus corrigatur.

§. XI. Sed cum Burgundicum ſeu ARELATENSE regnum ab Ottone Imperio ſit adjectum; a quo etiam titulum Archi Cancellarii per Galliam & regnum ARELATENSE Archi-Epiſcopus Trevirenſis Elector accepit. Nomen Cancellarii a Carolo inde M. habent, qui Cancellarios habuit Epiſcopos. Olim Veterum fores fuerunt cancellatæ, & lignis reticulatim compoſitis textæ. Igitur qui ad eos

Can-

Cancellos ſtabant Oſtiarii, Cancellarii dicebantur. Hi autem expediendis judicum juſſis, Edictis,& Epiſtolis dictandis, ſignandisque, relationibus formandis, & reſponſis portandis operam dabant, & ſic iidem plane cum Secretariis erant. Atque inter hos Secretarios qui principem locum tenebant, primum & ſummum regni Cancellarium appellabant, & etiamnum appellamus. Hoc officium a tempore Pipini & Caroli per Epiſcopos interdum regia voluntate atqueEpiſcopali conſenſu perDiaconos &Presbyteros etiam adminiſtratum. *Hincmar. Epiſt. 3. c. 3.* præterea primus fuit in conſilio regio inter regni proceres *Hincmar. c. 32. 34.* & quia ImperiumFrancorum tria ſub ſe continebat regna alia, Teutonicum, Gallicum, & Italicum, ex ſingulo regno Archi-Cancellarius fuit electus, qui cuiusque regni negotia debita fide & dexteritate curaret. Quam formam regiminis cum ſecuti Imperatores tam ex ſangvine Caroli oriundi, quam Saxonici retinerent, officium inde Archi-Cancellariatus per Germaniam, Italiam, & Galliam manſit, & a Carolo IV. ſanctione A. Bullæ confirmatum eſt *Magnif. Præſ. diſſert. Exot. 2. §. 8.*

CAPVT III.

De alienatione iſtius Regni.

I.

REgnum noſtrum ad Imperium Rudolphi Habsburgenſis usque proprium manſit, quamvis Comites per arrogantiam ſibi de facto attribuerent illud, tamen ſemper Cæſares Imperio iterum conſociarunt §. 7. C. 2. Hic primus, inquam, e domo Auſtriaca præter ſpem & opinionem fuit creatus, hactenus vero Ottocari Regis Bohemi Comes ſtabuli, ſive Magiſter Equitum extitit, promotus ergo ad imperii decus dictus Rudolphus non ob potentiam, neque divitias; Sed ob ſolam virtutem ac fortitudinem, & qui confractam Imperii navem ex tot tempeſtatibus in portum pacis ac quietis deducere valuit. Hic fuit, qui interventu Pontificis Nicolai III. (is ante Pontificatum appellabatur Iohannes Cajetanus *Cluv.*

Digitized by Google

Epitom. Hiſt. p. 490) hoc regnum clientelari titulo conceſſit, indubitatis licet teſtimoniis probare regionem iſtam fiduciario jure fuiſſe conceſſam. Res igitur videtur altius repetenda: mortuo Raimundo Berengario, hujus Provinciæ Comite, Generi illius extitere duo, Carolus Andegavenſis, poſtea Siciliæ Rex, & Ludovicus IX. Galliæ Rex: poſt Soceri mortem adibat hæreditatem Carolus; at Rudolphus ad imperii jura pertinere aſſerens, hac de cauſa etiam poſſeſſione illum exuere cogitabat. Nicolaus Pontifex vero arbitrio partium arbiter factus Matthæo, Urſino Cardinali, & Benedicto Anagnino Notario, qvicqvid controverſiæ erat commiſit, ut cognoſcerent, & diſcordes reconciliarent animos. Convenit, ut Carolus Siculus Beneficiario jure Provinciam retineret, & Rudolphus Clementiam filiam, Carolo, Principi Salernitano, Caroli Regis Siciliæ Primogenito in matrimonium collocaret, dotisque nomine Comitatum provinciæ concederet. Carolus Rex & Princeps ex formula a Rudolpho Cæſare præſcripta Imperatori & imperio homagium præſtiterunt. Sic Cæſar ex pactis conventis provinciam Carolo ejusque hæredibus in perpetuum conceſſit, *Conring. de finibus Imp. c. 24. p. 424.* Dictus quidem autor putat, quod tum temporis non tam Regibus Galliæ illa poſſeſſio ceſſerit, quam Carolo ejusque poſteris Siciliæ Regibus *c. 24. p. 422.*

§. II. Bodinus quidem *l. 1. de Republ. c. 9.* tradit. *Henricum V. Imp. hoc regnum Philippo Valeſio, Regi Galliæ vendidiſſe.* Sed oſtendat nobis Bodinus rei geſtæ inſtrumenta; videntur eſſe ἀσύςατα: nam Valleſius ille rerum potitus eſt ab anno viceſimo octavo poſt milleſimum usque ad quinquageſimum, interea vero temporis nullus Heinricus Imperii rebus præfuit, ſed Ludovicus IV. Cæſar, cui cum Valeſio tantum non capitales inimicitiæ interceſſerunt. Nec integro illo ſeculo Henricus aliquis quintus, ſed id nominis ſeptimus Cæſarem egit. *Vid. Herm. Hermes in faſc. Iur. P. c. 17.* VIEGNIER *part. 3. Biblioth. Hiſt. p. 423.* ſcribit: *Imperatorem Albertum anno 1299. cum Philippus Rex Fran-*

ciæ

ciæ Sceptrum moderaretur, omni juri in regnum Arelatenſe renunciaſſe, ægre tamen ferentibus hoc ipſum Archi-Epiſcopis Moguntino Trevirenſi ac Colonienſi; Si igitur Electores Alberti donum improbaverint, (quod tamen ex tabulis non probari poteſt, poſito tantum ſed non conceſſo) non acceſſit utique ipſomet Viegnierio teſte, conſenſus Principum, quo uno ſtat robur Cæſareorum munerum.

§. III. Fertur quoque, quam relationem nobis exhibet Goldaſtus in Epiſt. dedicatoria operis, cui Titulus Reichs-Handlungen, quod Wilhelmus imperator Comes Hollandiæ Anno 1251. regnum hoc Burgundiæ pro 10000. Marcarum Argenti oppignorarit: Richardus tamen Anglus poſtea reluit, ac Rudolphus I. Imperator rurſus cum imperio, uti jam tum dictum, conſolidavit, & regi Carolo Siculo, clientelari jure conceſſit, quod Adolpho ſucceſſori in Imperio non placuit, viſa igitur fuit indigna res, & ſucceſſio minime ipſi perferenda: Sed conatus Adolphi irritus factus, uti ex *cit. loc.* Goldaſti patebit, ubi inter alia ita diſſerit. Als der König in Franckreich in Zwietracht und Uneinigkeit der teutſchen Fürſten die Gelegenheit bey den Haaren erhaſcht, und den beſten Theil dieſes herrlichen Königreichs unter ſeine Klauen, mit Hülfe und Zuthuung des Pabſts von Rom geriſſen, zoge Käyſer Adolphus von Naſſau Anno 1295. mit einem deutſchen Heer in Franckreich, Arles wiederum zu dem heil. Reich, als deſſelben getreuen Vogt zu bringen. Aber der Pabſt verſchaffte ſo viel durch Fürſt Albrecht aus Oeſterreich Anhang in Teutſchland, daß der Käyſer Adolff von ſeinem Helden-Muth und Heroiſchen Vornehmen muſte abſtehen, die Heeresfarth quittiren, und ſeinem Feind in Deutſchland begegnen. *Vid. Chron. Spir. lib. 5. c. 18.* Demum transactione inter Albertum Auſtriacum Imperatorem & Philippum Pulchrum, regem Galliæ, anno 1299. intercedente, hic occupatas provincias Regni ARELATENSIS in feudum recognovit, ſimulque confirmavit a Rudolpho Alberi Imp. patre in Gallos collatum beneficium.

O 2 Quod

Quod autem jura imperialia alienarit, non poſſum induci ut credam.

§. IV. Non alio jure in Gallum collatum eſſe a Carolo IV. multa ſunt, quæ ſuadent. Inprimis quod Gaguinus *lib. 6.* & Vignierius (poſterioris Autoris verba repræſentat *Dn. Limn. in J. P. l. 1. c. 9.* tradunt, *Gallum ob Imperatore in* ARELATENSI *Regno Imperii Vicarium inſtitutum, & quidem duntaxat per vitam. Magnif. Præſ. Diſſ. exot. 2. §. 9.* Quod expreſſis verbis ſic teſtatur Viegnierius *part. tertia Bibl. Hiſtor. Ludovico Andegavenſi donavit Cæſar Carolus reliquias, quæ ſuperfuerant Imperatoribus in Delphinatu, h. e. Pompam, & Charnacum, & ſimul eum conſtituit ad tempus vitæ irrevocabilem Majeſtatis ſuæ Vicarium, ejus quod tenebat in regno* ARELATENSI. Dum igitur data regi Galliæ vicaria poteſtas a Carolo Imper. in regnum ARELATENSE; hinc ſole clarius eſt, regno Galliæ non fuiſſe plenum jus in iſtud regnum, imo tale ne quidem tum datum. Vicaria enim poteſtas non profecto ſumma erit, ſed minor utique ea, cujus eſt vicaria. Videmus ergo quid ſentiendum quoque de alienatione Caroli IV. quam fingit Aventinus *lib. 6. Annal. Bojoar.* cum Peucero *in chron l. 5. p. 931.* poſito etiam quod Carolus IV. & Sigismundus Impp. regnum ARELATENSE pleno jure in Coronam Franciæ alienaverint, tamen illa alienatio omnino eſſet invalida, nam inde id demonſtratur, quod imperium non ſit in Marſupio Principis, Imperatorque eligatur, ut Imperio præſit ac conſulat, ut ſit allzeit Mehrer des Reichs, quod Cæſar augere non diminuere debeat, cum jura proprietatis ad ipſum imperii corpus pertineant. In Gallia regem ſine publico regni Concilio nil alienare vel oppignorare poſſe probat Hotomann. *Illuſtr. quæſt. 2. in fin.* ut patet ex exemplo Franciſci I. qui ex eadem cauſa recuſavit, quæ Carolo V. promiſerat. Cur ergo reges Galliæ aſpernabantur idem jus ſibi dici, quod aliis dixerunt, & quod in alterius perſona æquum eſſe crediderunt, cur in ſua propria

pria iniquum arbitrantur? *l.3. ff. quod quisque Jur. in alium ſtat. Herm. Herm. in faſc. J. P. c. 17, n. 6. Limn. in J. P. l. 1. cap. 9.* Imo ex dicta aurea Bulla a Carolo IV. erecta, ſatis patet contrarium; nam in illa conſtituit Carolus IV. Trevirenſem Archi-Epiſcopum ſeu Archi-Cancellarium per regnum ARELATENSE.

§. V. Sed quæritur, an Trevirenſis Elector per Galliam & regnum ARELATENSE Archi-Cancellarius fuerit conſtitutus? Reſp. aff. quia aurea Bulla dicit: per Galliam & Regnum ARELATENSE, quæ conjunctio *Et* facit, ut etiam per utrumque ſit Cancellarius. Gallia enim pertinuit olim ad Imperii corpus, a quo tamen poſtea ſeceſſit. Unde Güntherus in Ligurino *Lib. I.*

At ſimul a noſtro ſeceſſit Gallia regno,
Nos priſcum Regni morem ſervamus, & illa
Jure ſuo gaudet, noſtræ jam neſcia legis.

Hujus ergo antiqui juris reſpectu potius quam moderni ſtatus ratione, ubi nec Gallia, nec regnum Arelatenſe quicquam noſtro defert Imperio, Cancellarius dici poterit æque ut alii veterum dignitatum retinent Emblemata, re licet ut plurimum mutata. *Limn. I. P. l. 3. c. 5. Herm. Herm. in faſc. I. P. c. 17.* Videtur tamen hodie quædam loca Imperium noſtrum poſſidere, ratione quorum Trevirenſis titulum Archi-Cancellarii gerit; nam Galliæ nomine non ipſa Francia Occidentalis, ſed ſola Belgica in titulo iſthoc veniat. Eoque çum anno 1357. Trajecti ad Moſam Tabulas aliquas Cæſar ille, nempe Carolus IV. confici curaſſet, ſubſcriptum eſt: *Vice-Reverendi in Chriſto patris Boëmundi Trevirenſis Archi-Epiſcopi S.R. Imperii per Galliam & Regnum* ARELATENSE *Archi-Cancellarii, recognovi Rudolphus de Friedenberg. Dn. Conring de fin. Imp. c. 8. in fin.*

§. VI. Carolo IV. natus erat filius Wenceſlaus ex Agnete Palatina, cui bimulo Diadema Bohemicum, quindecenni Auguſtum nomen comparavit. Nam cum non facile Principes Electores ad eam rem trahi poſſent, ut duos ad-

ſciſcerent Auguſtos,quod virtute non poterat,precio obtinuit. Promiſſis cuique Electorum centum millibus aureorum; quos cum repræſentare non poſſet, publica illis Romanæ Reipublicæ Vectigalia,i. e. die Reichs-Zölle,obligavit, perpetuum imperii detrimentum, libertatis Electorum pignus. Sic igitur Cæſarum opes ac patrimonia exitioſiſſimo fere exemplo diſtraxit,Electoribus quoque ſemper adigentibus Imperatorem jurejurando, ne pignora addicta revocet. Unde factum eſt, ut à multo jam tempore Auſtriaci cœteris Germaniæ Principibus opulentiores,Cæſareo Diademate ſoli micuerint, & quidem ingenti cum Germanicæ libertatis periculo. *Becker in ſynopſ. I. P. part. 2. §. 12.* Neque vero per continuam iſtam Auſtriacorum ſucceſſionem vera tollitur electio. Nam familia iſta illuſtris hactenus ſe habuit inſtar materiæ, ad electionem ut formam. At vero materia per ſe habilis ad recipiendum formam, non poteſt alterare formam, quia non agit in iſtam, ſed hæc in illam. Porro ſi electio deſiit eſſe libera, aut hoc evenit, quia jus in familiam Auſtriacam fuit collatum ab Electoribus expreſſe aut tacite ſc. ipſo facto familia illud acquiſiverit ex actuum frequentia. Non expreſſe, quia obſtant Capitulationes, ergo nec tacite, nam pro conceſſo nequit haberi, etiamſi mille actus fiant. *Magnif. Præſ. Diſſ. Exot. 4. §. 23.*

§. VII. Rupertus etiam Imperator in Italia coronandus filium ſuum Ludovicum Vicarium regni ARELATENSIS inſtituit, formula Vicariatus a Frehero exhibita, *de Orig. Pal. cap. 16. fol. 116.* Demum movet, quod Goldaſtus ait in præfat. der Reichs-Handlungen: Kayſer Maximilian Ausſchreiben wider den Frantzoſen ſagt mir viel ein anders, und lehret mich, daß der König in Franckreich mehr genannte Fürſtenthum und Herrſchafften von dem Römiſchen Käyſer und dem Heil. Reich zu rechten ordentlichen Lehn empfangen. Accedit ad hoc quoque, quod Fridericus III. Imperator cum Civitas Imperialis Tigurum ab Helvetiis obſideretur anno 1444. hat laſſen Ludewig den Delphin aus Franckreich, als des Heil.

 Reichs-

Reichs-Verwandten und Vicarium aufmahnen, und zu Hülffe und Entſchüttung der belägerten Stadt des Reichs Arles begehren, hernach aber hat man in der That erfahren, daß die nachfolgende Könige des Reichs Arles mehr mit Fauſt-Recht als auf ihr Lehn fundiret, beſeſſen, und thätlichen inne gehabt. Patet ex his Germanorum liquidiſſimum jus, quod ipſis in regnum ARELATENSE competit. Cæterum hodie Galli ſumma ſane injuria Imperium amplius ratione occupatarum provinciarum regni ARELATENSIS plane recognoſcere nolunt, inde etiam *Dn. Præſ. Diſſ. Exot. 4. §. 7.* inquit. *Idem judicium de regno* ARELATENSI, *cujus provincias Rex Gallis nequaquam pro feudis Imperii poſſidet, utut hoc jure acceperit. Dn. Limn. in additam. ad lib. I. c. 9.* Qui proinde non legibus armatis, ſed armis decoratis tandem aliquando ad paritionem compellendus videtur. Præſcriptionem ſane Galli obtendere nequeunt, ſiquidem nunquam non reclamarunt Germani, Galloſque publica omnium voce in poſſeſſione inquietarunt. Thuanus l. 2. ipſemet fatetur, dum inquit; *Hodie memoriam rei illius ſupereſſe in ſermone vulgi. Regnum igitur* ARELATENSE, *antequam in poteſtatem Regum noſtrorum veniret, ſub imperio fuit, cujus rei memoria poſt ſublatam Imperii iurisdictionem aboleri non potuit, nam & hodie in ſermone vulgari ulterior Rhodani ripa Imperii, citerior Regni indigitatur.* Pacificatione quoque Monaſterienſi Germani de jure ſuo nunquam ceſſerunt, utpote cum illa ſit ſtricti juris, & ultra ceſſa extendi nequeat; ut nunc taceam, malæ fidei poſſeſſores in æternum præſcribere non poſſe. O utinam iterum illuceſcat illa dies, qua Rhodanus & Araris fluvii, Galliam a Germania diſterminent.

§. VIII. Omnes igitur provinciæ olim ſub noſtro regno comprehenſæ ita receſſerunt, ut vix veſtigia earum ſuperſint in noſtro Imperio. Sed videmus quicquam adhuc in Comitatu Burgundiæ. Olim dicta Burgundia regnum, circa annum 1034. vero in Ducatum & Comitatum abiit, quorum ille verſus Occidentem Burgundia inferior

& Re-

&Regia, (Galliæ enim Regi ſubeſt) hic ad orientem ſuperior, &Imperatoria (quod ad imperium ſpectet) ad Domum Auſtriacam pertinet, & Regi Hiſpaniæ ſubiicitur communi inter Auſtriacos titulo, Hertzogen von Burgund, *Limn. lib. 5. c. 2.* In nupero bello Gallo-Hiſpanico anno 1668. univerſus ille Comitatus in poteſtatem Regis Galliæ venit; poſt tamen eodem anno pace ſtabilita Hiſpano reſtitutus. An vero ſub expanſis Aquilæ alis manſurus dubitatur, dum adhuc hodie ingens controverſia (wegen der dependentz-Städten) inter Gallum & Hiſpanum gliſcat, inquit Franciſcus Irenicus in Burgoldenſem *part. 3. diſc. 8. p. 74.* Inde etiam Circulus Burgundicus, ſub ſe comprehendens provincias Belgicas; hodie vero hæ provinciæ ab eo avulſæ, & ſeparatam a Germania conſtituunt Rempublicam. Præterea Rex Galliæ Principatum Burgundiæ huic Circulo armis victricibus ſubtraxit. Diſtributio iſta in Circulos ex inſtituto Maximiliani I. Nam poſt tempora Friderici II. Imp. cum univerſum pene Imperium in anarchiam abiit, tum etiam inter Principes ordinesque nulla regionum amplius fuit unio, nulla ſocietas. Quod ipſum fuiſſe conjunctum cum maximo Reipublicæ damno, res ipſa facile docet, cum nulla Respublica ſalva eſſe queat, niſi inter ordines & Cives firma Societas obſervetur. Anno igitur 1500. Maximilianus I. Imp. Comitia Auguſtæ habuit, in quibus regiones Imperii in ſex partes, quas circulos appellant, diviſæ fuerunt: videlicet in Francicum, Bavaricum, Suevicum, Rhenanum, Weſtphalicum & Saxonicum. Sed poſtea anno 1512. illis ſex acceſſerunt quatuor circuli vid. R. I. anno 1512. §. Darauf haben wir ſambt den Ständen ꝛc. Sunt autem iſti decem Circuli, Auſtriacus, Burgundicus, Bavaricus, Suevicus, Francicus, Rhenanus, Electorius Saxonicus ſuperior, Rhenanus ſuperior, Weſtphalicus, Saxonicus inferior. At fuit ex hypotheſi (cum nulla alia via valuiſſet, communis Reip. utilitas, reſtitui atque adeo in unum fere corpus univerſum imperium iterum coaleſcere, fortaſſis

Digitized by Google

taſſis illa in decem circulos diſtributio rectius potuiſſet omitti) prudentiſſimum ita dividendi Imperii inſtitutum quo & paci publicæ, & legum auctoritati, quod contra immorigeros Status Principi cujusque circuli proximo exſecutio mandari poſſit. Denique ſi non ad proferendos limites, aut recuperanda amiſſa, ad defendenda tamen, quæ ſupererant, inprimis ad libertatem ordinum conſervandam, illis inſtitutis ſufficere ſibi Germania potuit. *Magnif. Præſ. Diſſ. Exot. 1. §. 4.*

§. IX. Obſervandum eſt aliquod vitium laudabili huic inſtituto adhærere, quod ſcil. diſtributio illa non omnes Imperii provincias contineat, decem itaque hi circuli comprehendunt machinam Imperii, non tamen in totum, ſed in tantum. Multa enim ſunt membra Imperii, quæ ſub circulis non ſunt. In Comitiis Dux Burgundiæ, ſub tutela & membris Imperii comprehenſus, ſeſſionem atque votum habet, ut Archi Dux Auſtriæ, Er iſt aber den gemeinen Pfennig zu ſammlen nicht ſchuldig. Sed tantum contribuit, quantum duo Electores. In expeditione contra Turcam tantum praeſtat, quantum tres Electores. Si ceſſat contribuere, poteſt contra eum in Camera Imperiali per fiſcalem procedi: In reliquis a Cameræ iurisdictione immunis ac exemtus eſt. Imperii tamen feuda ab eodem recognoſcere, & conſtitutionem de pace publica ſervare tenetur. Nam Dux Burgundiæ pro ſua perſona tanquam Vaſallus Imperii Romani non eſt exemtus, ſi delinquat & frangat pacem publicam contra Statum Imperii. Ideo contra eum & ejus officiales in Camera Imperiali proceſſus decerni poſſunt: non obſtantibus quoque Concordiis Anno 1548. erectis, quia illæ a Statibus Imperii ſemper fuere reiectæ *Limn. l. 5. c. 2.* Obliquo igitur oculo non pauci Status inſpiciunt hoc privilegium Ducatui Burgundiæ conceſſum, quo is exemtus a Jurisdictione Cameræ Imperialis vigore transactionis factæ Norinbergæ anno 1542. *Mynſing. S. O. 58. num. 1.*

Digitized by Google

& Auguſtæ anno 1548. *Wehner. in verbo:* Stand des Reichs. Et quamvis hic Ducatus non eximatur a Iurisdictione Imperii (non enim a foro privilegiatus continuo a ſubjectione eximitur, cum diverſa ſint forum ſortiri, & ſubditum eſſe) tamen admodum grave, imo præjudicioſum hoc ipſum eſt Iurisdictioni Imperiali, quæ jure meritoque ad omnes Imperii Status ſe extendere debebat. *Salutare quoque eſſe Conſilium,* cenſet FRANC. IRENICVS *in Burgold. ad diſc. 8. p. 75. ad reliquias & fragmenta Regni* ARELATENSIS *conſervanda, ut Helvetii & Sabaudus, omnibus controverſiis ſublatis, arcto foedere defenſivo inter ſe jungerentur, ac Comitatum Burgundiæ, & alia loca verſus Galliam in patrocinium ſuum potentiſſimum reciperent, & conjunctis viribus adverſus Gallorum inſultus hoſtiles propugnarent. Helvetiorum ſane omnium intereſt, ut Burgundiam omni ope adverſus Gallorum machinationes fortiter atque ſtrenue defendant.*

§. X. Nullo prætextu tenet Ducatum Burgundiæ Galliæ Rex. Olim enim lis de hoc Ducatu orta fuit inter Maximilianum I. & Ludovicum XI. Regem Galliæ, in cauſa erat Maria, Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, filia, quam pater heredem ex aſſe Burgundiæ reliquerat, Ludovicus autem Carolo filio ſuo deſponſari ambiebat, ſed Maria Maximiliano I. viginti & duos annos nato nupſit, reclamante fruſtra in Comitiis Francofurtenſibus Rege Galliæ. *Cluv. Epiſt. hiſt. p. 563.* At Ludovicus, qua per matrimonium exciderat, ſpem bello inſtaurabat. Burgundiam ſtatim occupat: Color & prætextus iſtius occupationis erat, quod Ducatus Burgundiæ a Philippo Pulchro Rege Francorum ut feudum maſculinum dependeret. Deficientibus ergo iſtius Ducatus ſucceſſoribus maſculis, feudum ad Regem Franciæ rediiſſe. Sed Imperator Maximilianus I. Ducatum Burgundiæ regni feudum unquam fuiſſe negabat ex prægnanti cauſa, quam jam tum tetigi in *cap. 2. §. 6.* utut Imperator cauſa & victoria erat ſuperior, prælio inter Tornacum

Digitized by Google

nacum & Ariam commiſſo, tamen pacem certam incertæ aleæ belli prætulit. Ideoque anno 1482. in hæc pacta conventum eſt: Ut Margaretha trimula, filia Maximiliani deſponderetur Delphino, nempe Carolo IIX. Ludovici Regis Galliæ filio, doti adſcripto Bolonienſe, Matiſconenſe, Altiſſiodorenſe & Karolotenſe agro. Sed Carolus poſt patris Ludovici mortem conjugem Margaretam repudiat. Et ſic calamum huic nobiliſſimæ materiæ ſubducimus, agentes Deo ter Opt. Max. gratias nunquam intermorituras.

F I N I S.

COROLLARIA.

I. Magiſtratus eſt a natura.

II. Legatus ob delictum atrox non poteſt puniri, ſed remittendus ad eum, qui miſit, cum poſtulato, ut eum puniat, aut dedat.

III. Civis innocens, ſi ab hoſte ad exitium poſcatur, modo non fiat temere, poteſt deſeri.

IV. Civis innocens non poteſt hoſti dedi, ut periculum vitetur.

V. Concubinatus eſt verum matrimonium de jure Naturæ.

VI. Foedus licite cum infidelibus tam ratione commerciorum, quam belli defenſivi iniri valet.

VII. Caroli V. Capitulatio male comparatur cum lege Regia Romanorum.

VIII. Verba Speculi Saxonici, lib. 3. artic. 57. Rex Bohemiæ non habet jus eligendi, quia non eſt Germanus, in mendo cubant nullius hactenus Gloſſis medicabili: Emendanda autem ita ſunt: Hic non habet jus eligendi, niſi ſit natione Germanus, reſpectu tam patris, quam matris, vel ſaltem alterutrius. Vide librum, Käyſerliche Land-Königliche Land-und Lehn-Rechte, nach gemeinen Sitten und Gebrauch der Rechten,

Argentorati typis Matthiæ Hupfuf Anno 1505. ibi: der vierdte iſt der König von Böhmen, des Reichs Schenck, und ſoll dem König den erſten Becher bieten. Doch iſt zu wiſſen, daß der König von Böhmen keine Kur hätte, wann er nicht ein teutſcher Mann iſt. Dann die vier Leyen-Fürſten ſollen Teutſche Mann ſeyn von Vater und Mutter, oder von eintwedern. *Itaque Albertus Stadenſis ad annum Domini 1240 non intelligendus eſt de omni omnino Rege Bohemiæ, quaſi nemo Bohemiæ Rex ſit Teutonicus: ſed de Rege, ejusce temporis, quo ſcribebat Albertus, nempe de Rege Wenceslao monoculo, qui neque per patrem, neque per matrem, fuit Teutonicus, ſed per patrem Slavus, per matrem vero Hungarus. Vide Dubravium hiſt. Bohem. l. 15. & 16.*



Digitized by Google

STRAVCHIANORVM

SIVE

OPVSCVLORVM

IVRIDICO - HISTORICO - PHILOLOGICORVM

IOANNIS STRAVCHII

ICTI CELEBERRIMI

PARS SECVNDA

I. DE FEVDO NOBILI.

II. DE CENTVM LAPIDIBVS SVBVRBICARIIS.

III. IN LEGEM CODICE VTROQVE DE VOTORVM OBLATIONE COMMENTATIO.

IV. AD LEGEM IX. D. DE L. RHOD. DE IACTV COMMENTATIO.

V. DE NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

CVRA

D. CONRADI FRIDERICI REINHARDI

IVR. ET PHILOSOPH. P. P. IN ACADEMIA FRIDERICIANA

HALAE MAGDEBVRGICAE

APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM,

Im Durchgange des neuen Rath-Hauſes neben der Poſt.

CIↃ IↃCC XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
THESES IVRIDICAE
DE
FEVDO NOBILI,
PVBLICE PROPOSITAE IENAE DIE XXVII. IVL. MDCLVII.

Reſpondente
ALEXANDRO HVMMEL.

PROOEMIVM.

QVanquam nullam fere in univerſo iure materiam reperire liceat, in qua non amplus alicui, dubias et difficillimas quaeſtiones diſcutiendi variasque interpretum non modo ab aliis, ſed a ſeipſis ſaepe diſſentientium opiniones ad iuris principia, tanquam ad lydium lapidem, reuocandi pateat Campus: hiſce tamen illam iuris partem, quae de uſu feudorum prodita eſt, ita abundare, ut prae caeteris omnibus una haec inprimis mirum in modum afflicta eſſe videatur, nemo facile inficias ibit. Praeterquam enim quod conſtet, eos, qui nobis ius feudale literis conſignarunt, homines privatos tantum fuiſſe, nullam habentes legis faciendae poteſtatem, iſti inſuper adeo ſeſe oſtenderunt iuſtae methodi inſolentes eſſe, ut nullo adhibito materiarum delectu, prout ipſis in mentem venerat, hanc iuris civilis partem non diſpoſuiſſe, ſed diſtraxiſſe potius plerique fa-

Digitized by Google

teantur. Etenim non tantum titulus titulo connexus atque coagmentatus non eſt, ſed in eodem titulo etiam res diverſae proponuntur, atque ad nauſeam usque repetuntur. Quam autem periculoſa ſit huius iuris confuſio et incertitudo, res ipſa ſatis teſtatur. Cum non de ſuggrundiis, de glande legenda, de mortuo inferendo aut aliis ſimilibus quaeſtionibus in iſta iuris parte diſputetur, ſed de re omnium maxima maximeque neceſſaria, qua publica omnium fere regnorum, adeoque praeſentis etiam Imperii Romano-Germanici forma et dignitas potiſſimum continetur et conſervatur. Quam etiam ob cauſam ex iſta iuris parte praecipuum quoddam membrum ſeu articulum, qui eſt de feudo nobili, loco diſputationis inauguralis aſſumere, et quantum ingenii vires permittunt, propter miram feudiſtarum in eius deſcriptione variationem, in genuinam eius naturam paulo penitius inquirere bonoque cum Deo ſequentes de eo theſes proponere libuit.

THES. I.

Eſt itaque feudum nobile, per cuius conceſſionem ex poteſtate et voluntate concedentis nobilitas eiusque iura alicui conferuntur.

Variae quidem apud feudiſtas in *2. f. 10.* in quo primaria iſtius materiae ſedes eſt, de hoc feudo nobili inveniuntur opiniones et deſcriptiones, ſed omnes partim ineptae, partim imperfectae ac vitioſae. Qualis eſt (1) quando dicunt: feudum nobile eſſe illud, cui vis nobilitandi a principe tributa eſt, ſive, quod perſonam accipientis nobilitat. GOTHOFR. ANTON. *Diſp. feud. I. th. 6. lit. b.* WESENBECIVS *tr. feud. c. 2. n. 4.* Praeterquam enim quod, unde hoc dignoſci poſſit, non exprimat, non magis feudum aliquod perſonam nobilitare poteſt, quam locus ſanctificare hominem. *c. 3. 9. et fin. D. 40.* aut is, qui emit domum Decurionis, decurio inde appellari. *l. 4. C. de incol. lib. X.* Sicuti nec navicularius fit, qui emit rem naviculariam. *l. 2. C. de praed. et omn. reb. navic. lib. XI.* cum res hominibus accedant, conditionemque a perſona accipiant, non e diverſo. *§. 37. ad R. D. l. 1. in fin. C. d. imp. lucrat. deſcript. L. X.* Praeterea etiam hoc inconveniens ex ea ſequeretur, quod ſucceſſores ignobiles ſeu plebeii tam

ſingu-

ſingulares quam univerſales, ſimul ac modo poſſeſſionem feudi nobilis acquiſiverint, nobilitatem inde conſequantur, quod tamen dictae deſcriptionis Autores non ſolum ipſi negant, GOTHOF. ANTON. *d. l. b. in fin.* ſed etiam voluntati concedentis, quae ſolum ad primum acquirentem eiusque legitimos deſcendentes directa cenſetur, nec non experientiae repugnare videtur. OBRECHTVS *d. iur. feud. l. 1. c. 5. n. 37. add. th. 7. in fin.* Laborat igitur iſta definitio hoc vitio, quod contra regulam Logicorum latior ſit ſuo definito. Multo minus (2) probanda eorum opinio, qui, a ſervitio et praeſtatione rationem appellationis deſumentes, tunc demum feudum nobile eſſe contendunt, quando ſit praeſtatio nobilis, ut quia feudatarius ſolum ſolvit accipitrem, vel unum canem, aut quid ſimile. TVSCHIVS *tom. 3. concl. pract. lit. F. concl. 142. n. 3.* Uti enim hoc ſine ulla probabili ratione aſſeritur; ita alia inſuper refutatione minime opus habebit. Eiusdem farinae ſunt etiam illae, quas ulterius recenſet TIRAQVELLVS *d. nobil. c. 7. n. 1. et ſeqq.* OBRECHT *d. c. 5. n. 20.* Veriſſime proinde ſentire videntur illi, qui feudum nobile a perſona concedentis, poteſtatem et voluntatem per feudum aliquem nobilitandi habentis, denominari volunt, quo reſpectu longe facilius tolerari poſſet ea, quae (3) a VVLTEIO *1. f. 8. n. 9.* NIELLIO *Diſp. 1. th. 7. lit. c.* HVNNIO *tr. feud. c. 6. diviſ. 3. opin. 3. p. 67.* affertur. Nobile ſcilicet feudum eſſe, quod ab eo, qui poteſtatem et voluntatem nobilitandi habuit, conceſſum eſt. Sed cum ſic iterum dubitare liceat, an ſoli perſonae, an vero ſimul etiam rei nobilitatis iura ſint tributa; cum etiam de eo caſu poſſit intelligi, ubi, conceſſo prius feudo, ſeorſim quis deinde nobilitatur, nec ullus ad rem reſpectus habetur, ideoque adhuc ea verba adiicere placuit: per cuius, *feudi* ſcilicet, conceſſionem. Vt ſcilicet intelligatur, non ſufficere ad conſtituendum feudum nobile, nobilitate perſonam accipientem quocunque modo donari, ſed praeterea etiam requiri, ut conceſſio nobilitatis ad rem a concedente ſimul ſit reſtricta, nec aliter ipſe, niſi per eam, eiusmodi dignitatem alicui conferre voluerit. *Vid.* Nobil. Dn. D. STRVV, *Conſobrinus atque praeceptor meus aetatem devenerandus, Syntagm. iur. feud. D. 3. th. 5.* OBRECHTVS *d. c. 5. n. 30.* Quanquam

quam vero nobilitas a perſona dependeat; eique ſoli et non rei proprie cohaereat, adeoque minus apte feudum inde denominationem quandam accipere videatur: Attamen cum ea per remfeudalem conferatur, et praeterea collatio illius faciat, ut reſpectu ipſius rei iuribus quis fruatur peculiaribus, hinc merito etiam feudo ob iura haec, quae ipſi rei quaſi ſunt connexa, nobilitatis nomen tribuendum videtur. *Vid.* Nobil. Dn. D. STRVVIVS *d. th. 5.*

II. Huius feudi nobilis a feudiſtis duae conſtituuntur ſpecies: Regale nimirum et Nobile in ſpecie ſic dictum.

Sumitur itaque vox nobilis vel generaliter et late, quomodo iam fuit definitum; vel ſpecialiter et ſtricte, pro inferiori aliqua dignitate, qua perſona vel res ex certis cauſis ab eo, qui nobilitandi poteſtatem habet, plebeia conditione ſolum eximitur, et praeclaris privilegiis condecoratur. Nobiliſſ. Dn. D. STRVVIVS *Exerc. feud. 3. th. 5.* OBRECHTVS *d. c. 5. n. 44.*

III. Regale ſive illuſtre feudum eſt, cuius inveſtitura dignitas regalis confertur ab eo, qui poteſtatem conferendi habet.

Qualia feuda ſunt ea, quae conceduntur ſub nomine Ducatus, comitatus, marchinatus etc. *2. f. 10.* REINKINGIVS *d. reg. ſec. et eccleſ. p. 1. cl. 4. cap. 16. n. 5. et 31.* Quanquam enim nonnulli putent, ad feudi regalis conſtitutionem non requiri, ut dignitas regalis alicui ſimul conferatur, idque ſub ſpeciali aliquo nomine veniat, ſed omne illud regale cenſeri, quod a rege vel ſummo principe alicui conceditur, eamque ob cauſam eius hanc deſcriptionem forment: quod ſupremi principis autoritate, vel ab alio, ſuperiorem non recognoſcente, conceſſum eſt. HOTTOMANNVS *in 2. f. 37. verb. beneficio regali.* Eorum tamen opinio non ſolum nullos adhuc nacta eſt defenſores, ſed etiam textui *d. 2. f. 10.* e diametro adverſatur, ubi illi, qui de ducatu et ſimilibus feudis a principe ſunt inveſtiti, ab aliis de plebe, vel plebis parte ſimpliciter inveſtitis expreſſe diſtinguuntur, id quod colligi poteſt ex particula adverſativa *vero*, quae ſemper diverſitatem quandam a praecedentibus importat. RVDINGIVS I.

Digitized by Google

Obſ. I. non obſt. *d. 2. f. 34. verb. de beneficio regali et verb. a rege inveſtitum.* Hiſce vero aliisque ſimilibus regalem quandam dignitatem ineſſe, indeque nomen ſuum ſortiri ſatis conſtat *ex. 1. f. 14.* procul dubio ideo, quod de eiusmodi feudis inveſtiti ad regiam quandam dignitatem poteſtatemque, proprie reges accedentem, aſpirent et praecellentem nobilitatem conſequantur. OBRECHTVS *d. c. 5. n. 33.* REINKING *d. c. 16 n. 21.* Cuius rei illuſtre exemplum in imperio noſtro praecipue nobis exhibent Electores caeterique principes et ſtatus imperii tam eccleſiaſtici quam ſeculares, ratione ſcilicet ſuorum Archiepiſcopatuum, Electoratuum, Epiſcopatuum et ſimilium feudorum regalium, quae immediate ab imperatore et imperio recognoſcunt, GEMMELIVS *in comp. iur. feud. p. 5. princ.* et ſuperioritatem territorialem in iis exercent. Nob. Dn. STRVVIVS *Exerc. feud. 6. th. 10. de qua vid.* REINKING *d. tract. 1. cl. 5. cap. 3.* Hinc formulae illae ad prodigalitatem usque decantatae promanarunt: Quod quilibet imperii ſtatus in ſuo territorio tantum poſſit, quantum in universo imperio, de quo GAILIVS *2. O. 57. n. 7. et 1. de pac. publ. c. 6. n. 10.* Quodque ipſum imperatorē propter regalium inveſtituram in ſuo territorio repraeſentet. WEHNER *in obſerv. pract. verb.* Stand des Reichs, quae quatenus procedant, latius declarat REINKING *d. tract. 1. cl. 5. c. 6.* CARPZOV *d. Leg. Reg. c. 1. ſect. 13.* KLOCKIVS *d. contrib. c. 4. n. 313.* Caeterum de horum feudorum, praeſertim vero Electoratuum origine latius et accuratius diſſerentem vide Nob. Dn. STRVVIVM *d. Ex. 3. th. 6* KNICHEN *Comm. de Saxon. non provoc. iur. verb. Ducum Saxoniae, c. 4.* Hoc ſaltem interim notandum, quod feuda regalia eccleſiaſtica a ſceptro, quo inveſtitura eorum expeditur, germanico idiomate vocentur Scepter-Lehn, Feuda vero regalia ſecularia Fahnen-Lehn, propter vexillum ſcilicet, quo principes ſeculares olim in publico conſeſſu de illis feudis ab imperatore inveſtiri ſolebant, quod in deſuetudinem abiiſſe ſcribit KNICHEN *d. c. 4. n. 55.* REINKING *d. part. 2. cl. 4. n. 10.*

IV. Nobile feudum in ſpecie dictum eſt, cuius inveſtitura nobilitas (in ſpecie ſic dicta absque dignitate illuſtri) eiusque ipſi rei quodammodo inhaerentia iura ſecundum voluntatem et poteſtatem concedentis conferuntur.

Nob.Dn.STRVVIVS *d.Ex.4.th.8.* Cuiusmodi feuda tres vaſallorum ordines ſecundum *text.2.f.10.* tenuiſſe cenſentur. Quorum primus eſt capitaneorum ſeu valvaſorum maiorum, qui ſcilicet ab ipſo ſummo principe, vel aliaqua poteſtate, de plebe aliqua vel plebis parte per feudū ſunt inveſtiti. Secundus vero eſt valvaſorum ſimpliciter ita dictorum, et ſunt illi, qui a iam dictis Capitaneis beneficium tenent. Tertius denique valvaſinorum vel valvaſorum minorum, qui ab iſtius ordinis ſecundi valvaſoribus ſimiliter feudum acceperunt. Illa ſaltem inter ipſos adhuc interceſſit differentia, quod primi ordinis vaſalli per infeudationem a principe factam illico effecti ſint nobiles; Duo vero poſteriores ordines tum demum, ſi antiquitus beneficium tenuerint, et ita ex lapſu temporis vaſallis nobilibus annumerati fuerint. *2.f.10.verſ.Caeteri vero.* Haec ſi hodiernis moribus accommodari deberent, dictis Capitaneis illi ſtatus imperii, qui alia feuda immediata, non annexa dignitate regali, poſſident, nec non liberi et immediati imperii nobiles, die freye Reichs-Ritterſchafft in den dreyen Kreyſen, Schwaben, Francken und Rhein, haud inepte comparari poſſe videntur. Quamvis enim iſti hodie inter ſtatus imperii non amplius connumerari poſſint, cum genuina illa et infallibili nota, iure ſcilicet ſeſſionis et ſuffragii in comitiis, careant, nec nomen eorum in recepta, annoque *1521.* conſcripta imperii matricula reperiatur. CARPZOV *de L.R.cap.3.ſect.12. n.29.* RVDINGERVS *4.O.37.* SPRENGER *Syn.iur.publ.cap.15.* Non tamen, liberum hunc equeſtrem ordinem ſubiectionem et fidelitatem immediatam, quibus imperio eſt obſtrictus, penitus amiſiſſe, nec amplius inſtar Capitaneorum ab ipſo imperatore vel imperio dependere, ſed una cum territoriis ſuis liberis ſub alterius principis Iuriſdictionem redactum eſſe, ſtatim inde concludi poteſt, quippe a quo ipſe Imperator iam dudum Cameram ad querelam dictorum nobilium in mandatis ſerio dehortatus eſt, ſicuti refert GYLM. *Tom.3. Symph.fol.235. voce Nobilitas.* KLOCK *de contrib.c.4.n.300.* Cum, etiamſi non ſit ſtatus, nihilominus quiſpiam immediatus imperii ſubditus eſſe poſſit, prout elueſcit *ex Receſſ. imp. de Anno 1564.* §. Und wollen wir; ibi; gegen denen ſo nicht Stände des Reichs, iedoch dem H. Reich immediate unterworffen,

worffen. Hinc non ſolum ab ipſa Caeſarea maieſtate pro benevolo ac voluntario ſubſidio requiruntur, umb eine mitleidentliche Hülffe ohne einigen gewiſſen Anſchlag. *R. I. de An. 1500.* §. auch ſollen die Ritter und Knechte etc. *et An. 1566.* Wir wollen auch aus gleichem bedencken. LIMN. *de I. P. l. 6. c. 2. n. 10. et ſeqq.* KLOCK. *d. tract. c. 14. n. 46.* Sed etiam ſolum imperatorem pro ſuo magiſtratu, et ratione feudorum illorum, quae ab imperio habent, ſimul etiam Domino feudi recognoſcunt. GYLM. *Symph. T. 1. p. 1. t. 3. vot. 7. n. 17. f. 239. vot. 12. n. 34. f. 263. et f. 216. n. 15. it. f. 238. n. 13.* WEHNER *obſ. pract. voc.* Landsfürſtl. Obrigkeit, *et voc.* Landſteuer. adeo ut in eius et imperii praeiudicium ne quidem cum iuramento alienae iurisdictioni ſeſe ſubmittere valeant. SIXT. *de regal. c. 4. §. 67. n. 68.* KNICH. *in epopſ. n. 177.* Licet in alterius principis territorio nobilia et libera ipſorum praedia ſita ſint. *vid.* GAIL. *de arreſt. c. 6. n. 8.* ac iure feudi ab eo dependeant, per ea, quae tradit GYLM. *Symph. T. 1. p. 1. 4. f. 30.* KNICH. *de Sax. non provoc. verb. ducum Sax. c. 6. n. 3. et ſeqq.* KLOCK. *de contrib. c. 4. n. 273. et ſeqq. usque ad n. 279. iung. th. 5. poſt princ. de quorum alienatione et aliis inſuper ad ea ſpectantibus quaeſtionibus integrum iuris reſponſum cum rationibus dubit. et decid. refert* BESOLD. *theſ. pract. voc.* Ritterſchafft. vel etiam alia inſuper bona ab eo in feudum teneant LIMN. *de I. P. l. 6. c. 3. n. 3. et ſeqq.* SPRENG. *d. c. 15. in pr.* Quia vaſallus quatenus talis non eſt ſubditus Domini, *vid. 2. f. 5.* Nob. Dn. STRVV *Ex. feud. 8. th. 6. in fin. et Ex. 11. th. 2.* KLOCK. *d. tr. c. 14. ſect. 2. n. 4. et 18.* niſi forſan in eiusmodi loco, in quo inhabitantes de conſuetudine ſubiectionis onus ſubire tenentur, ſimul domicilium ſuum foveant, quomodo in Electorum et Ducum Saxoniae territoriis die Landſäſſerey vigere teſtatur WEHNER *obſ. pr. verb.* Landſäſſerey, *quo pertinet, quod de ſimultanee inveſtitis refert Dn.* STRVV *Ex. ad ff. 9. th. 52. ex* CARPZ. *lib. 6. reſp. 115.* Cuiusmodi in caſu Domino territorii, perinde ut alii ſubditi, homagium, Erbhuldigung, praeſtare tenentur, et duplicem perſonam, Imperialem ſcilicet et provincialem, repraeſentare incipiunt. GAIL. *d. cap. 6. n. 14.* Praeterea quoque iisdem fere, quibus alias immediati imperii cives gaudere ſolent, iuribus et privilegiis fruuntur. Adeo, ut quod in principe die Landsfürſtliche, id in nobilibus immediatis

diatis die freye Adeliche Obrigkeit appellari, eosque propter paritatem iuriſdictionis a vicino principe in exercitio ſuo conſueto regalium impediri non debere, cum aliis aſſerat WEHNER *d. loc. add.* GAILIVM *2. O. 62. n. 3.* MYLERVM *d. princip. et ſtat. imper. c. 25.* SPRENGERVM *d. c. 15. ubi 12. regalia ipſis attribuit.* Qr. autem an ſuperioritas territorialis propterea ipſis ſit adſcribenda? Quod nego cum Nobiliſſ. Dn. PRAESIDE, *Praeceptore meo colendiſſimo in Diſp. quam de conſtitutionibus principum ante triennium praeſidendo hic loci habuit, th. 7. vid.* KLOCKIVM *d. tr. c. 4. n. 296 et 300. et c. 14. n. 36. cum ſeqq.* A medii deinde ordinis vaſallis illi, qui ab immediato quodam imperii principe de comitatu vel alio feudo nobili ad provinciam ſuam ſpectante ſunt inveſtiti, non multum diſtabunt. *add.* REINKING *d. reg. ſec. et eccl. p. 1. cl. 4. c. 14. n. 33.* A quibus ſi rurſus alii de parte quadam ſubinfeudati fuerint, valvaſinis iſti optime aſſimilari poterunt. Licet vero horum duorum generum vaſallos ex longaeva feudorum poſſeſſione etiam ratione perſonae nobilitatem conſecutos eſſe *per d. text. 2. f. 10.* probabiliter concludi poſſet: Hodie tamen abſque generali imperii noſtri conſuetudine id vix aſſerere licebit, poſtquam nobilitandi ius de reſervatis imperatoris eſſe dicitur. *vid. th. ſeq. pr.* Tantum igitur de iuribus, toti e. g. Ducatui imperatoria autoritate initio tributis, eiusmodi de parte quadam inveſtiti ſec. voluntatem principis ratione rei in feudum datae proportionabiliter participare ipſis conceſſum erit. add. REINKING *d. c. 14. n. 14. et ſeq. et c. 16. n. ult.*

V. Ad utrumque hoc feudum conſtituendum reſpectu concedentis requiritur (1) poteſtas (2) Voluntas, eaque (3) non ſimplex, ſed per illam ipſam rem, quae in feudum datur, certum aliquem hominem nobilitandi.

Nob. Dn. STRVVE *d. Ex. 3. th. 5.* OBRECHT *d. tr. l. 1. c. 5. n. 23. et 44.* Ex primo itaque requiſito fluit, quod licet quis alias bona ſua pro lubitu in feudum dare poſſit, nobile tamen feudum, ſi poteſtate nobilitandi careat, conſtituere nequaquam poſſit. REINKING *d. c. 14. in fin.* Eſt enim poteſtas primum requiſitum in omni actione, quia potentia eſt principium cuiusque

effectus

effectus, adeo, ut ſi deficiat potentia, quicquid geratur, incongruum reputetur. TUSCHIUS *tom. 1. concluſ. 127. lit. A.* Quae cum de iis ſolum intelligatur, quae ſalva honeſtate et iure fieri poſſunt *l. 15. de condit. inſtit.* TUSCHIUS *lit. P. concl. 460.* et vero ius nobilitandi ad iura maieſtatis maiora referatur, nec niſi ab eo, penes quem ſuma in Republica reſidet maieſtas, exerceri ſoleat, hinc ultro ſequitur, in noſtro imperio a nullo, praeter imperatorem et eos, quibus praeterea ex ſpeciali ipſius conceſſione competit, feudum nobile conſtitui poſſe, vid. LIMNAEUS *de I. P. lib. 6. c. 1. n. 29. et ſeqq.* CARPZOV *de Leg. Reg. c. 3. ſect. 13. n. 47. et ſeq.* quare etiam de reſervatis imperatoris eſſe dicitur. KLOCKIUS *de contrib. c. 3. n. 54.* Huic iam proxime etiam voluntatem accedere neceſſe eſt. GOTH. ANTONIUS *Diſſert. Feud. 1. th. 6. lit. b.* Sicuti enim illud, quod noſtrum eſt, ſine facto et voluntate noſtra ad alium transferri nequit; *l. 11. de R. I. §. 41. de R. D.* ita, deficiente ſummae maieſtatis voluntate, nemo nobilitatem per feudum impertiri, vel propria autoritate ſibi ipſi arrogare poterit, etiamſi praedium aliquod ab ea in feudum accipiat, cum feuda ſine nobilitate dari poſſint, et nobilitas ſine feudis. ANTONIUS *d. lit. b.* Iſta vero nobilitandi voluntas duplici modo declarari poteſt, *expreſſe ſcilicet et tacite.* *Illud* fit, quando quis vel ab ipſo ſupremo principe, vel ipſius nomine et autoritate ab alio in Ducem, comitem etc. vel etiam nobilem in ſpecie, zum Ritter, prius evehitur, et ſimul in ſignum collatae dignitatis de beneficio quodam inveſtitur. OBRECHTUS *de iur. feud. l. 1. c. 5. n. 36.* *Hoc* vero, ſi vel (1) quis ſine praecedente ſpeciali, e. g. Ducis, creatione ditionem quandam ſub nomine ducatus vel feudi nobilis in ſpecie ita dicti acceperit, *d. 2. f. 10. pr.* TIRAQUELLUS *de nobilit. c. 7. n. 14.* quem modum etiam adhuc hodie valere putamus. Quamvis enim ROSENTHAL *c. 2. concl. 2. in fin.* de conſuetudine quadam imperii teſtetur, qua de ducatu, vel alio feudo maiori ſeu regali ſimpliciter ab imperatore inveſtitus non Dux etc. ſalutetur, ſed pro nudo poſſeſſore, Innhaber des Fürſtenthums oder Graffſchafft etc. habeatur: Ea tamen hoc in caſu, quo iam primum ditio quaedam ſub nomine ducatus in feudum conceditur, locum habere vix poterit. Cum enim concedens ſciat, vel ſcire debeat, eiusmodi di-

gnitatem proprie perſonae qualitatem eſſe, eique primario inhaerere, rei vero ſaltem ſecundario et ſecundū quid ineſſe poſſe, hoc tamen non attento nihilominus dicto modo feudum eiusmodi de novo conſtituat, ideo nihil aliud inde, quam ejus, perſonam accipientis ſimul nobilitandi, voluntas colligi poteſt, iuxta vulgatam regulam: Qui vult conſequens, vult etiam antecedens. *l. 2. de Iurisd.* Non ſecus ac ſervus, quem contra prohibitionem iuris quis ſibi in teſtamento ſuo in haeredem elegit, ex praeſumta teſtatoris mente cum libertate inſtitutus eſſe cenſetur *§. 2. I. qui et ex quib. cauſ.* De alio itaque caſu, videlicet feudi regalis, quod ex cauſa quadam iam noviter imperio fuit apertum, rurſus alii ſub antiquo nomine conceſſi, erit accipienda, *vid. th. ſeq. in fin.* cum conſuetudo ſtricte debeat intelligi ac interpretari. Nob. Dn. STRVVIVS *Ex. ad ff. 2. th. 50.* Vel (2) quispiam de plebe aliqua, vel plebis parte inveſtitus ſit eum in finem, ut huius intuitu officium quoddam, vel ſervitia militaria, Ritterdienſte, in ſe ſuſcipiat, indeque honorifico aliquo titulo ſeu nomine, e. g. Capitanei, inſignitus fuerit. *d. 2. f. 10. verſ. qui vero de plebe.* Vel (3) alicui, nobilitandi poteſtatem habenti, ab alio valvaſore inferiori, ſeu ſubvaſſallo, per tempus aliquod militaria praeſtita ſint officia, quo referri poſſe videntur verba *d. 2. f. 10. ſi antiquitus beneficium teneant. add.* OBRECHT *d. lib. 1. c. 5. n. 27.* haud ſecus ac ille, qui lateri principis permiſſu ipſius adhaeret, pro nobili habetur. TIRAQVELLVS *de nobil. c. 6. n. 10.* Quanquam etiam, ſi quis verba *d. c 10.* de conſuetudine accipere velit, nihil alieni a nobis dixerit, cum ſicut leges expreſſa, ita conſuetudo tacita ſummae maieſtatis voluntate nitatur, vid. Nob. Dn. STRVVIVS *Ex. ad ff. 2. th. 19.* eaque alias etiam hominem ortu plebeium reddere poſſit nobilem, ſecundum TIRAQVELLVM *d. tract. c. 10. n. 1. et ſeq.* Quodnam vero temporis ſpatium requiratur ad hoc, ut quis ob praeſtita ſervitia in numerum nobilium tandem computetur, cum nullibi ſit expreſſum, merito arbitrio iudicis relinquendum erit, per *l. 1. §. ult. ff. de iur. delib. l. 13. ff. de teſtib. l. 1. §. 1. in fine de effract.* Denique (4) tacita nobilitandi voluntas adeſt, ſi infeudationi feudi nobilis, ab inferiori quodam principe factae, ſumma maieſtas non contradicat, ſed facto ipſo

appro-

approbet. *arg. l. 1. §. 6. in fin. C. de vet. iur. enucl.* TIRAQVELLVS *d. tr. c. 7. n. 5. 13. et ſeqq.* REINKING *d. tr. l. 1. cl. 4. cap. 14. n. 32. add.* KLOCKIVS *de contrib. c. 4. n. 274.*

VI. In accipiente vero requiritur, (1) ut tam feudi, quam eius, quae per illud offertur, nobilitatis capax ſit, animumque (2) una cum re illam acceptandi habeat. Quibus praeſuppoſitis ipſa deinde eius, perinde ut aliorum iurium in re, ſubſequitur conſtitutio et acquiſitio.

Hinc non ſolum iure excluduntur illi, qui ad recipiendam nobilitatis dignitatem plane ſunt indigni, *l. fin. C. d. ſtat. et imag.* de quibus, an et quinam ſint? vid. LIMNEVS *de I. P. l. 6. c. 1. n. 51. iung. th. ſeq. circ. fin.* ſed etiam, qui tanquam inhabiles (licet alias per ſe nobilitatem optime mereantur) feudum acquirere prohibentur, de quibus itidem, an interdum dentur? Vid. Dn. STRVVIVS *Ex. feud. 5. th. 12. et ſeqq.* Animum autem nobilitatem cum feudo acceptandi a parte inveſtiendi, ut in omni alia donatione, ita et hic accedere oportet, per *l. 55. de O. et A. l. 19. §. 2. ff. de donat. l. 26. C. eod.* alias voluntas concedentis nihil operabitur. Nec enim beneficium invito datur. *l. 69. de R. I.* Caeterum de ipſa conſtitutione et acquiſitione, quae feudis nobilibus cum aliis communis eſt, vid. Dn. STRVVIVS *Ex. feud. 7. th. 11. cum Exerc. ſeq.*

VII. Haec dicto modo ſemel alicui feudo indita qualitas licet faciat, ut plerumque peculiaria iura ipſi inhaereant, quibus quilibet deinde feudo hoc, ad ipſum per inveſtituram feudalem translato, uti et frui poſſit: Ignobilis tamen perſona, etiamſi a ſummo principe de novo ſit inveſtitus, nobilitatem inde haud ſperabit.

Sicuti enim alias ſemel probata qualitas adſcititia poſtea tam diu adeſſe cenſetur, donec eius monſtretur abſentia: *l. 51. de R. I. in 6. l. 2. C. de profeſſ. et med. l. 22. de prob.* TREVTLERVS *V. 2. D. 4. th. 12. in fin.* Ita etiam praediis quibusdam initio tributa nobilitatis iura, etiamſi defunctus ſit primus acquirens, iisdem ſemper infixa manent, et una cum ipſis ad quemlibet poſſeſſorem transeunt, *arg. l. fin. C. de praed. et omn. reb. navic.* nec prius extinguun-

Digitized by Google

tur, quam ipſum extinctum ſit feudum, vel ab ipſo concedente contraria voluntate rurſus adimantur. *add.* KLOCKIVS *de contrib. c. 4. n. 278.* Haud ſecus ac feudum ignobile ſeu plebeium a nobili acquiſitum ſuam priſtinam retinet qualitatem, iisdemque, quibus antea erat, oneribus obnoxium manet. KLOCKIVS *d. tr. c. 14. n. 18. et 28.* Cui non obſtat (1) quod nobilitas iſta realis ab initio ſine perſonali conſtitui nequeat, adeoque una exſpirante et altera exſpirare debeat. *l. 35. de R. I.* (2) quod ſeſe reſpectu perſonalis inſtar acceſſorii habere, nec ſine ſuo principali ſubſiſtere poſſe videatur. *l. 178. de R. I.* Quanquam enim utraque nobilitas ab initio ſimul et uno actu concedatur, nec, perſona penitus ab ea excluſa, ſoli rei accomodari queat: *th. praeced.* Ex iſta tamen ſimultanea conſtitutione et coniunctione ſatis abunde quoque colligitur, nullam aliam concedentis mentem fuiſſe, quam ut perſona per rem, et viciſſim res mediante perſona aeque principaliter nobilitatem accipiat, et utraque ſuam ſeparatam diſtinctamque ab altera obtineat ſubſiſtentiam, nec impoſterum una ab altera dependeat, quo caſu oppoſitae iuris regulae officium ſuum omnino perdunt. CANISIVS *in c. 42. de R. I. in 6.* Cuius rei exemplum dari poteſt in obligatione duorum reorum, quorum alter interdum, ſalva manente in alterius perſona obligatione, per pactum liberari poteſt. *arg. l. 25. iunct. l. 23. ff. de pact.* Nob. Dn. STRVVIVS *Ex. ad ff. 6. th. 50.* Deinde etiam novum non eſt, ut, quae ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. *l. 85. §. 1. de R. I. l. 140. §. 2. de V. O.* Sunt autem iſtiusmodi iura potiſſimum (1) quod vaſallus ſeu poſſeſſor de feudo nobili, pro quo Domino ſuo praeſtat ſervitia, collectas ſolvere regulariter non teneatur. TIRAQVELLVS *d. tr. c. 20. n. 164.* MODEST. PIST. *conſ. 9. n. 49. Vol. 2. late* KLOCKIVS *de contrib. c. 14. ſect. 1. n. 12. et ſect. 2. n. 1. cum ſeqq. ubi etiam unam vel alteram limitationem ſubiungit.* (2) quod talia feuda, etiamſi in inveſtitura nihil de eo ſit dictum, nihilominus vel territorialem ſuperioritatem, vel regalia (*haec duo enim differre probat* REINKING *d. tr. p. 1. cl. 5. c. 2. n. 41. et cl. 4. c. 16. n. 29.* KLOCKIVS *de contrib. c. 3. n. 152. et ſeqq.*) vel denique omnimodam iuriſdictionem annexam habeant. GVID. PAPA *deciſ. 385. n. 1.* Cum enim ex ſola qualitate vaſallitica

ſallitica inferri nunquam poſſit, quod quis ratione rei in feudum acceptae iurisdictioni Domini ſubiiciatur, *vid. th. 4. in med.* ideo neceſſe eſt, ut illa, quam hactenus ipſe Dominus in territorio iſtius feudi exercuit, iurisdictio una cum feudo in vaſallum quodammodo tranſeat, et ipſe quandam ἀυτοκρατίας ſpeciem in illo prae ſe ferat. Secum namque pugnare videtur, uno eodemque reſpectu et vaſallum, et ſubditum eſſe. Hinc ſi cum reſervatione territorialis ſuperioritatis, vel (ratione feudi nobilis in ſpecie ita dicti) ſuperioris ſive altae iurisdictionis feudum ſit conceſſum, ita ut non tam ad ſervitia feudalia, quam onera realia aliaque, quae ſubiectionem quandam important, ipſi Domino inveſtienti reſpectu iſtius feudi, ab eo accepti, ſit obſtrictus, verum nobilis feudi, nomen vix merebitur. *add.* GVIDONEM PAPA *deciſ. 386.* KLOCKIVM *de contrib. c. 14. n. 18. et 28.* Quamvis e contrario a conceſſione omnimodae iurisdictionis, vel mixti et meri imperii, ad feudum nobile concludere non liceat. Alias namque etiam ille imperii princeps, cui nobilitandi poteſtas non eſt, caſtrum quoddam vel pagum cum ſuperiore vel inferiore iurisdictione concedendo, nobile feudum conſtituiſſe dicendum foret, id quod ea, quae *th. praeced. 5.* dicta ſunt, non admittunt. Praeterea quoque (3) ii, qui iſtiusmodi feuda ab imperatore et imperio immediate poſſident, eorum intuitu, licet non ſint Status imperii, nihilominus tamen conſtitutionibus imperii fruuntur, et quoad illa in Camera conveniri debent. GAILIVS *de arreſt. c. 6. n. 9. add. tamen th. 9. et 12.* Unde nobiles quosdam, alias Landſaſſios, ratione aliquorum bonorum, quae Sattelgüter dicantur, ſingulariter in hoc, ut ratione illorum ipſis proceſſus in Camera decernantur, privilegiatos eſſe teſtatur GYLMANNVS *ſymphor. tom. 3. t. 235.* WEHNER *obſ. pract. voc.* Sattelgüter. RVDINGERVS *4. O. 37.* Quo minus vero propter haec ipſi rei inhaerentia iura perſonam ignobilem, tale feudum acquirentem, ſine nova concedentis voluntate nobilitas ſequatur, praeter ſupra dicta *th. 1.* etiam illa adhuc obſtat ratio, quod ita paulatim ſummae maieſtatis iura, non ſine ipſius gravi praeiudicio et Reipublicae detrimento, minuerentur, dum non amplius, ut deceret, nobilitas virtute, ſed

Digitized by Google

pecunia aeſtimaretur, TIRAQVELLVS *de nobilit. c. 7. n. 14.* et nemo facilius quam divites ruſtici, adeoque plane indigni, ad hanc dignitatem aſpirare poſſent, GYLMANNVS *Symph. tom. 4. p. 1. V. 30. n. 76.* cum tamen iis ſolum nobilitatis iura ſint tribuenda, quos virtutum probant ornamenta, honorumque decorant inſignia, *per l. fin. C. de ſtat. et imag. l. 11. §. 1. ff. de muner. et honor.* Quo nomine maxime laudandus Dux ille, a quo quiſpiam, ſub ruſticis moribus et vita inculta nobilitatem petens, tale reſponſum tuliſſe fertur: Divitem te facillime poſſem facere, nobilem nunquam poſſum. TIRAQVELLVS *de nobilit. c. 6. n. 25. in fin.* Et hoc adeo procedit, ut nec ab ipſo ſummo principe noviter de hoc feudo inveſtitus vaſallus nobilitate donatus praeſumatur. Dum enim ea, quae *th. praeced.* allata eſt, ratio hic omnino ceſſet, et huic rei iura illa non demum ſint conferenda, ſed ex prima conſtitutione ipſi adhuc inſint, ideoque etiam id, quod ſupra de nobilitanda ſimul perſona dictum, locum hic ſibi vindicare non poterit. Et quamvis de iure feudali Longobardico aliud dicendum videatur propter generalia verba *d. 2. f. 10. pr.* et in Saxonia quoque in feudis regalibus obſervetur: Lehnrecht *c. 21. in fin. ib.* Es erhöhet nichts des Mannes Schild noch ſeinen Adel, denn Fahnen-Lehn, ob ihme das geliehen wird. MATTHAEVS COLERVS *deciſ. 203.* GOTHOFR. ANTONIVS *Diſp. feud. 1. th. 6. lit. b.* Huic tamen noſtri imperii conſuetudo, cuius mentio *d. th. praeced.* facta, hodie prorſus repugnat, ſecundum quam de hiſce feudis ſimpliciter inveſtiti Inhaber der Herrſchafft ꝛc. recte appellantur a GAILIO *de Arreſt. c. 6. n. 9.* Quoniam itaque non minus ignobilibus et plebeiis, quam nobilibus feuda nobilia ſibi comparare et poſſidere licet; TIRAQVELLVS *de nobilit. c. 7. n. 14.* HIPPOL. a COLLIBVS *in nobili ſuo n. 28.* hinc etiam a poſſeſſione eorum certum nobilitatis argumentum deſumi nequit. GYLMANNVS *tom. 4. p. 1. V. 30.* Nec enim aliquid probat hoc eſſe, quod ab eo contingit abeſſe. *l. 10. C. de probat.*

IIX. Expoſita hactenus feudi nobilis conſtitutione et natura, ſequitur, ut de *iudice* potiſſimum diſpiciamus, coram

Digitized by Google

coram quo quisque, ſi opus eſt, ius ſuum, quod propter iſtiusmodi feudum ſibi competit, perſequi et ab alterius iniuria vindicare poſſit.

Ordinis equidem et materiae ratio expoſceret, ut totam perſequendi rationem, alterum illud iuris cognoſcendi membrum, Nob. Dn. STRVVIVS *Exer. ad ff. 1. th. 45.* quod in iudicio feudali conſiſtit, et praeter iudicem etiam actionem, Domino vel vaſallo competentem, modumque procedendi includit, Nobil. Dn. D. STRVVIVS *Exerc. feud. 1. th. 10.* plene pertractaremus. Quoniam tamen feuda nobilia reliqua duo cum aliis feudis communia habent, et iam ſatis enucleate tradita peti poſſunt ex Dn. STRVVIO *Diſp. feud. ult. th. 2. et 10. cum ſeqq.* ideoque negligentiae vitium nos incurſuros eſſe non ſperamus, ſi, ne diſputatio noſtra nimium excreſcat, iſta tanquam ſuperflua omittamus, et ex hiſce iudicem ſolum, quippe qui feudis regalibus maxime ſingularis eſſe videtur, aliquanto latius nunc contemplemur.

IX. *Qui,* ſi controverſia de feudis regalibus, immediate ab imperio dependentibus, inter duos imperii vaſallos incidat, hodie eſt ipſe imperator.

REINKING *d. p. 1. cl. 4. c. 19. n. 41. et ſeqq.* et quidem adeo, ut non ſolum Camera imperialis, utut alias ſupremum imperii ſit tribunal, ab iſta feudorum maiorum diiudicatione penitus excludatur. Ordinat. Camer. *p. 2. t. 7. ubi dicitur*: Ob auch Sachen vorfielen, Fürſtenthumb, Hertzogthumb, Grafſchafft etc. belangend, ſo vom Reich zu Lehen rühren, ſo einem Theil gäntzlich und endlich abgeſprochen werden ſollen, derſelbigen Erkäntnis wollen wir der Keyſerl. Maieſtät, oder ihrer Liebd und Keyſerl. Maieſtät abweſen, Uns, als Römiſchen König, vorbehalten haben. *R. Imper d. An. 1521. tit.* **der Römiſchen Keyſerlichen Maieſtät Regiment.** ROSENTHAL *d. c. 12. c. 1. n. 30.* GAILIVS *1. O. 1. n. 31.* REINKING *d. c. 19. n. 6.* Sed nec vicariis imperii de hiſce feudis cognitio competat, ſed futuro imperatori reſervari debeat, *A. B. tit. 5.* ausgenommen der Fürſten Fahnen Lehn, denn derſelben Lehen (Vergleichnis) Verleihung behalten wir einem Keyſer und Römiſchen König bevor, multo minus

nius autem, repudiato imperatore, in arbitros de iis compromitti poſſit. *arg. 2. f. 15. §. ult, et 46. in fin.* REINKING *d. c. 19. n. 104. et ſeqq.* MYLERVS *de princip. et ſtat. imp. c. 20. p. 210. add.* ROSENTHAL *de feud. c. 9. concl. 22. n. 4.* An vero etiam, excluſis paribus curiae, ſeu Principibus imperii, ipſe ſolus huiusmodi cauſas decidere poſſit, nec neceſſitate iuris eos adhibere teneatur, dubio non caret? Nos exercitii gratia affirmativam defendere conabimur cum REINKINGIO *d. c. 19. n. 19. et ſeqq.* CARPZOVIO *de Leg. Reg. c. 9. ſect. 12. n. 27.* Confer *Inſtrumentum Pac. W. art. 5. n. 20. §.* den Gerichtlichen Proceß *in fin.* quippe quam etiam feudorum moribus congruere patet *ex 2. f. 34. pr. et 1. f. 18. pr.* Diſſentit LIMNEVS *de iur. publ. l. 2. c. 9. n. 32. et 54. cum alleg.* Porro etiam occaſione verborum, gäntzlich und endlich, quae *d. tit. 7.* expreſſe ſunt inſerta, quaeritur. (1) Num etiam in poſſeſſorio ſolus Imperator, excluſa Camera, de hiſce feudis iudicet? Negativae namque inhaerentes dicunt, ob hanc ipſam cauſam vocem, gäntzlich, adiectam fuiſſe, ut excludatur poſſeſſorium, eo quod ſententia in eo lata, licet ex quorundam opinione pro definitiva habeatur: GAILIVS *1. O. 7. n. 4.* non tamen per eam parti victae ſtatim res omnino abiudicetur, ſed ipſi ad petitorium regreſſus detur. REINKING *d. p. 1. c. 4. c. 19. n. 51.* E contrario vero affirmativam ſequentes praecipue nituntur (1) generalitate textus, et quod etiam in iſta vocula, gäntzlich, ſatis vim ſuam exſerat, quando altera pars a poſſeſſione penitus repellitur ita, ut, prima petitione plane exploſa, proprietatis iudicium intentare neceſſe habeat, ſi modo aliquid velit et poſſit ſua intentione conſequi. ARVMAEVS *diſc. 3. ad Aur. Bull. th. 42.* (2) quod alias ille, qui de poſſeſſorio cognoſcit, etiam petitorium in fraudem Imperatoris ad ſe trahere poſſet, cum unum alterius ſit praeparatorium, GAILIVS *1. O. 35. n. 11.* et continentia cauſae non ſit dividenda, ſed propter connexitatem coram uno iudice terminanda. *l. 10. C. de iudic. c. 1. in med. X. de ſeq. poſſ.* Nob. Dn. STRVVIVS *Exerc. ad ff. 9. th. 54.* Ut adeo abſurdi evitandi gratia vox, gäntzlich, non aliter quam late intelligi poſſit. *vid.* Magnificus Dn. RICHTER, *Praeceptor atque Patronus meus omni honoris et obſervantiae cultu aetatem proſequendus, cent. reg. iur. I. n. 25.* Ad quod (3) etiam facit, quod

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum rectius ſentientes, alias quoque in omni cauſa feudali non minus poſſeſſorium, quam petitorium coram Domino vel paribus intentari debeat. Nob. Dn. STRVVIVS. *de Ex. ult. th. 4.* GEMMELIVS *comp. iur. feud. part. II. pag. 130. verſ. conſequenter quaeritur.* Et huic poſteriori opinioni, tanquam veriori, etiam nos hac vice ſubſcribere non veremur cum LIMNEO *d. c. 9. n. 78.* Longius aberrare videntur illi, qui, (II) dictum verbum gäntzlich ad ipſum corpus et quantitatem rei controverſae referentes, dubitare volunt: An, ſi non de integro feudo regali, ſed certa ſaltem eiusdem parte contendatur, adhuc quoque ſolius imperatoris ſit cognitio? Hanc enim dubitandi rationem reliqua *d. t. 7.* clara verba facile diluunt, utpote quae non illum, quem diſſentientes volunt, ſenſum prae ſe ferunt, ſed qualitatem ſententiae deciſoriam et privatoriam unice reſpiciunt. *vid.* REINKING *d. c. 4. n. 100.* Et hoc, quod hactenus de iudice feudi regalis immediati diximus, obtinet etiam in regalibus, ſeparatim in feudum ab imperatore datis, licet forſan reſpectu feudi minoris, dignitatem regalem annexam non habentis, alicui ſint conceſſa. Capitulatio Ferdinandi III. *art. 25. verb.* der darüber (Zolls-Regalien) einfallende Streit-Entſcheidung vor niemand anders als uns gehörig. REINKING *d. c. 19. n. 49.*

X. Quod ſi vero de feudis non regalibus, ſive minoribus immediatis duo inter ſe contendant, Cameram Imperialem iudicem competentem eſſe plurimi ſtatuunt, ita tamen, ut Imperator cum Camera hoc in caſu concurrat, et praeventioni locus exiſtat.

ROSENTHAL *de feud. c. 12. concl. 1. n. 27. et ſeqq.* GAILIVS *l. O. 29. n. 3. et ſeq. et O. 121. n. 3. noviſſime* MYLERVS *de princip. et ſtat. imp. c. 20. pag. 209.* ex hac potiſſimum ratione, quod in alleg. *tit.* 7. tantum cauſae feudorum imperii regalium exceptae legantur, earumque cognitio non tam ob qualitatem feudalem, ratione cuius per ſe et natura ſua ad Dominum feudi ſpectat, quam propter dignitatem et gravitatem, iſtis feudis inhaerentem, ſoli imperatori in ſignum praeeminentis ſuperioritatis ſit re-

S ſervata,

ſervata, REINKING *d. c.19. n.67.* quod cum ceſſet in aliis feudis minoribus, ideoque etiam lites, de hiſce feudis orientes, coram Camera ventilari, ab eaque terminari poſſe, non quidem tanquam ab ordinario loci, ſed ut iudice feudali, vices ipſius Caeſareae maieſtatis, tanquam Domini feudi, ſuſtinente, eamque in adminiſtratione iuſtitiae referente. ROSENTHAL *d. n. 27.* Ab hac autem ſententia recedunt alii, horum, perinde ut regalium, iudicem ſolum imperatorem conſtituentes, quos cum ſuis rationibus refert LIMNEVS *d. lib. 2. c. 9. n. 159. et ſeqq.* ut fere imperatoria deciſione hac in re opus eſſe videatur.

XI. Haec ita in feudis, immediate imperio ſubiectis, obtinent: De caeteris namque, quae mediate imperio ſubſunt, inter duos vaſallos orta contentio non a ſolo feudi Domino, ſed adhibitis ſimul paribus curiae, determinari debet.

Quamvis enim ius feudale Iuriſdictionem iſtam cuilibet feudi Domino tribuat, *2. f. 55. §. praeterea. c. 5. X. de iudic. c. 6. de foro compet.* illam tamen, ut ex aliis locis apparet, ſimul inter feuda dignitatis tam regalia, quam in ſpecie nobilia, ab ipſo rege ſeu imperatore conceſſa, et alia, per Ducum, Comitum etc. ſubinfeudationem conſtituta, differentiam adſtruere videtur: quod de iis ſemper ſolius Domini, regis videlicet ſeu imperatoris, ſit cognitio, nec teneatur pares curiae in conſilium adhibere, *1. f. 18. pr. iunct. 2. f. 10. pr. verſ. qui vero a principe verb. Capitaneus* (ideo forſan, quia indignum videbatur, regiam maieſtatem ita conſtringi, ut lites, de hiſce feudis, immediate ab ipſa profectis, obortae, ſola ipſius ſententia decidi non poſſint,) in hiſce vero Dominus inferior, excluſo parium iudicio, ipſe ſolus iudicare nequeat. *d. verſ. Praeterea, 2. f. 15. verb. cum ſua Curia Dominus, non obſt. d. 2. f. 34. pr. verb. Caeterae vero cauſae apud pares curiae.* Quae cum, nulla facta mentione Domini, priori membro opponantur, inde videri poſſet, ipſum ab harum cauſarum diiudicatione fuiſſe excluſum. Reſpondetur enim, (1) textum cum *d. verſ. praeterea* eſſe coniungendum, cauſamque (2) iſtius rei hanc

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, quod compilatoribus iuris feudalis non fuerit controverſum, ipſum Dominum poſſe iudicare, ut videre licet ex *d. 2. f. 15.* ſed hoc ſolum, an teneatur Dominus pares adhibere? id quod deciditur *d. 2. f. 34. pr. et d. 1. f. 18.* in quo verba: *in iudicio*, ex *d. 2. f. 15.* ita ſunt explicanda: *a Domino inſtituto, et cui Dominus praeeſt.* Et, iſta iuris feudalis de paribus adhibendis diſpoſition cum nullo iure reperiatur, ſublata, quin et hodie ſit obſervanda, dubitari non debet. *arg. l. 32. C. de appell.* Nob. Dn. D. STRVVIVS *Ex. feud. ult. th. 5. pr.* CVIACIVS *de feud. lib. 1. tit. 15.* et allegati a ROSENTHAL *c. 12. concl. 1. n. 9.* Diſſentiunt alii, cognitionem inter duos vaſallos una cum Domino paribus ſaltem eo in caſu tribuentes, quando quaeſtio eſt inter duos aſſertos vel ambiguos vaſallos, quorum uterque dicit, feudum controverſum eſſe antiquum, et ad ſe tanquam agnatum ſpectare. CVRTIVS, iunior, *tr. feud. p. 7. q. 1. n. 6.* GEMMELIVS *in comp. iur. feud. p. 2. p. 127.* et allegati a ROSENTHALIO *d. c. 12. concl. 1. n. 8. lit. h. et concl. 2. n. 17. lit. t.*

XII. Hactenus de iudice inter duos vaſallos, tam immediatos, quam mediatos. Reſtat ut etiam videamus, coram quo controverſia inter ipſum Dominum et vaſallum finiri debeat. Et, paribus Curiae id munus in iure feudali deferri, cum feudiſtis communiter aſſerendum videtur, ſive principaliter, ſive per conſequentiam, ſive ipſum ſupremum feudi Dominum, ſive alium inferiorem cauſa concernat.

De lite, principaliter Dominum tangente, ſunt textus *1. f. 22. §. ult. 2. f. 16. et 39. §. ſi inter. 2. f. 55. pen.* GAILIVS *1. O. 1. n. 54.* quod vero idem obtineat, quando per conſequentiam cauſa ad ipſum ſpectat, ſatis probat tex. *2. f. 46.* in quo paribus Curiae, h. e. vaſallis, ab eodem Domino immediato feuda tenentibus, vid. Dn. D. STRVVIVM *Exerc. feud. 4. th. 18.* nulla alia de cauſa cognitio tribuitur, quam quod in caſu ibidem propoſito vaſallus ſuccumbens adverſus Dominum ſuum de evictione habeat regreſſum. Similis caſus habetur *in 2. f. 15. add.* OBRECHTVM *de iur. feud. l. 4. c. ult. n. 33. usque ad n. 93.* Et hoc in tantum

S 2 proce-

Digitized by Google

procedit, ut nec ipſe imperator iudicium parium eiusmodi in caſu effugere queat, propter generalitatem textus *d. 2. f. 55. verſ. praeterea arg. 1. f. 13. in fin. et 14.* ROSENTHAL *d. concl. 3. n. 12.* LIMNEVS *de I. P. l. 2. c. 19. n. 76.* OBRECHTVS *d. c. ult. n. 33.* Non obſt. (1) quod ſicut de iure civili procurator fiſci in cauſis, ad fiſcum ſpectantibus, iudicare potuerit. Ita etiam, et multo magis, ipſi imperatori iſtud licere videatur *per l. 9. ff. de offic. proconſ. t. t. C. ubi cauſ. fiſc. l. 3. ff. de his, quae in teſt. del. l. 41. de hered. inſtit.* Praeterquam enim quod, ut ex dictis locis apparet, plerumque non ipſi imperatores cognoverint, ſed certos quosdam eam in rem iudices habuerint, nemoque regulariter in ſua cauſa iudex eſſe poſſit: Vid. Dn. D. STRVVIVS *Ex. ad. ff. 4. th. 55.* etiam non, niſi iure feudorum conſuetudinario plane deficiente, ad ius commune recurrere debemus. *2. f. 1.* (2) obiicitur, quod, cum omnis iurisdictio penes imperatorem ſit, ac ipſe ſuperiorem non recognoſcat, alius eiusdem iudex eſſe non poſſit, quippe cui ſeſe non ſubmiſerit. Reſp. enim (1) per inſtantiam *art. 5. A. B.* ubi, ſalva ipſius poteſtate ſuprema, Electorem Palatinum Rheni iudicem ſortitur. *non obſt. l. 4. ff. de recept. arbitr.* (2) iurisdictionem iſtam ne in vaſallo quidem, nedum in Domino ſubiectionem inducere. *Vid. th. 4. in med.* eamque (3) ex illo contractu, quo Dominus et Vaſallus conſtituuntur, ſecundum mores feudorum venire, Imperatorem autem, ſecundum ius naturale ſeu gentium, ex contractu ſuo obligari dubium non eſt. Nob. Dn. STRVVIVS *Ex. ad ff. 2. th. 9.* Quo ipſo ſimul etiam quodammodo removetur eorum opinio, qui, dictam diſpoſitionem *art. 5. A. B.* etiam in cauſis feudalibus locum habere, autumant, quos latius refutat REINKING *de reg. ſec. et ecc. l. 1. cl. 4. c. 5.* Et hactenus dicta de Domino, a iudicandi munere hoc in caſu removendo, procedunt, niſi litigantes vaſalli, omiſſa fori declinatoria, iurisdictionem Domini tacite prorogarint, *per l. 77. ff. de iudic.* OBRECHTVS *d. c. ult. n. 179.* ROSENTHAL *d. c. n. 21.* vbi varias huius rei ampliationes recenſet.

XIII. Ut vero vel coram Domino feudi, vel paribus Curiae, dicto modo iudicium inſtitui poſſit, duo inſuper a feudiſtis requiruntur. (1) ut de feudo ſive re feudali

Digitized by Google

dali ſit contentio. (2) ut, litigantes aut revera feudi illius, de quo quaeſtio eſt, Dominum et vaſallum, aut unius eiusdemque Domini vaſallos eſſe, certo conſtet, vel iſti ad minimum tales ſeſe aſſerant.

Prius equidem requiſitum quod attinet, illud praeciſe exigi ſatis patet ex *2. f. 55. verſ. praeterea iunct. 2. f. 39. §. ſi inter.* in poſteriori tamen etiam ſolam aſſertionem vaſalliticam ad iurisdictionem hanc fundandam ſufficere, propterea que vaſallum putativum non minus ac verum, a Domino vel eius curia vocatum, ſe ſiſtere debere, ob text. *2. f. 15. in fin. et 46. in fin.* negari non poteſt, *eo tantum excepto, quod, ubi cum Domino lis intercedit, adeoque paribus cognitio competit, litis ordinandae gratia vaſallus iſte putativus inſuper ab ipſis improprie prius inveſtiri debeat, quo nimirum pares efficiantur 2. f. 20. non obſt. d. 2. f. 39. verſ. ſed ſi nihil. Vid. Nob. Dn.* STRVVIVM *d. Ex. feud. ult. th. 7. in fin.* Utut alii in caſu, quo coram Domino lis agitari debet, diſſentiant, putantes, non niſi inter vaſallos, quorum uterque aliud adhuc feudum ab eo tenet, eiusdem cognitionem conſiſtere poſſe OBRECHTVS *d. l. n. 13. et 138.*

XIV. Caeterum, ſi unum ex hiſce requiſitis prorſus deficiat, nec utrumque ſimul concurrat, ita, ut vel de re allodiali, vel inter eum, qui v. g. exſpectativam ſolum in feudo habet, vel inter vaſallos, non ab eodem Domino feudum recognoſcentes, quaeſtio vertatur, iurisdictio iſta feudalis fundari nullo modo poteſt, ſed iudex loci ordinarius erit adeundus.

Nob. Dn. D. STRVVIVS *d. Ex. ult. th. 7. pr.* OBRECHTVS *d. l. 4. c. ult. n. 93. et 107. it: 134.* MYNSINGER *I. O. 99. et 5. O. 75.* ROSENTHAL *d. c. 12. concl. 2. n. 8. 11. et 12. cum ſeq.* niſi forſan Domino feudi ordinaria loci iurisdictio ſimul competat, quo caſu, an controverſia feudalis ſit, nec ne, parum attenditur CVRTIVS, Iunior. *p. 7. n. 9.* ROSENTHAL *d. concl. 2. n. 60. et ibi alleg. lit. π.*

XV. Non tamen e contrario, poſitis iſtiusmodi requiſitis, ſtatim hinc conſequitur, quod Dominus vel

 pares

Digitized by Google

pares in dictis caſibus neceſſario cognitionem ſubire debeant, litesque feudales ipſimet dirimere cogantur.

Quod ſi enim vel (1) tam Domino, quam vaſallis, alium adire placuerit, vel ſpeciali pacto, inveſtiturae adiecto, de certo iudice ſibi proſpexerint, de quo OBRECHTVS *de l. 4. c. ult. n. 115. et 162.* ROSENTHAL *de c. 12. concl. 2. n. 52.* vel (2) in provincia quadam, aut curia, conſuetudine vel privilegio aliquo ſingulares ſint conſtituti iudices feudales, ut: quando in hac vel illa Curia Dominus, vel Dominus et pares coniunctim iudicē conſtituunt feudalem, aut curtis, vulgo: einen Lehen oder Mannrichter, ita tamen, ut is ſit quaſi praeſes parium, hi vero eius ſcabini et aſſeſſores, *Vid.* ROSENTHAL *d. concl. 2. n. 43. et ſeq.* OBRECHT *d. c. ult. n. 164.* quomodo a nobilibus circuli Franconici ſingulare conſilium ſive iudicium equeſtre, Ritterrath, conſtitutum, et a Rudolpho II. imperatore confirmatum eſſe teſtatur WEHNER *obſ. pract. voce* Kreiztag verſ. überdiß hat löblich ꝛc. aut (3) Dominus feudi pares Curiae plane non habeat, (4) alter litigantium eos in teſtes produxerit, (5) Dominus vel pares curiae ex iuſta et probabili cauſa ut ſuſpecti recuſentur, OBRECHT *d. c. ult. n. 106. et ſeqq.* aut denique (6) dicti iudices in adminiſtranda iuſtitia nimis ſint negligentes: Tunc certe, quatuor hiſce poſterioribus caſibus, quandoque ad ordinarium loci, quandoque etiam ad ſuperiorem; prioribus vero, ad iudicem ſpecialiter electum lites feudales pertinere, ambigendum non erit. *Vid.* dd. Autores. Nob. Dn. STRVVIVM *d. Ex. ult. th. 7. in fine.* CVRTIVM, iuniorem, *p. 7. n. 14.* GEMMELIVM *in comp. iur. feud. p. 11. pag. 130. pr.* Et haec de iudice primae inſtantiae. Porro etiam aliquid dicendum adhuc eſſet de iudice ſecundae inſtantiae, ſive appellationis, ſed cum non ſolum ob quaeſtionem illam praeiudicialem, ſupra *in theſ. 10.* nondum deciſam, quodammodo ſuſpendendum ſit iudicium, ſed etiam *text 1. f. 22.* et quae habet GAILIVS *1. O. 1. n. 56. et 2. O. 156.* MYNSINGER *5. O. 5. et 90. n. 3.* ROSENTHAL *de c. 12. concl. 20.* generalem quandam hac de re inſtructionem ſuppeditent, ideoque pauca haec ex iſta intricata alias, nec tamen plene vllibi elaborata feudorum nobilium materia delibaſſe hac vice ſufficiat.

S. D. G.

IOAN-

IOANNIS STRAVCHII

DISSERTATIO

DE

CENTVM LAPIDIBVS SVB-VRBICARIIS

SEV DE

PRAEFECTVRA VRBICARIA

AD TITVLVM DIGESTORVM

DE

OFFICIO PRAEFECTI VRBI

HABITA IENAE DIE XXIIX. IVNII MDCLX.

Reſpondente

ADAMO CORTREIO

Hannoverano.

AD RVBRICAM.

CONSPECTVS.

1. *Praefecturae urbicae origo.*
2. *Pompon. l. 2. §. 33. de O. I. explicatur aliter atque Mureto atque Coccio videtur.*
3. *Praefectus feriar. lat. in cauſa.*
4. *Praefectura olim temporaria et extraordinaria.*
5. *Sub Auguſto ordinaria et perpetua.*
6. *Primus Meſſala.*
7. *Dignitas omnibus praeſtantior.*
8. *Urbs Praefecto Italiae non paruit.*
9. *Praefectus, cur villicus urbis dictus. Et eius nomina Graeca.*
10. *Praefectus CPoleos.*
11. *Inſcriptio l. 1. C. de off. Com. rer. priv.*
12. *Dignitas praefectorum.*
13, 14. *Tituli eius et inſignia.*
15. *Officia, quae ſub eius diſpoſitione.*

PRaefectura urbis Regibus Romanorum eſt coaeva. TACITVS VI. *Annal.* 11. *Ante profectis domo Regibus, ac mox Magiſtratibus, ne urbs ſine Imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos.* 1

2. Et

Digitized by Google

2 2. Et POMPONIVS, ICtus, *in l. 2. §. 23. ff. de O. I. Quoties Magiſtratus proficiſcuntur, unus relinquitur, qui ius dicat. Is vocatur Praefectus Urbi.* Et puto Pomponium his verbis non de ſuo tempore loqui, quo certe non abſentibus Magiſtratibus demum Praefectus ius dicebat, ſed omnino de praeterito. Sequitur enim apud eundem; *Qui praefectus olim conſtituebatur.* Scio quidem MVRETVM et P. FABRVM *ad tit. de O. I.* legere: *Qui profectis*, ſubaudi, *magiſtratibus, olim conſtituebatur.* Sed nimis durum videtur, et iam ante dictum fuerat. Neque tamen cum doctiſſimo Viro Dn. COCCEIO plane delenda haec verba cenſeo. Loquitur enim more hiſtoricorum in praeſenti de more creandi praefectum, et ne quis ſuſpicetur, adhuc durare hunc morem, ſubiicit: *Qui Praefectus olim creabatur.* Nempe eiusmodi Praefectus, ea poteſtate, qui abſentibus Magiſtratibus ius diceret, olim conſtituebatur, Regum ac primis Conſulum temporibus, puta, quum adhuc ſufficerent Reipublicae ſuae COSS. At vero, augeſcente magis magisque imperio, prolatisque finibus, cum et bellis diſtinerentur COSS. nec domi ſufficerent Reipublicae gerundae, propterea creato Praetore urbano *d. l. 2. §. 27. de O. I.* cui neceſſario in urbe manendum, credibile eſt, intermiſſum creandi Praefecti morem, ut bene coniicit VIZZA-
3 NVS *in proleg. de mand. pr. n. 3.* 3. ut non niſi feriarum Latinarum cauſa conſtitueretur. TACITVS *d. l. Durat ſimulacrum, quoties ob ferias Latinas praeficitur, qui conſulare munus uſurpat.* Et id quotannis obſervari ait POMPONIVS *d. §. 33.* De Feriis Latinis videatur DIONYSIVS HALICARNASSENSIS *lib. 4. et 6.* LIVIVS *in fin. lib. 6.* PLVTARCHVS *in vita Camilli.* MVRETVS et CORRASIVS *ad l. 2. §. 33. de O. I. n. 5.* SIGONIVS *de ant. iur. Ital. 1. c. 3. n. 40.* CLVVERVS *in Ital. ant. p. m. 906.* MANVTIVS *in comm. Epiſt. Ciceronis ad Att. 2.* A. GELLIVS *14, 8.* SIGONIVS *de iure civ. Rom. c. 2. p. m. 78. n. 40.* ALEX. AB ALEXANDRO *dier. genial. 5, 7.* et noviſſime Dn. COCCEIVS *ad d. §. 33. d. O. I.* Conveniebat autem populus in montem Albanum, agnosque ac caſeos, et liba conferebat. Communis omnium victima taurus erat candidus, qui pro ſalute omnium immolabatur. Sed poſtea et rufulus. ARNOBIVS *lib. 2.* Talis praefectus feriarum Latinarum cauſa

fuit

Digitized by Google

fuit Druſus, Germanici filius, apud TACITVM *lib. 4. c. 36.* Et Nero ſub Claudio. SVETONIVS *in vita Neronis c. 21.* Marcus Antonius, apud CAPITOLINVM. 4. Fuit ergo initio urbis hic magiſtratus non niſi extra ordinem, nec perpetuus, ſed quoties Reges vel COSS. abeſſent, ad praeſidium urbis et ſubita, ut TACITVS loquitur, ſi qua evenirent, relictus. 5. At vero ab Auguſto, conſilio Mecoenatis, ut ex DIONE *lib. 52.* conſtat, longe alia ratione maioreque cum dignitate, tum poteſtate in Rempublicam receptus, ita ut non ſolum ordinarius eſſet ſtatusque, ſed et continuus. TACITVS *in fine cap. 10.* ait, *Lucii Piſonis ex eo praecipuam fuiſſe gloriam, quod Praefectus Urbi recens continuam poteſtatem temperavit.* Et id eſt, quod TRANQVILLVS SVETONIVS ait, *in Auguſto. c. 37.* ſub Auguſto coepiſſe poteſtatem hanc excogitari. Nec ſibi adverſatur *c. 77. Iulii*, quando ait, a Iulio Praefectos pro Praetoribus conſtitutos, qui praeſente ſe res urbanas adminiſtrarent. Nam fuerunt et hi extraordinarii, non minus atque Cilnius Mecaenas, quem Auguſtus cunctis apud Romam atque Italiam praepoſuit, ut ſcribit TACITVS *l. 6. c. 11.* Vide CASAVBONVM et TORRENTINVM *in hunc locum.* 6. Primus ergo Meſſala Corvinus ſub Auguſto, qui ſexto tamen die ſe abdicavit. EVSEBIVS *n. 1991.* TACITVS *d. lo.* Inde Taurus Statilius, poſt Lucius Piſo hanc poteſtatem adminiſtraverunt. TACITVS *c. 11.* Vide nomenclatorem ſeu catalogum Praefectorum Urbi ab U. C. 1006. usque ad A. U. 1107. apud ONVFRIVM PANVINIVM *comm. in Faſt.* 7. Et in tantum etiam haec dignitas evecta, ut reliquis omnibus praeſtaret. *l. 3. C. de Off. Praef. Urb. Nov. 62.* et IVLIANVS *Nov. 56. Urbicaria*, inquit, *Praefectura omnibus aliis praeſideat dignitatibus.* CASSIODORVS *lib. 10. Epiſt. 11. Urbanus Praeſul dignitas eſt honorum.* SYMMACHVS *lib. 10. Epiſt. 36. Praefectura Romae dignior eſt caeteris.* GALENVS I. ἀνατομ. ἐγχ. ἔπαρχυ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἀνδρὸς τὰ πάντα πρωτεύοντος. 8. Et cum occidens omnis ſex omnino haberet dioeceſes, Italiam, Illyricum, Africam, quas Praefectus Praetorio Italiae, Gallias, Hiſpanias, et Britannias, quas Praefectus, Praetorio Galliarum adminiſtravit; urbs tamen Praefecto Italiae non paruit, quippe cuius maieſtas Praefecturam propriam meruit. Et hic

 eſt,

Digitized by Google

9 eſt, quem IVVENALIS *Sat. 13. Cuſtodem urbis* uſurpat. 9. Quam-
vis alibi, *Sat. 4,* per contemtum *Villicum Urbis* appellet Pe-
gaſum, ICtum, Praefectum urbis nimirum, quod ab Impera-
toribus urbs Praefectis, tanquam villa mancipi, locata vide-
retur. Des Römiſchen Keyſers Pachtmann des Vorwergs Rom.
Vide Scholiaſten IVVENALIS DIONI *lib. 52.* vocatur πολίαρχος.
BASILICIS et NICETAE ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος. Alibi DIONI προστά-
της τῆς πόλεως. LVCIANO *de morte peregrini,* ὁ τὴν πόλιν ἐπὶ τε[τ]ραμ-
10 μένος. 10. Hic magiſtratus, quamdiu Roma erat una, et ipſe
unicus. At nova Roma ſurgente, Conſtantinopoli ſcilicet,
l. 5. C. de oper. publ. l. generaliter. in fin. C. de Epiſc. et Cleric. quae
in omnibus Romam veterem aemularetur, Praefectum quo-
que proprium exemplo illius nacta eſt. *l. 4. C. Th. de Iuriſd.*
Primus hoc magiſtratu Honoratus, nomine, ex Praefecto
Galliarum, ut tradit CASSIODORVS *in Chronico,* creatus eſt anno
11 362. 11. Ad quem ſcripta eſt *l. 1. C. de off. Com. rer. priv.* in cu-
ius adeo inſcriptione, pro Byſacii, legendum putat Byzantii
PANCIROLLVS *comment. ad notit. Imp. c. 25.* et colligit inde, initio
praefectum hunc Conſularis titulo fuiſſe inſignitum. Quod
in medio relinquo, ſcio enim, Conſulares ſub diſpoſitione
Praefecti Urbis fuiſſe, ut Conſularis Piceni ſuburbicarii, in
notitia, Conſularis Tuſciae ſuburbicariae *in Novella Maiorani. 9.*
Et potuit ergo Praefectus urbis eſſe et nominari, et conſula-
12 ris item Byzacii. 12. Uterque Praefectis Praetoria dignitate
aequalis, *l. 1. C. de Praef. P. ſive Urbi.* et illuſtris erat, *l. ult. C.
de appar. Praef. Urb.* et in urbe omnibus antecellebat. *l. 3. C. de
off. Praef. Urb.* In Senatu autem ſupra Praefectos Praetorio
ſedebat, *l. 1. et 2. C. de P. P. ſive Urb.* et, depoſito officio, ex
praefectis prior magiſtratu functus praecedebat. *d. l. 1. et 2. C.
de off. P. P. ſive Urb.* Praeerat Senatui, in quo etiam primus ſen-
tentiam dicebat, ut ex CASSIODORO conſtat, iura a Principe
13 condita ibidem legi curabat. *l. 1. C. de bon. matern.* 13. Eum Im-
peratores AMICVM vocabant. *Alex. in l. 1. C. ſi mancip. ita ven-
ne proſt.* Et Severus atque Antoninus Fabium Cilonem,
Praefectum urbis, *in Epiſt. ad Iunium Ruſinum, Praefectum Vi-
gilium,* teſte Ulpiano. *l. ult. ff. de O. Praef. Vig.* Aliis: Tua Ma-
gnitudo.

Digitized by Google

gnitudo. *l. ad ſimilitudinem. 16. C. de adv. diverſ. iudic.* Sinceritas. *l. 2. C. de off. Praef. Urb.* Illuſtris Autoritas. *l. 3. C. de ſpect. Scen. et len.* Sublimitas. *l. 2. C. de ſtud. lib. urb. Rom.* Glorioſiſſimus. *l. 1. C. de rapt. Virg.* 14. Inſignibus utebatur his: Vultu 14
Principis, libro mandatorum, inter quatuor ardentes cereos abaco impoſito, quadriiugo curru aurato, quo per urbem vehebatur, praeconibus eum Imperii Patrem acclamantibus. *l. 1. C. de Quaeſtor. Nov. 70.* CASSIODORVS *in formula Praef. U.* Vide *Notitiam Imperii et ibi* PANCIROLLVM *c. 25.* Sub diſpoſitione eius erant: Praefectus annonae, vigilium, comes formarum, riparum et alvei Tiberis, et cloacarum, portus, Magiſter cenſus, Rationalis vinorum, Tribunus fori ſuarii, Conſularis aquarum, Curator operum maximorum, Curator operum publicorum; ſtatuarum, horreorum, galbanorum, Centenarius portus, Tribunus rerum nitentium. Officium ſeu miniſtrantes ei erant: Princeps, Cornicularius, Adiutor, Commentarienſis, Abactis, Primiſcrinius, ſive Numerarius; Subadiuvae, cura epiſtolarum, Regerendarius, Exceptores, Adiutores, Cenſuales, Nomenclatores, Singularii.

Videamus poteſtatis eius officium, cuius olim VLPIANI, ICti, integer exſtitit liber commentarius. Nos tabulas e naufragio colligemus. Ait ergo VLPIANVS

§. 1. Omnia omnino crimina Praefectura urbis ſibi vindicavit.

BASILICA *lib. 6. tit. 4. θ. β.* ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος πάντα ζητεῖ τὰ ἁμαρτήματα. Ecloga LEONIS et CONSTANTINI πτλ. δ. ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος πάντα ζητεῖ τὰ ἐγκλήματα.

CONSPECTVS.

1. *Merum imperium apud quos olim.*	7. *Mediolanum Italiae Metropolis.*
2. *Imperium et Iurisdictio differunt.*	8. *Verba, intra Italiam, delenda.*
3. *Iurisdictio criminalis nulla datur.*	9. *Salmaſii lectio.*
4. *Etiam extraord. crimina ad eum pertinuerunt.*	11. *Epiſtola Imperatorum, quid ſit, earumque exempla.*
5. *Territorium Praefecti.*	12. *Fabius Cilo, non Chilo.*
6. *An intra Italiam?*	

COgnitio criminum primitus penes COSS. fuit. Eam diminuit poteſtatem *Lex Valeria*, vt civem romanum adverſus provocationem necare aut verberare non liceret. LIVIUS *lib. 2.* *Et* DIONYSIUS HALICARNASSENSIS *lib. 5.* ait, ea lege ſtatutum, ut ſi quis magiſtratus civem capite plectere, aut flagris caedere, aut pecuniis multare velit, liceat illi provocare ad populum, nec interim, antequam ſuffragiis populus iuſſerit, in provocantem animadverti poſſit. Idem videtur tuliſſe *Lex Porcia.* Vide ANTON. AUGUSTINUM *de LL.* Secuta eſt *Lex Sempronia*, quae, ne de capite civium iniuſſu populi iudicaretur, rogavit. CICERO *pro Rabir.* Sed et LL. XII. Tabb. idem ſancitum; *De capite civis, niſi pro maximum comitiatum ne ferunto.* Poſtea Quaeſtores, quos parricidii vocabant, creati, qui capitalibus rebus praeeſſent. *l. 2. §. 23. de O. I.* Quod ita accipit ONUPHRIUS in *comm. in 1. Faſt. ad ann. 245. p. m. 66. n. 50.* ut extra ordinem, quoties crimen aliquod exemplum poſceret, crearetur talis quaeſtor. Aperte id probat LIVIUS *lib. 4. c. 51.* ibi: *plebs praeficeret quaeſtioni, quem vellet. A plebe conſenſu populi Conſulibus negotium mandatur.* Et *lib. 38. c. 4. Servio Sulpicio referente, quem rogatione Petilia quaerere vellent, Q. Terentium Colleonem Praetorem patres iuſſerunt.* Diſſentit MURETUS *ad §. 23. d. O. I.* Poſtea perpetuus magiſtratus fuit creatus, Triumviri capitales, qui de his rebus cognoſcerent. Primus L. Piſo quaeſtionum perpetuarum auctor, CICERO in *Bruto*, qui de pecuniis repetendis tulit, Cenſorino et Manilio COSS. Inde Sulla Dictator, latis novis quaeſtionibus publicis, veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis, de iniuriis (ſecundum PITHOEUM *2. 1. ad Collat. LL. Moſaic. p. m. 73.*) ſex Praetores inſtituit, ex quibus duo, more veteri, ius dicebant, Urbanus et Peregrinus, reliqui quatuor publica iudicia exercebant. Ergo quo tempore ab Auguſto crearetur Praefectus Urbi, poteſtas animadvertendi a Senatu
1 in Praefectum tranſiit. 1. Pertinet ergo ad eum cognitio de criminibus, publicorum iudiciorum exercitium, hoc eſt, merum Imperium, ſeu gladii poteſtas. Hoc enim eſt crimen commisſum, quod publicae vindictae gratia accuſatur apud eum, qui poteſtatem gladii habet. ANTON. MATTHAEI *in tr. de Crimin. c. 1.*

BASI-

BASILICA quidem *ἁμαρτήματα* vertunt qua voce utuntur ICti Graeci pro delictis privatis, uti ex THEOPHILO et BASILICIS videre eſt. Gloſſae Nomicae, *δέλικτον. ἁμάρτημα.* Rectius LEO, *ἐγκλήματα.* Ita enim reddunt crimina. Eaedem gloſſae: *ἔγκλημά ἐστιν, ἡ βία, ἡ μετὰ ὅπλων ἐπίθεσις, ἡ Φαρμακία, ἡ γοητεία* etc. Niſi generalius *ἁμάρτημα* pro quovis maleficio poſitum accipias. Ergo crimina ad Praefectum Urbis pertinent. Quare quum pri migenia Veſtalis apud Albam ſtupro pollueretur, collegium vindictam ad Praefectum Urbis detulit, exemplo proximae aetatis, ait SYMMACHUS *lib. 9. ep. 123.* 2. Tale qui habet, cogno- 2
ſcit, ut animadvertat; Qui iurisdictionem, cognoſcit, ut iubeat, cui ſi non paretur iuſſui, opus eſt imperio, quod mixtum appellant. At in gladii poteſtate nulla eſt iuſſio, cui parere debeat, vel quam praeſtare debeat reus: Sed eo tendit notio, ut fiat coercitio. Quare merum appellatur. Non quia notio ibi non ſit, ſed quia haec notio per ſe ad vindictam tendit. In mixto, coërcitio non per ſe, ſed in ſuppetias adhibetur, ſi ſententiae non eſt paritum. Haec eſt ratio imperii tam meri, quam mixti, quam adhuc hodie multi ignorant. 3. Commentum igitur 3
eſt quorundam, inprimis recentiorum, Iurisdictio, neſcio quae, Criminalis. 4. An et extraordinaria crimina ad eum per- 4
tinuerunt? Omnino. PAULUS enim in libro ſingulari, de officio Praefecti Vigilum, unde *l. 3. §. 1,* ait, Praefectum vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus cognoſcere, niſi ſi qua tam atrox, tamque famoſa perſona ſit, ut Praefecto Urbi remittatur. Et incendiarios doloſos ad Praefectum mitti iubent Severus et Antoninus *in l. ult. ff. de O. P. V.* Pergit Ulpianus:

Nec tantum ea, quae intra urbem admittuntur, verum ea quoque, quae extra urbem, intra Italiam.

Ponuntur Praefecturae urbicae termini, quibus circumſcribitur. Hoc eſt Territorium, *l. 139. §. 8. de V. S.* fines, intra quos dicundi iuris poteſtas eſt, ut SAECULUS FLACCUS *de condit. agror.* Dicitur Territorium ab antiquo, tores, quod terminum ſignificat, et terra. Quaſi dicas, terrifinium, terrilimitium. Exſtat vocis huius veſtigium in extorris, qui extra torrem, limitem,

 pulſus.

pulſus. Torris, limitis, etiam fit mentio in fragmentis de li-
mitibus. Graecis ἐπιτείχισμα, ἐνορία, περίχωρος. Sed et
ſimpliciter χώρα XIPHILINVS *de Byzantio*, τὴν πόλιν τε, καὶ τὴν
χώραν αὐτῆς. In Eccleſia dicitur παροικία. *l. 26. C. de Epiſc. audi.*
et l. 35. C. de Epiſc. et cler. Sic territorium Epiſcopi in concilio
Aurelianenſi 1. *can. 19.* et Aurelian. 3. *can. 18.* concilio Valenſi,
can. 3. Wormacienſi, *can. 60.* et in actis concilii C. Politani ſub
Menna, territorium Apamaearum. Non ergo Praefectura
Urbis ſuis moenibus circumſcripta, aut intra ſeptem ſuos col-
6 les coercita, ſed longius proceſſit. Quo ergo usque? *Extra*
Urbem, intra Italiam, ait VLPIANVS. Sed ſatis perplexe. Erat
enim Italiae ſuus Praefectus, nempe praetorio, cuius metro-
7 polis, Mediolanum. 7. ATHANASIVS *in Epiſt. ad ſolit. vit. agent.*
ὁ Διονύσιος ἀπὸ Μεδιολάνων, ἐστι καὶ Μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. De-
inde *l. ult. h. t. Praefectus terminos urbis exiens poteſtatem non*
8 *habet.* At urbis termini ſunt muri *l. 2. de V. S.* 8. Quomodo
ergo vindicabit crimina extra urbem? Sunt qui VLPIANO ab-
iudicant haec verba, *intra Italiam*, ex gloſſa irrepſiſſe autu-
mantes. Quod non improbo. Cum §. 4. demum VLPIANVS
hos terminos definiat. Fuit, cum ſuſpicarer, *intra Italiam*
VLPIANO eſſe, *citra*, ut FLORO, *3. 10. intra ripam, intra famam*
QVINTILIANO, 11, 3. Sed vix eſt, ut VLPIANVS *intra Italiam* hic
alio ſenſu accipiat, atque in antecedentibus, *intra Urbem*,
9 uſurpaverat. 9. SALMASIVS *in Euchariſtico p. m. 40.* legit: *Ea*
quoque, quae extra Urbem, intra Italiae c. m. Quas notas li-
brarios non intelligentes, ex Italiae c. m, quod eſt centeſi-
mum milliarium, ſubſtituiſſe Italiam. Sed ſiquidem retinenda
haec verba, magis eſt, ut Italiae nomen συνεκδοχικῶς, nec ta-
men in ſenſu Civili accipiatur, prout diviſa iam eſt in duas
dioeceſes, quarum una Italiae nomen ſibi ſoli vindicavit, al-
tera ſuburbicarias regiones conſtituit: ſed pro parte regio-
nis, quam Geographice Italiam appellitant. Quod placet et
ANONYMO *de ſuburb. reg.* et BERTHERIO *in Pithanῶn diatriba prio-
re.* Sed de hac dioeceſi pluribus agemus *ad §. 4.* Pergit VL-
PIANVS:

Epiſtola D. Severi, ad Fabium Clionem Praefectum

Urbi,

Urbi, miſſa, declaratur. ANT. FABER *in Rational. ad hunc textum* ex his verbis petit rationem decidendi, cur Praefectus non ſolum intra, ſed et extra urbem de criminibus cognoſcat. Cum enim loco dubitandi rationis ſibi obieciſſet, quod de criminibus agi oporteat, ubi vel commiſſa, vel inchoata ſunt, vel ubi reus reperiatur, unde concludit, quod de crimine, extra urbem admiſſo, in urbe agi non debeat; huic rationi reſpondet, id inde fieri, quia praefectus habeat ſpeciali conceſſione, ut extra urbem cognoſcere ei liceat. Perperam. Quaſi vero Praefectus, intra urbem cognoſcens, de criminibus extra urbem commiſſis non cognoſcat, ibi, ubi ea commiſſa, vel inchoata, vel reus reperiatur. Commiſſa enim, vel inchoata crimina non referuntur praeciſe ad punctum illud ſpacii, quod reum circumſcripſit, cum crimen committeret, ſed ad territorium integrum, ut in illo territorio, ubi crimen inchoatum, vel commiſſum, vel reus repertus, cognoſcatur de eo, non in ipſo illo loci puncto, ubi commiſſum. Territorium autem Praefecti erat Urbs, et regiones ſuburbicariae. 10. 10
Caeterum epiſtolam THEOPHILVS finit: *ἀντιγραφὴν βασιλέως πρὸς ἄρχοντος ἀναφορὰν, περὶ τινος ἀμφιβόλου πράγματος γινομένην*. PLINIVS *lib. 10. Epiſt. 97. Solenne eſt mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre.* Exſtant harum epiſtolarum per partes aliquot exempla in iure Iuſtinianeo. Ut in *l. 16. C. de praeſcript. long. temp.* pars epiſtolae Diocletiani et Maximiani ad Primoſum, Praeſidem Syriae. In *l. 13. C. de fidei. et mand.* pars ex epiſtola Gordiani ad Auxium, et *in l. 8. C. de accuſ. et inſcript.* eſt exemplum ſacrarum literarum Diocletiani et Maximiani A. A. ut et *in l. 5. C. ad L. Corn. de ſicariis l. 5. C. de iure Fiſci l. 2. de natur. l. 10. C de muneribus patrim.* Talis et haec ad Fabium Cilonem, Praefectum Urbi. 11. Cilo, *κείλων*, Graecis, qui 11
acuto capite, *προκέφαλος*. Non ergo Chilo, ut vulgata. Vetus inſcriptio: A. *Φάβιον κειλῶνα, τὸν λαμπρότατον ἔπαρχον Ῥώμης*. CAPER, *Grammaticus: Cilo eſt anguſto capite, cui hoc contigit in partu. Chilo dicitur modum labrorum excedens. Et Chilo Latinis Labeo.* Vide CVIACIVM *10. obſ. 26.* Hic Fabius Cilo conſul deſignatus eſt, cum eſſet caeſus Commodus, Imperator,

tor, teſte LAMPRIDIO. Sub Severo Praefectus urbi. Epiſtolae, cuius pars *h. l. §. 4.* repraeſentatur, meminit etiam VLPIANVS *lib. 9. de offic. proconſ.* Unde *l. 6. §. 1. de Interd. et releg. l. 8. §. 5. ff. de poen.* An vero epiſtolae quoque nomine veniat reſponſum Imperatorum privatis conſulentibus, adeoque definitio THEOPHILI ſit anguſtior, vt vult Dn. COCCEIVS *ad l. 1. §. 1. de Conſt. Princ.* ſubſiſto. Videntur enim reſcripta, ad privatos data, non ius novum conſtituere, ſed ad preces et poſtulata, quod iuri iam conſtituto conveniens ſit, vel minus, monſtrare. Epiſtola autem quin ſit conſtitutionis ſpecies, non eſt dubium. Sed in medium relinquo.

§. I. Servos, qui ad ſtatuas confugerint, vel ſua pecunia emtos, ut manumittantur, de dominis querentes audiet.

LEO et CONSTANTINVS Ecclog. tit. 4. §. 2. Ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος τῶν προσφευγόντων δούλων καὶ τῶν λεγόντων ἀργυρίῳ ἰδίῳ ἀγορασθῆναι τῷ ἐλευθερωθῆναι αὐτοὺς ἀκροᾶται.

§. 8. Quod autem dictum eſt, ut ſervos, de dominis querentes, Praefectus audiat, ſic accipiemus: non accuſantes dominos (hoc enim nequaquam ſervis permittendum eſt, niſi ex cauſis receptis) ſed ſi verecunde expoſtulent, ſi ſaevitiam, ſi duritiam, ſi famem, qua eos premant, ſi obſcoenitatem, in qua eos compulerint, vel compellant apud Praefectum urbi exponant. Hoc quoque officium Praefecto urbi a D. Severo datum eſt, ut mancipia tueatur, ne proſtituantur.

BASILICA: Ἔνθα δὲ ἀκροᾶται τοῦ δούλου κατὰ δεσπότου, οὐκ ὀφείλει δέχεσθαι αὐτὸν κατηγοροῦντα. Τοῦτο γὰρ εἰ μὴ ἀπὸ δήλων αἰτιῶν οὐκ ἐφεῖται τοῖς δούλοις. Ἀλλ' ἐὰν εὐλαβῶς προσέρχονται προβαλλόμενοι τραχύτητα τοῦ δεσπότου, ἢ λιμὸν, ἢ ὅτι πρὸς αἰσχρότητα αὐτοὺς. Φροντίζει τοῦ (lege, τοῦ μὴ) περστῆναι ἀνδράποδα, καὶ τοὺ πιστῶς συναλλάσσειν. LEO et CONSTANTINVS §. 6. Φροντίζει τοῦ μὴ προστῆναι ἐπὶ πορνείᾳ δημοσίᾳ ἀνδράποδα, καὶ τοὺς πιστῶς συναλλάσσειν.

CON-

CONSPECTVS.

1. *Queri, quid?*
2. *Servis non licet dominos accuſare.*
3. *Servi, a ſtatuis abducti, querebantur demum.*
4. *Nimia dominorum poteſtas.*
5. *Iure divino quando impune occidebatur ſervus.*
6. *Dominus ſaevus iubetur vendere. Quid, bonae conditiones.*
7. *Quis primus Imperatorum ſervos vetuit occidi?*
8. *Explicatur L. un. C. de his qui ad ſtat.*
9. *De imaginem Caeſar. praeferentibus.*
10. *Quo tempore confugae ab aſylis auferebantur.*
12. *Saevitia dominor. in ſervos.*
15. *Obſcoenitas, in quam ſervi compulſi.*
16. *Lenocinium.*
17 *Aquarioli apud Tertullianum.*
19. *De ſervis ſua pecunia emtis.*

AUdiat, inquit ICtus, ſervos de dominis querentes. Queri non eſt agere, et multo minus accuſare. Nec ad rem facit, quod querela inofficioſi interdum actio, interdum accuſatio audiat. *l. 3. 8. 11. 25. 27. C. de inoff. teſt. l. 6. 22. 27. ff. eod.* Non enim, qui ea utitur, querendo agit, ſed agendo queritur. Id eſt, dum actionem inſtituit, dum petit haereditatem, hanc petendi praefert cauſam, quod inique, quod inofficioſe, quod immerito ſit exhaeredatus, quae mentis aegrae indignatio, et de iniquitate expoſtulatio, querimonia eſt. 2. Quare dicit VLPIANVS §. 8. hoc permittendum non eſſe ſervis, ut dominos accuſent. Notum eſt iudicium illud ex VALERIO MAXIMO *lib. 6. c. 5.* quo, cum Cn. Domitius, Tribunus Plebis, M. Scaurum, et L. Craſſus Cn. Carbonem accuſarent, ad eosque ſervi reorum acceſſiſſent, multis criminibus dominos oneraturi, iudices admittere noluerunt, ſed vinctos, ut ii pro imperio ſuo vindicarent, ad dominos remiſerunt. Et Claudius, Imperator edixit, ne quis auxilium ferret eis, qui contra dominos vel patronos quid deferrent, qui detuliſſet, eum ius alios accuſandi amiſſurum. DIO *lib. 60. Hiſtor.* Atque primo quinquennio Neronis neque Carinas Celer, Senator, neque Iulius Denſus, equeſter, inter reos, ſervis accuſantibus, recepti ſunt. TACITVS *lib. 13. Hiſt.* Confer P. AERODIVM *in pandect. rer. iudic. lib. 6. cap. 5.* Non ergo accuſabant, niſi ex cauſis receptis, ait VLPIANVS §. 8. Receptorum aliquot recenſet HERMOGENIANVS *lib. 1. Iuris ἐπιτομῶν,* quae eſt *l. 53. de Iudic.* Sic et deferentes ſuos dominos laeſae Maieſtatis audiuntur. *l. 7. §. 2.*

Digitized by Google

ff. ad L. Iul. Mai. Licebat ergo queri duntaxat ob ſaevitiam, duritiam, famem, obſcoenitatem. An autem recta poterant adire Praefectum, an neceſſum erat prius ad ſtatuas confugere? Quod velle videtur VLPIANVS *§. 1.* Et certe, ſi ſua ſponte Praefectum adeant, vix aberit, quin detuliſſe dominos videantur. At nihil illis permiſſum, quam ſaevitiam exponere. Siquidem ergo ad aſylum aut ſtatuas confugerint, inde deductos audiet Praefectus, ſi ſaevitiam exponant, ſi ad impudicitiam turpemve violationem compellantur, ut loquitur VLPIANVS *et hic et lib. 8. de off. Proconſ. Unde l. 2. ff. de his qui ſunt ſui.* et tum demum fugitivi notam effugiebant, *l. 17. §. 12 ff. de aedilit. edict.* Sed tamen hocquoque perfugium ad dominum infamandum ſaepe uſurpatum, colligo ex *l. 5. ff. de extraord. crim.* Igitur in eum, cuius inſtinctu confugerat eo ſervus, praeter actionem ſervi corrupti, ſevere animadvertebatur. Propterea etiam venditor, ſi dixiſſet, ſervum ad ſtatuam nunquam confugiſſe, id praeſtare tenebatur. *l. 19. ff. de Aedil. edict.*
5 5. Quo magis opus erat, ut ſervi tamdiu cuſtodirentur ad ſtatuam vel aſylum, donec ad Praefectum Vigilum, vel ad Praefectum Urbi, aut Praeſidem deducerentur, eorumque nomina et notae, cuius ſe quis eſſe diceret, ad Magiſtratus deferrentur.
6 *l. 2. ff. de fugitiv.* Audiat hos Praefectus. Sed quid iuvat audiſſe? Nempe iubeat et dominis, ut vendant bonis conditionibus. πιςῶς, non iuſto pretio, ut quidam Interpres cenſet, ſed conditionibus emtioni adiectis honeſtis, et bonae fidei. Quod ANTONINVS PIVS conſtituit *§. 2. Inſt. de his, qui ſunt ſui. l. Caius. l. 1. §. ult. ff. eod.* Fuit hoc reſcriptum ad Aelium Marcianum, Proconſulem et Baeticae, emiſſum, *l. 2. ff. d. t. et tit. 3. Collat. LL. Moſaic. a* PITHAEO *editae*, ob querelas familiae
7 cuiusdam Iulii Sabini. *d. l. 2. et §. ult. Inſt. d. t.* 7. Sed tamen non primus ita in ſervos pius fuit Imperator, PIVS. Nam et HADRIANVS ante, ſervos a dominis occidi, vetuit. SPARTIANVS *in*
8 *vita et Hadr. c. 18.* 8. Et ita ius vitae et necis, quod domini in ſervos uſurpabant, temperatum fuit. Sed tamen iure quoque divino impune quandoque fuit, ſervum occidiſſe, dummodo caeſus ita eſſet, ne e veſtigio occumberet. *Exod. 21.* ubi ratio;

Quia

Quia ſervus pecunia domini. Vide SELDENVM *de Iure Nat. p. 460.* Caeterum de fugientibus ad ſtatuas eſt *lex ſingularis* Valentiniani, Theodoſii et Arcadii, ad Cynegium, Praefectum Praetorio, qua conſtituitur, ut ſi iuſta ex cauſa ſervus eo confugerit, iure ac legibus vindicetur. Quod non intelligo cum GODOFREDO, Patre, ut vindicetur contra iniurias; ſed vindicetur, id eſt, petatur iure ac legibus a domino per actionem in rem. Ne liceat domino eum abripere, ſed ut lege agat. Nam ita audiet Praefectus ſervos, de Dominis querentes. Quod ſi ſervus calumniatus, ſi probatus fuerit artibus ſuis invidiam inimicis creare voluiſſe, ut loquuntur, quos dixi, Imperatores, puniri iubentur. Idem reſpondit CALLISTRATVS *l. 28. §. 7. ff. de poen.*
9. Ubi et, qui in invidiam alterius imaginem Cae- 9
ſaris praetulit, in vincula publica coërceri dicitur. Quae peſtis cum aliis multis Tiberii aevo Rempublicam invaſit. TACITVS *3. annal.* incedebat, *inquit,* deterrimo cuique licentia, impune probra et invidiam in bonos excitandi, *arrepta imagine Caeſaris.* Et queritur C. Ceſtius, Senator, ſe non audere ius experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam. TACITVS *lib. 3.* Scilicet ab Annia Rufilla.
10. Addebant Imperatores, hos 10
confugas ante diem decimum neque auferri ab aliquo, neque inde ſponte ſua diſcedere poſſe, ſcilicet, ut intelligi poſſit cauſa huius confugii. Quae verba habentur adhuc in *Cod. Theodoſ.* a Triboniano omiſſa.
11. De ſtatuis autem et imagi- 11
nibus agit IVSTINIANVS *lib. 1. Cod.* Et res notiſſima eſt, ſtatuas, honori principum poſitas, ſecuritatem praebuiſſe. Vide EMVNDVM FRIGELLIVM *de ſtat. illuſtr. Rom. c. 34.* Erant et arae cum apud Graecos, tum Romanos, perſugium ſervis. EVRIPIDIS Andromache:

ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν
δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν

Nec tamen omnes aras, templa omnia habuiſſe ius aſyli, notat SAM. PETITVS *in comm. in LL. Atticas p. 13.* Apud PLAVTVM, Rudente, Palaeſtra atque Ampeliſca ad Veneris aram ſedent. Sed ea tantum, quibus conſecrationis lege conceſſum erat, SERVIVS *ad 2. Aeneid.* Sub Principibus Chriſtianis etiam Eccleſiae perfugio eſſe coeperunt, et eſt *tit. Cod. de his qui ad Ec-*

 cleſ.

cleſ. confug. Quare quod dicitur §. 2. *Inſt. de his, qui ſunt ſui
vel. al. iur.* Antoninum, conſultum de his, qui ad eccleſiam
ſacram vel ſtatuam Principum confugerint, de Eccleſia Tri-
bunianum adieciſſe, recte obſervat CVIACIVS. Nam Iuſtiniani
aevo aeque ſacroſanctum erat aſylum Eccleſiae, quam ſtatuae.
Sed hic de aſylis pervulgatus iam eſt locus. Adde LAVR. PI-
12 GNORIVM *de ſervis, p. m. 11.* 12. Porro ſaevitiarum dominicalium,
quibus, ut loquitur CAPITOLINVS MACRINO, macelli ſpecie do-
mus cruentabantur ſanguine vernularum, inſigne exemplum
Vedius Pollio praebet apud SENECAM, 3. *de ira 30.* et de Clemen-
tia, *c. 18.* GALENVS *libr. de dignoſ. cur. an. morb. c. 4.* famulos cal-
cibus appetitos, graphiis compunctos, dentes eis confractos,
oculos ſtylo et calamo erutos, ancillas morſu dominarum cru-
entas repraeſentat. Et *lib. 6. de Decret. Hippoc. et Platonis* in fi-
ne ſcribit, dominos fugitivorum crura adurere, caedere, lace-
13 rare. 13. Ad duritiam pertinebat piſtrinum, cuius elegans de
14 ſcriptio apud APVLEIVM *lib. 9. Metam.* 14. Sed et fames, opus
ruri faciendum, etc. Geta TERENTIVS in *Phorm. Act. 2. Sc. 1.* Ad-
15 dit VLPIANVS: 15. *Si obſcoenitatem, in quam compulſi a dominis expo-
nant.* Alibi, *lib. 8. de Off. Proconſ.* quae eſt *l. 2. de his qui ſunt
ſui.* dicit, ſi ad turpem violationem compellat. Si cogatur mu-
liebria pati, ut loquitur *libro 6. ad Edict. l. 1. §. 6. de poſtul.* Nihil
enim in ſervos non licere, ex veteri dicto, cuius meminit SE-
NECA in controverſia de Parrhaſio, putabant. Nec ſolam tan-
git ἀρρενοκοιτίαν, ſed et ſcelus illud, quod Imperatores, Con-
ſtantius et Conſtans, execrantur in *l. 31. C. de adult.* et omne
genus damnatae Veneris. Reſpicit huc M. MINVCIVS FELIX, in
Octavio: *Apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat, qui
ſcortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt, libidinoſo
ore inguinibus inhaereſcunt, homines malae linguae etiamſi ta-
cerent, qui id in ſe peſſimi facinoris admittunt, quod nec aetas pot-
eſt pati mollior, nec cogi ſervitus durior.* Pertinet huc, quod
de Sporo Neronis refert *c. 28.* et Nerone ipſo, *c. 29.* SVETO-
NIVS. Non addam plura, quae ignorare, quam vel ex ELMEN-
16 HORSTIO *in Felicem*, vel aliunde ſcire, pudor iubet. 16. Diver-
ſum ab hiſce ἀῤῥήτοις erat, quod ſequitur, nimirum tueri man-
cipia,

Digitized by Google

cipia, ne proſtituerentur. Proſtituere lenonum eſt *l. 7. C. de*
Spectac. Lenocinium facit, qui quaeſtuaria mancipia habuerit,
ait VLPIANVS *lib. 6. ad Edict. l. 4. §. 3. de his qui not. infam.* Seu, qui
ancillis peccandi neceſſitatem imponunt, ut loquuntur THEO-
DOSIVS et VALENTINIANVS *in l. 6. C. de Spectac. l. 12. C. de Epiſc. aud.*
Et hi quidem principaliter hoc agebant. Erant et qui alterius
negociationis acceſſione utebantur, puta, ſi caupo eſſet, vel
ſtabularius, et eiusmodi mancipia haberet miniſtrantia *l. 4. §.*
ait praetor. ff. de his qui not. infam. Quod frequens fuiſſe in cau-
ponis, ex *l. 22. et l. 25. C. de adult.* obſervat FREHERVS *de infam.*
lib. 3. cap. 27. Ex eodemque genere ſunt et balneatores, qui
impudicos pueros foeminasque habebant, ut VLPIANVS *d. l.* qui-
busdam in provinciis fieri ait. Diverſi a balneatoribus hiſce
erant aquarioli, quorum meminit TERTVLLIANVS in *Apologetico.*
Vide HERALDVM *Digreſ. 13.* nempe in domo lenonia meretri-
cum miniſtri, qui aquam his aggererent, easque lavantes a-
quis perfunderent: FESTVS: *Aquarioli dicebantur mulierum im-*
pudicarum ſordidi aſſeclae. Gloſſae eum πορνοδιάκονον interpretan-
tur. Alio nomine Bacariones dicebantur aquarioli iſti, a baca-
rione, quod genus erat vaſis aquarii, longiore manubrio. Gloſſa-
rium: *bacario,* πορνοδιάκονος. Multum in illis luſtris aquae uſum
fuiſſe, notat CASAVBONVS in *Lampridii Commodo, p. m. 92. n. 30.*
18. Caeterum, ſub Imperatoribus Chriſtianis, Epiſcoporum im- 18
plorato ſuffragio, libertatem ex tali neceſſitate peccandi conſe-
quebantur ſervi, *l. 6. C. de Spectac. et l. 12. de Epiſc. aud.* praeſertim,
ſi ſub hac conditione alienata ſit ancilla, ne proſtituatur. Quo
caſu Iuſtinianus libertatem ei Romanam confert, et, qui eam
proſtituit, ab omni iure Patronatus repellitur. *l. ſing. §. 4. de*
Lat. lib. toll. 19. Porro audire debet et de dominis queren- 19
tes, ſua pecunia emtos, ut manumittantur. *Vide* MARCIA-
NVM *l. 5. ff. de manumiſſ.* ubi dicit *Romae apud Praefectum Urbis,*
in provinciis vero apud Praeſidem, ex ſacra Epiſtola Divorum Fra-
trum ad Urbium Maximum queri ſervos. Hi fratres ſunt Mar-
cus et Commodus *l. 3. et 4. C. ſi mancip. fuerit alienat. ut manum.*
Quomodo autem ſervus ſuis emi nummis potuerit, qui nihil
haberet proprii, vide VLPIANVM *6. Diſput. quae eſt. l. 4. ff. de ma-*

 numiſ-

numiſſion. Videtur certus fuiſſe locus, quo ſe conferrent, qui, ſua pecunia emti, ſe manumitti poſtulabant, et id indicari ab VLPIANO *l. 17. de aedil. edict.* Ubi apud Labeonem et Coelium quaeſitum dicitur, ſi qui eo ſe conferat, quo ſolent venire, qui ſe venales poſtulant, an fugitivus ſit? Qui ſe venales poſtulant, vix alii ſunt, quam qui nummis ſuis redemti. Locus, quo ſolebant venire, non videtur cataſta fuiſſe, quod quibusdam placet. In ea enim a mangonibus, aut dominis producebantur. Equidem GODOFREDVS notat, id loci de aede ſacra accipiendum, *per §. ult. Inſt. de his qui ſunt ſui, et* altaribus, *l. 3. l. 6. C. de his qui ad Eccleſ.* ſed lex 17. eſt VLPIANI, qui de aede ſacra nondum potuit loqui. Deinde ſecernit aſylum et hunc locum VLPIANVS *d. l. 17.* Caeterum ſervos demum pronunciavit liberos Praefectus, ſi, nummis ſuis ſe redemtos, *l. 67. de iudic.* probauerint. Alias, ſi intentionem ſuam ſervus non impleverit, in opus metalli datur. *l. 5. ff. de manum.* Et quamvis ſummo iure inter dominum et ſervum pactio non conſiſtat, libertatis tamen favore factum, ut magiſtratus officium ſuum interponere poſſet. *l. 9. C. de cond. ob cauſ. dat.*

§. 2. Sed et Patronos egentes, de ſuis libertis querentes, audiet, maxime ſi aegros ſe eſſe dicant, deſiderentque a libertis, ſe exhiberi.

Eclogae LEONIS d. l. §. 2. *Τῶν πατρώνων, μάλιϛα τῶν ἀπόρων ἀπιζητἁντων ἀποτραφῆναι παρὰ τῶν ἀπελευθέρων,* repete *ἀπὸ κοινῦ, ἀκροᾶται.*

§. 10. Cum Patronus, contemni ſe a liberto, dixerit, vel contumelioſum ſibi libertum queratur, vel, convicium ſe ab eo paſſum liberosque ſuos, vel uxorem, vel quid huic ſimile obiicit, Praefectus Urbi adiri ſolet, et pro modo querelae corrigere eum, aut comminari, aut fuſtibus caſtigare, vel ulteris procedere in poena eius ſolet. Nam et puniendi plerumque ſunt liberti. Certe ſi, ſe delatum a liberto, vel conſpiraſſe eum contra ſe cum inimicis, doceat, etiam metalli poena in eum ſtatui debet.

BASILICA: *Σωφρονίζει δὲ καὶ τοὺς ἀπελευθέρους καταφρονοῦντας, ἢ ὑβρίζοντας τοὺς πατρώνας, ἢ τὰς γαμετὰς, ἢ τοὺς παῖδας αὐτῶν,*

τῶν,

τῶν, ἀπειλῶν, ἢ μαςίζων, ἢ ἄλλως πρὸς τὸ ἁμάρτημα ἐπεξίων. Εἰ δὲ καταμηνύσωσιν αὐτὰς, ἢ τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν συνπνεύσωσι, μεταλλίζονται.

Eclogae LEONIS et CONSTANTINI: Εἰ δὲ συκοφαντήσωσιν αὐτὺς, ἢ τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν συνπνεύσωσι τυπ]όμενοι, καὶ κἀρευόμενοι, καὶ ἀνάδυλόμενοι ἀποδιδονται, τοῖς συκοφαντηθεῖσι.

CONSPECTVS.

1. *Libertus tenetur Patronum alere.*
2. *Rutilii Praetoris Edictum.*
3. *Patroni in quantum liberto ſuccedebant.*
4. *Quomodo.*
5. *Patroni iureiurando libertos adigebant, ne ducerent uxores.*
6. *Lege Iulia et Papia quomodo Patroni ſuccedebant.*
7. *Quomodo Conſtitutione Iuſtiniani.*
8. *Centenarius Iuſtiniano quis.*
9. *Explicatur Lex Papia.*
10. *Libertus etiam Patroni parentes et liberos alere tenetur.*
11. *Aegritudo Patroni.*
12. *Quomodo in libertum animadvertatur.*
13. *Corrigere quid?*
14. *Comminari quid?*
15. παράδειγμα *quid?*
16. *Fuſtibus Caſtigatio. Cur admonitio, an infamet?*
17. *Caſtigatio flagellis ſervorum quomodo fiebat?*
18. *Virgatores Brutii, quare?*
19. *Poena metalli. Differunt in metallum, in opus metalli, et in opus publicum damnatio.*
20. *Tonſura ſervorum.*

TEnetur libertus Patronum egenum alere, *l. 5. §.18. de* 1
agnoſc. et al. lib. l. 1. C. de operibus libert. ad remuneran-
dum tam grande beneficium, quo ex ſervitute ad ci-
vitatem Romanam perducuntur liberti. VLPIANVS *lib. 47. ad Edict.*
quae eſt *l. 1. pr. ff. de bonis libert.* Quare ſolebant Patroni ſibi
proſpicere, et ſaepe duriſſimas a libertis exigere conditiones:
2. Sed Rutilius, Praetor, edixit, ſe amplius non daturum Pa- 2
trono, quam actionem operarum et ſocietatis, in quam ſocie-
tatem Patronus admitteretur. *l. 1. §. 1. ff. de bon. libert.* ſi a liberto
negligeretur, vel non exhiberetur, dummodo id pepigiſſet
patronus. Poſtea haec ſocietas vetita eſt, *l. 36. ff. de oper. libert.*
et Praefecti Urbis cognitioni relictum obſequium. 3. Conſti- 3
tutum vero, ut non niſi defuncto liberto iure ſucceſſionis di-
midia peti poſſet. Meminit huius dimidiae SVETONIVS in *Ne-*
rone,

Digitized by Google

rone, c. 32. *Inſtituit, ut a libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe*
dodrans cogeretur ei, qui ſine probabili cauſa eo nomine eſſet, quo
fuiſſent eae familiae, quas ipſe contingeret. Loquitur de libertis
Neronis, quorum e bonis cum ipſe communi iure dimidiam
tantum partem vindicare poſſet, eam ad dodrantem usque
perduxit in eos, qui ſine cauſa nomina eius gentilitia uſurpaſ-
ſent. Et de hac partitione accipi debent textus in *l. ſed cum Pa-*
trono 6. ff. de bon. poſſ. l. 3. §. toties l. libertinus. 5. l. libertus. 20. §.
1. l. quamdiu. 25. l. ſi libertus. 33. ff. de bon. libert. quibus locis, pro
dimidiae partis, ſubſtituit Tribonianus, certae, ut obſervat
4 CUIACIUS *ad l. ſi libertus, 41. ff. de bon. poſſ. in quaeſt. Papin.* 4. Et
haec dimidia liberto, teſtato mortuo, beneficio Praetoris ob-
veniebat. *l. 1. §. 2. ff. de bon. lib.* Inteſtato autem liberto, cui
ſui haeredes eſſent, patronus excludebatur. *§. qua de cauſa.*
5 *Inſt. de ſucceſſ. libert.* 5. Quapropter Patroni iureiurando li-
bertos adigebant, ne ducerent uxores, *l. adigere. 6. ff. de iur. pa-*
tron. quod lex *Aelia Sentia* prohibuit. *l. qui extra 15. ff. de iur.*
6 *patron.* 6. Poſtea ſupervenit *Lex Iulia,* et *Papia,* qua, ſi liber-
tus eſſet centenarius, id eſt, haberet centum millia Seſtertium,
et liberos tribus pauciores, patrono pars virilis debebatur: ſin
haeredem extraneum, ſemiſſis; ſi vero tres haberet, repelleba-
7 tur Patronus. *§. 2. Inſt. d. t.* 7. Denique Iuſtinianus conſtituit,
ut liberto inteſtato defuncto primo vocentur liberi, deinde
fratres et parentes, tertio loco patronus, inde eius liberi us-
que ad quintum gradum, et tandem collaterales. Sin teſta-
mentum relinqueret, patronus per bonorum poſſeſſionem
contra tabulas tertiam partem haereditatis auferebat haeredi
8 ſcripto, ſi libertus maior eſſet centenario. 8. Sed centenarium
iam non definiebat Iuſtinianus centum millibus ſeſtertium,
ſed centum aureis. Quae Iuſtiniani computatio multis latuit
interpretibus, qui crediderunt, centum millia ſeſtertium tem-
pore Iuſtiniani poteſtate et valore aequaſſe centum aureos.
Cum vero centum illa Seſtertia, ſeu centum millia Seſtertium
efficerent 2500. ducatos, aureus autem Romanus duos ducatos
cum dimidio, non potuerunt invenire rationem, qua cen-
tum aurei reſponderent centum ſeſtertiis, ſeu 2500. ducatis.

Plane

Digitized by Google

Plane hic haeret BACCHOVIVS *in comment. ad Inſt. p. 692.* HOTO-
MANNVS ſibi conſulit emendando, et, pro centum aureis, legit
mille. Sed Iuſtiniano non venit in mentem, centum ſuos 9
aureos poteſtate exaequare antiquis centum millibus Seſter-
tium. Sed, quomodocunque ſe habeat ſumma Seſtertium ad
aureos, ita interpretari placuit *legem Papiam*, ut in locum
centenarii Papiani ſubſtitueret centenarium Iuſtinianum, et
pro 2500. ducatis, quos *lex Papia* requirebat, non niſi 250. du-
catos exigeret. Ut iam Iuſtiniani tempore centenarius decem
partibus minor eſſet centenario Papiano.

Tenetur ergo alere Patronum egenum libertus: ſed 10
et Patroni parentes et liberos, *l. 5. §. 20. et ult. ff. de agnoſc. et
alend. lib.* pro modo ſcilicet facultatum: Vide IOH. P. SVRDVM
de aliment. tit. 1. q. 51. ita ut deducat prius, quod ſibi eſt neceſ-
ſarium; deinde de eo, quod ſupereſt, libertum alat. *gloſſ. in c.
quicunque c. 16. q. 7.* 11. Inquit VLPIANVS: *Maxime ſi aegros ſe 11
eſſe dicant, deſiderentque a libertis exhiberi.* Si enim aegritudo
ſervi tanti eſt, ut, in ea deſtitutus a domino, ipſo iure fiat li-
ber. *l. 4. §. 5. C. de bon. libert.* Si olim aegritudine periclitans,
neque alii commendatus, neque in Xenonem miſſus, vel quo
poterat modo adiutus a domino, in libertate latina morabatur,
poſtea a Iuſtiniano civitate Romana donabatur. *l. 1. §. 3. C. de
Lat. lib. toll.* Cur ſimile quid in patroni perſona non multo
magis aequum videri debeat? Ait VLPIANVS: *Cum patronus
queratur* etc. *convicium ſe ab eo paſſum, liberosque ſuos, vel uxo-
rem, vel quid huic ſimile ei obiicit.* Quibus caſibus Praefectus
eum corriget. De convicio vide *l. 15. §. 2. et ſeqq. ff. de Iniur.*
Sermo igitur eſt de Patrono, qui queratur, convicium a li-
berto paſſum ſe, liberosque ſuos et uxorem, vel ſi quid huic
ſimile liberto obiicit. Quae verba ſatis ſunt aperta. Ut mi-
rer, quid BACHOVIO ad hunc §. in mentem venerit, qui haec
verba, *liberosque et uxorem*, coniungit cum verbo, *obiicit.*
Quaſi dicat VLPIANVS, Praefectus corrigit libertum, qui Patro-
no ſuo obiicit ſuos (pro *eius*, ait BACCHOVIVS, ſcilicet patroni)
liberos aut uxorem. Id eſt, probrum aliquod uxoris vel li-
berorum. Satis ſupine. 12. Denique VLPIANVS certos velut 12

 gradus

Digitized by Google

gradus praeſcribit, quibus in libertum, qui in Patronum, aut
uxorem liberosve Patroni contumelioſus ſit aut iniurius, Prae-
13 fecto Urbis animadverti docet. Et primo *corrigat*, quod eſt,
ad officium et quaſi ab errore in viam reducere. *Corrigere
gnatum*, *peccata corrigere*, TERENTII ſunt. Sic *corrigere malas
labentes*, SVETONII, *corrigere mores aliorum*, *corrigere vitium
legis*, Ciceroniana. *Corrigere ad frugem*, Plautinum. Correctio,
νουθεσία, *κόλασις*, *παραίνεσις*, cum poena adhibetur, caſtigandi
atque emendandi cauſa, ut is, qui fortuito deliquit, atten-
14 tior fiat correctiorque. Inde *comminabitur*, quod PAVLO *l. 3. de
off. Praef. Vig.* ſevera interlocutione comminari dicitur, einen
ſcharffen Verweiß geben, Ernſtlich verweiſen. *Τιμωρία*, cum di-
gnitas auctoritasque eius, in quem eſt peccatum, tuenda eſt,
ne praetermiſſa animadverſio contemtum eius pariat, et ho-
15 norem levet. GELLIVS *lib. 6. c. 14.* 15. Tertius gradus eſt *παρά-
δειγμα*, cum punitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut cae-
teri ſimilibus a peccatis, quae prohiberi publicitus intereſt,
metu cognitae poena deterreantur, ut loquitur GELLIVS *6, 14.*
16 16. Et huius generis VLPIANVS facit fuſtibus caſtigationem,
quam CALLISTRATVS admonitionem fuſtium uſurpat. *l. 7. ff. de
poen.* Sed cur vocatur admonitio? Nempe ad differentiam
fuſtuarii capitalis, qua nudi hominis cervix furcae inſerta,
corpus virgis ad necem caedebatur. SVETONIVS *in vita Neron. 49.*
VICTOR *in Nerone.* EVTROPIVS *lib. 7. Nov. Maioriani de Curialibus.*
Caeterum admonitionem liberorum, ſed tenuiorum, fuiſſe,
ex *l. 10. l. 26. §. non omnes. 2. ff. de poen. l. ult. de iniur.* ibi: *fuſti-
bus ſubiiciuntur*, conſtat. Hinc Imperatores reſcripſerunt *l. 8.
C. de repud.* divortii cauſam eſſe, ſi vir uxorem verberibus,
quae ingenuis aliena ſint, affecerit. POLYBIO eſt *ξυλοκοπία.*
Haec per ſe non infamat, ſed cauſa. *l. 22. de his q. notat. infam.*
17 Caſtigatio, quae fit flagellis, ſervorum erat. *d. l. 10. l. ſed eſt quae-
ſtionis. 9. §. pen. ibi:* flagis rumpat. *l. ult. de ini. l. levia. 6. ff. de ac-
cuſ. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufrag.* Id quod *Lex Porcia* (non
Porcii Catonis, ſed Porcii Laecae. *Vide* ANTON. AVGVSTINVM
de LL. in L. Porcia) ſancit. LIVIVS *lib. 10. c. 9. ſibi Porciam pro tergo
civium latam videri.* CICERO *in orat. pro Rabir.* *An de civibus Ro-*

manis

manis contra Legem Porciam Verberatis aut necatis plura dicenda ſunt? Et paulo poſt: *Porcia lex virgas ab omnium corpore amovit.* Flagella, virgae, lora, vinculorum verberatio, CALLISTRATI *in l. 7. de poen.* idem in uſu caedendi valent. Nam et flagella de virgis uſurpantur, et virgarum flagella. Et vinculorum verberatio eadem eſt atque lororum. Vide SALMASIVM *in Lamprid. Sever. fol. 231.* Caedebantur autem vincti et nudati, triumvirali iudicio, ad columnam Maeniam. PRVDENTIVS: *columnae annexus tergum dedit ut ſervile flagellis.* HIERONYMVS *in epiſt. ad Euſtoch. Oſtendebatur Paulae columna, Eccleſiae porticum ſuſtinens, infecta cruore domini, ad quam vinctus dicitur et flagellatus.* An et pendentes? Ita innuit LIBANIVS PLAVTINVS *Aſin. 3. 2. ubi ſaepe cauſam dixeris pendens adverſus octo valentes virgatores.* Hinc flagrio, verbero, maſtigio, inter elogia ſervorum. Ad flagra deducere, IVVENALI *Sat. 10.* in ſervitutem redigere eſt. Vide TORRENTINVM *ad Sat. 3. lib. 1. Horatii p. 447.* LAVRENT. RAMIREZ *πεντηκόντ. c. 37.* Hos virgatores, qui magiſtratui, in pro- 18
vinciam eunti, miniſtrabant, fuiſſe Brutios, tradit FESTVS, in *Brutiani,* et GELLIVS *10. 3.* qui hos in poenam, quod a Romanis defeciſſent, hac ignominia notatos tradit, ut magiſtratibus in provincias euntibus apparerent, eosque tanquam lorarii in ſcena ſequerentur, et ad infligenda ſupplicia delinquentibus operam ſuam exhiberent. Vide BARONIVM *ad ann. 34. n. 82.* 19
et ſeqq. SIGONIVM *de iur. civ. Rom. 3. c. 15.* Denique et metalli poenam in libertum ſtatui poſſe ex cauſa, quam memorat, VLPIANVS ſtatuit, ſcilicet delationis. At Imperator, Claudius, ob hanc cauſam libertum in ſervitutem redegit. *l. 5. ff. de iure patron.* Differunt in metallum et opus metalli damnatio. Utrumque vinculis fit. Sed hoc levioribus, gravioribus illud. *l. 8. §. inter, 6. de poen. l. 5. §. ult. ff. de extraord. cogn.* A quibus differt in opus publicum damnatio, *l. 17. de poen.* ut ſi quis ad aggeres ducendos, marmor ſecandum, cloacas purgandas, nec non ad remos damnatur, quo refero damnationem ad onera in ergaſteriis, in Zuchthäuſern. Caeterum haec poena, in metallum damnandi, Praefecto ſpecialiter data fuit, quod ex epiſtola D. Severi ad FabiumCilonem probat VLPIANVS noſter *l. 8. §. 5. de poenis.* Et has quidem VLPIANVS, quem BASILICA exprimunt,

X 2 poenas

poenas nominat. Alias Leo et Conſtantinus, ſcilicet ut verberati et tonſi in ſervitutem dominis dedantur. Et ſane hunc ordinem praeſcribit Commodus, Imperator, et *in l. 6. §. 1. ff. de agnoſ. et al. lib.* liberti coërcendi, cum probatum fuerit, contumeliis Patronos a libertis eſſe violatos, vel illata manu atroci eſſe pulſatos, aut etiam paupertate, aut corporis valetudine laborantes relictos, ut primum in poteſtatem dominorum redigantur, et miniſterium dominis praebere cogantur. Sed, quod de Commodo diximus, id alii Claudio acceptum ferunt, autore SVETONIO *in blaudio, c. 25.* Alii Neroni, TACITVS *lib. 13. Annal.* Alii Traiano, propter illud MARTIALIS, *10. Epigr. 34.*

Qui ſua reſtituis ſpoliato iura patrono.
Libertis exſul non erit ille ſuis.

Adeo ut CVIACIVS *10. Obſ. 33.* dubitet, an ullo pandectarum loco liquido probari poſſit, libertos ingratos in ſervitutem fuiſſe revocatos. Sed vero, quod de Claudio et Nerone adfertur, non ad edictum, aut ius commune referendum eſt: Sed fuit conſtituto perſonalis, in unum alterumque libertum ob exemplum lata. Ex MARTIALIS epigrammate nihil firmi colligi poteſt, quamvis id ſibi perſvadeat AMAYA *lib. 2. obſ. 6.* Nec enim, quae iura reſtituerit patrono, et an patronis in genere, an certo individuo, an per edictum, an cauſa cognita ſetentiam pro patrono ferens id fecerit Traianus liquet. Quare recte Commodo tribui affirmamus. Quod ſi liberti nec hoc modo admoneantur a Praeſide, emtori vult addici, et pretium patronis tribui, Commodus. Sed de tonſura nihil. Novum ergo hoc, et poſt Iuſtinianum ſatis ſero receptum, illo tempore, quo et Longibardis ſignum erat ſervitutis capillorum detonſio, ut ſcribit AEMILIVS in Carolo M. Clodoveo et Clotario. Vide P. GREGORIVM in *ſyntagm. lib. 16. c. 1. n. 23.* Utrum vero tonſura fuerit proprie dicta, et quae eius ſpecies, an raſura, quod magis videtur, non liquet.

§. 3. Relegandi, deportandique in Inſulam, quam Imperator aſſignaverit, licentiam habet.

BASILICA: ἐξορίζει καὶ περιορίζει τοὺς ἁμαρτάνοντας, τοῦ βασιλέως τὴν νῆσον ὁρίζοντος.

Id eſt, relegat et deportat, Principe inſulam aſſignante.

Eclogae LEONIS: ἐξορίζει καὶ περιορίζει τοῦ βασιλέως τὴν νῆσον, ἢ ἁπλῶς τὸν τόπον ὁρίζοντος.

CONSPECTVS.

1. *Relegatus quis?*
2. *Deportatus quis, quid amittat?*
3. *Praeſes non habet ius deportandi, inconſulto principe.*
4. *Ulpianus explicatur.*
5. *Ante Severum ſolus populus et ſenatus ius deportandi religandive habebat.*
6. *Praefectus poteſt relegare et deportare in inſulam.*
7. *Quomodo?*
8. *Refutatur A. Faber.*

RElegatus eſt, qui arcetur provincia, vel Roma vel ſubur- 1
biis, vel perpetuo, vel ad tempus. *l. 14. ff. de Interd. et*
releg. Relegatio deportatione levior. Illa caput non
minuitur. Itaque ſi magiſtratus pronunciaverit; *Relegari in in-*
ſulam placet, quae forma erat damnandi, eaque utitur ANTO-
NINVS *in. l. Metradorum ff. de poenis.* et Proconſul in vita Cypri-
ani: *Faſcium Cyprianum gladio animadverti placet.*) non eſt ne-
ceſſe adiici: *Salua Civitate:* CVIACIVS *ad l. 8. ff. qui teſtam. fac.*
poſſ. Deportatus autem comparatur mortuo, in peregrinitatem 2
redigitur. *l. 2. de poen. l. 3. ad L. Jul. pecul.* Civitate multatur, co-
gnationem amittit, patronatum amittit, bona amittit, et fiſcus ei
ſuccedit, patriam poteſtatem non habet, teſtamentum facere, et
ex teſtamento vel Codicillis capere poteſt, niſi quid alimento-
rum, veſtiarii aut calcearii nomine relinquatur, ex conſtitu-
tione ANTONINI *l. 16. de interd. et releg.* aut deportatus ſit ſine
principe a Praeſide *l. 15. §. 1. de interd. et releg. l. 1. §. 3. de le-*
gat. 3. Cum enim praeſes non habeat ius deportandi incon- 3
ſulto principe, *l. 1. §. 3. de leg. 3.* priusquam factum praeſidis a
Principe probatur, nondum amiſiſſe civitatem videtur. Si- 4
gnate autem dicit VLPIANVS, Praefectum habere licentiam, ut
ſignificet, ei ſpecialiter hoc indultum fuiſſe. Nam ita, *quod*
licet, accipitur *in l. 28. §. 2. Quod eius per leges, etc. licebit, §. 2.*
l. 28. C. de appellat. l. 8. in medio. C. qui teſt. fac. poſſ. et paſſim.
Et certum eſt, ante Severum Praefectum urbi non habuiſſe 5
ius deportandi relegandive, *l. 2. §. 1. ff. de poen.* ſed ſolum po-
pulum et ſenatum VLPIANVS *lib. 1. fideic. l. 1. §. 4. de leg. 1.* Quod

Digitized by Google

repetit idem VLPIANVS *l. 6.* §. *1. de Interd. et releg.* et addit, id epiſtola D. Severi ad Fabium Cilonem expreſſum eſſe. Dicitur praefectum poſſe relegare et deportare in inſulam, quam Imperator aſſignavit, nempe quia inſulam ad ſuae provinciae formam pertinentem, quam adminiſtret, non habet. *Vide l. 7.* §. *6. de interd. et releg.* Poteſt ergo pronunciare, ſe in inſulam relegare vel deportare, ſed ita, ut ſcribat Imperatori, ut ipſe inſulam aſſignet, ut de praeſide ita diſtingvitur in *l. 7.* §. *1. de interd. et releg.* Etſi enim Praeſes in inſulam deportandi ius non habet, *l. 6.* §. *1. de interd. et releg. l. 2.* §. *1. de poen. l. 1. ff. quando app. l. 6.* §. *eius ff. de iniuſt. rupt.* ſed annotare duntaxat, in inſulam quem eſſe relegandum, et ſcribere Imperatori, ut deportetur, poſſit: *l. 1. ff. quando appell.* relegandi tamen habet poteſtatem, non ſolum per ſe, ad eam inſulam, quam adminiſtrat, eamque ipſe ſpecialiter aſſignare poteſt, ſed et ſi nulla ei ſubeſt inſula, tamen in genere relegare in inſulam poteſt, dummodo ſcribat Imperatori, ut ipſe inſulam aſſignet *d. l. 7.* §. *1. de interd. et releg.* Errat itaque *in* A. FABER *in iurisprud. Pap. tit. XI. princ. 4.* qui putat, Praefectum Urbi etiam inconſulto principe deportare potuiſſe. Neque id probat *l. 2.* §. *1. ff. de poen.* in qua non dicitur, quod inconſulto principe poſſit, ſed quod ſtatim poſt ſententiam Praefecti civitas amittatur. Quo differt a Praeſide. In *l. 6.* autem §. *1.* nihil quidquam huius eſt.

§. 4. Initio eiusdem Epiſtolae ita ſcriptum eſt; Cum Urbem noſtram fidei tuae commiſerimus. Quidquid igitur intra urbem admittitur, ad Praefectum Urbi videtur pertinere, ſed et ſi quid intra centeſimum miliarium admiſſum ſit, ad Praefectum Urbi pertinet, ſi ultra ipſum lapidem, egreſſum eſt Praefecti notionem,

CONSPECTVS.

1. *Territorii urbici termini.*
2. *Ultra centeſimum lapidem non extenduntur.*
3. *Miliare.*
4. *Plinius, Columella, Frontinus, Iſidorus explicantur.*
5. *In Dione mendum tollitur.*
6. *Miliarium, cur lapis. Autor Tiberius Gracchus.*
7. *Caput ſive principium numerandi.*
8. *In Aemilio Macro diverſa lectio.*
9. *Miliarium quid Macro?*

10. *Godofredus, pater, refutatur.*
11. *Abſens quis? Et de menſuratione milliarium Iure Saxon. Ubi, de A. Scheffero, quaeſt. 24.*
12. *Regiones vicinae urbi.*
13. *Finitimae. Inſcriptio vetus.*
14. *Togatae.*
15. *Romana Regio, a Salmaſio diſſentitur.*
16. *Suburbicariae.*
17. *Hieron. Alexander explicatur.*
17. *l. 13. C. Th. de accuſ. explicatur.*
19. *Sirmondus refutatur.*
20. *Suburbicariae quaenam?*
21. *Diverſa lectio huius §.*

Per iſta verba: *committimus urbem noſtram fidei tuae*, liberam et plenam iurisdictionis poteſtatem mandari notat BARTOLVS *hic*. Sed puto magis, eſſe voluntatis quaeſtionem: Quid enim, ſi Praefecto praeſidiarii militis ſeu ſtationarii, einen Commendanten in Veſtungen, ita mandetur? Dicemusne, in cauſis civilibus ei quoque poteſtatem conceſſam, iurisdictionemque et imperium? Non puto. Dixi ſupra, ad 1
princip. h. t. Italiam, in principio h. t, συνεκδοχικῶς, pro parte certa Italiae, poſitam, conſtituere certos territorii urbici terminos. Quae autem pars illa, et quanta? VLPIANVS centeſimum mil- 2
liarium, ſeu centeſimum lapidem pro termino ponit, ſimiliter et CASSIODORVS *lib. 6. var. 4. Ditioni tuae non ſolum Roma commiſſa eſt, quamvis in illa contineantur univerſa; verum etiam intra centeſimum miliarium poteſtatem ſe protendere, antiqua iura voluerunt.* Idem probatur ex *l. 2. C. Th. de in integr. reſtit. et l. 26. eod. Cod. de haeret.* ubi THEODOSIVS et VALENTINIANVS ad Fauſtum, Praefectum Urbi. reſcribunt: *haereticos ab adſpectu urbis usque ad centeſimum Lapidem expellendos.* Et VLPIANVS idem apud AVTOREM *collationis LL. Moſaicarum tit. 14. de Plagiariis. Sed enim*, inquit, *iam eo perventum eſt conſtitutionibus, ut Romae quidem Praefectus Urbi ſolus ſuper ea re cognoſcat, ſi intra miliarium centeſimum ſit in Fabiam commiſſum. Enim vero ſi ultra centeſimum, Praefectorum Praetorio erit cognitio:* Et hinc eſt quod Severus, cum Praetorianis militibus Romae ob Pertinacis caedem interdiceret, ut urbis finibus omnimodo expellerentur, eos usque ad centeſimum lapidem excedere iuſſerit, apud HERODIANVM *lib. 2.* Erat miliare, ſeu miliarium, ſpacium 3
mille paſſuum, ſeu ſeptem cum dimidio ſtadiorum, ut docet SVIDAS: ἕπτα γὰρ ἡμισυςάδια ποιοῦσι μίλιον, ait. Et PLVTARCHVS *in*

mille illi paſſus, quibus quis abſens, a miliario urbis numerandi? Cum enim is abſens non cenſeatur, qui non eſt extra 11
continentia, *l. 173. §. 1. l. 199. de V. S.* utique ſequitur, illud ſpacium, quod ab extremo continentium aedificiorum, ſeu, ut PLINIVS loquitur, ab extremitate tectorum usque ad miliarium eſt, et a LIPSIO ſeptem miliaria continuiſſe putatur *de magnitud. Rom. III, 2.* non debeat connumerari abſenti, qui intra hoc ſpacium iam pro praeſenti habetur. Caeterum, moribus noſtris Saxonicis non a continentibus aedificiis, ut olim conſuluit H. GOEDENIVS *conſ. 12.* ſed a porta urbis miliaria numerare incipimus usque ad ſepes pagi, per viam regiam. COLERVS *deciſ. 215.* Et ſuavis eſt A. SCHEFFER *quaeſt. 24.* dicens, cum, GOEDENII auctoritate fretus, conſuluiſſet dicaſterium Jenenſe, *Rebuſſum* tuliſſe, id eſt, ſuffragio collegii noſtri fruſtratum fuiſſe. Et ſecundum COLERVM nuperrime reſpondimus univerſitati cuidam paganae in Ducatu Altenburgico. Certum eſt itaque, quod Praefectura Urbicaria Romam, et regiones circa eam usque ad centeſimum miliare comprehendat. Dicuntur hae re- 12
giones VICINAE Urbi, *l. ult. C. Th. de hab. quo uti oport. int. urb.*
FINITIMAE urbi provinciae, in inſcriptione veteri, in aedi- 13
bus Ducis ab Altaems, quam et ANONYMVS et ALEANDER exhibent:

LVCIO. AVRELIO. SYMMACHO. V. C. PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE. PROVINCIIS. etc. PAPINIO 14
in Soterico Gallici audiunt TOGATAE. An et Romana Regio? 15
Contendunt SIRMONDVS et SALMASIVS. Ille *in adventoria*, hic *in Euchariſtico.* Non dubito accedere SALMASIO, et ita intelligendam inſcriptionem apud GRVTERVM. Sed de loco VO- 16
PISCI, *in vita Probi*, quem pro ſe citat SALMASIVS, dubito. Non enim tam locum fugiſſe, quam Reipublicae munera, videtur velle hiſtoricus, ad quae ex obſcuris locis non adeo patet aditus. An eaedem et SVBVRBICARIAE? (quemadmodum 17
ita dicuntur *l. 9. C. Theod. de ann. et trib. l. 12. C. de indulg. deb. et in Notit. Com. rer. priv.* Item Urbicariae, *l. 9. C. T. de extraord. mun. l. 3. quibus eq. uſu. l. 3. Trib. in ipſ. ſpec. l. un. ſi per obrept.*

l. 14.

l.14. de Indulg. deb. Et ſuburbanae *l.13. C. T. de accuſat.* SYMMACHVS *epiſt. 90. lib. 1. et lib. 2. ep. 74. ad Flavianum.* χῶραι ὑπὸ τὴν πόλιν. *c. 88. Cod. Can. Eccleſ. Univ.* Suburbicariae partes. *l. 12. C. T. de extraord. mun.* Suburbicariae provinciae. *Novell. Valent. de Tiron. lib. 2.*) Haec quaeſtio ab illuſtribus et excellentiſſimis omni doctrinae genere viris magnis animi motibus agitata eſt his quadraginta proximis annis, quorum quidam ſpecialem Pontificis Romani dioeceſin intra hos centum lapides coerceri vellent, alii non paterentur. Nos breviter et pro inſtituto. Has ipſas intra centeſimum eſſe ſuburbicarias, ſatis manifeſto probatur *ex l. 13. C. Theod. de accuſ.* in qua de ſuburbanis provinciis iudices iubentur ad Praefecturam ſedis urbanae referre, de caeteris ad praefecturam Praetorio. Cur vero Iudices iſtarum regionum ad praefecturam hanc urbicam referant, ſi non ſubſint eius territorio? Id eſt, ſi non ſint intra centeſimum. Idque concedit etiam HIERONYMVS ALEANDER *in confutatione coniecturae p. 26.* Sed excipit ſuburbicarias, ubi de adminiſtratione Praefecti Urbi agitur, eas quidem eſſe, quae centeſimo Lapide concluderentur. At non ſemper, ubi regio aliqua ſuburbicaria nominetur, cum coarctari neceſſe eſſe intra limites centeſimi miliarii. Quaſi dicat, ſuburbicarias, in quantum ſunt intra centeſimum, ad praefectum urbi pertinere, ſed tamen et ultra centeſimum procurrentes ſuburbicarias eſſe.
18 At vero ſi hoc ita eſt, cur Imperatores *in d. l. 13.* opponunt ſuburbanas caeteris regionibus, cum potius debuiſſent ſuburbanas, quae intra centeſimum ſint, opponere iis, quae ultra. Unde enim ſcire poterant aliter iudices ſuburbicariarum, qui ultra centeſimum, an comprehenſi eſſent ſub urbicariis, an ſub caeteris? Quae autem ſunt illae caeterae? Reſpondeo, Italia omnis, quae extra centeſimum, ſeu Italiae prouinciae illae, quae nomen hoc ſibi proprium fecerant, et a TREBELLIO POLLIONE *in Tetrico* recenſentur: Campania, Samnium, Lucania, Brutiorum, Apulia, Calabria, Etruria, atque Umbria, Picenum et Flaminia, omnisque annonaria regio. Has regiones vocat totam Italiam TREBELLIVS, ut Italia ſit omne illud, quod ad urbem non pertinet, eodem prorſus modo, quo Mecaenas apud DIONEM *lib. 53.* ubi: τὴν

πᾶσαν

πᾶσαν Ἰταλίαν incipit *ἀπὸ τῆς πόλεως καὶ τῶν ἔξω αὐτῆς πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων.* Similiter in *l. 2. C. Th. de in integr. reſt.* diſtinguitur Roma, et quae intra centeſimum eius miliarium, ab omni Italia. Et *l. 9. de ann. et tribut.* Suburbicariae regiones ab omnibus Italiae regionibus. Praeterea *in l. 27. C. Th. de appell.* dicitur: *de Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Bruttiis el Piceno Aemilia et Venetia, et caeteris interpoſitas appelationes laudabilis ſublimitas tua more ſolenni debebit audire competenti appellatione terminandas. Nec vero ulla poterit eſſe confuſio. Praefectus enim urbis noſtra reſponſione conventus* (an contentus) *praedictis cognitionibus temperandum ſibi eſſe cognovit.* Ergo, cum ex ſuburbanis omnibus ad Praefectum Urbi relatum, ex his non relatum, manifeſto ſequitur has ſuburbicarias non fuiſſe. Sed ait IACOBVS SIRMONDVS, illas ſuburbicarias dici, quae ſub Vicario Urbis. 19
At deſiderant *Vindiciae adverſus Sirmondum* teſtimonium, vel autoritatem ſcriptoris, quae provincias, ſub diſpoſitione vicarii urbis poſitas, ita dictas oſtendat. Imo quia in *Noticia*, ubi recenſus agitur iſtarum vicarii provinciarum, tantum ſit mentio unius ſuburbicariae, nempe Piceni, facile ſequitur, reliquas ſuburbicarias non fuiſſe. Sane SIRMONDVS regerit, Piceno propterea additum eſſe, quod ſit ſuburbicarium, ut ab altero annonario diſtingueretur, quod erat ſub diſpoſitione vicarii Italiae. Sed ſi propterea, quod ſub vicario Urbis erat, ſuburbicarium audiebat, cur alterum Picenum, quod ſub vicario Italiae, dicitur annonarium? Anne, quia vicarius Italiae ſolus annonarias habebat? At id falſum. Nam et Tuſcia annonaria a vicario Urbis tenebatur. Erno et annonaria ſuburbicaria dicenda. Porro, ſi quaedam provinciae annonariae fuerunt ſub vicario urbis, duorum alterum ſequitur, aut quod non omnes, quae ſub vicario urbis erant, fuerint ſuburbicariae, aut quod quaedam ſuburbicariae fuerint annonariae. Utrum eligas, fruſtra Piceno adiectum, *διαγνωρισμοῦ χάριν*, eſſe ſuburbicario. Sed et Sicilia inter Vicarianas ibi ponitur, quam ex ſuburbicariis excludit tamen *l. 9. C. de extraord. mün.* Quare, ſuburbicarias et vicarianas non fuiſſe easdem, certe quasdam ſuburbicarias non fuiſſe vicarianas, ſequitur.

quitur. Imo quo tempore ſcribebat TREBELLIVS POLLIO, qui annonarias regiones ponit, nondum in mundo erant vicarii vel Urbis, vel Italiae. Et tamen oportet has annonarias POLLIONIS diſtinctas hoc nomine fuiſſe ab aliis. Iam oſtendi ergo oportet, a quibusnam, ſi non ab Urbicariis. Ergo Urbicariae fuere, antequam eſſent Vicarii. Sed ſatis de hoc negotio. Et fuere itaque ſuburbicariae, ſeu quas praefectus urbi regebat, omnino quatuor; *Tuſcia ſuburbicaria, Picenum ſuburbicarium, Valeria et Regio Latina.* Vide SALMASIVM *in Eu-*
21 *chariſt. part. 1. c. 5.* Porro dicitur in textu noſtro, *quod ultra ipſum lapidem egreſſum eſt praefecti notionem.* Vulgata Exemplaria, ut et Haloandrina: *Si ultra ipſum lapidem egreſſum eſt, Praefecti Urbi notio non eſt.* Et putant, paſſive hoc loco dici, *egreſſum eſt.* Sed recte interpunctio ponitur poſt, *lapidem.*

§. 5. Si quis Servum ſuum adulterium commiſiſſe dicat in uxorem ſuam apud Praefectum Urbis, erit audiendus.

BASILICA, καὶ παρὰ αὐτῷ κατηγορεῖται δοῦλος παρὰ τοῦ ἰδίου δεσπότου ἐπὶ μοιχείᾳ τῆς ἰδίας γαμετῆς. Apud ipſum accuſatur ſervus a domino ſuo de adulterio uxoris ſuae.

CONSPECTVS.

1. *Adulteri dominarum, ſervi.*
2. *Aemilia lepida, correpta ob ſervum adulterum.*
3. *Ante Marcum ſervus non poterat adulterii poſtulari.*
4. *Explicatur l. hos accuſare. 12. §. ult. de accuſ.*
5. *Servus an poſſit relegari? ubi de l. 2. ff. qui et a quibus manum.*
6. *Briſſonius, Lyclama, Pacius et Godofredus ad partes vocantur.*
7. *l. 2. C. de ſepul. viol. explicatur.*
8. *Mureti lectio probatur.*
9. *Ante Marcum liberum erat domino ſervum occidere.*
10. *Cui Lex Petronia derogavit,*
11. *et Imp. Hadrianus.*

1 HOc genus ſubſeſſorum Romae non infrequens fuiſſe, vel illa Severi et Antonini conſtitutio arguet, de qua *pr. Inſt. de haered. inſt. verſ. eſt tamen caſus et l. 48. §. 2. ff.*
2 *eod.* et Aemilia olim lepida, iuveni Druſo nupta, a delatoribus correpta ob ſervum adulterum TACITVS *6. Ann. 40.* Nec tantum,

tantum, quae per adulterium fiebat, ſed omnis omnino cum ſervo proprio coniunctio ſevere a Conſtantino prohibita, *l. ſing. C. de mulieribus, quae ſe prop. ſerv.* Imo nec libertum ducere licebat patronae *l. ſi patrona 13. ff. de R. N.* Hinc Iulia quaedam, matrimonium cum quodam ſervo, ſed tum emancipato, contractura, ſupplicavit Anthemio, ne ſanctio Conſtantiniana ſibi noceret. Vide *lib. LL.* D. ANTHEMII *tit. 1.* Ratio fuit, quod praeſumeretur mulier, manumittendo ſervum, eique nubendo ei ante copiam ſui feciſſe. Facit, quod Poeta habet *lib. 6. Epigr. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et moechum modo nunc facis maritum,
Non nubis Proculina, ſed fateris.

Et ſervi iſthaec proprii accuſatio reſcripto D. Marci in introducta. *l. 5. ff. de accuſat.* Quid ita? annon licuit ſervum perinde ut liberum ante Marcum adulterii poſtulare? Sane poterat ſervus non quorumlibet iudiciorum publicorum reus fieri, nempe quibus pars bonorum erat publicanda, aut libertas vel civitas adimenda, veluti *L. Iulia*, de vi privata, *Cornelia*, de iniuriis *l. hos accuſare 12. §. ult. de accuſ.* Ubi ICtus in genere definit, idem dicendum de caeteris legibus, quibus pecuniaria poena irrogatur. Et addit: vel etiam capitis, quae ſervorum poenis non convenit, ſicuti relegatio. Nempe quia caput non habet ſervus. Sed cur addit de relegatione? Nam nec ea quidem, quae in perpetuum eſt, inter capitales poenas refertur. *l. capitalium ff. de poen.* Et quanta poena ſervo, ab oculis domini removeri, quod ipſe ſua ſponte expetiturus erat? Et tamen relegari ſervum poſſe oſtendit *l. 2. ff. qui et a quib. manum. lib. non ſi.* Sed *et l. 2. C. de ſepulchr. viol.* quae componendi ratio? BRISSONIUS *lib. ſing. ad L. Iul. de adult. p. m. 129.* cum Iohanne, Gloſſatore, voculam, *ſicut*, in *d. l. 12. de accuſ.* ſic accipit, quaſi contrarium eius, quod praeceſſerat, negati affirmet, hoc modo, quod quemadmodum relegatio ſervis competat, non competat eis poena capitalis. Cuius explicationis inventionem ſibi M. LYCLAMA tribuit. *2. Memb. 10.* DIONYSIUS GODOFREDUS contra in *l. 2. qui et a quib. man.* de deportato accipit.

Y 3 Quod

Quod verborum proprietas non admittit. IVL. PACIVS *Cent. 7.*
c. 60. diſtinguit ex *l. 2. C. de ſepul. viol.* utrum ſervus conſenſu
domini deliquerit, nec ne, ut priori duntaxat caſu relegari
poſſit, non poſteriori, hac ratione, quod relegatio ſervi ma-
gis domino, quam ſervo noceat. Equidem cum *d. l. 2. qui et*
a quibus facile tranſigi poſſe putem. Quid enim ſi ita accipia-
mus? Si relegatus, ultra tempus conceſſum in urbe manens,
deportatur. *l. 4. de poen.* Deportatorum autem bona confiſcan-
7 tur. Sed durior eſt *l. 2. C. de ſepul. viol.* conciliatu. Quid ſi
8 cum MVRETO *obſ. iur. lib. ſing. c. 2.* pro, *ſi ſervus*, legatur, *ſi quis?*
Quae lectio, quum fide Codicis Theodoſiani nitatur, non eſt
cur reiiciatur. Sed nunc in orbitam. An ergo potuit ante
Imperatorem Marcum, ſervus proprius adulterii poſtulari? Et
9 negat VLPIANVS *lib. 3. de adult. in l. 5. ff. de accuſ.* Nempe ante
Marcum liberum erat domino ſervum occidere, iure domini,
10 quod eſt, vitae et necis. Huic iuri derogavit primum *Lex*
Petronia, qua dominis poteſtas ademta ſervos ad beſtias depu-
11 gnandas tradere. *l. 11. ad L. Corn. de ſicar.* Deinde Hadrianus,
Imperator ſervos ab dominis occidi vetuit, eosque damnare
iuſſit per iudices. Et quamvis Antoninus Pius conſtituiſſet, ne
domino plus in ſuo liceret ſervo, quam in alieno, ut tradit
GAIVS *Inſt. lib. 1. tit. 5.* Tamen id ad hoc genus adulterii pertine-
re forſan non crediderunt domini, ut Marci denique conſti-
tutio deſideraretur.

§. 6. Sed et ex Interdictis, Quod vi aut clam, aut Interdicto, Unde vi, audire poteſt.

BASILICA: *κινεῖται παρ᾽ αὐτῷ καὶ τὸ περὶ βίας.*

CONSPECTVS.

Cur ex Interdictis, quod vi aut clam, et Interdicto, unde vi, audire iubeatur?

CUr vero ex his duobus duntaxat? Forſan quia omnia crimina ad eum pertinent. Vis autem crimen eſt, ob quod interdicta haec competunt. Vel quoniam urbis ſecuritas eius fidei commiſſa, ad quam pertinet, ne qua cui vis fiat. Pertinet huc TACITVS *lib. 6. Annal. 11.* ubi dicit, ad praefectum pertinere, ſi quod civium audacia turbidum.

§. 7.

§. 7. Solent ad praefecturam urbis remitti etiam tutores ſive curatores, qui, male in tutela ſive cura verſati, graviore animadverſione indigent, quam ut ſufficiat eis ſuſpectorum infamia: quos, probari poterit, vel nummis datis tutelam occupaſſe, vel praemio accepto operam dediſſe, ut non idoneus tutor alicui daretur, vel conſulto circa edendum patrimonium quantitatem minuiſſe, vel evidenti fraude pupilli bona alienaſſe.

BASILICA: Παραπέμπονται αὐτῷ οἱ κακῶς διαγινόμενοι κηδεμόνες, καὶ μείζονος ἐπεξελεύσεως χρῄζοντες· καὶ οἱ δεδωκότες χρήματα ἐπὶ τῷ ἐπιτροπεῦσαι, ἢ λαβόντες εἰς τὸ ἐμποδίσαι γενέσθαι ἐπιτήδειος· καὶ οἱ ἐπίτηδες ἧττονος ἀπογραψάμενοι τὰ τοῦ νέου πράγματα, ἢ φανερῶς κατὰ δόλον ἐκποιήσαντες.

CONSPECTVS.

1. *Praetor urbanus ius removendi tutorem habebat.*
2. *Graviter puniendus ad praefectum urbis remittitur.*
3. *Facta atrocia quaenam?*

SI graviori animadverſione indigent, *inquit ICtus.* Prae- 1
tor enim urbanus ſolum habebat ius removendi, ſicut et legatus Proconſulis. Etſi dubitatum de eo fuiſſe appareat ex *l. pen. de offic. eius, cui mand. eſt iurisd.* inprimis ex *l. 1. §. 4. ff. de ſuſpect. tut.* Neque ergo is poterat extra ordinem punire tutorem remotum. *l. 1. §. ſuſpecti. ff. ad SCtum Turpilli.* Nam, ob facta atrociora, in tutela admiſſa, apud Praetorem accuſatus ad
Praefectum urbis remittitur, graviter puniendus, *l. 1. §. ult. ff.* 2
de ſuſp. tut. v. gr. vinculis publicis. *l. 3. §. pen. ff. eod.* Scilicet, ſi ſit de Plebeiis, ſed libertus, etſi nihil aliud fecit, quam quod fraudulenter tutelam filiorum Patroni geſſit, tamen ad Prae-
fectum urbis remittitur. *l. 2. ff. de ſuſp. tut. 3.* Haec autem facta 3
atrocia, quae hic recenſet VLPIANVS, totidem verbis repetit MARCIANVS *lib. 3. Inſt.* cuius eſt. *l. 9. ff. de tut.* Et pertinent eo quoque *l. 3. §. 15. ff. de ſuſp. tut. et curat.*

§. 9. Praeterea curare debebit Praefectus urbi, ut nummularii probe ſe agant circa omne negotium ſuum: et temperent his, quae ſunt prohibita.

BASI-

BASILICA et *Ecloga* LEONIS et CONSTANTINI *tit. 4.* Φροντίζει καὶ τοῦ πιστῶς συναλλάσσειν τοὺς τραπεζίτας, καὶ ἀπέχεσθαι τῶν κεκωλυμένων.

CONSPECTVS.

1. *Nummularii.*
2. *Differunt ab argentariis.*
3. *Eorum certum corpus, officium publicum.*
4. *Negocia.*
5. *Ad illorum menſam pecuniae deponebantur.*
6. *Scriptura menſae.*
7. *Obligatio nominum ſine ſtipulatione unde?*

1 NVmmularii, argentarii, ἀργυράμοιβοι, ἀργυρογνώμονες, κολλυβισταί, menſarii, τραπεζῖται, coactores, *l. antep. §. argentarius. ff. de ſtatu lib.* argentariae menſae exercitores, ἀργυροπράται, nummos dicebantur vendere, pro nummis, quos dabant permutanti alios, lucelli aliquid accipientes, quod *collybus* dicitur latine *aſpratura.* CVIACIVS *obſ. 10. c. 14.* SVIDAS: ἀργυραμοιβός, ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, ὁ ἀργυροπράτης, καλλεκτάριος. Idem repetit in voce, κολλεκτάριος. Et totidem verbis Gloſſae LABBAEI in κολλεκτάριος. Sic appellantur et in *l. quisqu. C. ſi certum petatur.* Proprie tamen
2 differunt argentarius et nummularius, ut hic eius quaſi inſtitor, miniſter et mercenarius ſit; ille exercitor, et, ut IVSTINIANVS appellat, οἱ τραπέζης προεστῶτες, ἢ προεστηκῶτες. Diſtinguit eos invicem PAVLVS *lib. 3. ad Edict.* unde *l. 9. §. 2. ff. de edend.* Et vel ex hoc titulo quoque colligere eſt differentiam. Hic enim §. nummulariorum mentionem facit. Quare ſi prorſus iidem fuiſſent argentarii, compilatores iuris ſtatim ſubieciſſent *l. 2.* quae de argentariis. Id enim ab ipſis plerumque ſervari pa-
3 tet. Erant hi coactores, qui in auctionibus pecuniam ab his, cui quid venditum fuerat, cogebant. Fuit eorum certum corpus ſive σύστημα, quorum erat publicum officium, *l. argentarius. 10 ff. de edend. l. quod privilegium. ff. depoſiti*, fides publica, *l. ſi ventri. §. in bonis. ff. de reb. auct. iud. poſſeſſ.* tabernas et menſas, cum aere in foro poſitas, habebant, *l. qui tabernas. ff. de contrahent.* Eorum negocia fere erant trium generum. Ut
4 auctionarentur quorumcunque res, *l. 8. de ſolut. l. 18. de petit. haered.* ut argentum ſignatum venderent, aut examinarent, quanti

Digitized by Google

quanti eſſet nummus aut ſolidus aliquis, cuius auri, an probus, an ſubaeratus, an aequi ponderis; vt foenori nummos locarent. Sed et apud eorum menſam pecuniae deponebantur cuſtodiendae. *l. 7. §. 2. ff. dep.* Hinc, qui pecuniam 5
ſoluebant creditoribus ſuis, aut qui etiam aliis foenore collocabant, vel eam ex arca ſua ſumere ſolebant, vel ex menſa nummularii; quae ibi depoſita ſeruabatur, aut foenore collata, vel etiam, ſi verſuram facturi erant, ſub vſuris a menſario accipiebatur, idque exprimebatur in chirographo, vtrum ex arca, an ex ſcriptura menſae numeratum eſſet. Quae 6
ſcriptura menſae nihil aliud erat, quam numeratio pecuniae, per menſarium facta, quam, quia in codicem rationum referebat nummularius, inde ſcripturae nomen, quemadmodum Graecis, διαγραφὴν ποιεῖν, eſt numerare pecuniam, de qua per ſcripturam ante nummulario erat cautum. Iubebantur enim nummularii, quod iuſſu contrahentium gerebant, diligenter perſcribere, vt CAIVS ait in *leg. argentar. 10. ff. de edend.*
Hinc aequum praetori viſum eſt, vt argentarii rationes iis, 7
quorum cauſa confectae, exhiberent etiam acturis aduerſus ipſos. Et ex hac ſcriptura naſcebatur obligatio nominum ſine ſtipulatione. CVIACIVS *in l. ſi plures. 9. ff. de pact.* Vide SIGONIVM *lib. 1. de iure civ. c. 11. et lib. 2. c. 10.* SALMASIVS *de vſur. et de foen. Trapez.* Vt ergo negotia ſua fideliter gererent, Praefectus curare debebat, de quibus Marcum, Philoſophum, tuliſſe CAPITOLINVS tradit.

§. 11.

Cura carnis omnis, vt iuſto pretio praebeatur, ad curam Praefecturae pertinet. Et ideo forum ſuarium ſub ipſius cura eſt; ſed et caeterorum, ſiue pecorum, ſiue armentorum, quae ad huiusmodi praebitionem ſpectant, ad ipſius curam pertinet.

Baſilica: Φροντίζει δὲ καὶ τ̃ δικαίοις τιμήμασι τὸ κρέας πιπράσκεσθαι. Eodem modo et LEO.

CONSPECTVS.

1. Cura annonae et rerum venalium ad Praef. V. pertinuit.
2. Annona.
3. Explicatur Vlpianus.

4. Caro Porcina. Eius diſtribuendae autor Aurelianus.
5. Quomodo vendebatur?
6. Lampridius illuſtratur.
7. Duarenus, Donellus, Hilliger refutantur.
8. Proponere quid?
9. Diuerſa lectio in l. 17. ff. de compenſ.
10. Romae magna carnium vilitas.
11. Praebere quid?
12. Corporati ſub Praef. V. poteſtate.
13. Suarii immunitatibus gaudebant.
14. Inſcriptio vetus.
15. Exagio vendere.
16. Cura annonae hodie pertinet ad circulos.
17. In comitiis ad Mareſchallum Imperii.

1 PErtinuit ad Praefectum vrbis cura annonae et rerum ve-
nalium populi Romani. *l. 1. C. h. t.* Et ſub eius diſpoſi-
tione erat Praefectus annonae, vt eſt *in Notitia* Vide
2 ZONARAM *in Theoph.* Quemadmodum cura annonae militaris
ad Praefectum praetorio pertinebat. VALESIVS ad AMMIANVM
MARCELINVM *lib. 14. p. 18: et 47.* Annona intelligitur, quic-
quid ad victum pertinet, *l. 6. de extraord. crim. t. t. ff. ad Iuli-
am. de ann. l. un. C. de ann. et capit.* De Praefecto autem an-
nonae confer LIPSIVM *ad Annales Taciti c. 7.* et ad SENECAM *de
breuitate vitae.* AVGVSTINVM *de civ. Dei c. 17.* LIPSIUM *lib. 1.
Elect. c. 8.* Solius autem carnis mentionem facere credo VL-
3 PIANUM, quod caetera ad Praefectum annonae ſpectarent. *l. 1.*
4 *C. h. t.* Caro autem erat, inprimis porcina, populo valde gra-
ta, cuius in eum diſtribuendae autor Aurelianus, teſte VO-
5 PISCO. Eius, vt et bubulae libra vendebatur octo minutis.
Sub Alexandro redacta eſt ad duos minutos. LAMPRIDIUS *in
6 Alexandro c. 22.* Verba Hiſtorici ita habent: *Cum vilitatem P.
R. ab eo peteret, interrogauit per Curionem, quam ſpeciem ca-
ram putarent. Illi continuo exclamauerunt carnem bubulam at-
que porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem propoſuit, ſed
iuſſit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactentem, ne quis
vaccam, ne quis damalionem, tantumque inter biennium, et pro-
pe annum, porcinae carnis fuit et bubulae, vt cum fuiſſet octo mi-
nutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigere-
tur.* Deſiderauit populus *vilitatem.* Ita enim ex libris regiis
et PVTEANI membranis CASAVBONVS emendauit. Et ita quo-
que Palatinos duos codices legiſſe, teſtatur GRVTERVS ad
hunc LAMPRIDII locum, libris editis mendoſe *edulitatem* prae-
feren-

ferentibus. Pro qua tamen nihili voce, totoque ignorata La-
tio, acriter contendit DVARENVS, *1. diſp. 26.* pro Duareno DO- 7
NELLVS, *16. comment. 15.* pro Donello HILLIGER, *lit. P.* Sed nec
analogia patitur, ut praeſtatio rerum edulium edulitas appel-
letur, et ſimile vix oſtendere poterit DONELLVS. Fruſtra ergo
eſt, quando audacem manum (procul dubio intelligens CVIA-
CIVM) LAMPRIDIVM corrupiſſe paratragoediatur. Nec moror
HILLIGERI, *recte.* Non enim mutata lectio manus Cuiacianae,
aut Caſaubonianae, Gruterianaeve, quos et SALMASIVS ſequi-
tur, facinus, ſed ab auctoritate MSCtorum optimae notae eſt.
Neque ſententia loci controverſi ſenſum alium fert. Nam ſi
non annonae *vilitatem*, ſed largitionem *edulium* populus pe-
tiit, cur quaeſivit Alexander, quam ſpeciem caram putarent?
Quaſi vero largitio ſolius carioris annonae fuerit? Deinde
nec largitio annonam efficit viliorem, quam tamen ſua
conſtitutione viliorem effeciſſe hiſtoricus innuit. Ait enim,
non propoſuiſſe quidem *edulitatem*, ut legunt DVARENVS et
DONELLVS, ſed effeciſſe tamen, ut ex octo minutali libra por-
cinae et bubulae duorum aut vnius minuti libra fieret. Ergo
nihil ſecundum petita populi Alexander feciſſet, deſiderantis
rerum edulium largitionem, ſiquidem largitionem non prae-
ſtitiſſet, ſed vilitatem tantum bubulae et porcinae. Ad id,
quod populus flagitauerat, facere voluiſſe Alexandrum, LAM-
PRIDIVS, ſed per edictum tantum id efficere noluiſſe, oſtendit.
Si ergo illud, quod a populo petitum erat, non quidem per
edictum, ſed re ipſa effecit Alexander, vtique vilitas petita
fuerat. Eam enim, non largitionem fecit. Nec ferit Dilem-
ma DONELLI, quod ita fere habet: *Dicit Lampridius, Alexan-
drum non propoſuiſſe vilitatem. Aut igitur proponendi verbo in-
telligas et Alexandrum non praeſtitiſe, non exhibuiſſe, non effe-
ciſſe vilitatem, et textu ipſo refutaris, quia Lampridius indicat,
vilitatem ab eo maximam inductam: aut* proponendi verbum
*ſignificabit, Alexandrum ſibi non propoſuiſſe, non animatum fu-
iſſe exhibere vilitatem, et id quoque erit falſum. Nam Lampri-
dius indicat, id maxime egiſſe Alexandrum.* Non, *inquam,* ur- 8
get DONELLVS. *Proponere* eſt, uſitata ſatis ſignificatione, *publi-*

ce edicere, per edictum proponere, adeoque ſic datur tertium, vt
9 Magiſtri loquuntur. Quare vox illa nauci *edulitas*, neque
obtrudenda erat PAPINIANO in *l. 17. ff. de compenſ.* quod agunt
DVARENVS et DONELLVS. Sed omnino ibi retinenendum *ae-
dilitatis*. Nec obſtat, quod DONELLVS cauſatur, ſeruata hac
lectione, qua aedilis proponatur tractaſſe annonam publicam,
non poſſe cauſam annonariam non eſſe, adeoque denegari
compenſationem, per *l. 3. C. de compenſ.* quae tamen, retenta
aedilitatis voce, in hoc textu concedatur. Perperam enim
DONELLVS putat, nullam debitorem ex cauſa frumentaria com-
penſare poſſe, quod nuſpiam in iure traditur: ſed hoc iuris
eſt, quod debitor Reipublicae duntaxat, ſeu qui Reipublicae
aut fiſco ex cauſa annonaria debet, is demum compen-
ſare non poſſit. Iam ſi aedilis arctiorem annonam praebuit,
ſeu parcius et malignius annonam diſtribuit, quam debebat,
certe inde nequaquam fit debitor Reipublicae, ſed ſingulo-
rum, quos iuſto annonae modo fraudauit. Sed hac relatius
egimus recitationibus publicis *ad tit. ff. de compenſat.* Redea-
mus ergo ad carnem, cuius ſub Alexandro libra duobus aut
10 vno minuto etiam venibat. Et alias Romae magnam carni-
um vilitatem fuiſſe, PLINIVS *lib. 18. c. 3.* auctor eſt, et aſſibus
ſingulis XII. carnis pondo aliquando vendita. Minutus, *λεπ-
τὸν* Graecis, HERO ALEXANDRINVS *in fragmento de re numaria*,
*δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο, τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον
βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο.* Erant ergo denarii. Vi-
de DN. GRONOVIVM *de ſeſtertiis p. 196.* HILARIVS *in enarratione
Pſalmi 128.* duos denarios inopis viduae acceptiores Domino
ait copioſis divitum numis. Duo denarii HILARII ſunt Evan-
geliſtae, *δύο λεπτά*. Vide SALMASIVM *ad Vopiſcum p. m. 355. lit. E.*
Denarius erat octava pars unciae, cui quatuor ſeſtertii aequi-
valebant. Minutus ergo argenteus faciebat einen halben Reichs-
ort. 3. gr. EPIPHANIVS *Σίκλος, ὃ λέγεται καὶ κοδράντης τέταρτον
μὲν ἐστι τῆς οὐγκίας, ἥμυσι δὲ τοῦ στατῆρος, δύο δράχμας ἔχον.* Cu-
11 ra haec fuit, vt praeberetur iuſto pretio caro, vt praeſto eſ-
ſet, vt copia haberetur iuſto pretio. Praebere enim eſt fa-
cere, vt haberi, comparari poſſit, non eſt tradere. Vide CON-

NANVM

NANVM *lib. 3. c. 7. n. 3.* Quare et forum ſuarium, et caetero-
rum, ſiue pecorum, ſiue armentorum ad ipſius curam ſpecta-
bat. Et condita in horreis urbis curabat, *l. 1. C. de condit. in*
publ. horr. id eſt, corporatorum curam, quales piſtores, ſua- 12
rii, boarii, pecuarii, ſuſceptores vini, lignorum, frumenti, o-
lei portitores, calcis coctores, qui in certum corpus coacti,
et ei corpori, quaſi ſeruitute obſtricti erant, ex officio habe-
bat. Vide *titt. C. de priuileg. corp. urb. rom. de piſtor. de ſuar.*
ſuſcept. vin. et caet. corp. lib. XI. Inprimis ſuarii immunitati-
bus gaudebant, quos porcinarios urbis aeternae nominant im-
peratores *in l. C. de ſuar. ut ſordidis functionibus liberentur.* A-
ctiones excipiebant et inferebant apud Praefectum urbi, ſub 13
cuius diſpoſitione, legimus in *Notitia*, fuiſſe etiam Tribunum
fori ſuarii, de quo inſcriptio: *Fl. Vrſacius V. P. Tribunus co-* 14
hortium urbanarum X. XI. et. XII. Fori ſuarii. Et vendebatur
ad pondus, non oculorum libertate. *l. 4. C. Th. de ſuar.* Id erat
exagio vendere. Huc pertinet Turcii Aproniani, Praefecti 15
urbi auctoritas, quam VOLATERRANVS *Anthropol. lib. 20.* reprae-
ſentat, exſtantem in hortis ad aedem Apoſtolorum, cuius
meminit et CVIACIVS. Praefecturam urbicam is Apronianus
iniit Conſtantio II. et Conſtante Coſſ. pridie Idus Iulias, A. C.
339. Ita vero habet:

Ex autoritate Turcii Aproniani Praef. U.

Ratio docuit: utilitate ſuadente, conſuetudine mercandi (*forte micandi*) ſummota, ſub exagio potius pecora vendere, quam digitis colludentibus tradere, vt, appenſo pecore, capite, pedibus, et ſeuo lactante, et ſubiugulari lanio cedentibus, reliqua caro cum intraneis proficiat venditori, ſub conſpectu publica fide ponderis comprobata, ut, quantum caro occiſi pecoris appendat, et emtor norit, et venditor, commodis omnibus a praeda damnata, quam Tribunus, officium, Cancellarius et ſcriba de pecuariis capere conſueverant. Quae forma interdicti et diſpoſitionis ſub gladii periculo cuſtodienda mandatur.

Prae aliis grata fuit populo porcina, quam primus gratuito praebuit Aurelianus, VOPISCVS *in Claudio.* Quo facit conſti-

Digitized by Google

16 tutio Conſtantini ad Lucrium Verinum, *l. 2. de Th. de ſuar.* Et altera Iuliani ad Fl. Apronianum, *l. 3. C. T. de ſuar.* ut porcinae ſpecies periculo ſuariorum populo adfatim praebeatur. Hodie in imperio Germanico cura annonae pertinet ad circulos. LIMNEVS *in iure tom. 4, ad lib, 1. 7. 32.* Et in Comitiis ad Mare-
17 ſchalcum imperii. ARVMAEVS *de comitiis c. 6. n. 80.*

§. 12. Quies quoque popularium et diſciplina ſpectaculorum ad Praefecti urbi curam pertinere videtur. Et ſane debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere, ad tuendam popularium quietem, et referendum ſibi, quid ubique agatur.

BASILICA: *καὶ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς τῶν θεωρειῶν καταστάσεως καὶ ἔχει στρατιώτας ἐπὶ τῇ εἰρήνῃ, καὶ ἐπὶ τὸ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ πανταχοῦ κινήμενα.*

CONSPECTVS:

1. *Populus, popularis.*
2. *A. Lipſio diſceditur.*
3. *Aurigarum ſeu agitatorum quatuor genera, coloribus veſtium diſtincta.*
4. *Milites ſtationarii cui uſui?*
5. *Statio militum.*
6. *Spectaculis praeerat Tribunus voluptatum Romae.*

1 POpulus, Popularis, pro factione circenſi, VOPISCVS *in L. Vero. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei a populo praſinorum ſaepe modius aureorum poſtularetur.* IVVENALIS:

Accipe victori populus quod poſtulat aurum:

Eodem modo, quo δῆμος Graecis, *Epigrammate in Porphyrii laudem lib. 3. Antholog.* Sic SALLVSTIVS: *Catilina cum ad iusiurandum populares ſceleris ſui adigeret.* SENECA, *de vita beata: Mea quidem haec ſententia eſt, invitis hoc noſtris popularibus dicam, ſancta Epicurum et recta praecipere.* Ubi populares ſuos appellat Stoicos. Sic *populares coniurationis* idem SALLVSTIVS.
2 2. Non enim placet *popularia* exponere cum LIPSIO *3. Epiſt. qq. 18.* et PACIO *anały. Cod. h. t.* id eſt, conſeſſum theatralem populi, ut equeſtria, equitum. Quo refert ille Calliſtrati, *l. 28. §. 3. de*

3. depoen. turbulentas acclamationes. Quod notat CASAVBONVS 3
quoque *ad Capitolinum.* Confer CVIACIVM. *8. Obſ. 29. 3.* Tralatitium eſt, fuiſſe quatuor aurigarum ſeu agitatorum genera veſtium coloribus diſtincta, Praſini, Veneti, Ruſſati, Albati, Vide ONVFRIVM PANVINIVM *de ludis circ. lib. 1. c. 10.* Quorum ſtudia ad ſeditiones et turbas usque ſaepe procedebant. Vide TACITVM *1. Annal. 77. et 13. A. 25. 11. A. 12.* PROCOPIVM *in ἀνεκδον* Prae- 4
fecti ergo erat, quietem popularium et diſciplinam ſpectaculorum curare, et propterea diſpoſitos milites ſtationarios habere. TACITVS *Annal. 13. Fine anni ſtatio cohortis adſidere ludis ſolita demovetur. Quo maior ſpecies libertatis eſſet, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebs daret experimentum, an amotis cuſtodibus modeſtiam retineret. Suet. lib. 6. Sed adiuvante vulgi preces ſtatione militum, quae tunc excubabat, repraeſentaturum ſe pollicitus eſt, ac ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharoedorum inſcribi iuſſit.* Statio mi- 5
litum milites certo loco diſpoſiti, ut ſtatio germanorum. SVETONIVS *in Nerone c. 34.* Porro diſciplinae quoque ſpecta- 6
culorum praeerat Tribunus voluptatum Romae, de quo formula CASSIODORI *lib. 7. c. 10.* Vide VIZZANVM *de mandat. Princip. p. m. 17.* Solebat etiam ſaepe inprimis turbatis rebus, cum comitio interdiceretur, populus in circis et theatris convenire. Quo magis, ad tuendam quietem, ſtationes ibi militum haberi oportebat. Vide CASAVBONVM *ad Spartianum.*

§. 13. Et urbe interdicere Praefectus urbi, et quavis alia ſolitarum regionum poteſt, et negotiatione, et profeſſione, et advocationibus, et foro, et ad tempus, et in perpetuum. Inderdicere poterit et ſpectaculis: et, ſi quem releget ab Italia, ſummovere eum etiam a provincia ſua.

BASILICA: *Δύναται ἀπαγορέυειν τινὶ τῆς πόλεως, καὶ μέρους αὐτῆς, καὶ πραγματείας τινός, καὶ ἐπιτηδεύσεως, καὶ συνηγορίας, καὶ Φόρου, ἤτοι ἀγορᾶς, καὶ προσκαίρως, καὶ διηνεκῶς, καὶ θέας. Ἐὰν ἐξορίσῃ τινὰ τῆς Ἰταλίας, εἴργειν αὐτὸν δοκεῖ καὶ τῆς οἰκείας πατρίδος.*

CON-

CONSPECTVS.

1. *Praefectus urbe interdicere poteſt.*
2. *Interdicere.*
3. *Relegatio hodierna qualis?*
4. *Oſtraciſmus.*
5. *Laus Dn. Ioh. Andr. Boſii.*
6. *Quibus locis Praefectus interdicere poſſit?*
7. *Regiones ſolitae.*
8. *A Godofredo diſceditur.*
9. *Item, a Cuiacio et Corraſio.*
10. *Q. Claudii, Trib. pleb. plebiſcitum.*
11. *Ulpianus explicatur.*
12. *Profeſſio.*

1 UT relegare Praefectus, ita et interdicere urbe, et quavis
2 alia ſolitarum regionum poteſt. 2. Interdicere eſt, ſi quis certo loco abeſſe iubetur, vel certo loco excluditur, relegare, ſi certo loco includitur. 3. Hinc, quae noſtris
3 moribus uſurpatur, lata potius fuga aut interdictio, quam relegatio, etſi ita ſolet dici, eſt. Vide *l. 5. et 7. ff. de Interd. et releg.* Sic ſaepius in agros relegatos legas. SVETONIVS *in Auguſto, c. 24.* Et Livia, apud DIONEM, inter leviores poenas κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ recenſet, notante CASAVBONO. Quo pertinet et illud, vt SVETONIVS appellat, relegandi novum exemplum, a Claudio uſurpatum, ut ultra tertium lapidem ab urbe vetaret egredi. *lib. 5. c. 25.* Sed tamen et CICERO antea Roma 468. millia paſſuum abeſſe iuſſus. DIO *lib. 38.* Et Fridericus I. §. *1. vers. etc. qui*
4 *vero ad praedictam de pac. ten. 2. Feud. 53.* Latae fugae ſimilis erat
5 oſtraciſmus, de quo vide CORNELIVM NEPOTEM *in Cimone*, et quae ibi notat vir Clariſſimus, *Dn.* IOH. ANDR. BOSIVS, Profeſſor Academiae noſtrae celeberrimus, et humaniorum literarum decus, *5. 3. 1.* Et quia nemo interdicere alia, atque quam regit, pro-
6 vincia poſſit: *l. 7. §. 10. ff. de interd. et releg.* Hinc Praefectus no-
7 ſter ſola urbe et *ſolitis regionibus* poteſt. *Solitae* ſunt *urbicariae*
8 vel *ſuburbicariae.* CVIACIVS *2. Obſerv. 14. Errat itaque* DION. GODOFREDVS *ad h. §. lit. o.* qui ſuburbicarias intelligi negat, et Italiae regiones intelligit, idque auctore, ut ait, CVIACIO. Sed CVIACIVS diſerte urbicarias exponit, etſi non negat, et de illis al-
9 teris accipi poſſe. Quod tamen nec CVIACIO largiendum ALBER GENTILIS *1. Epiſt. 10.* accipit de regionibus urbis, ſeu de XIV, intra urbem regionibus, quod probat BACHOVIVS non ſine cavillo in ANT. FABRVM, quaſi miſellus FABER (ſic ait BACHOVIVS ignoras-

noraſſet Romae urbis regiones iſtas. Satis petulanter, incogi-
tanter. Iam enim apud VLPIANVM proceſſerat, quod poſſit Prae-
fectus interdicere urbe. Quis iam dubitandi locus, quin et ur-
bis XIV. regionibus? Quaſi urbe quis interdici poſſit, nec ta-
men urbis plateis. Errat non minus CORRASIVS *ad h. §.* qui per
ſolitas intelligit regiones originis, incolatus et delicti, quibus
praeter urbem delinquentes plerumque interdicebat. Pergit
VLPIANVS, et, interdicere eum quoque poſſe

Negociatione,

ait. Erat Plebiſcitum Q. Claudii, Tribuni plebis, qui tulerat, 10
ne quis Senator, quive Senatoris pater eſſet, maritimam na-
vem, quae pluris quam 300. amphorarum eſſet, haberet. LIVIVS
lib. 21. fin. Praeterea, ne quaeſtorii ſcribae negociationem ex-
ercerent. Nam periculum fore, ne de pecunia publica ne-
gotiarentur. Quam legem Domitianus, Imperator, in uſum
reduxit, et diligenter obſervari iuſſit. Fuere et Senatores na-
vibus interdicti, lege Iulia Repetundarum. *l. 3. ff. de vac. exc.*
mun. Sed VLPIANVS hic non agit de interdictae per leges ne- 11
gociationis perſequutione, nec mercium quorundam impor-
tatione, vel exportatione vetita, ſed de eiusmodi interdicto,
quo certi homines loco poenae negociatione abſtinere iuben-
tur. *l. 9. §. 9. ff. de poen.* ubi additur, et poenae inſtar eſſe, ſi quis
ad conductionem eorum, quae publice locantur, accedere,
vel ad vectigalia publica, prohibetur: Eodem modo et

Profeſſione

interdicit Praefectus. Profeſſio eſt ſui cuiusque vitae gene- 12
ris manifeſtatio, qua quis prae ſe fert, ſe eius artis vel generis
eſſe. *l. 26. in fin. C. de epiſc. et cler. Profeſſio flagitii*, de meretri-
cibus, apud TACITVM *2. Annal. 82. Profeſſio* argentariorum, *l. 6.*
§. 9. de edend. Diverſorum operum *profeſſores. l. ſing. §. 1. C. de*
monopol. Profeſſio *de mulieribus ſcenicis, l. iubemus. 23. §. 1. C. de*
nupt. Artis magicae *profeſſio.* CVRTIVS *in Hiſtor. 7, 4. Profeſſio*
Oratoris. CICERO *de Oratore* et ita hoc loco accipitur. Praefecti
eſt interdicere et

Advocationibus.

l. 9. pr. ff. de poen. l. 6. in fin. ff. de poſt. l. 6. §. ult. mandat. l. 1. C. de poſtul.

Et foro.

d. l. 9. §. 4. de poen. Addit ICtus: *Et ad tempus, et in perpetuum.* Nec obſtat, quod Praeſes ultra adminiſtrationis ſuae tempus interdicere alicui arte ſua non poſſit. *l. ult. pr. ff. de poen.* Vel enim aliud eſt arte interdicere, quod gloſſa reſpondet, aliud advocationibus et ſimilibus. Vide BACCHOVIVM *h. l.* Vel in Praeſide erat ſingulare, ex conſtitutione Antonini, ut CVIACIVS *ad Nov. 134.* Confer *Gloſſam ad l. 1. C. de poſtuland.*

§. *ult.* Divus Seuerus reſcripſit, eos etiam, qui illicitum collegium coiſſe dicuntur, apud Præfectum Urbi accuſandos.

BASILICA: *Παρ᾽ αὐτῷ κατηγοροῦνται καὶ οἱ ἀθέμιτα ποιοῦντες συστήματα.*

CONSPECTVS.

1. *Collegia quaedam vetita in Rep. Rom.*	3. *Collegia nova diſſolvunt Iul. Caeſar et Auguſtus.*
2. *Originem debent Numae.*	

1 COllegia, praeter pauca, lege vel SCto probata, vetita fuerunt in Republica Romana. Et fuit hac de re reſcriptum Imperatoris, Severi, ut VLPIANVS hic, et MARCIANVS *l. 1. ff. de colleg.* innuunt. Iunge *l. 1. ff. Quod cuiusque*
2 *univerſ. nom.* Originem collegia Numae debent. PLVTARCHVS *in Numa*, et PLINIVS *in hiſtor. natur. lib. 34. c. 1.* Sed nihi-
3 lominus praeter illa publice probata ſubinde coibant factiones titulo collegii novi, ad nullius non facinoris ſocietatem, qua de cauſa Iulius Caeſar et Auguſtus praeter antiquitus conſtituta, diſſolviſſe reliqua leguntur. SVETONIVS *in Auguſto, c. 32.* Idque propter eminens periculum coniurationum et proditionum, quae ſolent ex conventiculis conflari. Sed nec hodie collegia pro cujusque libitu, ſed ex legibus publicis habere licet. SCHEPLIZ *ad conſuetud. Brandenburg. p. 4. tit. 15.* von Handwercken: Quod cognoſcitur ex literis fundationis, arca communi et ſigillo. BERLICHIVS *deciſ. 150. n. 5.* Vide de collegiis in Republica Romana BRISSONIVM *in ſelect. antiquit. c. 14.* CVIACIVM 7. 30. GREGORIVM 15, 32. Matth. STEPHANI *de Iurisd. lib. 2. part. 2. c. 6. n. 79.*

§. ult.

§. ult.

VLPIANVS lib. 2. ad Edictum.

Praefectus urbi, cum terminos urbis exierit, poteſtatem non habet, extra urbem poteſt iubere, iudicare.

BASILICA: ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος ἐξελθὼν τῶν τῆς πόλεως ὅρων, οὐ δύναται, τὴν ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἐπαρχότητος. ἔτοι μέντοι ὢν ἐν τῇ πόλει δύναται κελεύειν τινὶ δικάζειν ἢ καὶ ἔξω τῆς πόλεως: LEO et CONSTANTINVS: ἐξελθὼν δὲ τοὺς ὅρους τῆς πόλεως, ὅσον γε ἐπὶ τῇ ἐπαρχότητι ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, πλὴν τοῦ κελεύειν δικάζειν.

CONSPECTVS.

1. *Praefectus urbis, terminos egreſſus, poteſtatem non habet.*	5. *Diverſae lectiones.*
2. *Variae Interpp. opiniones.*	6. *Neutra proba.*
3. *L. 2. de V. S. explicatur.*	7. *Poteſtas quid?*
4. *Terminus quid?*	8. *Vera mens huius legis ult.*

SUpra diximus, urbis terminos eſſe muros. *l. 2. d. V. S.* Prae- 1
fectus ergo, cum hos egreſſus fuerit, poteſtatem non
habebit. Quomodo ergo dabit iudicem? Quidam In- 2
terpretes ita componere iſtud ſatagunt, quod termini urbis us-
que ad centeſimum lapidem debeant intelligi: Urbem autem
finiri muris. Ergo diſtinguunt urbem a terminis urbis, hoc
ſenſu, quod extra centeſimum nulla quidem praefecti fuerit
notio, at intra hos limites, intra centeſimum ſcilicet, adeo-
que intra urbis terminos, ſed tamen extra urbem; ſed vereor, 3
ut adſtipuletur PAVLVS in *l. 2. de V. S.* Quando enim dicit PAV-
LVS, quod urbis appellatio finiatur muris, quid aliud vult,
quam urbem muris terminari, id eſt, terminum urbis non eſſe
centeſimum lapidem, ſed muros ac portas. Iam ſi muri urbis
ſunt termini, id, quod extra muros eſt, non erit urbis terminus.
Et fient ita termini ſine terminato. Et facit quod VLPIANVS *l. 1.*
§. 4. h. cum dixiſſet de admiſſo intra urbem, ſubiicit κατὰ διαστο-
λὴν, ſi quid intra centeſimum, ut nihil certius, quam, quod in-
tra centeſimum ſit, non pertinere ad urbem, ſed eſſe extra ur-
bem. At extra urbem non eſt, niſi quod ultra terminos urbis.
Terminus enim eſt, qui diſcernit, quod intra eſt, ab eo, quod 4
extra. Centum autem illi lapides ſunt extra urbem. Sic et
Graeci intellexere; ἐξελθὼν δὲ τοὺς ὅρους τῆς πόλεως, ὅσον γε 5
ἐπαρχότητι ἐξουσίαν οὐκ ἔχει πλὴν τοῦ κελεύειν δικάζειν. Alii auxili-

um

Digitized by Google

um ab emendatione petunt. Et certe, iam olim varie lectam le-
gem penultimam, ex ACCVRSII gloſſis liquet, et ſubindicat ibi
BARTOLVS, ut merito eam in dubium vocet DVARENVS *inf. ad h. t.*
Et GODOFREDVS notat, ſe in MSCto quodam reperiſſe, *nec ex-*
6 *tra urbem.* HOTOMANNVS legit, *intra urbem, 4. obſ. 22.* Neutra
lectio proba: Si enim urbem accipias, quae muris terminatur,
falſum eſt, praefectum non poſſe in ſuburbiis et regionibus ſo-
litis iubere iudicare: ſin pro poteſtate urbica, ſupervacuum
fuit monere, eum, qui extra territorium ſuum privatus eſt, nec
poſſe iudicem dare. Nec HOTOMANNVS magis proficit. Inanis
enim repetitionis καὶ ταυτολογίας reum facit ICtum. Quis enim
in dubium vocet, num Praefecto licuerit intra urbem iubere
iudicare, intra quam omne imperium conſtitit. HOLOANDER et
CORRASIVS ita legunt: *Praefectus urbi, cum terminos exierit, po-*
teſtatem non habet: Extra tamen poteſt iubere iudicare. Hoc ſen-
ſu; Praefectus urbi, cum terminos poteſtatis ſuae, qui cente-
ſimus lapis eſt, exierit, poteſtatem non habet: Extra tamen eos
conſtitutus, nihilominus poteſt iubere iudicare, dummodo
datus ab eo iudex intra terminos urbis iudicet. *l. cum unus. 12.*
§. 1. de reb. aut. iud. poſſ. BARTOLVS vult, quod Praefectus, in ur-
be manens, potuerit iudices dare usque ad centeſimum, non
potuerit autem, muros urbis egreſſus. Sed cur intra terminos
iurisdictionis ſuae, intra centeſimum lapidem, idem non po-
tuerit, nulla apparet ratio. Nihil verius eſt, quam ab VLPIANO
in d. l. duo proponi, quorum alterum praefectus poſſit, alterum
vero non poſſit. Illud, quod non poteſt, eſt, habere poteſta-
tem extra urbis terminos. Quid eſt poteſtas? Reſp. PAVLVS *lib. ſing. ad L.*
7 *Fuſium Caniniam. in l. 215. ff. de V. S.* in perſonis magiſtratuum ſignificari im-
perium. Et VLPIANVS *l. 3. ff. de iuriſd.* inquit; *merum imperium poteſtatem*
8 *appellari.* Ergo Praefectus urbi non habet imperium, extra urbis termi-
nos progreſſus, intra urbem habet. Nam, quae imperii ſunt, anguſtius
uſurpantur, et praeterea quaeſtiones rerum capitalium ex oppidis in urbem
protrahi ſolebant, ut patet ex SYMMACHI *lib. 9. Epiſt. 129* Id vero, quod ha-
bere dicitur VLPIANO Praefectus extra urbem, eſt iubere iudicare, id eſt, dare
iudicem, quod iurisdictionem extra urbem, extra urbis terminos, et pote-
ſtatem ſeu imperium intra urbem, ut recte explicat ALEANDER, iunior, *de*
ſuburb. reg. c. 2. Quam explicationem ſequitur SALMASIVS *in Euchar. ad-*
verſus Sirmondum.

F I N I S.

IOAN-

IOANNIS STRAVCHII

ICTI

KALENDAE IANVARIAE

SIVE

COMMENTATIO SVBITANEA

IN

LEGEM SINGVLAREM CODICE VTROQVE

DE

VOTORVM OBLATIONE.

BRVNSVIGAE M. DC. LXVII.

Digitized by Google

V. N. M. A.

DN. HENR. AB. ADENSTEDE.

CONSVLAT. BRVNOP. PRIN. REIP.
PATRIAE. PRAESIDI.

VIRTVTIS. MAIOR. SVORVM.

PATRICIO. SANGVI.
NATALIBVS. ANTIQVISSI.
HEREDI. AC. POSSESS.
SENATVS. INCLVT. ORNAM.
PATRONO.

D. S. E. M.

IOH. STRAVCHIVS. ICTVS.
EXPR. II. ACAD. MVNVS.
EX. SINGVLARI.
VOTO.

L. M. Q. P.

Digitized by Google

SEntio tandem magna cum voluptate animi me non reum voti, ſed damnatum etiam, Magnifice Praeſes, ex quo faſces Tibi, Summati Conſulum, iam dudum meritis tuis virtutique debiti, non, ut olim in vrbe, rerum domina, menſibus, ſed, quod auguſtius eſt, alternis annis praeferentur.

Simul enim atque in hanc vrbem, ab ordine ampliſſimo luculentis invitatus conditionibus, veni, reique publicae fui admotus, quemadmodum non obſcure deprehendi, famam ac gloriam priſtinae, perque innumeros avos transmiſſae dignitatis magiſtratui adhuc ſalvam illibatamque ſupereſſe: Ita laudari, ut priſcos illos praeteream Semones, non ita pridem tum e rebus humanis ſublatos, PAVLOS, OLFIOS, magnos olim animos, et faſtigio huic pares, audiebam, et laudari ideo magis, quod ſine ſpe potiundi deſiderarentur. Dolebam infelicitatem meorum temporum, ſive quod mihi hinc abeſſe, illis ſuperſtitibus, ſive quod exemtos mortalibus illos, praeſente me, oporteret. Igitur ſaepius in TE, contentiusque intuebar, in quo notaſſe mihi videbar maiora rerum praeclarius gerendarum auſpicia, quibus cum invidia praeteritorum temporum virtutem veſtram atque fortunam paria facere poſſe ſperabam. Quare optabam ſaepius, precatusque ſum, vt vivo videnteque me contingeret, humeris tuis ſedere auguſtam illam trabeam, quae, faſcibus urbis atque ſceptris armata, ſi non poſſeſſionem vindicaret priſcae felicitatis, auctoritatem tamen illi aut ſecundam, aut aemulam repraeſentaret.

Enim vero non is ſum, qui paucorum egregia facta cum tot vivorum, atque defunctorum multo plurium meritis invidioſe velim committere, ut, quae ſideribus natura eſt, minora validiorum oppoſitu obſcurentur: Quin lubens fateor, haut facile contingere poſſe, ut aut tot praeclarorum, et in rebus agundis exercitatorum, qui Senatum hic eligunt, virorum iudicia a ſcopo penitus aberrent, et opteturis, qui, ad dignitatem et ſummam rei quod conferat, nihil omnino habeat: Aut, ſi maxime quis, vitiorum ſordiumve ſuarum veſtigia callidius forſan et pro tempore tegendo, ſemel obrepere huic ordini

queat,

queat, ut non poſt unius alteriusve biennii revolutionem, acriori cenſura, hunc gradu viciſſim depellere liceat: Tamen, cum et vitia, cognatarum virtutum ſpecie, etiam prudentiſſimis imponant, tum virtutum non una, nec ſimilis ſit ratio, aliaeque vitam privatam ornent, aliae egregio publico comparentur, et regentium propriae ſint, quis adeo ſuffenus ſit, qui, ſi forte non ſit prorſus ἀναλφάβητος, ſi ab ambitu transverſus non temere abripitur, ſi in commercio civium inter ipſos ſibi rarius plus tribuit, ſi amicitias non ex utilitate, aut, quod peius, turpi lucro parat, ideo menſuram publicae poteſtatis illico impleſſe, et omnes rectoris numeros abſoluiſſe ſibi videatur? Non dicam, quam ſaepe contingat, qui principio magnum ad ſalutem publicam momentum attulerant, in ipſo quaſi curriculo aut lapſare, aut ceſſim ire. Quam ſaepe contingit, ut ſcite ait Traiani laudator, aliquem quaeſitam domi gloriam in publico, aut in publico partam domi perdere; Quoties adhuc videas, virtutem, quaſi urgentibus fatis, fortunae ſuccumbere, conſilia occulto corrumpi, motore ſucceſſuque prudentiā fraudari, nec raro fortunam, cuius iuventuti favit, ſeneſcenti proterve illudere. Quare, quod OLFIOS, quod PAVLOS, COSS, et nunc demum caelo vindicatum KAMMANVM, iam noſtro tempore in hac republica clarum, et, quae rara ſocietas eſt poteſtatis cum probitate, virum optimum, poſt fata, vbi livori, ubi odiis, ubi calumniarum prurigini iam partes amplius nullae ſunt, nominatim deſiderent homines, non debet ad ignominiam clariſſimis viris aliis, quorum nomina reticentur, expetere: Praeſertim cum ad laudem abunde adhuc poſſit eſſe, vel in ſecundis aut tertiis conſtitiſſe. Et inuſitata prorſus, nec niſi pauciſſimis conceſſa haec felicitas eſt, ſuae famae gloriaeque ſuperſtitem intereſſe. Mihi vero praefiſcini eſſe debet, TE audiente, videnteque, Clariſſime Praeſes, tua praedicare merita, quae et rem ipſam auctorem, et conſcientias publicas hominum huius aevi habent teſtatiſſimas; et vota nunc demum mea publicare, quando iam et communibus ciuium ſociata votis, et comprobata patrum iudicio, et ab eventu pro-

proſperrime fuerunt cenfirmata. Quare reſtat, ut me voti religione nunc exſolvam. Fecerunt id quoque iam alii, et fortaſſe ſplendidius, maiorique impenſa, ſive, more urbis, votivo vino, ſive pretioſis quibusvis aliis. Liceat vero mihi, quod populo romano lubenti animo licere voluit Honorius, imperator, una, ſed romana, defungi libra auri, puritati ſuae et nitori a me reſtituti, nec ad monetalis, ſed criticae artis obruſſam excocti. Licebit ſane; apud TE praeſertim, Patrone, qui ſemper benevolentia tua, etiam tum, cum nihil mihi facilius eſſet, quam inter extraneos inimicos inveniſſe, eoque tempore, ubi aerugo ſaevarum mentium, et nigrae loliginis ſuccus alia omnia auribus hominum, prout eſt calumniae ingenium, ingereret, me amplexus, tam conſtanter ſuſtinuiſti, deque ſtudiis, de geſtis, animoque noſtro, quippe iam dudum exploratis, Tibique probatis, tui ſemper ſimilis, mihi aequiſſimus, praeclare et ſenſiſti ſemper, et ſenſurus porro es. Quod ſupereſt, dum votum pridem nuncupatum perſolvo, nova iterum haec ſigno, ut, quem hodie fecerunt fata publica Conſulem, eſſe ſemper patiantur. Et, ſi maxime his olim ſederit, quod deprecor, felicitati urbis hactenus invidere, non culpa Rectoris noſtri id fiat, ſed ſeculi. Deum vero, Praeſidem cuſtodemque urbis, pro rebus humanis adoro atque veneror, ut non magis incolumitati urbis, quam annis et fortunae CONSVLIS addere perpetuitatem velit: Aut, ſi quid forſitan humana ſorte maius precor, ſaltem, ut ſervet eum non liberis ſolum noſtris; ſed feris quandoque nepotibus ſucceſſoresque ei non alios, quam quos ipſe ſuſcepit, nec ante tribuat, quam ubi ſimiles ſui diſciplinis exemplisque domeſticis, atque ſuſtinendae rei publicae moli iam pares educarit. Eant in ſeculum Adenſtediorum, eant illa omnium dignitatum in urbe, illa priſcae avitaeque virtutis nomina. Ibunt, ſcio. Extollat ob Te, Conſul, caput Brunſviga, ut Roma olim in Aniciis; Sintque Adenſtedii, ſit parens, ſint filii, quod Romae Probus, quod Probinus, quod Olybrius, conſulum parens, conſulum ſoboles, conſules ipſi, non ſolum Brunſuiga, ſed Roma digniſſimi, ſi, qualis Roma Probo, COS, qualis Probino,

 qualis

qualis Olybrio erat, eſſet. De caetero, auctoritati dignitatique veſtrae, Vir meritiſſime, ſic ego ſemper inſerviam, non ut me in conſiliis aſſidentem, ſed inter aſſiduos atque clientes putem. Dabam e Muſeo, die octavo Iduum Ian. anni 1667.

Σὺν Θεῷ.

Diſſertatio ad L. ſingularem Codd. Theodoſiani et Iuſtiniani

DE

OBLATIONE VOTORVM.

Codex Theodoſ.

Impp. Arcadius et Honorius, *AA. Baſilio, Praef. U.*

QUando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri ſolidi ſeptuaginta duo obryziaci Principibus offerendi devotionem animo lubenti ſuſcipimus. Statuentes, ut deinceps ſequentibus annis unius cuiusque ſedulitas Principibus ſuis talia ingerant ſemper et deferant. *Dat. III. Nonas Martii, Med. Olyb. et Probino Coſſ.*

CAP. I.

Explicatur rubrica.

Varia lectio tituli. AGitur hoc titulo de oblatione votorum. Ita enim eſſe legendum, non, *de obſervatione, vel obligatione votorum*, ut quidam libri habent, vel ex CODICE THEODOSIANO liquere poteſt. (Oblatio, quid?) Oblatio eſt nihil aliud, quam praeſtatio, functio, illatio, exhibitio, ſolutio eius, quod vel pollicitatione, vel conventione, vel publica indictione, devotioneque debitum erat. (Oblatio, nomen tributi.) Eſt alioqui peculiaris quaedam ſpecies penſitationis, ut ex ASCONIO *ad IV. Verrinam* conſtat, ſimilis ei, quam hodie ſubſidia auxilia, Galli, *les aydes*, appellant, ut cenſet BUDAEUS ad *tit. ff. de Offic. Quaeſt. pag. m. 300.* eumque ſequitur P. GREGO-

GREGORIVS *lib. 3. Syntag. cap. 6.* Sed ſpeciali hoc ſignificatu hoc loco non videtur poni. Etſi enim non nego, votivas praeſtationes ad genus oblationum eſſe referendas, oblationis tamen vocem hic poſitam ita nego. Nam et indictitia, et imperata tributa, quae neceſſitatem praeſtandi publicis legibus, non ex obligatione pollicitantis habent, offerri paſſim dicuntur. Ita oblationis obſequia, *l. 7. in f.* oblatio auri et argenti luſtralis, *l. 8. C. Th. de luſtrali collat.* dicuntur, quae in caeteris legibus eiusce tituli praeſtatio, ſolutio, illatio nominantur.

Fruſtra itaque ſunt, qui oblationem votorum intelligunt de actu vovendi, ſeu ipſa pollicitatione, votique ſponſione. Quod amplius apparet ex titulo, proxime antecedente noſtrum, CODICIS THEODOSIANI, *de oblatione equorum*, qua utique non promiſſio, ſed exhibitio equorum venit. Diverſa itaque erant, *fieri, concipi, nuncupari, ſuſcipi*, ab his ſcilicet, *vota*, qui preces faciebant pro eventu quolibet: *Et offerri, ſolvi, reddi, perſolvi vota.* Quod dicebatur de his, qui, compotes voti, ſe religione ſolvebant, praeſtando pollicita. Quod *Diis meritis, merentibusve* reddere dicebant. OVIDIVS *5. Faſt.* Diverſa ſunt, vota facere, et ſolvere.

Redduntur MERITO debita vina Iovi.

Et 4. Triſt. El. 2. Dii merentes, meriti.

Munera det MERITIS ſaepe datura Deis.

Eadem ratione, qua *meriti honores, meritae arae, dona merita* bonis auctoribus uſurpantur. Hinc in notis ſingularibus, V. S. L. M. *Votum ſolvit lubens merito.* Primum itaque vota concipiebantur, cum concepta eſſent, inſcribebantur, ſignabanturque.

SVETONIVS *in Auguſto, c. 97. Vota, quae in praeteritum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum, Tiberium, nuncupare iuſſit. Nam ſe, quanquam conſcriptis paratiſque iam tabulis, negavit ſuſcepturum, quod non eſſet ſoluturus.* PLINIVS *lib. 10. epiſt. 44. ad Traianum: ſolemnia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continentur, et ſuſcepimus, Domine, pariter et ſolvimus, precati Deos, ut velint, ea ſemper ſolvi ſemperque ſignari.* Obſignata affigebantur Deorum ſtatuis. IVVENALIS *ſat. 10.*

Legitime fixis operitur tota tabellis Porticus. Vbi interpres:

Digitized by Google

Vota genubus Deorum affixa.

pres: *id eſt, devotis precibus impletur.* Praecipue autem genubus Deorum affigebantur, et quidem cera. Hinc illud IVVENALIS, *ſat. 10.*

Genua incerare Deorum.

Qua voce etiam utitur ſemel atque iterum PRVDENTIVS. LVCIANVS *in Philoſpeude:* πολλοὶ, ἦδ᾽ ὅς, ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, καὶ ἄλλα νομίσματα, ἔνια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν κηρῷ κεκολλημένα.

CAP. II.

De inſcriptione et ſubſcriptione legis.

Lex Arcadii et Honorii.

Reſcriptum hoc eſt Arcadii et Honorii, filiorum Theodoſii primi, qui, a Patre vivo adhuc in imperium adſciti, ab obitu illud partiebantur, ut Honorio occidens, oriens Arcadio maneret. Vide ZOSIMVM, SOCRATEM, PHILOSTORGIVM, SOZOMENVM, MARCELLINVM, Comitem. Directum eſt ad Baſilium, Praefectum urbi. Exſtat ad Baſilium quempiam Alexandri imperatoris, reſcriptum *l. 5. C. Inſt. ſi nupt. ex reſcr. pet.* ſed id nihil ad noſtrum. Nec magis huc pertinet is, ad quem Diocletianus et Maximianus A.A. in *l. 5. de except. et praeſcript.* reſcribunt. Procul dubio autem is eſt noſter, qui ſub Gratiano, Valentiniano et Theodoſio comes ſacrarum largitionum audit *l. 36. C. de decur.* Merobaude II. et Saturnino Coſſ. quae eſt *l. 101. C. Th. de decur.* Et *l. 4. C. Th. de immunit. conceſſa,* Honorio VII. et Theodoſio II. Coſſ. Meminit enim eius ZOSIMVS *lib 5.* eumque ἔπαρχον ἀξίᾳ τετιμημένον ait. Quo titulo Praefecti urbi nuncupari ſolent. Et ita puto corrigendam inſcriptionem *l. 1. C. Th. Qui bon. ex L. Iul. ced.* ubi Conſulem libri praeferunt. At Conſules ſubſcriptos habet *d. l.* Auſonium et Olybrium. Niſi conſularem forte legeris.

Baſilius, quis?

L. 1. C. Th. Qui bon. ced. ex L. Iul.

Datum eſt reſcriptum Mediolani, Italiae metropoli, ut dixi *in diſſertat. de centum Lapidibus,* Vbi Theodoſius fatis functus erat, cum prius Honorium ad ſe eo accerſiviſſet, PHILOSTORGIVS. *lib. 11.* ZOSIMVS *lib. 4. extremo,* SOZOMENVS *lib. 4. cap. 4.* MARCELLINVS, Comes, *in chronico,* eique Occidentem commiſiſſet, OLYMPIODORVS *apud Photium,* id eſt, Italiam, Hiſpaniam

Mediolanum, metropolis.

niam, Gallos atque Africam. Fallit tamen interdum ſcriptura, et pro, *Mediolani*, legendum, *Medianae*, ut in *l. 8. C. Th. de iure fiſci*. Nam cum Valentinianus Niceae v. Kal. Martii ut tradit SOCRATES *lib. 4. cap. 1.* Valens autem ſub finem Martii Conſtantinopoli Imperatores facti, Aprilem et Maium in Thracia exegiſſent, certe Mediolano reſcribere non poterant. At vero ex AMMIANO MARCELLINO *libr. 26.* amplius conſtat, Imperatores hoſce, percurſis Thraciis, Naeſſum veniſſe, ibique in ſuburbano, quod appellatum, MEDIANA, comites partitos fuiſſe, ut ait MARCELLINVS, oportet itaque, ut leges, quas initio imperii ſui ad Iunium Menſem usque promulgarunt, alibi, et quidem in Thracia, quam Mediolani fuerint perlatae. Interdum non Mediolani, ſed Medianae vel Mediano legendum. Mediana, ſuburbanum Naesſi, Thraciae.

Edita eſt haec conſtitutio III. Idus Martias; Olybrio et Probino COSS. Hos fratres germanos, Sextum Anicium Hermogenianum Olybrium et Sextum Anicium Probinum, carmine panegyrico aeternitati conſecravit CLAVDIANVS, Poeta. Pater fuit Sextus Anicius Petronius Probus, vir omnium privatorum maximus, ut ait ONVPHRIVS. Eius dignitates ſub unum adſpectum inſcriptiones duae, in antiquis duabus baſibus Romae, in domo Caeſia, collectas exhibent. Olybrius et Probinus. Eorum Pater.

SEXTO. PETRONIO. PROBO. V. C.
PROCONSVLI. AFRICAE.
PRAEFECTO. PRAETORIO.
QVATER. ITALIAE. ILLYRICI.
AFRICAE. GALLIARVM.
CONSVLI. ORDINARIO.
PATRI. CONSVLVM.
ANICIVS. PROBINVS. V. C.
CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIVS. PROBVS. V. C.
QVAESTOR CANDIDAT. FILII.
MVNVS. SINGVLARI. RELIGIONE
DEBITVM. DEDICARVNT.

II.

SEXTO. PETRONIO. PROBO.
ANICIANAE. DOMVS.
CVLMINI. PROCONSVLI.
AFRICAE. PRAEFECTO.
PRAETORIO. QVATER.
ITALIAE. ILLYRICI. AFRICAE.
GALLIARVM. CONSVLI.
ORDINARIO. CONSVLVM. PATRI.
ANICIVS. HERMOGENIANVS.
OLYBRIVS. V. C. CONSVL. ORDI-
NARIVS. ET. ANICIA. IVLIANA.
C. F. EIVS. DEVOTISSIMI.
FILII.
DEDICAVERVNT.

Exſtant apud SYMMACHVM *lib. 4.* aliquot ad hos fratres epiſtolae. Et auxit utique ſplendorem gentis, quod et natalibus, et dignitate eſſent pares. VELLEIVS ſcribit *lib. 2. c. 8.* ſingulari exemplo fratres duos, Metellos, uno die triumphaſſe; Fulvios duos, germanos, collegas in Conſulatu, duos Metellos, patrueles, in cenſura fuiſſe. Addamus, annus urbis DLXXIV. duos fratres, Q. et P. Mucios Q. F. Scaevolas, Praetores habuit. Adde Othonem et Titianum, ſimul COSS. TACITVS *1. hiſtor. 77.* Iulianum atque Paulinum, fratres, COSS. Imperatore Conſtantino, anno, quo ſynodus Nicaea celebratur. Denique Severini Boethii filios, Felicem Gallum et Secundinum, anno Chriſti, DXI. ut coniicit BARTHIVS *ad Claudianum.* Mater fuit Proba Faltonia, matrona laudatiſſima, avia paterna Demetriadis. HIERONYMVS *in epiſtola ad Demetr.* Fuit enim Demetrias, virgo, neptis ex filio Olybrio, non e filia, ut BARONIVS tradit. Haec Proba Alarico Romam dedidiſſe ferebatur. PROCOPIVS *lib. 1. Vandal.* Quod tamen BARONIVS refellit *in Annal. tom. V. A. C. 410.* De ea inſcriptio:

Exempla fratrum, eadem dignitate potiorum uno tempore.

Mater conſulum horum,

ANI-

ANICIAE. EALTONIAE. PROBAE. FIDEI. ET. NOBILITATIS. ANTIQVAE. ORNAMENTO. ANICIAE. DOMVS. FAMILIAE. SERVANDAE. AC. DOCENDAE. CASTITATIS. EXEMPLO. CONSVLVM. MATRI. CONSVLVM PROLI.

Cognomen Olybrii, vel, ut quosdam libros habere BARTHIVS teſtatur *ad Claudianum*, Olymbrii ei fuit ab Olymbria, quae et Selybria, et Selymbria, ſed et Eudoxiopolis Imperatoribus, Honorio et Theodoſio II. dicta eſt, ut docet ſubſcriptio *l. 2. C. Th. de praed. et mant. curial. et lib. 61. C. Th. de haeret.* Thraciae oppido, in quo partem patrimonii habebant Anicii, quippe quos, opum amplitudine orbi Romano, per quem univerſum patrimonia poſſiderent, cognitos, laudat AMMIANVS *lib. 27.* Vide Dn. REINESIVM, *τὸν πανεπιστήμονα*, Patronum de me longe meritiſſimum, *epiſt. 69.* Beatus HIERONYMVS *in epiſt. ad Demetriadem, Olybrii filiam: Nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, et illuſtris Anicii ſangvinis genus, in quo aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit conſulatum. Aut proferendus Olybrii, Virginis noſtrae pater, quem, immatura morte ſubtractum, Roma congemuit. Vereor plura dicere, ne ſanctae matris vulnus exaſperem, et virtutum eius recordatio fiat doloris inſtauratio. Pius filius, vir amabilis, clemens dominus, civis affabilis, conſul quidem in pueritia; ſed morum bonitate ſenator illuſtris. Felix morte ſua, qui non vidit patriam corruentem. Immo felicior ſobole, qui Demetriadis, proaviae, nobilitatem inſigniorem reddidit Demetriadis, filiae, perpetua caſtitate.* Vnde nomen Olybrio?

CAP. III.

Ipſam reſcripti ſanctionem proponit.

Cum ex rubrica appareat, agi de oblatione eorum, quae votis promiſſa erant, iam Imperatores genus promiſſi cum ex ratione temporis, tum ex qualitate rei ſponſae deſignant.

Aiunt ergo: *Quando votis communibus felix annus aperitur:* Felix annus appellatur ex omine, et qualem vellent perennare. Svavis hic eſt LVCAS ille PENNALIS, qui annum ferti-

Kalendis Ian. vota fiebant. ferтilem exponit. Continent autem haec verba temporis πεϱιςαλικὸν, deſignantque cum diem ipſum primum, Kalendas nempe Ianuarias, tum diem tertium poſt eas. Kalendis ipſis laetae praecationes initium capiebant. PLINIVS *lib. 28. cap. 2. Cur primum anni incipientibus diem laetis precationibus invicem fauſtum ominamur.* Iunge OVIDIVM *1. Faſtor. ad Janum.* Egregie HERODIANVS *lib. 1. c. 16.* Cuius verba, ſed latine, ex verſione politiſſima POLITIANI. non parco adſcribere:

Diem (anni ineuntis) *Romani feſtum agunt. Ad Janum, vetuſtiſſimum Italiae Deum, referentes, cuius etiam Saturnum ipſum, ab Iove, filio, pulſum, quum in terram deſcendiſſet, fuiſſe hoſpitem praedicant, et, quod ibi latuiſſet, nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani ſaturnalia prius, dein vero initium anni more ſuo concelebrant. Eſtque eius diei biceps imago, ut a quo incipit, et in quem deſinit annus. Potiſſimum Romani invicem ſe colunt, ſalutantque et numiſmata alter alteri, caeteraque omnifariam munera miſſitant, ſummique magiſtratus, conſpicuam ſibi et ſolennem purpuram induunt.* TIBVLLVS *de Meſſala lib. 4.*

Non modo fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem.
Indueras, oriente die, duce fertilis anni.

ſubdit:

Annum aperire. *Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis*

Dicunt itaque Imperatores ſcite, communibus votis annum aperiri. VIRGILIVS *Georg. lib. 1. v. 217.*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus.

CICERO *de natura Deor. ſtellas aperire,* ait. Et STATIVS *4. ſilv. 1.* *Inſignemque aperit Germanicus annum.* SYMMACHVS *lib. 10. epiſt. 20. Kalendas anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur.* Et *lib. 1. epiſt. 13. Primores Kalendas Ianus aperiebat.* SIDONIVS APOLLINARIS *lib. 8. epiſt. 6. Sub cuius magiſtratu conſul Marius anni ſui fores aperuerat.* Feſtae igitur gentilibus hae Kalendae: Chriſtianis vero non item. Quin hac die ieiunabant. *Chriſtianis Kalendae non erant feſtae.* Vt teſtatur AMBROSIVS *Serm. 17.* CONCILIVM TOLETANVM IV. *can. 10. In temporibus,* ait, *reliquis, id eſt, Kalendis Ianuariis, quae propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluia non decantabitur, in quibus etiam, praeter piſcem, et olus, ſicut in illis quadra-*

Digitized by Google

draginta diebus caeteris omnibus abſtinetur. Quieſcere tamen et his lites, et fora iubent Imperatores Valentinianus, Theodoſius et Arcadius, Timaſio et Promoto Coſſ. *l. 2. C. Th. de feriis.*

In acta Principum iurabatur.

Porro his Kalendis in acta Principis iurabatur. Id erat eiusmodi. Libera Republica non iurabatur in cuiusquam acta. Sed penes magiſtratum erat, utrum, finito alicuius magiſtratu, acta probare is vellet, an reſcindere. Primi triumviri et iurarunt ipſi, ſe Iulii Caeſaris acta rata habituros, et populum, ut iuraret, adegerunt. Vide LIPSIVM *ad lib. 16. annal. Taciti n. 39.* BRISSONIVM *lib. 8. de formul. P. Rom.* P. FABRVM *1. Semeſtr. in f. de magiſtr. p. 200.* PLINIVM *panegyr. ad Traian.* ubi formula iuramenti.

III. Nonas Ian. vota pro Principe facta.

Et haec quidem Kalendis ipſis. At vero pro ſalute Principis, aeternitateque Imperii vota ſolemniter concipiebantur die III. poſt Kal. Ianuarias, ſeu A. D. III. Nonas Ianuarias, id eſt, ante diem III. Non. Ian. Ita enim loquebantur Romani; A. D. IV. Eidus, item: Exante diem IV. Eidus; intelligentes diem Iduum, cuius ῥήσεως rationem exponit SCALIGER *de emendatione tempor. lib. 2. pag. m. 174. A. B.* Confer CVIACIVM *ad l. qui ante etc. 13. ff. de V. S.* Docet CAIVS noſter in *l. ſi calvitur. 233. §. 1. de V. S.* ibi: *Poſt Kalendas Ianuarias die III. pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur.* LVCIANVS ψευδολογ. Ἦν μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχὴ, μᾶλλον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς μεγάλης νουμενίας, ΤΡΙΤΗ, ἐν ᾧ οἱ Ρωμαῖοι κατά τι ἀρχαῖον εὔχονταί τε αὐτοὶ ὑπὲρ ἅπαντος. etc.

Inſcriptio vetus:

Inſcriptio vetus.

IISDEM. COSS. III. NONAS. IANVAR. SVLPITIVS. CAMERINVS. MAGISTER. COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE. VOTA. NVNCVPAVIT. PRO. SALVTE. NERONIS. CLAVDI. DIVI. CLAVDI. F.

Formula voti ſolvendi.

Diem ergo III. Nonas Ianuar. innuunt Auguſti, quando votis communibus annum aperiri inquiunt. Quod pluribus probat LIPSIVS *ad XVI. annal. Taciti.* Formula ſolennis erat: *Hunc tibi, Iupiter, bovem cornibus auro decoratis vovemus eſſe futurum.* Vbi LIPSIVS pro, *futurum,* malit, *facturum,* invitis tamen

Digitized by Google

Vota dies. III. N. Ian. men inſcriptionibus. Vnde GRVTERI *opus inſcript. fol. 519.* Factum hinc, ut a vovendi actu votorum nomen in ipſum diem transiret, et haec ipſa dies III. VOTA κατ' ἐξοχὴν appellarentur. VOPISCVS *in Tacito: Divorum templum fieri iuſſit, in quo eſſent ſtatuae Principum bonorum, ita ut iisdem natalibus ſuis, et Parilibus et Kalendis Ianuariis et VOTIS, libamina ponerentur.* SPARTIANVS *in Aelio Vero: Orationem pulcherrimam paraſſet, qua Kalendis Ianuariis Hadriano Patri gratias ageret, accepta petitione, qua ſe exiſtimaret iuvari, Kalendis ipſis periit, iuſſusque ab Hadriano, quia VOTA interveniebant, non lugeri.* Confer SCHECKIVM *in lib. 2. Velleii.* GVTHERIVM. *de iure Pontif. lib. 4. c. 13.*

τὰ βοτά, concilii in Trullo. Balſamon improbatur. Manſit ſub chriſtianis Principibus haec eadem appellatio, ut docet noſtrum reſcriptum. Et haec VOTA eſſe ipſa τὰ βοτά, quae *concilium* demum *ſextum in Trullo* abrogavit, *canone 62.* Autumat CASAVBONVS *ad Spartianum*, refutans THEODORVM BALSAMONEM, Patriarcham Antiochenum, qui *in commentario ſuo ſuper canones concilii iſtius* τὰ βοτά exponit πρόβατα ἤλοιπὰ ζῶα, quaſi feſtum quoddam Panis, ovium cuſtodis, fuerit. Balſamonem tamen ſequitur MEVRSIVS, *in lexico graeco-barbaro*, notatus propterea a Dn. REINESIO, viro in omni literatura ſine pari, amico noſtro, *lib. 2. var. lect. c. 4.*

CAP. IV.

Quid offerri Principibus debeat?

Verba textus. SAtis de tempore, quod Imperatores deſcribunt. Videamus, quid fieri eo voluerint.

Codex Theodoſianus.

In una libra auri ſolidi LXII. obryziaci *Principibus offerendi devotionem animo lubenti ſuſcipimus.*

Codex Iuſtinianus.

In una libra auri et ſolidis obryzatis *Principibus offerendi devotionem animo lubenti ſuſcipimus.*

Non

Non ita A. D. III. Nonas Ianuar. precationes ſolum fiebant, pro ſalute Principis; ſed adiiciebatur, quod quisque gratiarum loco, ſi exauditus, ſi damnatus voti eſſet, praeſtare vellet. In qua pollicitatione conſiſtebat *ὑγίεια* voti. Hanc praeſtationem Imperatores noſtri definiunt. Differt itaque donarium illud votivum, et ſtrena: Quod hae miſſitari ſolebant, etiam non promiſſae. Caeterum, antiquitatem ſtrenarum a Tatio, Rege, pene cum ipſa urbis origine repetit SYMMACHVS *lib. 10. epiſt. 29.* Illum enim verbenas felicis arboris ex luco ſtreniae, anni novi auſpices, accepiſſe primum ait. Addit, nomen indicio eſſe, quod viris ſtrenuis ob virtutem debeantur. Graecis ſtrena dicitur ἐναρχισμὸς, ut eſt in gloſſis CYRILLI forte quod oblatione earum felix initium anni fieret. SYMMACHVS *d. l. Epiſt. 20. Kalendas anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, impertiendis ſtrenis dicavit antiquitas.* Reprehendit olim Vlpianum quidam, Cynulcus, apud ATHENAEVM, *lib. 3.* quod ſtrenas ἐπινομίδας appellaſſet, nempe exprobans ei καινοφωνίαν. Quod vir doctus quidam perperam eo refert, atque ſi per religionem nefas fuiſſet, ſtrenam alio, quam ſuo, Romanis indigena, nomine nuncupare. Defendit autem κειτούκειτον noſtrum CASAVBONVS, *animadverſ. in Athenaeum lib. 3. c. 18.*

Strenae antiquitas et etymon.

ἐναρχισμὸς, Graec. ἐπινομίς.

Porro ſtrenas mittebant amici amicis, patroni clientibus, ſenatus et civitas Principibus. Et hoc iam inde ab Auguſti temporibus. Vide SVETONIVM *in Auguſto c. 57.* Sed hoc ſtrenarum commercium prohibuit Tiberius, ultra Kalendas Ianuar. exerceri, offenſus, interpellari ſe toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent. SVETONIVS *in Tiberio c. 34.* Quare et Kalendis ab urbe abeſſe ſolebat, ne hominibus, ob magiſtratus novos et ferias occupatis, negotium praeberet, neve ſtrenas ab iis acciperet, quod Auguſtum feciſſe improbabat, quia ea res multae moleſtiae, multique in rependendo ſumtus eſſet, ut *lib. 57. et lib. 60.* DIO CASSIVS refert. Aliter Caligula, qui, ineunte anno, in veſtibulo aedium palatinarum ad captandas ſtipes ſtetit. SVETONIVS *in Caligula c. 43.* Sed Claudius iterum ſuſtulit aucupium. Certe Auguſtus,

Strenae, a quibus, et quibus miſſae.

Caligula ſtrenas captavit.

ex ſumma oblatorum precioſiſſima ſimulacra mercatus, vicatim dedicabat, teſte SVETONIO. Exſtat inſcriptio, quam profert TORRENTIVS, qua Vulcano poſitum donum:

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS.
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTVLIT.
NERONE. CLAVDIO. DRVSO.
T. QVINTIO. CRISPINO. COS.
VOLCANO.

Item vetus Lapis:

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CAESAR. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNITIAE. POTEST. XVIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI.
CONTVLIT. K. IANVAR. ABSENTI.
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RVFO. COSS.

Addit ibi SVETONIVS, Auguſtum tantummodo ſummarum acervos delibaſſe, neque ex quoquam plus denario abſtuliſſe. Errat hic AMAYA *in comment. ad lib. 10. Cod.* qui Tranquilli verba ita accipit, atque ſi ex ſtrena, Auguſto in Capitolio dedicata, ipſe Princeps ſimulacra fuiſſent mercatus. Imo, ex ſumma ſtrenarum non ſtrenam dedicatam, ſed emta ſimulacra ipſum Auguſtum dedicaſſe ait.

Tranſiit haec, ut Imperatores Arcadius et Honorius uſurpant, devotio etiam in iſtud ſeculum, teſte LIBANIO *in Kalendis*, et SYMMACHO. Vnde Imperatores noſtri, liberalitatem ad certam ſummam civilemque modum redigentes, unam libram auri definiunt. Vbi Codicis Theodoſiani lectio manifeſte ſoloeca eſt, vel potius in mendo cubat. Quid enim eſt? *Suſcipimus devotionem offerendi Principibus ſolidi LXII. obryziaci?* Quare aut legendum: *In ſolidis*: aut; *ſolidos ſeptuaginta duos obryziacos* reſcribi, ſtructura ſermonis poſtulat.

Emendatur Codex Theod.

Docet

Docet ergo hoc reſcriptum, libram auri continuiſſe poteſtate ſolidos, ſeptuaginta duos. Quod confirmat *l. 13. C. Th. de ſuſceptor.* ubi : **Libra auri tenuit LXXII. ſolidos.**

Illud etiam cautionis adiicimus, ut quotiescunque certa ſumma ſolidorum pro tituli quantitate debetur, et auri maſſa transmittitur, in LXXII. ſolidos libra feratur accepto.

Eadem conſtitutio reperitur et in CODICE IVSTINIANO, *tit. de ſuſceptoribus;* quinta. Accedit ſynopſis BASILICORVM *lib. 56. tit. 5. c. 12.* ibi : τῷ ἐν δικαίῳ ςαθμῷ δέχεσθαι τὰ καταβαλλόμενα, ἐχούσης δὲ λίτρας, οβ. N. N. Itemque HARMENOPVLVS προχειρ. 3. τίτλ. 7. §. τὸ μὲν ἄχρι. Ibi quaerit : ὅπως δὲ καλοῦνται οἱ τόκοι ἑκατοσταῖοι τῆς λίτρας μὴ τοσουμένης εἰς ιϛ ἀλλ' εἰς οβ. Et in hac ſupputatione convenit ISIDORO *lib. 19. orig. c. 24.* ALCIATO *3. diſp. 9.* BVDAEO *lib. 5. de aſſe.* COVARRVVIAE *de vett. numiſm. collat c. 3. n. 3.* GEORGIO AGRICOLAE *lib. 2. de ponder. et temp. mon.* Sed turbat *l. 1. C. Th. de ponderat. et auri illat.* ibi Conſtantinus. **L. 1. C. Th. de ponderat. examinatur.**

Si quis ſolidos appendere voluerit auri - - cocti, ſeptem ſolidos quaternorum ſcriptulorum noſtris vultibus figuratos appendat, pro ſingulis unciis : Quatuordecim pro duabus. Et reliqua.

Iam quia uncia facit partem duodecimam librae, ſi ſepteni ſolidi in ſingulas uncias putantur, libra non erit ſolidorum LXXII. ſed LXXXIV.

12. *unciae.*
7. *ſolidi.*
84.

Putat igitur IACOBVS GODOFREDVS, vir divinarum humanarumque rerum ſcientiſſimus, *diatriba de mutatione monetae, pag. 5.* Conſtantinum libram, quae quadraginta octo ſolidis ante conſtabat, octoginta quatuor ſolidorum effeciſſe, ut ſinguli quatuor ſcriptulorum eſſent. **Iacob. Godofredi encomium, et ſententia: Quae expenditur,**

Proinde ſolidos ſeptem quatuor ſcriptulorum a Conſtantino M. taxatos fuiſſe, ſed hanc libram poſtea a Valentiniano, *l. 13. C. Th. de ſuſceptor.* imminutam, et ad LXXII. ſolidos reductam, ita, cum antea ſeptem ſolidi in ſingulas uncias computa-

Digitized by Google

putarentur, a Valentiniani ſenioris tempore ſex tantum fuiſſe computatos. Unde ſolidum vult ſextulam dictam fuiſſe, id eſt, ſextam unciae partem, auctore *Iſidoro, 16. orig. 24.* Eadem qua Graeci ratione *ἑξάγιον* dixerint. Et ita quidem vir iſte incomparabilis. Ei vero quo minus aſſurgere poſſim, multa me impediunt, de quibus iam olim etiam, *diſſertatione 6. ad quinquag. Iuſtiniani deciſiones, c. 1. n. 19.*

et ab ea diſcedi-tur.

Primo enim, quid attinuit *l. 1. de ponderat.* CODICI THEODOSIANO inſerere, ſi Valentinianus iam ante Theodoſium octoginta quatuor ſolidos unius librae ad LXXII. reduxerat? Cui bono Iuſtinianus poſt Theodoſium legem Conſtantini, de 84. ſolidis in ſingulas libras computandis, repetivit, ſi iam a Valentiniano inde libra 72. ſolidis conſtitit? Quid opus, inquam, erat iam Valentiniano, antiquatam legem repetere? Sed nec ratio GODOFREDO conſtat. Si enim libra Conſtantiniana fuit 84. ſolidorum, non potuerunt ſinguli ſolidi quatuor reddere ſcriptulos, quod tamen vult Conſtantinus *l. 1. C. Th. de ponderat.* Fac, ſolidum fuiſſe quaternorum ſcriptulorum, oportet, ut uncia, unde ſeptem ſolidi cuſi, viginti octo ſcriptulos continuerit; libra 336. At conſtat ex VOLVSIO MAECIANO, ICto, libram non plures ducentis octoginta ſcriptulis habuiſſe, unciam non ſupra XXIV. Ergo, ſi ſeptem ſolidi putantur in uncia, hi non poſſunt eſſe quatuor ſcriptulorum. Fac eſſe, non poſſunt in uncia plures ſex, in libra non ultra 72. comprehendi. Fac, unciam XXIIX. ſcriptulos confeciſſe, neceſſario efficies, ut recte

Grono-vius lau-datus.

Dn. FRIDER. GRONOVIVS *in tract. de ſeſtertiis. c. 13. lib. 4.* oſtendit, nec drachmam amplius trium, non ſextulam quaternum, non ſicilicum ſenum, non ſemiunciam duodenum ſcriptulorum manſiſſe, non ſcriptulum ſex ſiliquarum, ſed haec omnia proportione aucta quoque fuiſſe oportuerit, atque adeo ſingulae aſſis libralis partes erant immutandae. Quod vero factum fuiſſe. *πῶ κεῖται?* Quare relinquitur, ut emendanda potius *d. l. 1. C. Th. de ponderat.* cum PANCIROLLO et SAVOTO, *c. 17. de la troiſieme partie du poids et pris antiq. des medailles.* et pro ſeptem ſolidis, VI. et XII. loco XIV. reſtituenda.

Porro oblationem poſtulant Imperatores ſolidorum. Soli-

Digitized by Google

Solidus moneta erat aurea, ut inter eruditos fere conſtat, niſi quod repertus noſtro aevo eſt CASPAR BARTHIVS, qui Romanis ſolidos argenteos cuderet, eosque partem ſextam unciae pendere doceret, adeoque ſextam partem thaleri noſtratis, *libro II. adverſ. 20.* Sed cras credo, hodie nihil. Vide *diſſertationem noſtram* VI. *ad Iuſtin. deciſiones. L.* **Solidus quid, et an argenteus?**

Nomen ſortitus eſt ſolidus, ad differentiam a ſemiſſibus et tremiſſibus aureis, quos Alexander Severus cudit, ut recte COVARRVVIAS. LAMPRIDIVS *in Alexandro: Tunc primum ſemiſſes aureorum formati ſunt: Tunc etiam, cum ad tertiam partem vectigal auri decidiſſet tremiſſes: Dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, exſpectans, ſi vectigal contrahere potuiſſet, ut eosdem ederet: ſed cum non potuiſſet, per publicas neceſſitates, conflari eos iuſſit, et tremiſſes tantum, ſolidosque formari.* **Solidus, quare ſic dictus?**

Solidos volunt Imperatores, ſed obryzatos, ſeu obryziacos. SVETONIVS *in Nerone, c. 44. Argentum puſulatum, aurum ad obruſſam,* FRANCISCVS HOTOMANNVS, vir in politiori literatura et antiquitate non minus excellens, quam iuris ſcientia, *lib. 4. antiquit. rom. p. m. 658.* ita de obryzo: *Obryzum monetales viri purum et excoctum appellabant: Ac fruſtra ſe homines docti in illius verbi notione indaganda fatigarunt, quod in officina monetali natum eſſe, Plinius non obſcure ſignificat, ubi complura eiusmodi vocabula monetalia, et metallariae artis propria. Sic denique nautarum, et ſingulorum fere artificium, et opificum propria quaedam vocabula fuiſſe, facile ex auctorum locis cognoſcere licet. Fuit igitur obryza, obruſſa, probatio, ſeu examen per ignem acerrimum, cuiusmodi hodie eſt, quod cineritium appellant, ut appa-ret* ex *l. ult. C. Th. de ponderat. Vbi Imperator Valentinianus, aureos numos diu multumque cum edacis flammae examine in obryza detineri, iubet. Ubi edacem ignem Ovidii exemplo dicit, cuius ille notus eſt verſiculus:* **Soli obrizati. Hotomanni laus.**

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit.

Nec dubito, quin Conſtantinus, l. 1. eod tit. *ita ſcripſerit: Si quis ſolidos appendere voluerit auri obryza cocti. Nam per*

obri-

obrizam, quidquid alterius metalli admixtum erat, depellebatur. Hactenus Hotomannus.

Etymon obryzae, obruſſae, Quod ait de notione, qua ſe fatigarint eruditi, utique alii aliam quaeſivere, nec de orthographia convenit, obriſum, obruſſum, obrizum; obryzum, obrydium ſcribentibus. Graece, ὄϐρυζον, ſcribit ETYMOLOGVS magnus et ſcholiaſta *Thucydidis lib. 1.* Vt ergo πορφύριζον, Latinis purpuriſſum, ut μάζα, maſſa, et alia id genus, ita poſtulat analogia, ὄβρυζον, obruſſum ut dicatur. **Iſidorus expenditur.** ISIDORVS dictum putat, quod obradiet ſplendore, ſed ita non obryzum eſſet. Sare SALMASIVS legit, *obridium*, Et notum eſt eruditis, ſyllabam, δι, apud Graecos cum ſibilo, quaſi, **ζ pro δι,** ζ, efferri. SCIOPPIVS *in inſtit. grammat p. 190.* Inde Zabolus, diabolus, Zaeta, diaeta, orydia, oryza, trapedia, trapeza. Confer PIGNORIVM *in tr. de ſervis, p. 238.* ibique *epiſtolam Velſeri, p. 275.* CASP. BARTHIVM *in Phaebadium* Dn, DILHERRVM *in guſtu Patrum pag. 343.* SCIOPPIVM *in inſtit. grammat. pag. 190.* Quare SALMASIVS forſan apud Iſidorum non, *obradiet*, ſed *obrideat*, legit. Inquit itaque SALMASIVS, *obridium aurum* apud Iſidorum ut legatur, etymon, quod ſequatur ille, poſcere. Putare enim Iſidorum, ſic dictum, quod rideat: At in impreſſis exemplaribus non rideat, ſed radiat habetur. Sed redimus ad obruſſam, **Obryza, quaſi ἀϐρύστη.** et ſunt, qui, quaſi ἄϐρυστον dictam, volunt, ab ἀϐρύνεσθαι, ſplendeſcere. HIERONYMVS, ab Ophir, quaſi ſit, Ophriſum, *Ieſaiae cap. 13.* et ad *Pſalm. 44.* ad Principiam, virginem. Denique SALMASIVS, *in exercitat. ad Solinum*, derivat a ϐρύειν, quod et βρύζειν, ut ϐλύειν, βλύζειν, πρίειν, πρίζειν. Dicuntur autem βρύειν illa, quae effervеſcendo ſpumant, et quaſi in florem ebulliunt, βρύζειν autem et ὀβρύζειν perinde dicitur, atque βρίμος et ὄβριμος. Sed quidquid tandem de etymo fuerit, veriſſime HOTOMANNVS, eſſe probationis, ſive examinis modum. Svadet CICERO *in Bruto; Adhibenda*, inquit, *tanquam obruſſa, ratio.* Id eſt, ratio ita in examen et probam advocanda eſt, ceu obruſſa adhibetur, ad excoquendum aurum. PLINIVS *lib. 33. c. 3. extremo; Auri experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, quo ignis, atque ipſum obryzam vocant.* Ita enim legendum puto, non obryzum. Hoc enim dicit PLINIVS, nempe, cum coquatur aurum,

rum, quousque colore igneo rubeat, dici obryzam. SENECA *epiſtola 13: Haec animi obruſſa eſt.* Et 4. *naturalium qq. 5: ad obruſſam exigere.* SVETONIVS *in Nerone cap. 44: aurum ad obruſſam.* Et ita ſentit etiam ADRIANVS TVRNEBVS, at quantus vir, *lib. 14. cap. 22.* Vide ALCIATVM *lib. 5. Parerg. c. 1.* BVDAEVM *ad l. in nave ff. locati.* Firmant Gloſſae: *Obruſſa:* τὸ δοκιμάζον τὸ χρυσίον, ὅταν παρατρίβεται. Comitem etiam obruſſae, vel obryzae, poſtliminio ex numis Dn. REINESIVS *epiſt. 51. pag. m. 490.* revocavit, nec non ex notis Valer. Probi et Petri Diaconi. Huic enim COM. OB. exprimitur, *comitia obdurata.* Probus autem, *comitia obriaca, okchiaca.* Quae nihili ſunt, et butabata Naevii. Legendum: *Comitiva obrydiae, vel obryzae.* Quare, collatis inter ſe auctorum locis, propemodum labor, ut putem, obruſſam, forma adjectiva, vitioſe dici. Etſi CVIACIVM et plurimos viros doctos haec dictio habeat auctores. Imo CVIACIVS obruſſam, pro ſolido, obruſſa excocto, ad obruſſam exacto, uſurpat. *7. obſ. 39.* Sed Imperatores noſtri non ſolidos obryzos, vel obruſſos, ſed obryziacos, obryziatos, dicunt. Sed nihil definio. Aliter enim Graeci. Ei vero, quod in hac conſtitutione de LXXII. ſolidis ſtatuitur, non adverſatur, quod SYMMACHVS, ſub iisdem Imperatoribus florens, *lib. 10. epiſt. 28.* de quinque ſolidis, et patera aurea, Principibus oblata, habet.

Comes obryzae, vel obryziaci.

Obiicitur Symmachus.

PANCIROLLVS putat, pateram fuiſſe unius librae, eique ſuperadditos quinos ſolidos. Idque ex verbis legis noſtrae confici opinatur, cum dicitur: unam libram auri, nempe in patera, et ſolidos obryzatos, ſcilicet quinos, eſſe offerendos. AMAYA, ut ſolvat hunc nodum, ad diverſa tempora, quo SYMMACHVS ſcripſit, et quo lex noſtra data eſt, provocat. Fortasſis ſic componenda haec ſunt, ſi diſtinguimus inter Iudices, et quoslibet alios. De illis SYMMACHVS, verbis: *Suſcipite a Iudicibus aperta obſequia.* Per Iudices intelligit Praefectum vrbi et reliquos provinciarum Paeſides, qua notione hoc aevo nihil eſt frequentius. Ad illos ergo magiſtratus nova Imperatorum lex non pertinuit. Falſum autem eſt, quod ait AMAYA, SYMMACHVM, vt Paganum, ritu gentilitio pateram Imperatoribus obtuliſſe, nomine populi Romani. Non enim populi, ſed

Amayae ſolutio.

Noſtra conciliatio.

Amaya refutatur.

ſuo nomine offert. Et quod rogat, ut ſuſcipiantur a iudicibus obſequia, inde non ſequitur, magiſtratuum nomine eum non niſi quinque ſolidos obtuliſſe: ſed ait, quinos offerri, a ſingulis ſcilicet magiſtratibus. Neque patera ad ritum gentilitium reſpicit. Cum enim ſinguli magiſtratus pateram offerant, quorum maxima pars hoc tempore chriſtianam religionem erat amplexa, nihil hic gentilitii ritus quaerendum eſt. Sed fac, SYMMACHVM nomine omnium Iudicum, vel Senatus etiam, ut quibusdam placet, obtuliſſe, quis credat, tot chriſtianos uni gentili ceſſiſſe, ut ſuo ritu offerret? Nihili etiam emendatio eius eſt, dum pro, *et ſolidis*, reponi vult, *ex ſolidis*. Non enim libra exigebatur, quae ex ſolidis conſtaret. Nam perinde habent Imperatores, ſive libra auri infecti, ſive ſignati offeratur. Porro inanis eſt eiusdem AMAYAE quaeſtio, quare imperatores ſummam illam ſolidorum taxaverint, cum non in obligatione, ſed in mera facultate offerentium conſiſteret. Falſum enim et hoc, quod ſumma in mera offerentium voluntate ſita fuerit. Solvebant enim ex voto, unde, quis neſcit, obligationem proficiſci, id eſt, neceſſitatem ſolvendi, *l. 2. pr. ff. de pollicit.* Quare, cum ſummam vovendi taxare non poſſent Imperatores, voluerunt id definire, quod in ipſorum arbitrio erat, nempe quam ſummam vellent accipere. Quare, ſi maxime quis plus ſeptuaginta ſolidis voviſſet, voluere tamen hac lege Imperatores eum neceſſitate voti ſolvere, dum plus ad ſe pertinere nolunt LXXII ſolidis. Fecerat ſimiliter iam antea Iulianus, Imperator, qui, ſeptuaginta aureis pretioſiores, coronas aureas ſibi vetuit mitti. LIBANIVS *in orat. funebr. in Iuliani obitum.*

Amayae emendatio reiicitur.

Eius ſententia improbatur.

Nunc reliqua huius conſtitutionis videamus. Non tantum placet Imperatoribus devotio pro praeſenti, ſed volunt continuari eam ſequentibus annis, et ut uniuscuiusque ſedulitas talia inferat ſemper deferat. Quibus? Principibus ſuis. Sic enim et in ſuperiori colo: Vulgo, principalibus, quod et HALOANDER retinet. Quae vox neſcio an non reſtituenda. Dicuntur Principales, primi ſeu primores curialium, Seniores aut Decani. Vide *l. militaribus. 42.* CVIACIVS *ad l. 33. C. de decur.*

Impp. cavent et in annos futuros.

Principales, qui?

Quod

Digitized by Google

Quod et LVCAE DE PENNA ſuboluit. Hoc ergo recepto, id volunt Imperatores noſtri, ut uniuscuiusque, nempe curialium, ſedulitas Principalibus ſuis haec ſemper, vertente anno, inferat, vel, ut in Theodoſiano, ingerat, et Principalium ſedulitas Principibus deferat. Nec dubito, quin haec tota conſtitutio ad Curiales pertineat. De quorum iniqua conditione alibi dicendi erit occaſio. Hoc tantum addam, illos ad vota, pro Principe facienda, usque adeo fuiſſe devinctos, etiam in epiſtolis ad Principem, ut Rhodienſes, cum neglexiſſent, νομιζόμενον, ut DIO *lib. 57*, nempe ἐυχὰς ποιεῖν, id tanquam inſigne clementiae exemplum in Tiberio obſervatum fuerit, quod illis indulſiſſet, indemnesque dimiſiſſet.

CAP. V.

De abrogatione huius Conſtitutionis.

DIximimus ſupra, non omnes Imperatores ea fuiſſe aventia, (an habentia dicam?) ut ſtrenas captarent. Sed et inprimis religio apud chriſtianos effecit, ut Kalendarum obſervationes et celebritates improbarentur. TERTVLLIANVS, ſeculo tertio, *libro de idololatria* Saturnalia et Kalendas Ianuarias damnat: *Saturnalia et Ianuariae et Brumae et Matronales frequentantur*, inquit, *munera commeant, ſtrenae conſonant, luſus, convivia conſtrepunt. O melior fides nationum in ſuam ſectam, quae nullam ſolennitatem chriſtianorum ſibi vindicat.* Exſtat ſermo, quem AVGVSTINO tribuit GRATIANVS, Decreti compilator, *can. 17. cauſ. 27. q. 7.* de Kalendis Ianuariis, ibi: *Non obſervetis dies, qui dicuntur Aegyptiaci, aut Kalendas Ianuarii, in quibus cantilenae quaedam, et comeſſationes, et ad invicem dona donantur, quaſi in principio anni, boni fati augurio, aut aliquos menſes, aut tempora, aut dies, annos, aut lunae ſolisque curſus:* et reliqua. MARTINVS BRACARENSIS *c. 74. Non licet iniquas obſervationes agere Kalendarum, et otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis enim haec obſervatio paganiſmi eſt.* Et Zacharias, Papa, anathemate eos ferit, qui Kalendas Ianuarias et Brumam ritu paganorum colunt, aut men-

fas cum dapibus vel epulis in domibus praeparant, et per vicos ac plateas cantiones et choros ducunt. Poſtea Patres *concilii quiniſexti in Trullo can. 66.* Kalendas, et vota, et Brumalia, penitus ſublata voluere. Τὰς ὕτω λεγομένας καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα βοτὰ καὶ τὰ καλύμενα βρυμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τῦ μαρτίυ μηνὸς ἡμέρᾳ ἐπιτελυμένην πανήγυριν καθάπαξ ἐκ τῆς τῶν πιςῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βυλόμεθα. In CONCILIO ANTISIODORENSI anno Chriſti 613. vel, ut BARONIVS, anno 595. aut, ſecundum SIRMONDVM anno 578. factus eſt talis canon: *Non licet Kal. Ianuarii vecula aut cervolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſervare, ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut et reliquis diebus.* Vbi, quid vecula, quid cervolo monſtri ſit, eruditi quaerunt. Sunt, qui legunt *cericola, vericola,* quos inter MARCELLVS DONATVS *in elucidationibus in Suetonium cap. 86.* ubi rem ita exponit, ac ſi ſtrenae mitti ſolitae fuerint cum voto ad ſingulare aliquod numen, verbi gratia ad Cererem, pro felici frugum proventu, vel ad Venerem, ad ſuſcipiendos feliciter liberos, inde ſtrenas illas cericolas, quaſi cerericolas, has vericolas, quaſi venericolas, appellatas. In CARANZAE *epitome conciliorum* legitur: *Vecolo aut Cervolo.* Biniana editio: *Vecola aut cervolo.* MARTINVS DEL RIO *diſquiſit. magic. lib. 3. part. poſt. qu. 4. ſect. 5.* coniicit. *vitulo ſeu buculo, aut cervolo.* SIRMONDVS, *vetula, aut cervolo.* Quam lectionem confirmat e ſermone, qui apud AVGVSTINVM *tom. 9. tract. 20.* habetur, et ex MSctis Eligio, Epiſcopo Noviomenſi, adſcribitur. Ibi: *Nemo in Kalendis Ianuariis nefanda et ridiculoſa,* vetulas, aut cervolos, aut iacticos *faciat.* Adducit inſuper SIRMONDVS *ex poenitentiali veteri,* in codice Andegavenſi, haec verba: *Si quis in Kalendis Ianuariis in cervulo aut vetula vadet, tribus annis poeniteat, quia hoc daemonum eſt.* Quae lectio vera, certe verae proxima eſt. Vetula enim dicebant tum temporis, pro *vitula.* Prohibebant ergo, ne chriſtianus Kal. Ian. corio vituli aut cervuli hirſuto tectus incedat. Confer VOSSIVM *de vitiis ſermon. lat. lib. 3. c. 4.* Iacticum autem eſſe corium, pilis abraſis, praeparatum, noſtratum Juchten, opinor. Nihil enim de iſto definio, et amplius cogitabo. Ex quibus apparet, ſolitos fuiſſe chriſtianos hiſce Kalendis

multa

multa ſuperſtitioſa, et partim idololatrica ſibi permittere, quod utinam et noſtra aetate intermitteretur, ne anticipato auſu in ipſis vigiliis nativitatis Chriſti perpetrarentur. Iam olim BVRCHARDVS *in poenitentiali lib. 19.* in eiusmodi impios invehitur. *Obſervaſti*, ait, *Kalendas Ianuarias ritu paganorum, ut vel aliquid plus faceres propter novum annum, quam antea, vel poſt ſoleres facere.* Ita dico, *ut vel menſam tuam cum lapidibus*, (lautitiis, vult Delrio) *vel epulis in domo tua praepares eo tempore, aut per vicos et plateas cantores et choros duceres, aut circa tectum domus tuae ſederes enſe tuo circumſignatus, ut ibi videres et intelligeres, quid tibi in ſequenti anno futurum eſſet, vel in bivio ſediſti ſuper taurinam, ut et ibi futura tibi intelligeres, vel ſi panes praedicta nocte coquere feciſti tuo nomine, ut, ſi bene elevarentur, et ſpiſſi et alti fierent, inde proſperitatem vitae tuae eo anno provideres.*

Et hae forte fuerunt cauſae, quo minus lex noſtra aetatem bene ferre potuit. Nam Curialibus haec ſtrenarum oblatio fuit remiſſa conſtitutione LEONIS et MAIORIANI, *tit. 1. de curialibus, ad Baſilium, Praef. P.* quem alium eſſe oportuit, atque ad quem reſcripſere Imperatores noſtri. Verba conſtitutionis ſunt: *Strenarum. Kalendarum ac pulveratici nomine Curialibus nihil petatur. Si quis horum aliquid popoſcerit, aut etiam offerentem interdicta ſuſceperit, ſingulas auri libras per ſingulos Curiales a ſe noverint exigendas.* Pulveraticum, docente CVIACIO, *lib. 4. obſerv. 18.* non ſolum id erat, quod, quaſi pro labore et pulvere, agri menſoribus dabatur: Hac notione enim exſtat in quadam Theodoſii et Valentiniani conſtitutione, apud FRONTINVM: Sed etiam de eiusmodi exactione, quae a Praeſidibus, ſingulas provinciae civitates obeuntibus, exigebatur, ut in hac Novella, et apud CASSIODORVM *lib. 12.* accipitur.

Sed haec hactenus.

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
AD
LEGEM
Α Ξ Ι Ω Σ Ι Σ
IX. D. de L. Rhod. de Iactu
COMMENTATIO

PVBLICE PROPOSITA IENAE DIE MARTII MDCLXXIII.

Reſpondente

DANIEL BEYER,

Vratiſlav.

PROSPECTVS.

Voluſius Maecianus, ex Lege Rhodia.

Ἀξίωσις Ευδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Αντονῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε: ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ιταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Αντονῖνος εἶπεν Ευδαίμονι: Εγὼ μὲν τοῦ κόσμου Κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς Θαλάσσης: τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν.

id eſt,

Tria legis membra. 1. partis allegantis, ſive ſupplicantis. 2. Imperatoris reſcribentis. 3. ICti obſervantis.

Deprecatio Eudaemonis, Nicomedienſis, ad Antoninum Imperatorem: Domine Imperator, Antonine, naufragium in Italia facientes, direpti ſumus a Publicanis, Cyclades Inſulas habitantibus. Reſpondit Antoninus Eudaemoni: Ego quidem mundi Dominus, Lex autem maris: Lege id Rhodia, quae de rebus nauticis eſt praeſcripta, iudicetur, quatenus nulla noſtrarum Legum adverſatur. Hoc idem Divus quoque Auguſtus iudicavit.

TRA-

TRACTATIO

continet

I. Vſum Theoreticum poſitive, et in theſi:

quo ſpectat

I. Noſtrae Legis Inſcriptio.

VOLVSIVS MAECIANVS. Hic ipſe eſt, qui ſcripſit *Fideicommiſſorum* βίβλια δέκα ἕξ, et *Biblicon* βίβλια δεκατέσσαρα. Eius leges exſtant in II. *l. 45. de relig. et ſumt. funer. l. 86. de condit. et demonſtr. l. 30. l. 32. ad L. Falcid. l. 64. l. 65. l. 69. l. 71. l. 73. ad SCt. Trebell.* maxime, quoad propoſitam materiam, *l. 15. l. 17. de Leg. 3.* Allegatur autem in Pandectis a PAVLO in *l. 6. de S. R. P.* a SCAEVOLA in *l. 20. ad L. Falcid.* ſaepius ab VLPIANO in *l. 72. de uſufr. l. 3. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 11. §. 1. et 15. de legat. 3. l. 16. §. 3. it. §. 6. ſeqq. ad SCt. Trebell. l. 17. de iure patronat.* ubi VLPIANVS noſtrum Maecianum vocat amicum ſuum, ut iuris civilis, praeter veterem et bene fundatam peritiam, anxie diligentem, ad exemplum Pomponii et Iuliani in notabili *l. 20. de fideicomm. lib.* EX LEGE RHODIA: quaſi dicas, ex integra Legis Rhodiae authoritate excerptum. Ubi originaliter ſe offerunt noſtrae L. Rhodiae natales, quos debet inſulae ac civitati Rhodus: quo nomine apud poſteros caput hodienum cum ſuo Coloſſo in altum tollit. Celebritatem nominis dedit tum fertilitas loci, ac provenientes inde divitiae, teſte AMMIANO *rer. geſtar. c. 17.* tum etiam loci amoenitas et aeris ſalubritas, quam alibi commendat SVETONIVS, eiusque interpres, ISAACVS CASAVBONVS. Huc acceſſit ſummum pingendi artificium, quo inclaruit ſub perſona Protogenis, pictoris celeberrimi. Cuius innoteſcendi cauſa cum Apelles Rhodum navigaſſet, et domum Protogenis veniſſet, (quam anus adſervabat) penicillo ex colore tenuem duxit lineam: mox ille, domum reverſus, ex ſubtilitate facile praecognovit, ab Apelle eſſe ductam, et ideo per Apellis lineam alio colore ſuperinduxit tenuiorem: eam poſtea conſpicatus Apelles, duxit tenuiſſimam, referente PLINIO *lib. 35. c. 13.* Ita medicus odit medicum, figulus figulum, artifex artificem etc. Magis inclaruit propter literarum

ſtudia,

ſtudia, et LL. AA. Profeſſores, inter quos Apollonius clariſſimus dicendi magiſter fuit, qui auditores habuit Iulium Caeſarem et Ciceronem, teſtibus PLVTARCHO *et* SVETONIO. Omnium vero maximam laudem meretur bene conſtituta Reipublicae praelaudatae forma, in ea praeprimis parte, quae REM NAVTICAM ſpectat. Unde etiam πραγματικὸν πολίτευμα Ῥοδίων, ſive prudentiam et ſolertiam qua Reſpublica Rhodia gubernabatur, commendat POLYBIVS *lib. 5. et* STRABO *lib. 14.* ubi hac via ſimul maris imperium ſive dominium, quod Graecis θαλασσοκρατεῖν dicitur, titulotenus eis adſcribit, licet de annorum numero nondum ſatis apud omnes certo conſtet. Excurrendi campus hoc loco ampliſſimus proſtat, in quo ſubtiliter olim, et nunc ſeſe exercent ſingularia magnorum virorum ingenia. Videantur prae caeteris *Illuſtris* DN. PRAESES, *immortale Salanae huius Decus, in diſſert. eleganti, de imperio maris,* et ex profeſſo IACOB. GODOFREDVS: item, IOACHIMVS HAGMEIER, qui variorum diſſertationes congeſſit. HVGO GROTIVS *de mari libero,* cum antagoniſta, IOH. SELDENO, *de mari clauſo;* quilibet pro favore ſuae nationis: *et de dominio maris Hadriatici,* LVNDORPIVS *A. P. lib. 2. c. 15.* GRASWINCKEL *in vindic. maris liberi.* PONTANVS *in diſcept. ſingul. hiſtoric.* noviſſime FRANCISCVS DE INGENVIS, quorum ſcrinia hic compilare nec libet, nec licet. Quid multis? Legum nauticarum tanta apud Rhodios fuit praeſtantia et authoritas, ut ex Romanis multi titulum civis Rhodii maximo pretio ſub Augusti temporibus ſibi compararent, quod ex NICOLAO DAMASCENO liquet, ac exemplo Poſidonii, Stoici, apud STRABONEM et ATHENAEVM. Sed et ipſi Romani, qui non minus his, quam Achaeis, aliisque urbibus ius integrum et libertatem cum immunitate reddiderant, ab iisdem leges complures, propter ſummam illarum aequitatem (idque iam inde ab Auguſto, qui primus recipiendarum auctor fuit) mutuati ſunt, ipſique adeo ICti leges Rhodias communi voto approbarunt, exemplo Servii, Ofilii, Labeonis et Sabini in *l. 2. pr. et §. 3. l. 4. D. ad L. Rhod. de iactu.* Hactenus textus noſtri inſcriptio. Iuſto ordine nunc ſequitur

II.

II. Ipſius Legis evolutio,
ubi occurrit

CASVS. Eudaemon, Aſiaticus, Nicomedia, Bithyniae urbe, oriundus, naufragium paſſus, in libello ſupplici conqueritur, bona ſua a Publicanis Cycladum cum iniuria eſſe direpta, quaeritur, an et quomodo ipſius petitioni ſit ſuccurrendum? Ad prius reſpondeo, quod ſic: natura enim aequum eſt, neminem cum alterius damno locupletari, *l. 14. D. condict. indeb. l. 206. de R. I. add. l. 74. eod. l. 25. §. 2. in fin. D. ad SCt. Trebell.* Ad poſterius reſpondet ipſe Imperator, Antoninus (Pius): Lege Rhodia, quae de rebus nauticis eſt praeſcripta, hoc eſſe iudicandum, quatenus nulla romanarum legum ei adverſatur: erant enim Leges Rhodiae omnium legum nauticarum vetuſtiſſimae.

SVMMA caſus eſt inſtructio Antonini, reſpiciens rectoris provinciae officium, quid in iudicandis maritimis controverſiis eum ſequi oporteat, ſcilicet, ut ſecundum legẽ Rhodiam NAVTICAM iudicet: τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων τῷ ναυτικῷ κρινέσθω, ſeu κατ̕ τὺς Ῥοδίυς νόμυς, ut habent CONSTANTINVS HARMENOPOLVS, *Prochiri ſui lib. 2. tit. 11. §. 1. et* DOCIMVS *in calce legum nauticarum*, ubi notanter additum: τῷ ναυτικῷ, quia ſcilicet et aliae Leges Rhodiorum erant. Et ideo lex ſignate hic indicatur, quae de rebus nauticis erat, quamque Romani approbaverant, cuius quoque pars fuit *Lex Rhodia de iactu.* Vnde etiam rubricae Digeſtorum, *de lege Rhodia de iactu*, noſtra lex ἀξίωσις eſt ſubiecta, licet de praeda ex naufragio, vel de naufragis ſit conſcripta; quia praedictae noſtrae legis reſcriptum, libello Eudaemonis ſubiectum, latius quodammodo patet, et ad omnes maris controverſias, ſeu nauticas pertinet, adeoque etiam ad caput *Legis Rhodiae de iactu:* prout alias Principes: unius caſus occaſione arrepta, providentiam ſuam latius extendunt: et generaliora praecepta reſcriptis ſuis inſerunt, haud aliter, atque ab aliis νομοθέταις, aliisque ſubinde νομοθεσίας ſpeciebus fieri adſolet. Taceo, quod ſolenne hoc apud ICtos olim fuerit, et Triboniano ipſi eſſe, ut ſub titulis, ſpeciali alicui argu-

mento deſtinatis, affinia ſimul ſubiicerent; quod et variis Pandectarum Codicisque titulis paſſim commune eſt.

Inter RATIONES DVBITANDI, prima ex prima legis noſtrae parte, ſive Eudaemonis ſupplicatione, praeeminet, dum in Italia, ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, dicitur Naufragium feciſſe. Quod ipſum verum, Ἰταλίᾳ, hypobolimaeum et ſuppoſititium eſſe multis videtur, ex ratione irrefragabili cosmographica, quia dicitur Eudaemon naufragium paſſus, et cum ſuis direptus, ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Igitur et eo quoque ferme Cycladum Inſularum ſitu tractuque naufragium eum paſſum oportet, a quo quantum abſit mare Italicum, ſive inferum, ſive ſuperum, norunt Geographorum filii. Unde manus criticas inferunt noſtrae legi. Quidam probabiliter legunt: ἐν τῇ Τηλίᾳ, Teliam ſcilicet, ſive Inſulam, quae et ipſa de Cycladum numero fuit. SAMVEL PETITVS, SELDENVS, STEPHANVS, PONTANVS et DILHERRVS: quod merito diſplicet SALMASIO. Si enim pro ipſa Inſula, Telo, haec vox accipitur, non erit graecum, τηλίαν dicere, quae τῆλος eſt; cum tamen maribus non obſcuris, qualis Telus, ſed a celeberrimis inſulis nomina impoſita. Ideoque reponit, ἐν παραλίᾳ, id eſt, in ipſo littore, ſeu ad oram maritimam, dum iam terram attigiſſent. Aliter GROTIVS *in flor. ſparſ.* qui legit, ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ, ſupple, θαλάσσῃ, id eſt, in mari Icario, ubi eiusdem cognominis inſula, Icaria, erat. Quod et IACOBO GOTHOFREDO placet *ad hanc legem*; quem ſequitur VINNIVS *ad Peckium.* Fuit enim Icarium mare naufragiis et ſaevitia infame, Aegeique tumultus noti, quemadmodum ex *Ariſtidis oratione de mari Aegeo* patet; unde ut proverbium: *Aegeum navigat.* Imo mare Icarium Cycladibus eſt proximum, teſte STRABONE et *lib. 10.* PLIN. *lib. 4. c. 2.* remotius vero Telium, quippe Rhodiaci maris pars.

Sed remanet ex dictis adhuc dubium, quod Eudaemon ſe direptum dicat ὑπὸ τῶν δημοσίων, a Publicanis, forte eo argumento, quia naufragia olim publicabantur, ſeu ad Publicanos pertinebant. Iam vero non δημόσιοι, ſed δημοσιῶναι ſunt Publicani: unde etiam SALMASIVS et GROTIVS τῶν δημωσιωνῶν, id eſt, τηλωνῶν, hic ſubſtituunt. Male. Quod ſi enim de Publicanis

canis vectigalium, iuriumque Fiſci in praeſenti facti ſpecie ageretur, vel Antoninus aditus omnino non fuiſſet, ſed potius rector provinciae, vel certe aditus, decreto ſuo rem illico definiſſet, ſive ex proprio ſuo decreto, *l. 4. §. 1. D. de incend. ruin. naufr.* ſive patris ſui, Divi Hadriani, *in l. 7. D. eod. tit.* Cui apprime adſiſtit *l. 1. C. de naufrag. lib. XI: Si quando naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, ad Dominos pertineat, fiſcus meus ſeſe non interponat. Quod enim ius habet Fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Quin imo, licere unicuique naufragium ſuum impune colligere, conſtat, idque Imperator, Antoninus, cum Divo Patre ſuo reſcripſit, teſte VLPIANO *in l. 12. pr. D. d. t. de incend. ruin. naufrag.* Rectius igitur vocantur δημόσιοι ſervi publici civitatum, ſive δημόσιοι τῶν τὰ Κυκλάδας οἰκούντων, id eſt, ſervi publici eorum, qui Cycladas Inſulas incolunt, non vero δημόσιοι οἰκοῦντες, Cycladum originarii, uti SALMASIVS fruſtra replicat, reclamantibus non ſolum innumeris textibus iuris, ſed ipſa hiſtoria. PLINIVS *lib. 10. epiſt. 30. 41. et epiſt. 40. 41.* Nec obſtat *l. ult. §. 8. D. de Publican. l. 21. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poſſ. l. 44. D. de A. R. D. l. 1. ſeqq. D. de incend. ruin. naufr. l. 18. C. de R. C.* Reſpondeo, hi textus ſunt extra circulum, prout legaliter inter diſputandum videbimus.

Iam ad ſecundum legis noſtrae membrum, dico Antonini reſcriptum et reſponſum: *Ego quidem mundi Dominus, Lex autem maris.* Aſt quae mundi et maris, imperatoris et legis hic eſt oppoſitio? Certe, dum Antoninus ſe vocat mundi dominum, non ſolum terram, ſed et mare intellexit: et contra lex non tantum maris, ſed etiam terrae domina exiſtit. PETITVS cum SELDENO graecum textum emendat; ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης: quaſi hoc velit Antoninus: ego ſane mundi dominus ſum, ſed imperium vento in mari eſt, ut nequeam praeſtare, ne naufrageris. Quam emendationem SALMASIVS usque adeo probat, ut, ſi non occupaſſet ille, non aliter ſe potuiſſe cogitare, nec aliud excogitare, ſcribat. Verum minus recte: quia Eudaemon non petiit remedium naufragio, ſed depraedationi. Quid ergo? An ſubſiſtimus hic cum CELSO *in l. 32.*

de R. C. et VLPIANO *in l. 33. pr. D. de procurat.* an potius dicimus, quod non ſint oppoſita, Princeps et Lex, ſed potius ſubordinata, ita, ut habeant concurrentes qualitates indiviſibiles. Ubi enim Princeps ſine lege, et lex ſine Principe? ſi enim lex, maris domina, a principe eſt: ſi Princeps, orbis dominus, per leges orbi Romano dominatur, *verba ſunt Iureconſultiſſimi Dn.* PRAESIDIS, *de imperio maris, in expoſit. noſtr. Leg. ἀξίωσισ. th. 9.* Unde et Princeps, ſeu magiſtratus, *νόμος ἔμψυχος* eſt, ſive lex loquens, et vice verſa, lex, mutus magiſtratus, teſte Philoſopho, quem ad hoc citat GODOFREDVS *de I. M. cap. 7.* ubi recte monet, quod *νόμος* hic non idem ſit, ac vulgariter, pro lege ſive ſanctione accipitur, quaſi ſenſus ſit: Orbis dominum eſſe Imperatorem, maris vero Legem, et quidem Rhodiam. Sed ſumitur pro iure, quod in mari obtinet, et vel ex lege, vel more aliquo deſcendit, indeque ex ſupereminenti quodam Principis dominio ac poteſtate caſualiter iudicium ſuum recipit. Qua ratione ſimul vindicatur vulgata verborum lectio: *ὁ νόμος κρινέσθω τῷ νόμῳ*: ut ut tanquam imperfectam, mancam, imo barbaram ſuperciliose alii damnent, dum criticam manum ultimato violenter adhibent, hoc modo: *τὰ ναυτικά*, hoc eſt, res maritimae et nauticae. Sed praeter neceſſitatem, et non magis ex veritatis, quam contradicendi ſtudio, et caſtigandi animo, quem reprehendit VLPIANVS *in l. 17. §. 6. D. de recept. qui arbitr. recep.* Et ita breviter ſeſe expedit uſus theoreticus. Reſtat ut paucis nunc videamus.

II. Uſum Practicum negative, et in Antitheſi.

Hic praeiudicialiter controvertitur: qua ratione, et quam bene naufragorum bona publice poſſint proſcribi, et naufragis ex ſingulari, iure et conſvetudine Legis Rhodiae adimi? Videbimus, utrum praeciſe de omnibus naufragorum bonis, an vero potius de certis, in particulari lucrandis, ſit ſermo? Prius vix admittit ipſa L. Rhodiae iuſtitia, dum ab *εὐνομία* et *ἐπιμελεία* eam commendat STRABO *libr. 14.* Quid enim magis crudele aut inhumanum eſt, quam miſeros

ſeros naufragos, *ἀσύλητον* genus, diripere? Praeſtat igitur poſterior ſententia, tanquam probabilior, et aequitati convenientior; tum propter ſumtus, in ſpeculas, pharos, ſeu faces ignesque flagrantes navigantium gratia expoſitos, quibus in mari, praeprimis procelloſo et naufrago, (cuiusmodi erat Aegeum et Icarium) vada praenunciabantur, et ſimul portuum introitus, idque feliciori ſidere, quam fallaci privatorum lumine alias fieri conſvevit, de quo eſt *l. 10. D. de incend. ruin. naufrag.* tum ob operam, quam *δημόσιοι* inſularum in COLLIGENDIS et CVSTODIENDIS naufragiis impendebant; tum ob portorium ſeu vectigal, quod ſecuritatis cauſa poterat a naufragis exigi: aeque ac hodie paſſim in maritimis locis ſolet inſtitui, et inſtitutum ſuſtineri. PEREGRINVS *de iure Fiſci. l. 1. tit. 1. n. 22.* SVRDVS *conſil. 325. n. 3.* BELLONIVS *conſil. 14. n. 40.* et exemplariter de Rhodiis AMMIANVS MARCELLINVS *libr. 22. p. 257.* Hic ille *νόμος* Rhodiorum practicus, in terminis habilibus ſatis iuſtus, et romanarum LL. iuſtitiae conſentaneus. Unde facile apparet, quam erronea ſit illorum ſententia, qui, hac lege Legem Rhodiam, tanquam peſtiferam, abrogatam eſſe, falſo exiſtimant: quae tamen SVO MODO aperte recipitur et approbatur. Haud abſimiles iis, qui perverſo more Legem Rhodiam toties in contrarium allegant, quoties de conſvetudine, legi contraria, et adverſus eam inoleta eſt quaeſtio. Dico ferale illud et plane crudele compendii genus, quo Principes ſibi naufragorum BONA Regalium iure, quaſi ex communi totius orbis omniumque pene provinciarum et regnorum ſanctionibus hodie SIMPLICITER addicunt, veluti de Sicilia, Gallia, Anglia, Hiſpania et Italia atteſtatur *αὐτοψύχως* ARGENTRAEVS *in conſvetudinibus Britann. tit. des droicts de Prince. artic. 56. n. 44. item* LVCAS DE PENNA *et* IOH. PLATEA *in l. 1. C. de naufrag. libr. XI.* MATTH. DE AFFLICTIS *in conſtitutt. Neapol. 59. lib. 1.* PETR. GREGORIVS THOLOSANVS *de Republ. lib. 9. cap. 1. aph. 29.* BODINVS *de Republ. l. 1. c. 1.* Idem olim etiam in Germania magis uſitatum fuiſſe, colligitur ex KIRCHNERO *de Republ. diſput. 17. corollar. 7.* idque ſub peculiari titulo, Stranden, Grundruhr, Grundrührrecht vocari, praeter alios ſcribit ZIRRITZ

RITZ *ad nemeſin Carolin art. 218.* SPECKHAN *centur. 3. qu. 45.* BESOLDVS *theſaur. pract. voce* Grundrühtrecht. GRYPHIANDER *in tr. de inſulis, cap. 31. n. 101.* Et neſcio, quo gentium iure Annas Momorantius, magiſter equitum in Gallia, legato Caeſaris, coram Henrico II. Galliae Rege conquerenti, duas naves ad litus eiectas, et a Iordane Urſino captas, nixus reſpondit: Ea, quae ad litus eiecta, gentium iure ad eum, cuius imperium in litore, pertinere. Sed anne hoc eſt ius gentium, quod apud omnes gentes peraeque eſt ex ratione humana introductum? Dubito: et vel dupondius dubitaverit. Ad alia moratiorum Gentium inſtituta provoco. In ſpecie novas Neapolitanorum conſtitutiones *lib. 1. tit. 58. c. 2.* leges Romanorum, *Auth. Navigia. C. de furt* obſervantiam Cameralem, GAILIVS *lib. 1. obſerv. 18. n. 6.* ubi meminit, quod in Camera imperiali contra eiusmodi conſuetudines mandata ſine clauſula fuerint decreta, in cauſa conſulum civitatis Hamburgenſis contra Duces Holſatiae. Subſcribit Ius Iuticum, *lib. 3. cap. 61. et 63.* Scanicum, 8. 3. Danicum, *art. 49.* 73. Norwegicum, *cap. 26.* Pruſſicum *lib. 4. tit. 19, art. 5. §. 4.* Belgicum, pactumque inter Henricum IIX, Angliae et Philippum, Archi-Ducem Auſtriae, *anno 1495.* Pomeranicum, im Land privileg. §. dem handthierenden Kauffmann. Vide, quae plena manu tradunt VENTVRA DE VALENTIIS *in Parthenio litigioſo lib. 1. c. 13. n. 5.* MINDANVS *lib. 2. de mandat. iudic. cap. 57.* LESSIVS *lib. 2. de iuſt. et iure cap. 5. dub. 18. n. 67.* BESOLDVS *de iur. rer. c. 1.* quod ex rapſodia Iuris Canonici probat *cap. 3. extr. de raptor.* Nec facit pro Fiſco, quod ad eum pertineat cura et refectio portuum et litorum, item ſolicitudo, ut a piratis ſecuri ac tuti ſint naufragi; proinde etiam lucrum hoc eidem eſt relinquendum, *arg. l. 10. de R. I.* Reſpondeo, aſt non plus ultra: onera haec ſatis compenſantur aliis acquirendi modis et donativis naturae magis licitis, v. g. rebus in litore maris inventis, *Dd. ad §. 18. Inſtit. de rer. diviſ.* DN. STRVVE *ſyntagm. iuris feudal. cap. VI. aph. 7.* adeoque ad bona naufragorum non valet illatio, contra naturalem aequitatem, cuius veſtigia ſunt in *l. 6. pr. de offic, praeſid. l. 8. §. 22. de transact. l. 11. de R. I. l. 22. l. 38. l. 55. de heredit. petit.* adde, per exaggerationem, *arg. ex l. 43. §. 11. ff. de*

ff. de furt. niſi forte appareat, quod ſint bona pro derelicto habita, *l. 58. de A. R. D.* aut talia navigia, quae piraticam exercent pravitatem, vel chriſtiano nomini ſunt inimica, *l. 2. C. de commerc. et mercator* B. HENELIVS *in otio vratislavienſi, cap. 37.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

ἐναντιοφαινομένα.

I. Principis in Ius Naturae dominium non eſt abſolutum.

II. Nec Regum poteſtas, et ius in populum aliud, quam dependens et mediatum.

III. Ius Naturale proprie cadit in bruta.

IV. Ius Naturale eſt mutabile et Immutabile.

V. Alterum occidere eſt licitum,

VI. Vindicta privata non eſt prohibita.

VII. Retorſio iniuriarum eſt iure licita.

VIII. Propricidium omni iure eſt prohibitum.

IX. Parricidium non eſt prohibitum.

X. Laeſio inter contrahentes eſt naturaliter permiſſa.

XI. Laeſio inter contrahentes eſt naturaliter prohibita, non attenta religione, quae ſuper contractu ſervando eſt interpoſita.

XII. Dantur caſus pro amico.

XIII. Non inepta eſt Pontificis in ſponſalia de praeſenti, et de futuro diſtinctio.

XIV. Virginitas eſt eſſentiale nuptiarum requiſitum.

XV. Negligere parentum conſenſum in nuptiis, non meretur exheredationem.

XVI. Liberi, per ſubſequens matrimonium legitimati, etiam in feudalibus ſuccedunt.

XVII. Datur aequitas ſcripta, et non ſcripta.

XIIX. Scriptura eſt de eſſentia legis, et non eſt.

XIX. Conſvetudo legem vincit, et non vincit.

XX. Decennii tempus ad conſvetudinem introducendam non ſufficit.

XXI. Diſtinctio, inter vim legis directivam, & coactivam, non eſt cerebrina, nec abſurda.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Contractus Principis non eſt lex.

XXIII. Mater filio Tutorem dare poteſt, etiamſi illum heredem non inſtituerit.

XXIV. Puberes ſine curatoribus ſuis poſſunt ex ſtipulatu obligari.

XXV. Impubes ſine tutore ne quidem naturaliter poteſt obligari.

XXVI. Tutoris ſuſpecti iudicium poteſt demandari: Tutoris dandi ius non item.

XXVII. Transfuga manet tutor, et non manet.

XXIIX. Etiam filio exheredato, et emancipato, poteſt dari tutor in teſtamento.

XXIX. Pariter filio exheredato quoque a patre pupillariter ſubſtitui.

XXX. Tutor et in ipſo negocio, et ex poſt facto recte intervenit.

XXXI. Subſtitutus patrem excludit,deficiente filiofamilias, herede ſcripto.

XXXII. Non ſequitur: Filiusfamilias non poteſt teſtari de peculio adventitio extraordinario: Ergo nec mortis cauſa donare.

XXXIII. Minor non poteſt eſſe procurator ad litem.

XXXIV.Emancipatio adhuc hodie eſt capitis deminutio.

XXXV. Foemina poteſt renunciare Scto Velleiano: non item filiusfamil. Scto Macedoniano,

XXXVI. Teſtamenti factio non competit filiisfamil. extra Peculium caſtrenſe et quaſi.

XXXVII. Filiusfamil. poteſt ſine patris conſenſu mortis cauſa donare, et non poteſt.

XXXIIX. Donatio eſt contractus, et non eſt.

XXXIX. Donatio patris inofficioſa usque ad Legitimam tantum reſcinditur.

XL. Non agnoſcimus dominium directum et utile.

XLI. Molendina Pneumatica ad res mobiles pertinent: Navalia vero ad res immobiles.

XLII. Datur actus ſine itinere, et non datur.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII. Ius oneris ferendi eſt vera ſervitus.

XLIV. Stabulum eſt praedium urbanum et ruſticum.

XLV. Partus ancillae eſt in fructu, et non eſt.

XLVI. Veſtimentorum eſt verus uſusfructus, et quaſi uſusfructus.

XLVII. Quemadmodum patri conceditur uſusfructus in bonis filii maternis; ita matri viciſſim in bonis paternis.

XLIIX. Etiam in re propria datur ſervitus.

XLIX. Dominium rei ſub titulo erroneo transfertur, et non transfertur.

L. Uſusfructus eſt pars domini, et pars ſervitutis.

LI. Iuri luendi pignus poteſt praeſcribi, et non.

LII. Creditor poteſt ex pacto pignus propria authoritate diſtrahere, et non.

LIII. Dolo ineſt lata culpa, et non ineſt.

LIV. Gradus culparum tres agnoſcimus.

LV. Ex nudo pacto ne quidem Iure Canonico datur actio.

LVI. Datur actio nativa et dativa.

LVII. Dantur actiones mixtae.

LIIX. Pactum in continenti adiectum omnem omnino contractum informat.

LIX. Minus recte mutuum refertur ad contractus bilaterales.

LX. Bonae fidei poſſeſſor etiam naturales fructus percipiendo ſuos facit.

LXI. Furum ſuſpendium eſt iuſtiſſimum, et, vel collapſo in terram fure, reiterandum.

LXII. Uſuras dare eſt iuſtum.

LXIII. Uſuras accipere eſt improbum.

LXIV. In poenis ſemper obſervatur proportio arithmetica; in contractibus non item.

LXV. Emtori etiam ante traditionem res perit.

LXVI. Fideiuſſor in duriorem cauſam recte admittitur.

LXVII. Exceptio non numeratae pecuniae, elapſo licet biennio, debitori competit.

Ff LXIIX.

Digitized by Google

LXIIX. Legitimae augmentum ad omnes perſonas, ab inteſtato ſuccedentes, pertinet.

LXIX. Exceptio diviſionis eſt dilatoria et peremtoria.

LXX. Beneficium cedendarum actionum et ante, et poſt ſolutionem fideiuſſori competit.

LXXI. Differentia actionum bonae fidei et ſtricti iuris nullibi eſt ſublata.

LXXII. Mutuum admittit brevem manum, et reſpuit.

LXXIII. A poſterioritate ad derogationem legis non valet conſequentia.

IOANNIS STRAVCHII
DE
NOVI OPERIS NVNCIATIONE
DISSERTATIO INAVGVRALIS
HABITA IENAE DIE IV. AVGVSTI MDCLII.

Σὺν Θεῷ.

DE
OPERIS NOVI NVNCIATIONE.

Quod CAIVS *l.1.ff. de ſtatu hom.* ait, omne ius, quo utimur, vel ad perſonas, vel ad res, vel ad actiones pertinere, id recte quidem vulgo de actionibus forenſibus accipitur: ſed tamen non minus verum eſt de actionibus moralibus. Ius enim, quatenus ſignificat potentiam alicuius boni, iuſtitiae regulis conſentaneam, ſeu, ut GROTIVS definit, facultatem moralem aliquid agendi vel habendi, in ſtupendo opere, *de I. B. et P. lib. 1. c. 1. n. 4.* tria requirit, ut in actum deducatur; perſonarum poteſtatem agendi, iuſtam conditionem

nem rerum, et legitimum agendi modum. Quare de operis novi nunciatione acturi, primum ſubiectum, opus novum, deinde actum ipſum, nempe nunciationem, conſiderabimus, poſt, ius ex hoc actu naſcens, et denique iudicium pro perſequendo hoc iure.

Subiectum nunciationis, opus novum.

I. Opus latine loquentibus eſt, quod Graecis ἀποτέλεσμα, et ut deſcribit PAVLVS *in l. 6. de V. S.* ex opere facto corpus aliquod perfectum, et effectus, qui poſt fabricationem relinquitur. Sic perfectum opus *in l. 10. C. de oper. publ.* Opera publica, *tit. ff. et C. de oper. publ.* tabulatum opus, *l. 21. C. de oper. publ.* Tale itaque opus obiectum nunciationis fit, ſed novum. Eſt vero novum, ubi priſtina facies operis mutatur aedificando, aut detrahendo aliquid: *l. 1. §. 11.* Non, ſi unum aut alterum caementum ſit impoſitum, vel feneſtra detracta *l. 21. §. opus. 3. ff. h. t.* Sed ſi proponatur inſtar quoddam, et quaſi facies quaedam facta operis *d. §. 3.* Itaque pro novo non eſt habendum, ſi vetus fulciatur *l. 1. §. 13. h. t.* Quid ſi reficiatur? poſſit videri intereſſe inter interitum totius, cuius reparatio facit novam ſpeciem. HOTOMANNVS *quaeſt. illuſt. 8.* Sed aliud eſt, novam ſpeciem fieri, id eſt, aliud individuum, priſtinam tamen formam retinens, quod nequit nunciari; aliud novum opus ratione ſpeciei, ſeu generis, ut noſtri appellant: Id vero prohibetur. Porro novum aliquod facit non ſolum exſtructio, verum etiam exſtructi demolitio *l. 1. §. 12. h. t.* Sed nunquid factum, an futurum? et, ſi quidem futurum intelligimus, quod opponitur inchoato, nunciatio non tenet. Debet enim iam inſtar operis eſſe *l. 21. §. 3. h. t.* Secus eſt, ſi futurum opponitur perfecto, et affectum iam opus notat *l. 5. §. 2. ibi: inchoet aedificare. ff. h. t.*

II. Deinde opus hoc vel ſoli ſit, vel ſolo cohaereat, ut aedificium *l. 1. §. ff. h. t.* Meſſis enim facta, vel arbor ſucciſa non ad nunciationem, ſed ad interdictum, quod vi aut clam, pertinet; Neque enim hoc factum circa opus verſatur. Publico, an privato, non intereſt. *l. 1. §. 14. hic l. 3. pr. et §. ult. l. 4. h. t.* Praecipue

Digitized by Google

cipue autem neceſſarium eſt remedium contra eum, qui in ſuo opus facit, quod nobis nociturum ſit. Nam ſi in noſtro, poſſumus quidem et tum eo uti, ſed utiliora alia ſunt remedia. *l. 5. §. 10. h. t.* praecipue nunciationis operis, in noſtro facti, incommodum hoc eſt, quod opus facientem poſſeſſorem faciat *d. §. 10.* Excipitur autem refectio et purgatio rivi, aut cloacae, et in univerſum omnia opera, quorum dilatio periculum allatura ſit, qua de re iudicis eſt cognoſcere. *l. 5. §. 10. h. t.* Poſtremo, ſi quae ſint loca ita comparata, ut ex ipſorum conditione appareat, in his aliquem iure publico aedificare poſſe, ei opus non poteſt nunciari, ut ſi in mari, aut litore aedificet. Facit id enim iure gentium ſuum. Ideo ius prohibendi nemini competit, niſi quis damni infecti ſibi velit caveri *l. 1. §. nunciamus, in f. ff. h.*

Actus circa obiectum.

III. Tale itaque ſi fiat opus, nunciare licet, id eſt, prohibere vel interdicere Eſt autem nunciatio prohibitio, qua privatus verbis alterum prohibet aedificando, vel demoliendo, priſtinam operis locive faciem mutare. Haec nunciatio non habet ſub ſe ſpecies. Nam prohibitio per iactum lapilli, vel Praetorem, non ſunt nunciationis, ſed in genere prohibitionis ſpecies. Ut itaque de huius actus rectitudine conſtare poſſit, cauſae eius legitime ſe habere debent. Primo itaque fiat eo fine, ut ius noſtrum contra rem novam molientem tueamur, V. G. ſi in noſtrum immitti non patiamur, aut in eum locum, in quo ſervitutem urbanam conſtitutam habemus *l. 5. §. 8. h. t.* Deinde, ut damnum depellamus. *l. 1. §. 16. h. t.* puta, ut damnum ruinae a nobis avertamus, *l. 1. §. 16. h. t.* ſed conſervamus ita et ius aeque publicum, atque privatum. Publicum, ut ſi quis in loco ſacro et religioſo, vel publici ripa fluminis quid moliatur, aut ſi quid contra leges edictave Principum, quae ad modum aedificiorum facta ſunt, fiat *l. 1. §. 17. h. t.* Privatum vero, ſive in noſtro alius, ſive in ſuo quid faciat, qui ius non habet, ut modo dictum, Sive contra naturalem ſtatum ac poſitum operis, ſive impoſititium, eumque vel privatorum actibus, vel lege publica impoſitum *l. 5. §. 9. h. t.*

IV.

Digitized by Google

IV. Perſona, nunciandi ius habens, eſt quisquis ius in re, cuius vi intendere poteſt, ius aedificandi alteri non competere, allegat, ſive vere, ſive falſo, non intereſt, nam de eo poſtea apud Praetorem cognoſcitur, quale eſt dominium, emphyteuſis, pignus, ſuperficies, ius bonae fidei poſſeſſoris *l. 1. §. 3. de remis. l. 3. §. 3. h. t. l. 5. §. 9. et l. 9. h. t. argum. l. 7. §. 6. et l. 13. ff. de public. in rem*, quibus FERRARIVS addit et iurisdictionem *in libello huius act. p. m. 255.* Fructuarius vero et inquilinus non poſſunt. Hic quidem omnino, ut nec procuratorio nomine poſſit, *arg. l. 3. §. 3. hic.* ille vero, ſi proprio nomine id auſit. Nam procuratorio domini poteſt, *l. 1. §. ult.* tanquam cuſtos rei *l. 2. ff. uſufr. quemad. cav.* Niſi dominus ipſe novum opus moliatur in fundo fructuario. Nam tum quoque non hoc remedium, ſed uſusfructus vindicatio locum habet *l. 2. h. t.* An, qui ſervitutem realem habet, poſſit, ſententiae non minus variae, quam multae ſunt. Et, ſiquidem nunciatio fiat aedificanti, non domino, indifferenter tenere videtur: Sin loci domino, tum aut fit opus directo contra formam conſtitutae ſervitutis, ut in ſervitute altius non tollendi, et valeat nunciatio, aut per conſequentiam demum, et ſervitus vindicanda *l. 14. h. t.* ſic nec ſocius ſocio poteſt, *l. 3. §. 1. hic*, neque enim ſocius, novum opus faciens in re communi, vel in ſuo facere exiſtimandus eſt, quia meum quoque eſt, quod commune eſt, neque in meo, quia ſocii quoque eſt. Cum itaque uterque in re communi eandem facultatem habeat, ius quoque prohibendi inde naſcens commune habebunt, adeo ut ſocium prohibens, ſeipſum prohibere videatur. Non impedit, quod in pari cauſa, ſeu re communi potior dicatur conditio prohibentis *l. 18. commun. dividundo. cap. 16. de R. I. in 6.* Loquuntur enim textus non de hac prohibitione, ſed ea, quae fit inſtituta actione communi dividundo, vel mero etiam Praetoris officio. Quid vero ſi ſocius in communi inſula opus faciat, quod noceat propriae meae contiguae? reſpondet LABEO, non poſſe nunciari: ſed vel per Praetorem, vel per arbitrum communi dividundo prohibendum eſſe, quo minus aedificet, *l. 3. §. 2. h. t.* id eſt, duo

 ſunt

Digitized by Google

ſunt remedia, vel prohibitio mera Praetoris, vel actio communi dividundo. Cave, cum BARTOLO Praetoris partes pro iudicis officio mercenario accipias, actioni communi dividundo inſervientes. Difertim enim et disiunctim duo remedia proponuntur a ICto, et repugnat principiis iuris veteris, id, quod per Praetorem fit, officio mercenario tribuere. Poſſunt et tutor et curator. *l. etſi. 7. in f. h.*

V. Quid vero? an ſocius vicino non ſocio poteſt? ita quidem, *l. 3. §. 1. hic.* Nempe ſi ſinguli ſociorum nunciant, *l. 5. §. 3. h. t.* unius nunciatio non ſufficit, cum fieri poſſit, ut nunciatorum alter habeat, alter non habeat ius prohibendi. Quod tamen limitant interpretes veteres, ut nunciatio, ab uno facta, quoad ipſum nunciantem teneat, adeo ut, ſi nunciator interdicto reſtitutorio obtinuerit, victoria reliquis quoque proſit. Minor, qui curatorem habet, cum nusquam prohibeatur, nunciare poſſe videtur. Quod in publico fiet, omnes cives, exceptis pupillis, nunciare poſſunt, *l. 3. §. ult. et LL. ſeqq. h. t.* ſi vero ad privatum pupilli commodum res pertineat, tutore auctore poteſt, *l. 5. f. pr. h. t.* per procuratorem quoque facta valet, *l. 1. §. ult. l. 5. §. ult. l. 13. h.* dummodo is ſatisdet, ratam rem dominum habiturum, *l. ſervum 33. §. ait ff. de procu. l. 5. §. 18. l. 13. pr. et §. ult. h.* non per ſervum *l. 5. §. 1. h. t.* An vero et peregrini, et incolae? quod videtur, quatenus eorum intereſt, *l. 1. §. ult. de via publ. l. 7. C. de incolis l. 3. §. fin. cum l. ſeq. h. t. Vide* GOMEZIUM *in l. Tauri 45.*

VI. Nunciatur autem non praeciſe domino, ſed generaliter his, qui domini operisve nomine in re praeſenti fuerint, ſervis, pueris, foeminis, fabris, opificibus *l. 5. §. 3. h.* adeo ut fabris, vel cuicunque intelligenti ita facta et furioſum, et infantem teneat, *l. 11. h.* quia in rem fit, non in perſonam *l. 10. h.* Idem eſt de abſentibus et invitis *l. 1. §. 5. h.* Quid ſi fabri nihilominus pergant? tenebuntur ad demolitionem ſuis expenſis faciendam. GOMEZ *ad l. Tauri 46. n. 29.* Quidquid videatur ALEXANDRO *in l. pupillo §. nunciationem*, qui ſentit, opifices propter denunciationem talem ceſſare non oportere, ab uſus

l. pen.

l. pen. ff. pro emt. vide DECIVM *ad l. velle non creditur, n. 9. et ſeqq. de R. I.* Praetori autem etſi ob maieſtatem magiſtratus nunciari nonpoteſt, tamen coram aliquot vicinis aut civibus palam teſtificandum, non poſſe ei nunciari *l. 5. §. 51. quis ipſi 7. h. t.* ea namque teſtatione interpoſita, Praetor poſtea, quod aedificavit, deſtruere cogitur, licet nunciatio ſequatur poſt magiſtratum depoſitum. Quid ſi res plurium ſit? ſufficit uni nunciari, *l. 5. §. 5.* quia in rem fit nunciatio, adeo ut ſi poſt nunciationem aedificet unus, alii, qui non aedificaverunt, non tenebuntur, quanti ea res eſt, neque ſocio repetenti, ne factum alterius ei noceat, qui nihil fecit, *l. 5. §. 5. h.* tenebuntur tamen pati, ut deſtruatur opus *l. 16. §. ult. quod vi aut clam.*

VII. Modus et forma nunciandi eſt, ut non in perſonam concipiatur, ſed in rem: non, denuncio tibi opus, ſed nuncio opus, ut videtur, poſt BARTOLVM, GIPHANIO. Sed id ſcrupuloſius, quam pro neceſſitate videtur. Confer P. FRIDERVM *de mandat. l. 2. cap. 30. num 7.* An cauſa exprimenda? Non videtur. Nuſpiam enim in iure id reperitur; imo et pueris quoque atque puellis fieri poſſe nunciatio dicitur *l. 5. §. 1. et 3.* quod ita tamen admitto, niſi de cauſa interrogetur. CAROL. RVI *ad l. 1. n. 52. ubi plures addit limitationes.* Et quamvis BACCHOVIVS *ad Treutlerum th. 1. lit. c.* id indifferenter neget, quod et falſa cauſa allegari poſſit, perinde autem eſſe, nulla, an falſa allegetur, tamen perinde eſſe non puto: Cui enim ius nullum nunciandi eſt, eius nunciatio eſt ipſo iure nulla. Si itaque interrogatus nullam cauſam allegabit, impune nunciatio eius ſpernetur, vel ſi, quam allegat, iuri incognita ſit. Vide ARVMAEVM *ad pand. diſp. 19. th. 7.* Sed et modulos ſumere debet is operis, qui nunciat, ut probari poſſit, quid poſtea aedificatum ſit *l. 8. §. 5. h.* De loco et tempore expeditum, fieri oportere in re praeſenti, peneque in opere ipſo, alibi, ut in foro, non tenere *l. 5. §. 2. 3. 4. 15. hic.* Quem textum praeciſam negationem comprehendere puto, non modificatam, ac ſi ab eo tempore, quo in ipſo loco nunciatio

Digitized by Google

tio referri opificibus potuit, valere incipiat, temporis vero articulo, quo extra locum facta, non valeat. Nam in §. 4. nullius prorſus momenti dicitur nunciatio, quae non in ipſo opere facta. Hodie expeditioris probationis gratia adhibentur Notarius et teſtes. FERRARIVS *in libello de action. nou. op. nunc. p.m. 156.* GAILIVS *1. obſ. 16. num. 12.* FRIDERVS *2. de mand. cap. 30. n. 9.* Quod ſi in pluribus locis fiat opus, non una ſufficit nunciatio *l. 5. §. 16.* et ſi non in totum opus, ſed in partem tantum velit nunciare, locum demonſtrare nunciator debet, *l. 5. §. 14. h.* Diebus autem quibuslibet valet, quibus nunciatio intermiſſa noceret, etiam feriatis *l. 3. & 4. ff. de feriis l. 1. §. 4. 6.* quia non eſt iurisdictionis contentioſae. Sed nunquid interpoſita proteſtatione recte nunciatur? Negatur per *l. 5. §. 7. h. t.* et poterit aedificans, nihilominus pergere, ita tamen ut quandoque, de iure ſuo proteſtato docente, cogatur demoliri opus. Adde FRIDERVM *d. l. n. II.*

Ius ex nunciatione proveniens.

IIX. Ius, quod ex nunciatione nuncians acquirit, eſt, ut is, cui nunciatum, ab aedificando abſtinere debeat, donec vel caveat vel remiſſio nunciationis fiat, *l. 8. §. 4. l. 20. §. 2.* nam alioqui, ſi denunciatus pergat, datur nunciatori interdictum reſtitutorium, quo cogitur ſuis ſumptibus opus demoliri *l. 21. §. 1. h.* adeo, ut nec Eccleſia excipiatur. *c. 1. Ex. de nov. oper. nunc.* nec, qui poſt nunciationem exſtruit, oſtendere volens ſibi ius eſſe aedificandi, audiatur, antequam demolitus fuerit *l. 1. §. h. t.* Quin adverſus eum agi poteſt interdicto de opere demoliendo, etſi cum adverſario ſuper iure aedificandi litem fuerit conteſtatus, quia litis conteſtatio non deteriorem ſolet reddere conditionem *l. 86. 87. de R. I.* Quid ſi manifeſto appareat falſa nunciatio? falſa, inquam, non, quae ipſo iure nulla. Diſtinguitur: aut publice facta erit prohibitio, et prohibitus demoliri cogetur aedificatum. Non enim debuit Praetoris auctoritatem contemnere *l. 20. §. 9. h. t.* Diſſentit CAROL. RVINVS *ad. l. 1. h. t. num. 13. et ſeqq.*

Aut

Digitized by Google

Aut privatim facta eſt nunciatio, et prohibitus poteſt in aedificio pergere, cum fruſtra expectetur liquidatio iuris iam liquidi. Facit in ſimili, quod ſi venditoris cauſa notorie ſit iniuſta, non debeat illi fieri nunciatio, ſuper lite mota. PEREZ *in C. h. t. n. 19.* adde, quod iniuriarum conveniri poſſit iniuſte nuncians *l. 13. §. 7. de iniuriis.* Quod ſi veteri domino nunciatum, et novus forte emptor perfecerit opus, licet ignorans, tenetur *l. ult. h. t.* ut patiatur opus deſtrui, non vero ad impenſas demolitionis, ad quas alienans tenetur. *l. 3. §. 3. ff. de alien. iud. mut. cauſa.* Haeredes, qui nihil dolo fecere, non tenentur interdicto, ſed patientiam deſtruendi operis praeſtare debent *l. pen. h. t. l. 16. §. ult. ff. quod vi aut clam.*

IX. Eſt et hic alter effectus, quod per nunciationem tranſeat poſſeſſio in adverſarium, puta ſi in noſtro opus faciat, *l. 5. §. 10. ibi: quoties in noſtro.* In cuius iuris ratione reddenda ſvaves ſe praebent, qui neſcio quid de meticuloſis comminiſcuntur, veteres, quos ſequitur GOMEZ *in l. Tauri 46. n. 22.* Alii alia: ſed ratio liquida eſt, quod haec nunciatio conveniat hactenus cum actione negatoria, qua intenditur, alteri ius non eſſe in noſtro aliquid faciendi, quod qui intendit, utique alterum facit poſſeſſorem. Nam ubicunque nihil eſt innovatum, ego poſſideo. *l. 6. §. 1. ff. ſi ſerv. vind.* Statim itaque, atque confiteor, nunciando novatum eſſe, fateor, poſſeſſione me excidiſſe, per textum elegantem *in l. 6. §. 1. ff. ſi ſervi vind.* Cui conſequens alius effectus apud Africanum eſt, ut, nunciatione facta, ſi is, cui nunciatur, ſe non defendat, ex poſſeſſore conſtituatur petitor, atque poſtea cogatur docere, ius ſibi eſſe ita aedificatum habere. Sic et nunciator, fugiens, ex poſſeſſore fit petitor, quia cavere debet, ſe non prohibiturum aedificantem, niſi doceat de iure ſuo prohibendi, ut ita utroque caſu per fugam onus probandi transferatur. *l. 19. h.* Quae fuga intelligitur poſt tres menſes a nunciatione *l. un. C. h.*

X. Tollitur nunciatio morte nunciantis, quia ita deſinit ius in re habere. Hoc vero ita eſt, ſi res adhuc integra, ac nunciatio nuda. Nam ſi, ſpreta nunciatione, nihilominus continuavit opus, interdictum, quod defuncto ceperat competere, etiam heredi datur. Sic nec extinguitur nunciatio nunciantis morte, ſi quis pro ſe et ſuis haeredibus opus nunciavit, *arg. l. 17. ff. de arbit.* Morte autem eius, cui nunciatum, nunciatio non extinguitur, *l. 8. §. 7. h.* quia ex huius parte nunciatio realis, ex illius vero perſonalis. Idem iuris eſt de alienatione *l. 8. §. 6. h.*

Iudicium pro iure hoc perſequendo.

XII. Nunciatione ita facta, ſiquidem paret ei prohibitus, tum committunt ſe litigatores iurisdictioni Praetoris. *l. 1. §. 9. h. t.* Et nuncians cogitur iusiurandum calumniae praeſtare, quod auctore Praetore defertur. *l. 5. §. 14. h. t.* Id quod ſi recuſat, remiſſio facienda eſt nunciationis per Praetorem. *l. 5. §. 14.* Eo vero praeſtito, nuncians intra ſpacium trium menſium a facta nunciatione de ſuo iure docere debet, *l. un. C. h. t.* quibus elapſis, ſi nondum quidquam, aut ſatis probaverit, quod altioris forte indaginis, ſatisdet vero aedificaturus de opere demoliendo, ſi ſuccumbat, recte continuabit opus. Non tamen cogitur nuncians ante tres iſtos menſes ſatisdationem acceptare, ſi de iure ſuo prohibendi docere praeſto eſt: Poſt eos vero, quantumvis duret cognitio, remiſſio fit per legem. *l. un. C. h. t.* Et id in Camera receptum teſtatur GAILIUS *1. O. 16. n. 17.* Senatus tamen appellationum Saxonico-Electoralis id eo duntaxat in caſu admittit, quo aedificanti grave non futurum ſuperſedere per tres menſes, docente ICto celeberrimo, Dn. CARPZOVIO *lib. 1. tit. 1. reſp. 7. n. 12.*

XIII. Sed de ſatisdatione plenius agamus. Stipulatur eam ſibi nuncians ſoli, non heredi ſuo, quia morte nun-

nunciantis finitur nunciatio. Is autem, cui nunciatur, pro ſe et herede ſuo promittit. *l. non ſolum. 8. §. 7. h. t.* Promiſſio enim haec continet: ſi opus factum erit ſive a ſe, ſive a ſuo herede, et iudicatum erit, non iure opus factum eſſe, aut res ab his non defendetur, promiſſorem, heredemve ſuum, quod operis novi factum erit, boni viri arbitratu reſtituturum, et praeterea in ea re tota dolum malum a ſe, heredeque abfuturum eſſe. Vel ut ſtipulationis formulam concipit CUIACIUS, *paratit. de N. O. N. Quod acturus ſum, ius mihi eſſe prohibendi, te opus novum invito me facere, cuius rei Lucius Titius iudex ſumptus eſt, eam rem recte defendi, aut ſi ea res intra illum diem adverſus te heredemve tuum iudicata erit, quod factum opus erit, id opus boni viri arbitratu reſtitui, dolumque malum abfuturum eſſe, aut, quanti ea res erit, tantam pecuniam dari ſpondes?*

XIV. Conditiones ergo, quibus exſiſtentibus committitur ſtipulatio, ſunt, ſive res iudicetur contra promittentem, ſive non defendatur. Iudicatur res, ſi, nunciantem ius prohibendi habuiſſe, pronunciatum eſt. Eventus, eſt operis reſtitutio, omni dolo malo remoto. *l. 21. §. 1. et 2. h. t.* Quid ſi iudicatus non reſtituat? recurritur ad ius commune omnium obligationum faciendi, ut fiat condemnatio in id, quod actoris intereſt, niſi malit nuncians omnimodo manu et vi praetoria opus reſtitui *l. 21. §. 4. in f. h.* Si pluribus nunciatum ſit novum opus, ſufficit ab uno ſatisdari, opus reſtitui, quia reſtitutio operis pro parte fieri non poteſt. Interdum ſtipulatio diem habet interpoſitam, ſi intra eam promiſſor iudicatus erit, quo caſu committitur ſtipulatio, ſi intra eam diem conditio exſtiterit. Finge iam: Procurator opus novum nunciaverat ſatisque acceperat, ſi intra certam diem adverſus aedificantem iudicatum eſſet, de demoliendo opere, intra hanc diem, ſeu durante adhuc tempore, ſtipulatione expreſſo, dominus denuo nunciat, quaeritur, an die

 veni-

veniente, ſi conditio exſtiterit; ſtipulatio committatur? An vero per ſecutam domini nunciationem ſublata illa fuerit? Reſpondet ICtus, ſtipulationem committi, non obſtante repetita domini nunciatione, quae intra diem, ſtipulatione procuratoris expreſſam, inutilis eſt. Quod ſi praeterita ea die dominus iterum nunciet, non committitur ſtipulatio, quia tum conditio defecit. Haec ſpecies eſt obſcuri §. *1. l. 13. h.* ſecundum DONELLVM, quamvis DVARENVS aliter hanc fingat, nec improbabiliter. Denique ſciendum, interdum et nudam repromiſſionem ſufficere, cum ſcilicet in loco publico, iure alieno, nunciatur. *l. 8. §. 3. h.*

XV. Videamus nunc et de remiſſione. Eſt autem remiſſio, nunciationis rite factae propter defectum iuris prohibendi a praetore facta abolitio. Nunciationis, inquam rite factae, reſpectu formalium, ut vocantur. Habet enim nunciatio inſtar quoddam appellationis, cui ſua eſt forma, qua bene ſe habente appellatio tenet: ſunt etiam materialia, ſeu merita cauſae, nempe lis ipſa principalis, de quibus, formalibus probatis, cognoſcitur. Debet itaque nunciatio tenere ab initio, ut remiſſio utilis ſit, id eſt, nunciatio debet eſſe rite interpoſita, inque formalibus, ſic enim loquimur, ſubſiſtere, cui tollendae remiſſio impetretur. Quae enim ab initio nulla nunciatio eſt, non opus habet remiſſione. Quid ergo eſt, quod VLPIANVS ait *in l. un. ff. §. 1. de remiſſ.* remiſſionem ibi demum fieri, ubi nunciatio non tenet, *et in l. 1. pr. ff. h. t.* remitti prohibitionem hactenus, quatenus prohibendi ius is, qui nunciaſſet, non haberet. Contra IVLIANVS in *eadem l. un. §. 4.* fructuario, ſecundum quod opus novum nunciare poterit vicino, remiſſionem utilem fore? Haec difficultas CVIACIVM non ſolum eo adegit, ut, *1. O. 16. in d. l. un. §. 4.* verba, *utilis et inutilis*, transponeret, ea confidentia, ut, aliter nullam ſcientiam, nullam diſciplinam iuris eſſe, pronunciet: ſed et cum ROBERTO acriter committeret. Duobus verbis expediamus. Ut remiſſione nunciatio tolla-

tollatur, nunciatio in formalibus (ab initio) debet ſubſiſtere (rite eſſe interpoſita.) In materialibus oportet nunciationem vel altioris eſſe indaginis, ut interim remiſſio, periculo nunciati, fiat, vel plane iniuſtam, ut ſecure remiſſio fiat, et pleniſſime, absque periculo et metu demolitionis, quae potius tamen eſt nunciati abſolutio, quam remiſſio nunciationis.

XVI. Fit itaque remiſſio, ut diximus, propter defectum iuris prohibendi, qui vel iure praeſumitur, puta, ſi nuncians de calumnia nolit iurare. *l. 5. §. 14. h. t.* aut, qui procuratorio nomine nunciaverit, non ſatisdederit, eam rem dominum ratihabiturum *l. 5. §. 18. h. t.* aut, ſi quis paratus fuit ſatisdare, deinde actor ſtipulari nolit, *l. 20. §. 5. h.* vel reapſe apparet, cum, cauſa cognita, nuncians ius prohibendi non probat, *l. 1. pr. h.* vel nunciatus de iure aedificandi docet. *l. 8. §. 4. h.* Fit autem dupliciter, vel ex conventione litigatorum, *l. 1. §. 10. h. l. pen. C. de pact.* ſi nuncians permittat expreſſe opus continuare, *l. 1. §. 10. h.* vel Praetore poteſtatem aedificandi faciente *l. 8. §. 4. l. 20. pr. h.* ſi cauſa cognita, pronunciavit, ius eſſe aedificandi. Quod ſi remiſſio adverſus procuratorem nunciantis impetretur, non in procuratoris, ſed domini perſonam ea confertur, *l. cum procurator. pr. ff. h. t.* id eſt, ut, ſi dominus poſtea nunciare denuo velit, non audiatur. Quid ſi nunciatio ipſo iure nulla? Iam ante diximus, remiſſione opus non eſſe. Quod tamen ita accipiendum, ſi nullitas ſit in perſona nunciante, vel re, ob quam nunciatur, puta, ſi in litore aedificetur, ſi rivi vel cloacae reficiantur, etc. Quod ſi vero ſit in iure prohibendi, poteſt locum habere remiſſio eo caſu, quando cauſa prohibendi ab initio non fuit exquiſita. Denique hanc remiſſionem non ſolum implorare poteſt, cui opus novum nunciatum eſt: ſed et quivis abſentis nomine, ita tamen, ut ſatisdet, ſi non iure aedificatum ſit, ſe opus reſtituturum *l. 5. §. 19. h. l. qui proprio. §. qui alienum ff. de procur.*

XVII.

XVII. Hactenus de caſu, quo is, cui nunciatum, nunciationi paret. Si vero non paret, agitur interdicto reſtitutorio, ad demolitionem operis, poſt nunciationem facti, ut maxime ius aedificandi habeat nunciatus. *l. 21. §. 1. h.* Quod ſi plurium res ſit, cui opus noceat, iis, qui non nunciarunt, hoc edictum non dabitur. *l. 5. §. 6. h.* Contra, ſi plurium res eſt, in qua opus novum fiat, ſiquidem ex voluntate omnium opus fiat, nunciatio uni facta omnes tenebit: ſi vero quidam ignorent, in ſolidum tenebitur, qui contra edictum Praetoris fecit. *l. 18. pr. h. l. 5. §. 5. h.* Et competit hoc interdictum heredi, caeterisque ſucceſſoribus. *l. 20. §. 6. h.* In heredes vero non datur, niſi in id, quod ad eos pervenit, vel ſi quid dolo malo ipſorum factum ſit, quo minus perveniret. *l. 20. §. 8.* Datur tamen contra heredes actio in factum, ut praeſtent patientiam deſtruendi operis *d. l. 20. §. 8.* Sed cuius ſumptu? Forte ab hoc heredem non eximemus, ſi poſſideat, quod hoc vitium rei ſequitur quemcunque poſſeſſorem, et omni damno eum onerat. *c. 2. x. de N. O. N. c. ſaepe. 8. de reſt. ſpol.* Niſi aedificatum fuiſſet opus invito domino loci, quo caſu ſolum praeſtat patientiam demolitionis, ut, ſi a ſervo ſine iuſſu domini fuit aedificatum. *l. denique 13. §. fin. Quod vi aut clam.* De emtore ita ius eſt, ut, ſi venditori ante venditionem nunciatum eſt, quod adverſus edictum emtor fecit, de eo teneatur, cum nunciatio non perſonae venditoris, ſed rei facta ſit. *l. ult. h.*

XIIX. Dantur et alia remedia, ut per manum, et praetoris prohibitionem, *l. 5. §. 10. h.* De iactu lapilli, quamvis ego praeſtare nolim, veram eſſe HOTOMANNI coniecturam, *2. Obſerv. 4.* quod verba, *per lapilli iactum*, in *l. 5. meminiſſe. 10. h. 1.* ſint irreptitia, admodum tamen fit veroſimile. Et poſſis ſuſpicari *ex l. 1. §. 6. Quod vi aut clam et l. 6. §. 1. ſi ſerv. vind.* iactum potius fuiſſe geſtum aliquem, comitatum nunciatione verbali, quemadmodum,

Pariſiis

Pariſiis id ita etiamnum uſu venire, refert ROBERTVS, *3. ſent. 16.* et de praxi noſtrate teſtatur quoque Cl. Dn. HAHNIVS *ad Weſenbecium h. t. n. 9. ibi:* Es werden 1. 2. oder 3. Steine aus ſolchem newen Gebäw genommen, und über das Gebew, in confirmationem beſchehener nunciation, geworffen. Certe ſignum vel actus violentae deiectionis eſſe non videtur, id quod tamen prae ſe fert lectio vulgata *d. §. meminiſſe*, et communis interpretum ſententia. Qui enim adverſarium, ne in tuo quid faciat, prohibeas, deiicias, vi arceas (id enim eſt, opponere manum) unum minimum lapillum ſi loco cieas? Facit non obſcure *l. 20. §. 1. Quod vi aut clam.* ubi disiunguntur et diſtinguuntur, *opponere manum et lapillum iactare.* Et fingit ſibi ritum, neſcio cuius antiquitatis, ex ſeſe DONELLVS *comm. 15. c. 46. p. m. 843.* Qui enim ſcit, lapillum in opus fuiſſe iactum? Imo lapillum iactare, eſt ex opere arreptum quaquaverſum proiicere, forte in ſignum diſturbandi operis. Ita enim fert latine loquentium conſuetudo. Sic CICERO *in orat. pro Quin. 2.* telum iacere; *Pro Caecina* iacere ſaxa, *Pro Milone* iacere lapides; et ubicunque alibi de deſtinato ictu non eſt ſermo. Aliud ſane eſt opus lapillo, lapilli iactu impetere, lapillum in opus iacere, mittere, quod mirum, ſi ne ſemel quidem ita locuti fuiſſent, qui toties iactum lapilli, ut *l. 6. §. 1. ſi ſerv. vind. l. 5. §. 10. de N. O. N. l. 1. §. 6.* et iactare lapillum *l. 20. §. 1. Quod vi aut clam.* abſolute dixerunt, ICti noſtri. Sed haec de iactu. Per manum impedimus molientem in noſtro, id eſt, per deiectionem, vel depulſionem, eodem modo, quo ingredientem in fundum noſtrum prohibemus, ac depellimus. *l. 3. ff. de A. R. D. l. 13. ult. ff. de iniur.* Neque eo nomine interdictum dabitur, quod non competit, ſi quis poſſeſſionem non accipit, ſed ſi amittit, depellendo. *l. 1. §. eum qui. ff. de V. et V. A.* Sed et manu novum opus in noſtro impedimus, deſtruendo aedificatum et diſturbando. Et quippeni? Quod enim in meo aedificatum,

Digitized by Google

meum eſt, cuius me moderatorem et arbitrum eſſe oportet *l. 21. C. mand. per l. 33. de cond. ind. l. 14. de excep. dol. m.* Et facit textus perſpicuus *in l. 29.* §. *1. ad L. Aq. et l. ult.* §. *2. Quod vi aut clam.* Poſſum itaque deſtruere.

XIX. Praeter dicta remedia naſcitur etiam actio ex ſtipulatione, ſi ſatisdatum eſt, et ſtipulatio commiſſa. *l. ſtipulatio. 21.* §. *ſive autem. et* §. *habet autem ff. h. t.* Quemadmodum denunciato, ſi de opere reſtituendo. ſatisdedit, et adhuc aedificare impediatur, actio datur, quae continetur *in l. praetor ait. 20* §. *Deinde. ff. h. t.* Item poteſt interdicere nunciator, quod vi aut clam. Eſt enim hoc interdictum quodammodo generale, de omni opere in ſolo: Ut ſi foſſam fecerit, arbores aut vineas ſucciderit, ſylvam caeduam ceciderit, aedificium demolitus ſit, vel ei quid avellerit, aut detraxerit, ut tegulas, oſtium. Excepta ſera, clave, ſpeculario. Si ridicas ex vineis, ramos ex arboribus abſtulerit, ſi aquam aut puteum corruperit etc. *l. 7.* §. *5. l. 8. 9. 11. Quod vi aut clam.* Si vero circa fructus arborum, *l. 7.* §. *5. Quod vi.* vel in nave, *l. 20.* §. *1. d. t.* aliave re mobili quid factum fuerit, ad hoc interdictum non pertinet. Vi autem factum habetur, quod prohibitus quis fecit *l. 1.* §. *2. et ſeqq. l. 2. et 3. d. t.* Clam facere videtur, qui celavit adverſarium, neque ei denunciavit, a quo timuit controverſiam. *l. 3.* §. *ult. et l. ſeq.* Ceſſat interdictum, ſi nihil interſit, et opus proſit potius, quam noceat, *l. 7.* §. *ſi quis acervum. l. 18. et 22. h. t.* item, ſi actor et reus in pari cauſa, ut ſi ego vi aut clam aedificavero, tu vi aut clam demolitus fueris, datur exceptio. Quod tamen non niſi magna ex cauſa eſt permittendum. *l. 7.* §. *3. ff. d. t.*

XX. Datur hoc interdictum non ſolum domino praedii, ſed etiam his, quorum intereſt, opus factum non eſſe *l. 11.* §. *ult, et ll. ſeqq. de O. N. N.* Heredibus quoque, et caeteris ſucceſſoribus datur, etiam de eo, quod iacente hereditate fuit admiſſum *l. 13.* §. *5. Quod V. a. c.* Emtori non

ri non aliter, quam praedio tradito. *l. 11. §. 7. d. t.* Contra eum, qui opus ſuo, alienove nomine fecit, aut iuſſit fieri, *l. 5. §. 8.* eorumque heredes, in id, quod ad eos pervenit. *l. 6. et ſeqq. h. t.* Intra annum, qui non a principio operis coepti, ſed ex quo fieri deſiit, numerandus *l. 15. §. 3. d. t.* Ad id, quod intereſt. *d. l. 15. §. 5.*

XXI. Habet et nuncians civilem actionem, ut confeſſoriam ob ſervitutem. Sed hoc intereſt, quod nunciatione ſtatim, actione non niſi probato iure inhibeatur opus *l. 15. h. t.* Item actio locum habet etiam ante opus, nunciatio non niſi poſt coeptum illud. *l. 9. ſi ſerv. vind.* Denique competit actio etiam denegata nunciatione, aut eius exſequutione. *l. 19. h.* Competit et negatoria, quoties in noſtro adverſarius molitur. Quo caſu, ſi reus rem non defendat, actori cavere debet, non prius ſe aedificaturum, quam probarit, ius ſibi eſſe, altius tollendi: *d. l. 15.* Hactenus enim, qui non defendit, punitur, ut de iure ſuo probare neceſſe habeat. *l. 45. de clam. inf.* Item, rei vindicatio et interdictum, uti poſſidetis. In locis publicis, ſacris, religioſis, ſi quid in his fiat, quo nobis noceatur, interdicta his de rebus propoſita. Sic aedificaturus ſi agat ante nunciationem, ius ſibi eſſe, v. g. altius tollere, recte agit, cogiturque nunciaturus, ſi rem non defendat, officio Iudicis cavere aedificanti, ſe nec opus novum nunciaturum, nec vim facturum. *l. ſi is prius. 15. verſ. idemque h. t.*

FINIS.

Digitized by Google

STRAVCHIANORVM
SIVE
OPVSCVLORVM
IVRIDICO - HISTORICO - PHILOLOGICORVM
IOANNIS STRAVCHII
ICTI CELEBERRIMI

PARS TERTIA

I. DE PRAESENTI IMPERII PERIODO.

II. DE HOSTENDITIIS.

III. DE CENTESIMIS VSVRIS ET FOENORE VNCIARIO.

IV. DE COMPETENTIA FORI.

CVRA

D. CONRADI FRIDERICI REINHARDI
IVR. ET PHILOSOPH. P. P. IN ACADEMIA FRIDERICIANA

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM,
Im Durchgange des neuen Rath-Hauſes neben der Poſt.
CIↃ IↃ CC XXVIII.

IOANNIS STRAVCHII
DE
PRAESENTI IMPERII PERIODO
DISSERTATIO
HABITA IENAE DIE XIV. OCTOBRIS MDCLXXI.

Reſpondente

CAROLO SCHARSCHMIEDT

Crimm. Miſn.

PROOEMIVM.

A Deo perenne ſub polo nihil! Tota rerum compages ſuo motu agitur, ſolvenda tandem in principia, hoc ſaltim interpoſito, unum alio citius cineres pati et exequias. DEus ſolus, ſacrum velut centrum, mutationis expers. Regna ac Reſpublicae legibus licet ſoluta, huic tamen ſceptra ſubmittunt. Hinc aſſurgunt evoluta mole Imperia, aſt in felicitatis poſita culmine fataliter ruunt, ut ex huius ſaepe ruina alterius extruatur gloria. *vide* THVANVM *l. 1. et* POLYBIVM *l. 6.* BOECLERVM *in c. 1. annal. Taciti l. 1. n. 2. et Diſſert. Polit. in Suetonii I. Caeſar. n. 21.* Ita excelſa raro diuturna, eorumque difficilis poſſeſſio. Annoſa

quod non exedit vetuſtas, invidiam hoſtem habet, dirum mortalibus exitium, mediis intactis ſumma ferme petens. Eminentia quippe nunquam ſine invidia. VELLEIVS PATERCVLVS *l. 2.* BARCLAIVS *Satyr. part. 2. p. 195. part. 5. p. 528.* VALERIVS MAXIMVS *lib. 4. c. 7.* Succumbit, invidiam quod vicit, profundae imperii libidini, affectui flagrantiſſimo, poſt quem ſanguis et pietas mortalium. ARISTOTELES *2. Polit. 7.* SELDENVS *l. 6. c. 13. de I. N. et G. ad diſciplin. Hebr.* TACITVS *15. Annal.* Ab hac peſte tutum, ſuam non raro fortunam metuit, vicino in tantum metueddam, ut ſibi ſecurus non videatur, niſi depreſſa alterius potentia. LIVIVS *lib. 1. Dec. 1.* GROT. *de I. B. et P. l. 2. cap. 23. num. 5.* MACHIAVELLVS *in Principe cap. XI.* Bella denique, iuſte an iniuſte gerantur, hic ut plurimum perinde, quid ſunt, niſi Rerumpublicarum excidia? Sic Ilium fuit et ingens gloria Troiae, ſic ſacer ille Coloſſus, ad pedes usque collapſus, in ferro et luto minatur ruinam, niſi iam ad tumulum miſſus. Hinc tantae regnorum verſiones, tot periodi. *v.* TACITVS *3. annal.* ARISTOTELES *5. Polit. 12.* De noſtro nunc Imperio quid afferam, ſacrum iuxta et politicum calculum in Univerſi demum huius funere perituro, quae bellorum fulmina, quas temporum iniurias non ſuſtinuit? tanta rerum viciſſitudine iactatum, ut vel Ilium factum, dextra ni reſtitiſſet DEI iuſtiſſima, qua protegente, hanc, quam cernis, faciem oſtendit et periodum, cuius in delineatione ingenium exerciturus, Praeſide, Illuſtri Noſtro STRAVCHIO, ICto fama et ingenio, nunquam ſine gloria mirando, Dei gratiam candidique Lectoris benevolentiam precor, mihi polliceor.

SECTIO. I.

Membrum I.

In Onomatologicis occupatum.

MAgna ſaepe intelligimus ex parvis, CICERO *1. de officiis*, ut ex cortice arborem. Hinc nec verborum indagini manum admoviſſe ſupervacuum, ut nominis intellectus ipſi rei velut facem praeferat; vocabulorum quippe in rebus denotandis potiſſimus uſus.

II. Vox

II. Vox *praeſentem* non in ſtatu, ſed cum ampliatione ponitur, haut praeciſe hodiernam, verum cum extenſione temporis acceptam rerum faciem includens, vim ſuam ex rei natura metiendo.

III. *Imperium* ſiſtit ingentem Rempublicam, plures civitates, Principatus, quin et Regna, minimum moraliter ac κατά τὶ complexam, ut hinc, praeter nomen, vel re a Regno, ceu auguſtius quid, diſtinguatur. *vide* SPRENGERVM *I. P. p. 19.* HORNIVM *in O. P. p. 1. c. 1.* Novit hanc, ſed non docuit Philoſophus, in perfectiſſimis potius formis ingenium exerens: *vide* ARISTOTELEM *5. Polit. 10. et 2. Polit. 4. 5. et 6.* Eiusmodi namque, qua de agimus, Reipublicae formam adeo perfectionis capacem non eſſe, facile notum; quia, quo immenſior moles, difficilior forma, regimen difficilius. Noſtra autem Imperii notio diſpar illi, Polyarchico Romanorum ſtatu uſitatae, ubi belli Duces, Imperatores, eorum munus, Imperium dicitur. LIVIVS *l. 7. Dec. 1.* FLORVS *l. 2. c. 6.* VELLEIVS PATERCVLVS *l. 2. p. m. 121. ubi C. Octavius, Octav. Auguſti, veri Imperatoris, pater, ita vocatur.* AVRELIVS VICTOR *de viris illuſtr. p. 190.* EVTROPIVS *Hiſtor. l. 2.* IORNANDES *de regnor. ſucceſſ. lib. 1. p. m. 454.* Diſpar item a Laconum Imperio. ARISTOTELES *3. Polit. 14.* CONRINGIVS *in Exerc. de Rep. Hebr. n. LV.*

IV. Vox *Periodus* in fronte quaſi laudat matrem Graeciam, ubi ex περὶ et ὁδὸς domicilium originis nacta, ſedes ac tabulas quaſi transtulit in Latium, innuens proprie circuitum, quo itur vel aliquid circumducitur. ARISTOTELES *3. Rhetor.* Metaphorice uſurpatur in doctrina civili, nobisque hic talis eſt circuitus; vel, *ut* POLYBIVS *l. 6. ait,* ἀνακύκλωσις, qua ſtatus Imperii praeſens ſuo ac circumſcripto quaſi motu agitur. Sua enim, iuxta PLATONEM, cuique Reipublicae periodus, ubi aliquandiu voluta, vel in novam devolvitur, aut veteri ſub ſiſtit, non tamen ſine omni mutationis nota: ſublunaria enim movendo creſcunt, minuuntur. *adde* BOECLERVM *in praefat. in Caeſar. Suetonii, n. 10. 11.*

Membrum II.

Eruendam rei originem ſuſtinet ac definitionem.

I.

PEriodi noſtrae principium non ita procul accerſam, priſcas Romanae Reipublicae praetermittens mutationes, ab invicem continua ſerie exceptas. Sit enim in confeſſo, Auguſtum illud Imperium, in Auguſto erectum, cum Auguſtulo periiſſe, PAVLVS DIACONVS *lib. 16. continuat. Eutropii.* Noſtrumque lucem longe poſt hauſiſſe primogeniam. *confer* CONRINGIVM *in diſſert. de Imperatore Romano-German. th. 24. et 25.* Quid recurram ad Regum ſuperbam memoriam, inde ad conſules, hinc Tribunos, poſt Decemviros, et ſic ad Caeſares. *confer* EVTROPIVM *l. 1. Hiſt.* BOXHORNIVM *diſſ. 8. 9. 11. ibique Dn.* SCHMIDEL *in notis, maxime p. 399. Ampliſſ.* BOECLERVM *ad l. 1. c. 1. A. Taciti.* Nec Conſtantinum, nec Carolum, pietate et gladio Magnos, iam producam, quamvis huius auſpiciis, det Deus diutiſſime, noſtrum floreat Imperium. Dormiat Otto III, ſub quo Electio, maneantque tranquilli Rudolphi manes, ubi ſacer Electorum numerus initia hauſit. Hae inſigniores, remotae tamen Romanorum noſtraeque Reipublicae, Periodi. Ordiar igitur, ubi funeſtiſſimus belli Germanici turbo deſiit.

II. Ante Caroli V. tempora Germaniam pax aurea lactabat, cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, et certa cuiusque rerum poſſeſſio, VELLEII PATERCVLI verbis utor *l. 2.* Aſt quando conſtans et ſincera felicitas, infelicitatis ſaepius, triſtis mutatio, materia et cauſa? Serenum haut raro pacis coelum fumantes belli nebulas elicit. Altam hactenus quietem Martius furor corripit inſtar fulminis, religione an regni cupidine motus, meum non eſt nunc inquirere. Bellorum multi ſunt praetextus, multae occaſiones, certae quoque cauſae, utut illis occultiores. *adde* POLYBIVM *l. 3. Excell. Polyhiſtorem,* BOSIVM, *in Agricola* §. 13. Multum hic valent artes Tiberii. *vide* TACITVM *1. annal. 7. et CL.* BOECLERVM *ad c. 10. d. l. in not. polit.* SVETONIVM *in I. Caeſ. c. 30.* Norunt, quibus Ligo et Unio notae, ferales iſtae Scholae, quibus tanta mali moles adoleſcebat.

bat. Steterat Germaniae gloria, muros hoſtis habebat. Carolus V. ex lacte materno ambitioſus, facem ſcintillae, hactenus ſub Auſtriacae *domus arcano* preſſae, ſubiicit, *plus ultra* flammas vomentem, usque duos ſacri Imperii Proceres indigne rapuerit, quorum unus difficilius a fide, quam ſol a curſu dimovendus. Ut Fabricium laudat Pyrrhus apud AVRELIVM VICTOREM *de vir. illuſtr. p. 184.* Conſtans religionis exemplar, ac inter Saxoniae monumenta maximum. Atrox Bellona, tam opimis haud contenta ſpoliis, minaces quoque Mauritio tendere videbatur oculos, fidem pro Haſſo interpoſitam urgenti, latius teſtante THVANO. At his aſperior ille Martis pullus, Stator Germaniae, virtute manuque pugnaci Caroli fortunam adeo ambiguam reddidit, ut pro purpura hic demum cucullum elegerit. Exemplum, ob regni dulcedinem, cuius mortales adeo cupidi, Nerva apud AVRELIVM VICTOREM, difficilis prudentiae. Multis ſiquidem, cum periculo licet, intra faſces et purpuram latere, quam cum Diocletiano Salonae olera viſere, iucundius. *Vide* AVRELIVM VICTOREM *in Diocletiano.* Haec ſuſpendebat pax Paſſavienſis, ac Ferdinandi I. in regnum ſurrogatio. Videbatur reſpirare, cruentamque deſpumare laſſitudinem ferox belli furia: Sed malorum nondum ſatis. Acto otio, collectisque quaſi viribus, nova molitur incendia. Bohoemia armiſtitii et pacis ruptura, Praga pomum Eridos. Palatinatus, in Regnum abituriens, coronam, Ferdinando II. detractam, a Bohoemis accipit: At quantus in hac anguſta infortunii Oceanus? Infelicis conſilii documentum, non raro mortalibus commune, dum ſpem maioris praeſentium iactura emunt, naturam incuſantes, quaſi ex eventu ſaltem conſilia penſanda dederit. THVCYDIDES *hiſtor. l. 1. p. 25.* Sic diſcimus, quid ſit, ſacra Iovis contrectare fulmina, et quod immoderata ſibi ambitio caſus ſaepe det praecipites. CONRINGII *animadverſ. in Principem Machiavelli, c. 7. confer.* VALERIVM MAXIMVM *4. c. 1. n. 8.* AMMIANVS MARCELLINVS *l. 23. 10.* Armis nunc ſervandum Palatino ſic quaeſitum regnum. VELLEIVS PATERCVLVS *l. 2.* Verum difficilius retinere, quam facere provincias. FLORVS *l. 4. c. 12.* MACHIAVELLVS *in Principe c. 3. ibique animadverſ. Con-*

 ringii

ringii. IVSTINVS *l. 25. c. 4.* Seditioſa regni erat delatio, et repetens potentior retinente. *Confer* MACHIAVELLI *Principem, c. 9. ibique Conringii animadverſ.* Inde nova belli flamma Bohoemiam, hinc Palatinatum, poſt Saxoniam, et tandem totam, qua patet, Germaniam rapit impetu indomito. Sic ignis, incendio accedens, mali molem auget. Omnia iam fumabant incendiis, funeſta ruinis, ſanguine madebant omnia: ſacra contemptui, iuſtitia et leges in armis, agri coemeteria. Ab igne reliquum enſis iugulat, et, quod turpiſſimum, militis libido matronis innuptisque puellis pro tyrannide fuit; ſileo, quam multi mortis arbitrio intolerandam hoſtis crudelitatem praeverterint; quis fando explicet aut lacrymis? Venerat ſumma dies, verba ſunt MARONIS 2. *Aeneid.* et ineluctabile tempus Germaniae, exitio ei velut ad aras et Samnitico carmine iurato. *Conf.* FLORVM *lib. 1. c. 17. et* AVRELIVM VICTOREM *de viris illuſtribus, in Annibale.* Tantum non perieras, mea Patria, cum extremis iamiam luctans. *vide* BOECLERVM *in l. 1. Hiſtor. Taciti, c. 50.* Nequicquam credibile putabatur, te triginta annos, ſed quantum tempus! in viſcera ſaeviendo non extinctam. Et, quod DEus prohibuit, fuiſſes extincta, ni divinum illud fulmen, Leo Borealis tibi adveniſſet, Heros invictus victore in exercitu Germano-Sueco, cuius robore, tantique Herois, aeterna gloria viventis, ſanguine victoria tibi parta, paxque rerum optima. Hic patuit, nullos mortalium fide et armis ante Germanos eſſe. TACITVS *lib. 13. annal.*

III. Feſſis demum infeſto armorum uſu, peractisque tribus belli intervallis, ut bene diſtinguit BOECLERVS *ad l. 2. Hiſtor. Taciti, p. 697.* ſuavis otii pacisque redibat recordatio. Hinc deliberatum, quamvis lente, de illa Martis expultrice, Alumna bonorum, quae tandem, ceu longo ab exilio, patriam, inter cineres et funera moeſtam, deſideratis reviſit oſculis. Veniſti tandem, ſic Anchiſes ad Aenean, VIRGILIVS 6. *Aeneid.* Germaniae diu expectata ſuavitas! det DEUS, rerum iuſtus arbiter, cuius gratia hac fruiſcimur tranquillitate, ne preſſi litium fomites erumpendo rumpant ſacra pacis vincula, ſed his felicitatis ad faſtigia creſcat in ſeram ſenectutem Patria, ſerio per-

perpendens, quanti ſibi ſteterit hoc unum pacis oſculum! Hucusque pertingit belli rabies pacisque initium, unde et noſtram ordiar Periodum. In truculentis enim retro temporibus Reſpublica, naufrago ſemper acta fluctu, parum certi, ob dubiam belli aleam, de ſtatu praeſenti promittebat. Armorum quippe ſpem et metum quid, niſi pax aut victoria, dirimit?

IV. Pro inſtituto ſufficiat retuliſſe, quae noſtram antegreſſa ſunt periodum: Haec enim cum illis collata tanto erit manifeſtior, qanto melior. Nunc enitamur, congrua quomodo fiat definitio. Contingentium quidem, maxime ſingularium, non ita determinata veritas, nec in moralibus mathematicae dantur regulae. GROTIVS *de I. B. et P. l. 2. c. 23. n. 1.* Stabilem namque nunquam figunt pedem Reſpublicae in ſingulis partibus, ſtatu illarum in aeſtu quaſi et viciſſitudine poſito, idque ob rationem materiae, ac rerum incertas circumſtantias; haud tamen erravero, ex re ipſa, cum qua ſtet et cadat, hanc efformans definitionem: Praeſens Imperii periodus eſt Status Imperii hodiernus, termino ipſius contingente mutabilis.

V. Generis loco hac in definitione ſtat vocabulum *Status*, quod, ambiguae alias notionis, hic perinde mihi eſt, ac moralis rei cuiusdam ratio ſive habitus, id, cuius eſt ſtatus, in ſua moralitate praeſentans. Miſſa Generica, ſpecifica quaeritur differentia in verbis: Imperii hodiernus; ita ut periodus noſtra partim tempore, partim ſubiecto differat ab aliis. Tempore, habito reſpectu tum ad veteres Imperii periodos, de quibus *n. 1. h. membr.* tum in futurum contingentes. Subiecto, attentis diverſorum Imperiorum ac Rerumpublicarum diverſis periodis. Non antiquitati noctem ſuam turbare mens eſt, ſaltim quae recens tangit memoria, contemplemur. Ottomannicam Portam eadem cum noſtra Republica periodo volvi, nemo forſan dixerit. Illa, Candiae metropoli ferox, claves maris anhelat mediterranei: Huic, tridentem Neptuno turbare, religio. Illa, fidem et foedera, repagula gentium, deſpiciens, praedatricem ubique immittit ſagittam, ut pro Status maxima moles augeatur Imperii; Huic pro ſcopo propria conſerva-

ſervatio. Illa tyrannica, deſpotica: Haec civilis et temperata, ſi non optima. Nec Galliae, ambitionis nummos ſerenti, nec Daniae, ſecum alias habitanti, ni moveat Bataviae aemula, eadem, quae Imperio, periodus. Diparem Hiſpania, Anglia diſparem, et Polonia, caſtra Coſacos contra, illam nebulonum colluviem, metans, oſtendit periodum; aliam Suecia, tranquilla nunc, Status rationi tamen vigilans: Muſcovia, Veneti, Belgium et Helvetia aliam praeferunt, Tarpei Iovis, Turcarum conatus anxii, nulla cum noſtris comparatio. Reliqua definitionis periodi proprium exprimunt. Ut enim quodlibet, ad extrema ubi defertur, aut mutatur, aut interit; ita et Reſpublicae, emenſo periodi termino, aut plane declinant, vel novam formam expectant. Aeternae quippe rerum vices.

VI. Reſtat Diviſio, quam expediemus, diſpeſcendo Periodum noſtram 1) a *Subiecto*, in univerſalem et particularem. Quemadmodum Imperii duplex reſpectus, ita quoque illius periodi. Illa Imperium afficit abſolute: Haec ſecundum quid et reſpective 2) *a Cauſa*, in neceſſariam et contingentem. Haec ex materiae vitio: illa ex ſuperioris Decreto. *conf. 2. Daniel. v. 21. et 4. v. 29.* 3) *a diverſo reſpectu*, in externam, qua Imperium exteros reſpicit, et internam, quae Sacra Imperii non egreditur. 4) a *Tempore*, in magis et minus durabilem.

Sectio II.

Membrum I.

Cauſam tractat et ſubiectum,

I.

CAuſas rerum noſcere arduum, neceſſarium. Nihil enim in rerum natura ſine cauſa prodiit, quam ignorare, eſt rem penitus non noſſe. Res plerumque quid ſit, ſi unde ſit, cognoſcitur. Noſtram ergo quo penetremus eniti decet. Unam autem, niſi animus fallit, deprehendo in materia, aliam extra. Haec rurſus vel eminens, vel aequalis.

II. Eminentem periodi noſtrae cauſam ſtatuo Deum, aeternum illud immutabile, quod, in centro quaſi, ſe quidem non,

nor, caetera vero movet et mutat. Per hunc ſiquidem Reges, quorum cor manibus verſat, dominantur; inter nubila modo caput condentes, mox ad tartara miſſi. *Prov. 8. v. 16. Ieſ. 14. v. 11. 12. Dan. 2. v. 11. et 4. v. 29.* Hinc ſurgunt caduntque Imperia. Gens, ſceptro modo ſuperbiens, colla ſubmittit: Floret nunc, decreſcit, et aliam aliamque aſſumit faciem Respublica. Sic in ſcena res mortalium alternant. Noſtra igitur Germania hoc quoque paſſa fatum, quo in hanc, qua volvitur, delata periodum, non niſi divino nutu aut permiſſu decurſuram. Patriae namque noſtrae, Europae ocello, Deum haut vigilaſſe quis impie dixerit? *conf.* POLYBIVM *lib. 6.* BOECLERVM *in Svetonii Octavium Diſſ. Polit. n. 8.*

II. Aequalis extra materiam cauſa ſint Principes ac Respublicae, de hac Imperii periodo velut certantibus auxiliares, quos ſi referre volupe, pro diverſis Ligae et Unionis partibus, Roma, Hiſpania, Anglia, Gallia, Svecia, Dania, Venetiae, Batavia ac Helvetia mihi eſſent adducendae. Hinc etenim, ceu ex fatali machina, tanti belli ſeges prodiit et moles, Europae fere concuſſu. Pars regni libidine, pars defenſionis ſtudio, ſanguinis vel foederum iure debitae, utut multos propria ſtimularit charitas: Quis enim alteri cum iactura lubens ſubſidio venit? Auxilia non raro hoſtis noxa chariora. Ita ad Annibalem Samnites: Pyrrhus noſtro magis milite ſuas vires auxit, quam nos ſuis viribus defendit. LIVIVS *l. 3. Dec. 3. conf.* BOECLERVM *in l. 3. Hiſtor. Taciti pr.*

III. Cauſam materialem nomen ſtatim in materia, ſeu Imperio eiusque partibus, quaerendam prodit, ubi anteacta revolventi tempora viſcera ſiſtuntur Germaniae, in contrarias, Hiſpanam et contra-Hiſpanam, factiones digreſſa, invicem luctando: Illa, ut ſupprimat; haec, ne ſuccumbat. Dira illic ambitio; hic iuſta magis defenſio. Leo Auſtriacus, iubas Hiſpaniam ultra iam excutiens, Germaniam verſus caeteraque regna triſte torquebat ſupercilium, ungues, ni reſecentur, minitans. Hinc metus vicinorum, indeque bellica defenſio, ſumme nitens, quo ferox iſte ſpelunca ſua ſe contineat, aliis, quod ius et enſis dederat, relinquens. Id, quia

 opus

opus arduum, arduam deſiderabat induſtriam, manum pugnacem, quae, longo licet belli turbine, non niſi rebus iuribusque ſalvis, laſſa, hoſte tamen ſimul laſſato, apparuit, praeſentem demum Patriae ſtatum, invicem probandum, producens. Sic magnae curae magnum praemium: SALVSTIVS *in orat. 1. de Rep. ord.* Et creſcere inter Principes difficile, creviſſe invidioſum, quia minus ſecurum; quid enim de ſe non credit Diis aequa poteſtas? IVVENALIS *Satyr. 4. conf.* GROTIVS *de I. B. et P. l. 2. c. 2. n. 5.* DN. TEXTOR *de ratione ſtatus German. c. 5.* THVCYDIDES *Hiſt. l. 1. p. 14. 19.* FORSTNERVS *ad Tacitum, p. 414. CL.* BOECLERVS *ad l. 2. Hiſtor. Taciti, p. 699.*

IV. Cauſa, ut par erat, viſa, iter erit ad ſubiectum, ſemet in ſacro ſiſtens Imperio, quod, antiqua Germanorum gloria, reliquis prae reptam quaſi palmam oſtendit; primam quidem faciem mutatum, priſco tamen robore, ſi concors, adhuc terribile: Licet *Dn.* TEXTOR *d. Tr. c. 9.* Statuum concordiam non in ratione Imperii (mallem Territorii) ponat. *vide* VALERIVM MAXIMVM *l. 5. c. 6.* THVCYDIDEM *Hiſt. 2.* Id quoque Agelai Naupactii de veteri Graecia conſilium. POLYBIVS *l. 5. conf.* PAVLVM DIACONIVM *lib. 14.* EVTROPIVM *in continuat.* BOXHORNIVM *Diſſert. Polit. 1. §. 7.* TACITVM *in Agricola.* AMMIANVM MARCELLINVM *26, 5.* Tam ampliſſimum igitur Periodus noſtra habet ſubiectum, in toto non ſolum, ſed et in eius partibus conſpicua, illo mutato mutabilis. Totum cognoſcitur, Imperatorem ubi et Status coniungimus: Partes, ubi eos in ſuis ſeparatim territoriis conſideramus. Ita diverſus ſubiecti vultus, diverſus quando intuitus.

Membrum II.

Periodum ipſam concretive in ſubiecto exhibet.

I.

PAtens ſe praebet rerum campus luſtranti nunc periodum. Huic enim paulo ante iunximus Germaniae Imperium, cum quo periodus unum conſtituit magnae molis corpus, argutos merens oculos, queis quamvis non inſtructus,

ſtructus, in curſu tamen non ceſpitet animus, feliciter vaſtum hoc emenſurus certis, ceu ad nauticam pyxidem, viis, quibus ſi minus inſtiterit, dabitur venia. Ardua quippe ſunt, ambigua, in quibus non raro voluiſſe ſatis.

II. Noſtram ergo Periodum contemplabimur vel in Imperii forma, vel in morali eius materia. De *Forma* quot Scriptores, tot fere opiniones. Imperatoris quidam, Statuum contra alii ducuntur partibus, non, ut MONZAMBANO vult *c. 6. §. 3. de Statu Imp. Germanici*, ignorantia Politica, aut argumento irregularis Reipublicae. Alii contra utroſque vel licentia, vel quadam Status Maxima, chimeras fingunt et monſtra: Reliqui meras ſubtilitates, ac ſi eſſet res tantum ingenii contemplantis, iactant. Illi adulantes, hoſtes iſti, hi ſpeculativi; neutra in ſalvo ſententia. *Conf.* BOECLERVM *in Hiſt. c. 1. Taciti*, ubi queritur de iniquis formae cenſoribus. Abſint in re dubia iudicanti affectus. *vide* SALVSTIVM *in Bello Catilin. p. 24.* Indaginis quidem, ſi non periculi, haec eſt quaeſtio, qua de pauca dicere, quam plane tacere, ſcopo meo propius. Praeſuppono autem 1. In rebus civilibus ita ad vivum non omnia poſſe exigi, velut in Matheſi aliiſque contemplativis. Hic enim principia certa, ibi fluctuant. 2. Praecepta Politica ex amuſſim non deduci ad praxin. Illa naturalem ſive perfectionis; haec legalem ſive imperfectionis ſtatum attendunt: hunc facere, illum fingere facilius, factas autem prae fictis optamus Reſpublicas, etſi cum praeiudicio doctrinae civilis. Hinc forſan non optime procedunt, ſingularia hic aeſtimantes ex generalibus, increpando, ubi his, tanquam politico lapidi, ea non ex aſſe reſpondent; acſi illa non eſſet domus, qua inhabitandi magis commodo, quam praeceptis ſtructoriis aedificans vigilaverit. Et vero illene, qui artis rigoroſam intentionem, an qui materiae ſolique capacitatem ſequitur, prudentior architectus? Hunc ſane praeferam, comparem illum Demetrio, cuius naves aſpectu quidem pulchrae, navigationi vero inutiles. THVANVS *l. 28.* Pro viribus ſtruenda moenia, et dum optimum non poteſt regimen, ad inſtar ſaltim inducatur, non quod doctrina cupit, ſed capit materia, cuius vitioſitas non admittit perfectiſſima.

ctiſſima. Omnis enim forma Reipublicae materialis eſt, ex materia in eſſe, fieri et operari dependens, unde illius valor ex hac potiſſimum aeſtimandus: Talis nimirum formae praeſtantia, qualis materiae aptitudo. adde ARISTOTELEM *3. Polit. 8.* BOXHORNIVM *Diſſert. Polit. 1.*

III. Omnis autem Reipublicae forma vel ab initio determinatur, aut, rebus iam poſitis, contingit, veteri mutata: Utrumque per modum voluntatis aut violentiae. Illud, dum gens, ſuperioris neſcia, in Rempublicam, pro ingenio ac fine ſuo optimam, conſentit, doctrina civili licet non ad unguem attenta; aut, quando nondum ſic congreſſa vi redigitur in corpus Politicum ab uno vel pluribus, civiliter iunctis. *vide* ARISTOTELEM, *3. Polit. 10.* Hoc, forma Reipublicae temporis tractu in aliam vel conſenſu, vel violentia, eaque tam interna quam externa, mutata, aut per παρέκβασιν, ut ARISTOTELES *4. Polit. 8.* vocat, ſeu transgreſſionem mutationis quid ſaltim recipiente: Hae ſiquidem migrationes, ut Conringii editio vertit, regimen in modo plerumque afficiunt. Dn. PVFENDORF *ad Monzambano c. 6. de Repub. irregular. p. 19.* Exemplum in Dictatore Romanorum, *vide tamen* BOXHORNIVM *Diſſert. 9. a quo diſſentit CL.* BOECLERVS, *in notis a Schmidelio citatus*, et in Duce Veneto. HORNIVS *in O. P. p. 1. c. 4. conf.* MACHIAVELLI *Hiſt. Florent. l. 5. et conf.* BOECLERVM *ad c. 2. Taciti A. l. 1.* Contingunt ergo poſteriori ratione mutationes, ſi vel ipſa Reſpublica, in ſe commota, tendit ad formam novam, usque pars civitatis potentior in debiliorem extorqueat urbis arbitrium, ſic vocat ARISTOTELES *3. Polit. 5.* vel, ubi exterus Princeps populusque ſubiugat Rempublicam, forma regiminis alia impoſita; ut Athenienſes Samios et Chios etc. Rex Perſarum Medos et Babylonios, teſte ARISTOTELE *3. Polit. 9.* vel, cum ob finis, boni publici, aliasve circumſtantias prius mutari placet regimen, aut regentis conniventia nova facies irrepit. Sunt enim ut plurimum, ni adſint repagula, in revolutione Reſpublicae, et ad aliam aliamque tendunt regiminis formam. Ita ex Optimatum tractu naſcitur non raro paucorum dominatus, ex quo Tyrannis, hinc ſtatus popularis, ex hoc poſtmodum Regnum,

inde

Digitized by Google

inde Tyrannis, aut ſtatus ariſtocratice temperatus, prout ex veteri recentique Rerumpublicarum hiſtoria liquet. *conf.* POLYBIVM *l. 6. et* ARISTOTELEM *Polit. l. 5.* ubi de his latius. THVANVS *lib. 61.* HORNIVS *in Orbe Polit. de Regn. Britan. cap. 12. CL.* BOECLERVS *in c. 9. l. 1. A. Taciti n. 5. et c. 10. n. 2. annot. polit. adde* CONRINGII *diſſert. de Republ. Hebr. n. 3. 4. et 5.*

IV. Ex dictis nunc palam eſt, quid conſtituendis in Rebuspublicis potius attendendum, et quo pacto recipiant formas, receptasque mutent, vel plane in alias, vel cum primis mixtas. Ulterius quoque hinc pateſcit, Reipublicae ſtatum eſſe utplurimum feliciorem, ad materiae magis potentiam, quam rigorem doctrinae formatum. Romae faſces tranquilliores ſub Tribunis et COSS. quam his ſolis, oligarchice plerumque regnantibus, quantum ex LIVIO deprehendere licet. *adde* EVTROPIVM *lib. 1. hiſtor.* Ab his enim Senatuque populus preſſus ſibi Tribunos Plebis, quaſi proprios iudices ac defenſores, creavit, per quos contra Senatum et Conſules tutus eſſe poſſet. Verba ſunt EVTROPII *d. l.* Sub ſolis COSS, quoad doctrinam forma erat optima, Ariſtocratica, minimum eminent: Sub utrisque mixta, et, quod aiunt, monſtroſa ac peſſima. Sed haec quoad finem optima, illa peſſima. *vide tamen* BOXHORNIVM *Diſſert. XIII. ibique Schmid. p. 401. et Diſp. X. Ampl.* BOECLERI *ad l. 1. c. 1. A. Taciti p. 16 et 21.* Quis vero ita durus, ut, pro forma doctrinali, ſit venia ſic loquenti, extorquenda, Rempublicam eiusque finem velit peſſundare? Reipublicae enim cauſa eſt doctrina civilis, non ut illa huic, ſed haec illi ancilletur. Venetiae, maritimi orbis oculus et metropolis, cui Rerumpublicarum antiquitate, gloria cedunt et potentia? quamvis in forma, ſubtilis Politica habeat forte, quod cenſeat. Livius, ſi COMINAEO fides, *de Bello Neapolit. l. 8.* Venetis Patribus familiarior ferme Ariſtotele, utut in hoc nec deſit, quod tali Reipublicae congruat. *vid. ὁ πάνυ* CONRINGIVS *in praef. ad Ariſtotelis Polit.* Hinc, ni ſomnium videri cupit Politica, materiae capacitate fuerit contenta, nec, quae non impetrat, ſperet. Votis ſaltim in vita morali non vivitur.

V. Per modum voluntatis igitur conſtituta in libera

gente Reipublicae forma, *conſ. ſupra n.3. h. m.* Regentis citra conſenſum non datur mutatio. Per conventionem enim, qua illa pareat, hic imperet, in quantum de fine civitatis, ius huic quaeſitum, invito non auferendum. Violenter vero in corpus morale coactis plus licere videtur. Violentum ſiquidem tanti non eſt, quam ſpontaneum excuſſiſſe iugum. Hic violatur pacta fides; illic ius victoriae, quod, bello inſolenti partum, adeo ſanctum non eſt, quin ſic ſuppreſſi, data occaſione, reſpirare queant in libertatem, connivente praeſertim victore. *adde* GROTIVM *de I. B. et P. l. 1. c. 4. n. 16. et l. 2. c. 22. n. 8. 10.* PVFENDORFIVM *Element. iur. univerſ. l. 2. axiom. 2.* BOXHORNIVM *Diſquiſit. Polit. caſ. 3.* Quod de noſtra quoque Germania venerabilis loquitur antiquitas. Non enim plane iugulaverat domitor Caroli M. gladius libertatis in Proceribus memoriam. Virtus aliquando victis in praecordia redit, alliciente occaſione, qua Statibus varie oblata, formam hanc liberiorem poſuere Imperio. *conſ.* MACHIAVELLI *Principem, c. 5. et 6. ubi multa de occaſione. Excell.* DN. BOSIVS *in Agricola, §. 7.* I nunc ſuperba gens mortalium, altero, dum hic negatur, orbe dominatura. Ite Monarchiſtae, veſtra in cerebro, parum in Imperio noſtro praeſtat doctrina: veſtra vobiſcum monſtra reportate, nobis Reſpublica, ſi concors, ſat formoſa. Diſcordia non tam a forma, quam affectibus. Aut quid monſtroſius? Veſtram applicando doctrinam, uti luctuoſa erant tempora, ilia rumpere Imperii, an, hanc fovendo formam, ſalutem ſtabilire patriae. Supra Politicam in accidentalibus Reſpublica. *add.* ARISTOTELES *3. Polit. 5.*

VI. In ſacra regni Statibus ſic admiſis, forma Reipublicae alia. Ante Monarchica, nunc per Optimates civiliter temperata, hinc Monarchia Ariſtocratica. Nunc enim, ſic ſtantibus rebus, uni non redditur ratio, *v. Cl.* BOECLERVM *in l. 1. c. 3. Annal. Taciti n. 8.* nec aliter ſalus obtinetur Imperii. Haec Lex ſuprema, CICERO *de offic. 1.* praecepta Monarchica deſpicit. Inde tamen haut ſtatim monſtrum, limitatum inter Regnum et foedus, fluctuans. Quod enim Statibus et Caeſari reciproca ſit renitentia, non a forma neceſſario deſcendit, licet non negetur,

getur, eiusmodi formam laudari facilius, quam evenire, aut, ſi evenit, haut diuturnam eſſe. TACITUS 4 *Annal.* FORSTNERI *Iudicium de modern. imper. ſtatu. p. 15.* Accidit, ſic turbari Rempublicam, quae reſpectu formae tranquilla, quaelibet ubi pars ſua ſorte fuerit contenta. Arctioris regni ſtudium, et Statuum contra libertatis tutela tales fluctus cient, ut contra formam machinando tanta demum mala prodeant. Ita Reſpublica Romana taranquilla, dum COSS. tranquilli cum Tribunis; illis in populi iura tendentibus, bella civilia. Polonia, Regnum Ariſtocraticum, turbidam praefert faciem, Proceres inter et Regem ubi eſt aeſtus: Bene vero invicem convenientibus, ſatis beata Reſpublica. Vitium igitur potius a perſona, quam forma: Non ſecus ac litigia ex immodica hominum cupidine, necquicquam vero rerum ſeparatione ac dominio fluunt. ARISTOTELES 2. *Polit.* 3. Pariter in homine ſceleſto quis non tam rationem culpabit et affectus, quam pravam iſtius inclinationem. Felix Reſpublica, ſi forma populo apta, ſancte ſervata, turbo ubi invidia et ambitio, vel optimae interdum formae corruptrices. *vide* ARISTOTELEM 2. *Polit.* 7. BOECLERUM *ad l. 2. Hiſtor. Taciti, p. 699.*

VII. Nec monſtrum, aut huic ſimile, in forma Imperii duplici, unius licet rei non cenſeantur dari plures formae. Poſito enim, una in re unam eſſe formam, idem tamen de Imperio noſtro aequus eius cenſor non diffitebitur. Forma Imperii ſubſtantialis una, duplex tamen ex accidenti apparet. Eſſe ſiquidem Reipublicae non influit, ſed contingit, illam vel ab uno, vel uno pluribus, idque coniunctim aut diviſim, prout ſalus eius expetit, adminiſtrari. ARISTOTELES 3. *Polit.* 5. Sic noſtrae Reipublicae Maieſtas, ut formale principium, unam, quia unum, conſtituit Reipublicae formam: prout autem in diſtincto regentis exiſtit ſubiecto, Caeſaris et Statuum, diſtinctae oriuntur formae, eae tamen accidentales, quippe deſumtae ab exiſtentia in ſubiecto accidentali, a quo ipſam formam eſſentialem, quae una, hinc indiviſa, velle duplicem ponere, contra naturam unius eſſet. Miſceri autem videntur formae iſtae ratione ſubiecti communis, cui inſunt, et quo teminan-

Digitized by Google

nantur. Hinc, ut dicunt, Reſpublica mixta, moralis tamen, ſi aliqua, ſaltim eſt mixtura, utut, me quidem iudice, eiusmodi Reſpublica melius nuncupetur temperata. Nam duae iſtae ſimplices formae, ſi non communi, ſingulari tamen ſeiunctae ac circumſcriptae ſunt ſubiecto, ſimul quidem, ſed non mixte, operantes. Temperata autem vocabitur ob caſtiorem iuxta ac aequalem vocis intellectum. Is enim finis, ea potiſſimum eius Reipublicae intentio, ut temperetur libido arctioris imperii. Hoc charum principi, populo exoſum; affectat ille, hic averſatur, hinc huius temperamenti origo. Populus enim, libertatis amans, ne demum fiat mancipi, ponit regiminis repagula, ſuique munimenta, incipiente aut conſtituta iam Republica, maxime elicititia. Illa vero aut in fundamentalibus ſaltim pactis et legibus ſubſiſtunt, aut in formam Reipublicae ſimul abeunt, pro diverſa illorum conceptione; id tamen ut plurimum habent, quod primo capacia, tractu vero temporis, naſſae inſtar, arctiora fiant. Et ſane, uti temperata ſunt optima, Reſpublicas ita moderatas optimas opinor. Respublica enim quanto melius temperata, tanto ſtabilior habetur. ARISTOTELES 4. *Polit. 12.* BOECLERVS *in 1. Annal. Taciti 11. n. 6. Annot. Polit.* Corpus naturale ſanum eſt, ubi anima, corporis actum imperatura, vires membrorum prius explorat, his infirmis ceſſans potius, quam cum illorum pernicie agens. Sic corpus morale, non tamen cuiusvis populi, felix ac ſtabile videtur, cuius partes nobiliores regni ſimul guſtant dulcedinem. Raro quippe unius animus firmus tantae moli bene ſuſtinendae. Purpura multorum ſaepe illecebra, et quid ibi non fiat, ubi quod libet, pro lege eſt, innocentia in arbitrio. Affectus ſibi lex et iudex quorſum tandem non degenerant? Hinc Rerumpublicarum temperamenta, ne ineffrenis poteſtas in libidinem eat et tyrannidem. Roma, gentium victrix, in ſtatu Polyarchico plerumque turbulenta, COSS. ſtrictum in imperium, Populo vero in libertatem nitentibus. Illud antiquo regum odio infeſtum, haec nova dulcedine grata. Hinc perpetua contentio, ſopita tandem, temperata Patrum ambitione per Tribunos eorumque conſulatum. *vid.* LIVIVS *Dec. 1. l. 2. 3.*

2. 3 et 7. BOXHORNIVS *Diſſ. 12.* Aſt quae non ſub Caeſarum vaga poſt ſuſtinuit potentia, regum quaſi exactionem luens? Per omnes enim Rerumpublicarum formas hactenus acta, impotentis felicitatis ac potentiae fato in ſervitium ruit. *conf.* TACITVS *1. A. 7. ibique* BOECLERVS, VELLEIVS *l. 2. pr.* BOXHORNIVS *Diſſ. 14.* Reſpublica Veneta, in priſcam Romanorum gloriam nata, non aliunde caeteris antecellit Rebuspublicis, quam quod optime ſit temperata, Monarchia, Ariſtocratica, Statuque populari: illic externa maieſtas, ſumma poteſtas iſthic, hic baſis totius Reipublicae. En perfectum exemplar, ex omnibus formis Rerumpublicarum ſimplicibus compoſitum. Duodecim floruit Secula, florebit diutius Status eius inclytus, Sereniſſimus. *conf.* BOECLERVM *in Taciti Annal. l. 1. c. 1. ubi latius et erudite.* Unde prudens POLYBIVS *l. 6.* optimam iudicat Rempublicam, ex formis optimis temperatam, utpote revolutionibus non ita obnoxiam, dum iam complectitur, in quod ſimplices alias inclinant Reſpublicae, volvendo ſe de una in aliam regiminis forma. Ita Lycurgus Laconum formavit Rempublicam, quam imitati Cretenſes. *vid.* ARISTOTELES *2. Polit. 4.* BOECLERVS *cit. loc.* Parlamentum Angliae efficax regni temperamenmentum, cuius autoritatem ubi Rex non violat, purpura eius felix et regia; ſecus infelix ac tragica. Poloniae ſceptrum mitigat Ariſtocratia, nec Sueciam omnis temperamenti expertem exhibet Regni Senatus. Ita pleraeque, niſi deſpoticae, quicquam caeteris ex formis habent Reſpublicae, maxime noſtra Germania, cuius Aquilae ungues ſtatu Optimatum molleſcunt. *vide* CONRINGII *animadvers. in Machiavelli Princip. c. 3.*

VIII. Prolixi pene luſtravimus periodum in Imperii forma, nunc et in Imperio ipſo, ſimpliciter et cum reſpectu conſiderato, videbimus. Reſpublica noſtra, quatenus exteros reſpicit, ſuam ibi quoque circumfert periodum, hinc Status ratio extrinſeca, ubi Hannibal aut Camillus, hoſtis vel amicus erit. Hoſtes inter trux et formidabilis Mahomet IV. eundem cum Sacratiſſimo Leopoldo noſtro, det Deus bono omine, ſortitus natalem A. 1640. Flagrant oculi eius et animus noſtrum verſus Imperium, ex transverſo, ſi directo nequit,

 peten-

petendum; unde rabidi inſtar canis terra mox et mari eius anhelat latera: Hic Tyrrhenas ſulcans undas, illic per Coſacos Poloniam, aut, hac miſſa, Hungariam tentans, ob callidam Status rationem formidabilis. Franciam amicis num annumeres, tibi, Germania, relinquo. Amicum conſilia probant et eventus, non verba et oculi, fallaces rerum indices; nubila ſi fuerint tempora, qualis ſit cognoſces. Sarmatica Soror, Coſaco-Turcico molimini intenta, Germaniam ſitu et nuptiis ſibi affinem colit. Hungariam, procerum cruore et Turcico nunc inſultu funeſtam, non excitabo. Leo Belgicus tibi litem non moverit, ei modo ſeptem non laceſſeris ſagittas: Burgundia vero poſſit eſſe belli alea. Suecus et Danus Aquilam noſtram vellicare pro religione duxerint, plumas in ea ſuas mulcentes. Lotharingiam, hibridam Imperii provinciam, adeo amicam non putant, homagium, dura vox, Gallo praecinenti cantantem. Minus periculi in Alpibus, ob vindicias etenim ſecundum libertatem Imperium comiter venerantur. Septicollis ſedes, Turcicis contra Poloniam ac Mediterranea conatibus anxia, tranquille, modo liceat, ſedebit. Haec de his ſufficient, meum non eſt ulterius ire: Ardua ſunt, periculoſa, nec cuivis licita.

IX. Regredienti ad noſtram in ipſo Imperio periodum obviam ſe fert Aquila in univerſo ſpectata. Rara inter aves: Deplumis, non tamen ſine plumis, quas, aliis decori conceſſas, in ornatum ſui refert, quibusdam hoc probantibus, aliis plane negantibus; hinc galeae, illinc tiarae, criſtis eius ſat ſuperbientes, quas noſtra hic, non in ſe, roſtro quaerat acuto. Caput habet, ſed inter capita; ſola nunquam niſi in nido, Phoenice rarior. Ille flammas, ut renaſcatur, ſibi ſubdit; haec, ut extinguatur, ſciens, ex ſuo cinere novas vix prodire Aquilas. Tiberim, umbra ſeptivertice amoenum, iuxta quosdam diu coluit, trans alpes poſt Germaniae ſinum involans, hinc an migrabit, Deo cognitum. Eoa quidem vocat Diana, ſagittam, ut veteri deturbet nido, contorquens; nec alliciens ſilet gallicinium: Sed Deus velit, ut vocent tantum et alliciant. Noctes illius, rore an ſanguine madidas, bruta eisque ſimiles appetant;

petant; huius vero arrogantiam gallinae tolerent, non Aquilae. Aquila Iovis tantum ferre fulmina novit: his noſtra regitur Germania. Triſtis ei ſolitudo, velit Deus, regnorum arbiter, ut pullos videat feroces, vegetos, ne forte ſurgant de nido ſterili funeſta certamina. Liberi quippe imperii ſubſidia et munimenta. TACITUS *l. 1. Annal. et Hiſtor. l. 4.*

X. Periodus Imperii in univerſo conſiderata ſe nunc in partes exſolvit, quas aperto et clauſo Iano contemplabimur. Ianiculum apertum noſtra Reſpublica, ut talis, Deus porro prohibeat! de praeſenti non videt, modo proximus ardens Ucalegon flammas non mittat fumantes. Intrinſecus tamen membra quaedam figunt refiguntque tentoria, plurimum contra ſimias Principum. Sic Occarus cinctae matris, qua excipitur, precibus imbelles, ſed fruſtra, pulſabat nuper Hanſeaticas: nunc ex eius ſorte, Bataviae aemula, caeteraeque ſibi Sibyllae fingunt folia. Infulam aliae, aliae galeam metuunt, iacta velut de ipſis teſſera. Bonum hic iure niti, melius gladio.

XI. Claudatur nunc Ianiculum, ſitque Germaniae ſemper clauſum, exinde namque nihil, niſi cruor Martius ruit: Noſtra autem periodo ſic circa Ianum verſante, pacis ſurgunt halcyonia, divinis iuxta et humanis cultum pollicendo. In divinis maxime pietas, haec in religione, quae hodie triplex Imperio probata, conſcientiae libertati terminum ponit, in varias ne degeneret ſectas. *vide art. 7. I. P. W.* Civilis enim poteſtas prohibet, non ut de rebus divinis quis aliter, quam conceperit, ſentiat, ſed ne conceptum, ſi erroneus aut non probatus, libere prodat. Illud internam, hoc externam mentis libertatem reſpicit; hoc ſub imperio politico, illud ſub Deo, cordis iudice. Promiſcua enim in religione autonomia, plurium in Republica malorum cauſa, inde eius circumſcriptio a ſeculari pendens potentia. *Conf. Magnific. Dn.* BECHMANNUS, Patronus mihi devote colendus, *Exercit. ad A. B. IX. n. 49. ſeqq. et* DN. PUFENDORFF *Element. I. N. l. 2. ax. 2. et late* ANTON. FABER *in tract. de religione in Republ. regend. c. 5. l. 2.* Religionis autem exercitium tam publicum, quam privatum ex termino A. 1624. *I. P. art. 5 §. 12.* Reſtitutio bonorum eccleſiaſticorum inſuper

 ex

ex die 1. Ianuarii dicti anni aeſtimatur, mixtae religionis civitatibus Imperii ad aequalitatem redactis. *art.* 5. §. 2. *I. P.* Dicto autem termino, religionis libertate non gaviſis devotio caeteraque domeſtica, apud vicinos etiam publica, impedimento procul permittantur, honeſte quoque ibidem mortuis ſepeliendis. *d. art.* 9. §. 12. *verb. placuit.* Sponte autem vel vi reformationis emigrantes terminum diverſum, quinquennium aut triennium, pro diverſo mutatae religionis tempore, ſortiuntur, cum arbitrio retinendi vel alienandi bona ibi poſſeſſa, dato inſimul, ubi petitur, vitae ſtatusve teſtimonio. *d. art. et* §. Princeps porro aliusve territorii Dominus, religionem mutans, vel alterius religionis territorium acquirens, ſuos in aula habeat concionatores, ſine ſubditorum onere et religionis praeiudicio, *art.* 7. *I. P.* Haec tamdiu poſita, usque religio univerſalis ſtabiliatur in Imperio. *v. art.* 5. §. 1. *I. P. Illuſtris a* SECKENDORF, *πολιτικώτατον illud Germaniae Lumen, in Teutſchen-Fürſten-Staat p.* 2. *c.* 11. *Magnif.* DN. BECHMAN, *Uſ. Pr. Feud. Exerc. XIV. obſ.* 9. 10. *ſeqq.* et *in Ex. ad A. B. XI. n.* 49.

XII. In ſecularibus noſtra nobis offert periodus ſtatum Regiminis, cui regundo Caeſarem et Status aſſidere facile notum, dignoſcere licet difficile, quis horum maiorem clavi partem teneat. Mutua hic magis reverentia, quam diſceptatio, hinc nulla huius quaeſtionis publica deciſio, nec forſan ſperanda: Illa autem quo tranquillior, eo facilior de negotiis Imperii conventio, hac parte quid remittente, quid addente altera, ut raro hic ſit proportio arithmetica. Reſervata quidem Imperatoris prae Statibus eminentiam vix dubiam relinquunt, in comitiorum vero iuribus ambiguitas. Rem ipſam, a dicta reverentia praeciſam, ponderans, ſentiet potentiam ex parte Caeſaris ferme aequalem. Statuum ſcilicet per maiora concluſo ante probationem Caeſaris vim decreti non habente. *conf.* BVRGOLDENSEM *ad I. P. p.* 2. *diſc.* 5. *n.* 4. TEXTOREM *de Rat. Stat. G. c.* 2.

XIII. Status Monarchicus electitius licet quid ſucceſſionis, ex arbitrio tamen eligentium pendentis, in ſe habere videatur, cum ducentos ultra annos decem, dempto Ferdinando IV, una ex Familia ob Status proprium Imperatores

deſcen-

deſcenderint, iique Auſtriaci, ab Alberto II. usque ad Leopoldum I. Praeſcriptum videretur Imperium, ni bona fides deficeret et poſſeſſio, praeſcriptionis requiſita maxima; illa, ob Capitulare iuramentum, quo ſucceſſioni renunciatur; haec, ex interruptione, ſingulis electionis actibus contingente. Electio autem eſt vel ordinaria, vel extraordinaria. Illa, quando Imperio, morte, depoſitione aut reſignatione Imperatoris vacanti, novum caput eligitur a maiori Electorum numero, quem et ipſe eligendus conſtituit. *vide A. B. c. 2. §. 4.* Extraordinaria, dum adhuc vivo, quamvis invito, Imperatore, futurus regni deſtinatur ſucceſſor, ne locus ſit interregno, raro felici, vicesque abſentis forte Imperatoris ſuppleantur. Haec originem ad ſuperius refert ſeculum, et quidem tempora Ferdinandi I. ubi, num eſſet e re Imperii, an electionis libertati oppoſita, multa per Saxonem diſceptatio, transactione poſt, et capitulationibus modernis ſopita. *Magnificus* STRAVCHIVS, *Praeceptor ac Patronus mihi maxime venerandus, Diſſert. I. P. X. n. 10. conf.* MONZAMBANO *c. 4. §. ult.* HORNIVS *in O. P. p. 1. de Imp. R. G. can. 6.* Sic qui olim Caeſar, *vide* AVRELIVM VICTOREM *in Traiano*, hodie Rex Romanorum audit, diſpar illi, cuius *A. B.* ſaepius meminit. *vide c. 1. §. 1. ibique* LIMNAEVM *obſ. 3. it. §. 19. d. c. et §. 1. c. 5. Capitulationem Ferdinandi III. art. 38.* Huic, qua tali, potentia Maieſtatem, certo caſu exercendam, abſurde forſan non tribuas. Nihil alias conferret electio, ſi ex delegatione Imperatoris penderet eius poteſtas. *vide* SPRENGERVM *I. P. p. 156.* Interregni autem tempore Imperium, Rege Romano viduum, regunt Vicarii, Saxo, ubi Saxonicum, Palatinus, ubi Franconicum olim hodieque obtinent iura. Hinc in literis Denunciatoriis: *in Landen des Sächſiſchen Rechten, und an enden in unſer Vicariat gehörig. apud* LIMNAEVM *obſ. 7. ad c. 5. §. 2. A. B. praelaudatus* DN. STRAVCHIVS *diſſert. Exoter. 3. n. 1.* Iuris enim praedicti, ceu ſigni, mutatio ipſam rem tollere non videtur. Par imperatoriae Vicariorum poteſtas, exceptis tamen caſibus, quos *A. B. §. 1. c. 5. et* DN. BECHMANNVS *diſſert. Exot. I. P. v. de vicariat. imper.* late recenſet; eorumque legitime geſta recens Imperator confirmat. Palatinus quidem cum Bavaro litem de iure

 hoc

hoc reciprocat, occaſione *art. 4. I. P.* ultimo Interregno, poſt mortem Ferdinandi III, maxime agitatam, tum ferme intercepta a Bavaro iuris poſſeſſione. Haec tamen hactenus pendet controverſia, imperiale deciſum expectans, ſcriptis interim modo pro Bavaro, modo, et, ut volunt, iuſtius, pro Palatino litigantibus. Fundamenta utriusque ex SPRENGERO *I. P. p. 269. ſeq.* BVRGOLDENSIS fere refert *ad I. P. part. I. diſc. 26. vide* MONZAMBANO *c. 4. §. 5.* Et haec, in quantum ad praeſens, de ſtatu monarchico eiusque connexis.

XIV. Ariſtocraticus ſtatus electione conſtat ac ſucceſſione: Haec in ſecularibus, in eccleſiaſticis illa ſpectatur. *conf.* STRAVCHIVS *Diſſert. Exoter. 2. th. 3.* Ex Capitulis eliguntur eccleſiaſtici, ſuntque Archiepiſcopi vel Electores, ut Moguntinus, Trevirenſis et Colonienſis, vel non Electores, ut Salisburgenſis, Veſontinus. Bremenſis et Magdeburgicus in Duces ſeculares tranſitum partim fecerunt, partim minantur. *vide art. 10. et 11. I. P.* Epiſcopi, quorum olim numerabant triginta duos, ex iis tamen plerique apud Proteſtantes ſeculum olent, praeter Lubecenſem, quem Duces Holſatiae ſiſtunt. Praelati-Principes, ut Magiſter Ordinis Teutonici, cui prima inter Epiſcopos ſeſſio, et D. Iohannis ſeu Equitum Maltenſium, qui locum capit ante Principes-Abbates ut ſunt Campidunenſis, Corbeienſis etc. Abbates et Praelati ſimplices, ut et Abbatiſſae. Seculares ſuccedunt, niſi de novo quidam creentur. Sunt autem vel Electores, quorum poſt *I. P. art. 4.* quinque: illorum primus Rex Bohemiae, quem, ſicut olim Carolus IV. *vide prooemium A. B. ibique* LIMNAEVM *obſ. 18.* praeſentat Imperator, Leopoldus. *conf.* Magnum I. P. interpretem, STRAVCHIVM, *Diſſert. Exot. 2. th. 11.* Vel Archiduces, Duces, cuius nominis aut propriis, aut iunctim in aliis familiis Germania duodecim habet: ut Saxoniae, Bavariae, Brunſvico-Luneburgici, Bremenſes, Verdenſes, Pomerani, Wurtembergici, Mecklenburgici, Lavenburgici, Holſatiae, Sabaudiae et Lotharingiae, licet poſteriores duo res a Germania ſeparatas fere oſtendant. Principes, quorum alii nudo hoc titulo contenti, ut Anhaldini, alii praeter hunc pluribus conſpicui, ut Principes Saxoniae etc. Comites Palatini, Comites Principes, ut Mont-

Digitized by Google

Montpelgardenſes, quos Wurtembergici, et Tirolenſes, Kyburgi etc. quos Auſtriaci gerunt; Marchiones, Landgravii, Comites, Barones et Imperii Civitates liberae. vide, inprimis de Marchionibus, Illuſtrem THOMAE, Cancellarium Saxo-Altenburgenſem, inſigne civilis prudentiae ornamentum, *in Diſc. Iurid. de finibus, poſit. IV.* BVRGOLDENSEM *ad I. P. part. I. Diſc. 19. 20. 21.*

XV. Periodus, miſſo nunc regimine, tranſit ad Imperii Senatum, cui, octo licet annorum laboribus laſſo, finis, mole non exhauſta, necdum adeo certus. vide tamen MONZAMBANO *c. 5. §. 24.* Ille autem vel eſt *Univerſalis*, quo Caeſar et Status univerſi tres in Curias, Electorum, arcano dignitatis, Principum et Civitatum, diſpoſiti, poſterioribus *art. 8. I. P.* ad votum deciſivum, ſine Re-et Correlatione, (quam tamen, ſed contra conſenſum Electorum et Principum, ut ſequelam anno 1654. ambiere,) admiſſis, TEXTOR *de Rat. Stat. Germ. c. 13.* de Imperii ſalute deliberant, ille proponendo, hi per vota curiata, non ad claſſes, ſed numerum maiora, ſub directoribus conſultando, utrique tandem, poſt reciprocram rei agitationem, in unum concludendo decretum, quod Deputati poſt in Receſſum redigunt. Vel eſt *Particularis*, isque aut *ordinarius*, quo Caeſar et Electores cum caeteris Statibus, in duobus Electorum et Principum collegiis, de ingruente Reipublicae negotio agunt; aut *extraordinarius*, ubi punctus, plenum in comitiis Senatum non merens, per Status ſelectos ventilatur: German. *Reichs-ausſchuß*: licet poſteriores nec e re Imperatoris nec Statuum cenſeant. DN. *ab* HEERDEN *C. I. p. 281.* Sunt inſuper et alii Senatus *particulares*, ut *Electorales*, quibus vel de Imperatore eligendo, vel de Imperii tranquillitate agitur: *A. B. c. 12. §. 1.* huius tamen curam, vi *art. 8. I. P.* hodie ſibi ſoli Electores vix vindicant. Communis quippe metus et ſalus commune Imperii iubet ſuffragium. Item *Circulares*, dum quilibet Imperii Circulus, ne poſt rem forſan afferantur conſilia, de praeſenti ſibi vigilat periculo. Deliberat autem Imperii Senatus, quantum coniicitur, de illis, quae vi *art. 8. I. P.* reſtant, niſi forte pleraque compoſita, nondum tamen publici iuris. Hinc, ut prae caeteris Iura Caeſaris ſtabiliantur et Statuum, perpetuam,

cuam, quod aiunt, meditatur capitulationem, nec quondam inter ardua ſepoſitam. TEXTOR *d. Tr. c. 8. et 18.* Quae num omni ex parte fiat perpetua, erit indagini. Res utpote varians raro admittit iura perpetua, niſi diſtingvas inter formam ac Imperii fundamentum, et eius rationem Status; unde putant Electoribus rei tam difficilis remiſiſſe ardorem, quamvis non ita Statibus reliquis. *add.* BOXHORNIVM *Diſquiſit. Polit. caſ. 48. in Ind.* Multis, quid et quomodo hic agendum, curioſitas; aſt Illuſtres, quibus comitia gloriantur, animae prudentiam forſan aliunde non expectant. Hactenus a Carolo V. (ſic coercenda erat huius indomita ambitio) quantum conſtat, altius quidem originem petunt, TEXTOR *cit. tr. et c. pr.* usque ad Leopoldum I. tot, formae praeſentis, capitulationes, quot electiones, tractu ſuo quaſi per alluvionem adauctae. Ex ſola Electorum officina hucusque prodierant, donec et caeteri Status ſub Rudolpho II, illis necquicquam ſolicitantibus, ultroneam offerrent operam, cui, ut ſolet, ſemper neglectae ne nulla tandem ſit merces, utrorumque captata hic induſtria, uno eoque durabili componenda videbatur opere, quod an tot manus leve reddent, tempus revelabit. *art. 8. I. P. verb. in prox. et Principum Monita ad Capitulat. Leopold. concl. n. 1. 2.* MAGNIFICVS PRAESES *Diſſ. Exot. 4. n. 10.* Maxime porro cum interſit, ſtatum Optimatum eſſe certum, hinc, occaſione *d. art. I. P. et Monitor. ad cit. Capit. art. 9.* ex potiſſimis una comitiorum fuerit materia, matriculae et circulorum redintegratio, ut illinc, quid quisque Statuum contribuere, hinc, quinam incorporatum Imperii membrum haberi debeat, ſit notorium. Circuli olim ſex, nunc decem: non quod auctum ſit Imperium, ſed ut lacerum huius corpus arctius coaleſcat. *add. iam laudat.* DN. STRAVCHIVM, *diſſ. Exot. I. n. 8.* Facilius hoc, difficilius illud; de re ſiquidem taxationis lubricae conſtans non ita proclivis diſpoſitio, praeſertim ubi ex tot dependet arbitriis, tum in conſtitutione, tum executione. Non conſtat, quid *vi I. P.* agatur de exemtis Statibus? Imperii Aquila circumſpiciens alios, ſuis conſpicuos pinnis, nuditatem indignatur, quaſi iſtis ſua liberalitate vileſcat. Recentiorum ſaltim dolore nominat Hiſpanum, Gallum,

Digitized by Google

Gallum, Danum, Lotharingum, Helyetiam, Belgas, nec Italiam praeterit, ut, ad Rudolphi usque I. regrediens memoriam, ducentos ultra Status repudium politicum (*vide* KIRCHMAIERVM *ad Tacitum de M. G. p. 5. et 8.*) miſiſſe ſibi teſtetur. *vide* GOLDASTVM *apud* LIMNAEVM *ad A. B. c. 1. §. 11. obſ. 7.* Conſultius fuerit nihil dare, quam datum repetere. Res hic facto quam conſilio difficilior. Quoniam et thorus Caeſaris prole infelix maſcula, in eventum procul dubio ſummi Proceres conſulent; hic tamen ſiluiſſe privatum non poeniteat. Nec nullum plane negotium fecerit ſtudium ſecuritatis publicae, perpetuis tuendae armis et milite. Non enim iure, ut FLORVS *l. 4. c. 12.* ait, ſed vi et gladio regna retinentur. Unde illae hactenus de perpetua Imperii militia deliberationes, maxime contra impetus Turcicos, quamvis bellum aut pax Hungariae rationem Imperii extrinſecam plurimum reſpiciat, Imperatore, ut Rege Pannoniae, plerumque hic agente. *adde* TEXTOREM *tr. cit. c. 6.* Multum dum confert tranquillitati Reipublicae, membra illius eſſe inviolata, conſultaverit Senatus, quomodo, ſi mali neceſſitas exigat, in Statum, Imperio noxium, banno aliaque poena procedatur. *vide infra, h. S. et m. n. 16.* Hactenus adductis nondum ſat litatum ſaluti Germaniae, ut enim huic corpori integra redeat ſanitas, reſecentur oportet malar reliqua, quibus illa turbatur aut impeditur. Tot ac tanta ſunt inter Status gravamina. Hic queritur de non facta reſtitutione, ille de territorio contra I. P. W. violato. Uni gravis praecedentia, quod dicunt, in comitiis aliisve Imperii actibus; negata ſeſſio in particularibus alteri. Ducatum quidam, alius comitatum, civitatem, caſtrum aut monaſterium alius expetit, novo vel veteri iure. Iſte iura aliena captat, hic ſua nimis extenſe uſurpat. Hunc immedicabile praeteritorum ſtimulat vulnus, illum dolor recentioris ulceris, ut privata procerum charitas plurium Imperii malorum videatur occaſio. Multi, quibus querelae quid a propria relictum, publica pro ſalute urgent monetam, collectarum rationem et alia, quibus ad radicem tollendis Regni Senatus vigilat, dum felicitati Patriae vigilat. Alexander M. *apud* CVRTIVM *l. 3.* inquit: *Fama bella ſtare*; neſcio an melius dixerit, pe-

Mm cunia,

Digitized by Google

cunia, ſacro illo Iove mortalium, cui, ceu Feretrio, vel potius Elicio, *vide* LIVIVM *l.1.Dec.1.* in ſacris pariter ac profanis opima hodie debentur ſpolia. Ne vero huius egens Imperium optimas rerum perdat occaſiones; maior quippe ſtrages ob non ſoluta ſtipendia, quam ex hoſtis interdum ferocia, velut noſtri ſaltim ſeculi hiſtoria refert milites, genus hominum fidum ac bonum ſolo quaeſtu: AVRELIVS VICTOR *in Gordiano.* Igitur de publico Imperii aerario, eoque conſtanti, nulla forte non eſt deliberatio. Collectis enim imperialibus niti, ita efficax non eſt. His demum quaeritur, quod iam in promtu eſſe debet, ſegnius procedente inter plures negotio. *Vide* ARISTOTELEM *2. Polit. 2. et 7.* ubi pro naevo Spartanae Reipublicae affert, non habere in aerario, ſed ex privato conferre. THVCYDIDES *l.1. Hiſt.* Nec tandem quis inepte colligat, Senatum hunc, ſupra Cineae admirationem Regium, *vide* EVTROPIVM *Hiſt. l.2,* conſulere de perpetuo Status concilio, more veteris Regimenti; continuis enim Imperii negotiis non ita facile plena aut deputata medentur comitia. TEXTOR *d. tract. c. 12.* Et haec de his, quae per controverſiae ſpeciem tractare mihi nec licet, nec libet.

XVI. Relicto nunc Imperii Senatu, pergit periodus ad Iuſtitiae ſacraria. Aulicum primo datur obviam, Camerali antiquitate, non dignitate praepollens, Caeſarem pro autore, eiusque aulam plerumque pro domicilio cognoſcit, cuius praeſenti gloriae anſam dedit invidia contra Cameram, tum Germaniae cum applauſu ius miniſtrantem. Quae ut et Caeſaris aulae fortuna contingeret, Ferdinandus I, obſcuros huius iudicii ignes reparans, Maximiliano II. augendos dedit, usque ſub Matthia et ſequentibus in praeſens lumen excreverint. *Vide* MONZAMBANO *d. tract. c. 8. §. 21.* Cauſas Imperii et Imperatoris maxime tractat, proceſſu, *v. art. 5. §. 20. I. P.* Spirenſi, tam ciuiliter, quam criminaliter, praeter Iuſtiniani et Ariſtotelis, in explicandis cauſis adhibens oracula, idque per ſecretius Conſilium. Aſſeſſores perſonae ſunt Illuſtres ſanguine et virtute ſimul, vel virtute tantum, nationis Germanicae et linguae, nec non utriusque religionis aequali, pro

voto-

votorum paritate, numero, ut ad ſummam, iuncto Praeſide, octodecim eſſe debeant, pluribus tamen, ut videtur, vix prohibitis. Iurisdictionem habet delegatam, cum Camerali tamen ſecundum quid concurrentem. Moguntino, Imperii Archicancellario, iuramento adſtrictum, a quo, ſi opus, viſitatur, ſententias ſuas, per ſupplicationes ad Caeſarem, mitigandas praebens, Imperio demum vacante quieſcit. Controverſias, de hoc et Camerali tritas, hic per ambages reducere inſtituti vetat ratio, potiſſimis tacite iam innexis. *conf. §. 20. d. art. I. P. Ordinat. Iudic. Aul. tit. 2. §. ſo wollen. Magnif.* DN. BECHMAN *Diſſert. Exoter. I. P.* IX. *de Dicaſter. Camer. Aul. et Rotwil.* MONZAMBANO *c. 5. d. §.* Nunc ad Tribunal Spirenſe, tanquam recentius Aulico, ibit noſtra periodus. Illud, ceu communis, ſinuoſa tamen Iuſtitiae mater, a Maximiliano I. et Statibus fundatum, ſedis antea incertae, Spiram tandem, anchora quaſi fixa, appulit, migrans, ubi ſontica cauſa urgeat, quamuis dudum illius translatio intra conſilia ſteterit. *art. 5. §. 20. I. P. ibique* BVRGOLDENSIS *Diſc.* XX. *P. 1. n. 11. 12 et 14.* Praeter Iudicem et quatuor Praeſides, quorum duo Auguſtanae confeſſionis, ab ipſo ſiſtuntur Caeſare, L. determinati Aſſesſores, religionis ab Imperio probatae, licet nondum omnes ſol infelix viderit. Cauſas tantum civiles, crimine fractae pacis excepto, GAILIVS *de P. P. L. 1. c. 15.* vel per viam appellationis, vel ſimplicis quaerelae iudicat, iurisdictione ordinaria, nec a ſolo Caeſare ſuſpendenda, *O. C. p. 1. t. 3.* Magnificus STRAVCHIVS *Diſſ. Exot.* XIII. *n. 5. art. 42. Capitul. Leopold.* quae concurrit in quibusdam cum Iudice Aulico, dato Reviſionis medio parti hic gravatae. *art. 5. §. 20. I. P.* et praelaudatus DN. BECHMAN *d. diſſert. Exot. de Dicaſter. Cam. Aul. et Rotwil.* Rotwilenſe nunc ſuccedit, ſedem in nomine laudans, a Conrado III. in favorem, ut ferunt, civitatis conſtitutum, aetate quidem Spirenſi prius, ſed autoritate et hoc et Aulico poſterius; quatuor ſaltim Imperii circulis, iisque non integris, Suevico, Franconico, Auſtriaco et Rhenano, ius in ciuilibus et criminalibus dicit, Comite Sulzenſi per inveſtituram Iudice, qui, feloniae haud convictus, conſilia de illius abrogatione

Mm 2 eluſit.

Digitized by Google

eluſit. §. *20. in fin. d. art. I. P.* Datur ab hoc ad Cameram Appellatio, differentia hinc inſignis. *conf.* DN. BECHMANNVM *d. Exerc. ſub Iudic. Rotwil. R. I. Spir. A. 1500.* §. *und nach etc.* Neſcio, quid afferat periodus de Palatini Iudicio, in nomine tantum, ut videtur, durabili. *vide tamen* DN. PRAESIDEM, *Diſſ. Exot. 1. p. 3. n. 6. 7. 8.* Competit hoc (*A. B. c. 5. §. ult.*) dicto Comiti in Imperatorem, non ex ſuperioritate, ſed ratione muneris Palatini, cuius maxima olim in palatio Regis autoritas. Haec ut in alios vi, ita in Caeſarem, ubi iure poſtulabatur, ſpontanea eius ſubmiſſione valebat, occaſione *t. t. C. ne quis in ſua cauſa iudicet etc.* ut maxime id LIMNAEO diſpliceat *in commentar. ad A. B. cap.* v. *obſ. 12.* propterea a DN. PRAESIDE diſſentienti, hoc rationis colore: Quod, ſi Comes Palatinus non aliter quam ſubmiſſione libera iurisdictionem in Imperatorem nactus ſit, eaque ſubmiſſio poſtea in conſuetudinem abierit, ſequatur, quod Palatinus poteſtatem, a libera Regis voluntate profectam, in neceſſitatem converterit, et ſic plus ſibi ſumſerit, quam Leges ei conceſſiſſent. Conſequens autem LIMNAEVS abſurdum putat. Sed quaero ex LIMNAEO, qui concedit, ex conſuetudine hoc ius Palatino competere, utrum ab initio, cum primum haec conſuetudo formari coepiſſet, Rex coram Palatino neceſſario atque coacte ſe ſtiterit, an vero ſponte? Si neceſſario, neceſſitate coactionis fuit Palatinus ſuperior Rege, quod abſurdum. Sin ſponte, utique per liberam ſubiectionem ſe ſubmiſit, ex cuius ſubmiſſionis frequentia natam oportuit conſuetudinem, ſi quae fuit, quam fuiſſe ob Auream Bullam negare non potuit Limnaeus. Fallitur ergo ignoratione elenchi, quod plus per conſuetudinem ſibi Palatinus ſumſerit, quam Rex voluerit dare. Si enim Rex libera voluntate ſe ſubmiſit initio, prorogavit Palatini ſui iurisdictionem, et ita quidem, ut pateretur et in poſterum hoc in ius et conſuetudinem abire, utique perperam colligit LIMNAEVS, plus ſibi ſumſiſſe Palatinum: Sed illud tantum ſumſit, quod porrexit Rex, et quia hic voluit ius ſibi dici, voluntatem hanc, quae ab initio fuit, in neceſſitatem poſtea fuiſſe converſam, quid miri eſt? cum tritiſſimum ſit, neceſſita-

Dn. Strauchius defenditur, refutato Limnaeo.

Digitized by Google

ceſſitatis fieri, quae ab origine utcunque voluntatis erant, ſiquidem animo ius aliquod in alterum conferendi facta fuere. Sed et ἀνιςορησία laborat λιμναχίδες, dum negatur, Germanos, quando ſibi imperium adquiſiverunt, moribus Franco-Gallorum uti voluiſſe, ſed ſuis. Imo ſucceſſores Francicorum Imperatorum, Saxonicos, mores legesque maximam partem Francorum retinuiſſe, certe nec cito, nec temere, nec univerſos mutaſſe, omnis hiſtoria loquitur, et docere LIMNAEVM vel LEHMANNVS ſuus, ex cuius traditis pendet, potuiſſet? Errat porro et hoc LIMNAEVS, dubitando, utrum Palatinus apud Francos poteſtatem unquam iudicandi de Rege habuerit? Id quod cum aſſerat et probet FREHERVS, neget autem LIMNAEVS, utri credamus, Lector? Illine, qui omnes antiquitatis forulos excuſſerat, inprimis rei Germanicae infinitos pene MStos pervolutaverat? An huic, qui negat, nec probat, quique ex ſex-ſeptem chronicorum recentium rivulis τὴν λίμνην σοῦ explevit? Nec viderat, nullam argumento ſuo ineſſe vim. Non enim ſequitur; Si potentiorum cauſae iure magiſtratus ad Palatinum non pertinuerunt, ideo et Regis cauſas ex conſuetudine prorogatae iurisdictionis non ad Palatinum pertinuiſſe. Nec procedit argumentum tanquam a comparatis maioribus, ubi nulla eſt comparatio, paritas nulla. Exercetur autem, ut ſaniores volunt, Palatini poteſtas in cauſis civilibus primaeque inſtantiae. Hinc inter nugas merito referunt GLOSSATORIS SAXONICI *verba ad art. 8. fin. lib. 1. des Weichbilds: und ſoll ihme*, ſcil. imperatori, *das Haupt mit einer goldenen Parthen abhauen.* adde Themidis delicium, STAVCHIVM, *d. diſſ. Exot. n. 7.* LIMNAEVM *obſ. 7. ad d. c. et §. A. B.* Et quidem ubi praeſens exiſtit Imperator, in imperiali curia, ut *A. B. d. l.* loquitur, h. e. comitiis, vel aula Caeſaris, ſine citatione aliorſum facta. LIMNAEVS *obſ. 18. et 19. ad d. loc. A. B.* DN. BECHMAN *diſſ. Exot. x. de Auſtregis, n. 28.* Rariores hic proceſſus, niſi ante *A. B.* in Alberto I. et poſt ſub Carolo IV. ut refert DN. BECHMAN *d. diſſ. Exot. de iudic. etc. ſection. 6. c. 1.* In caeteris vero cauſis vel totius Imperii, vel minimum Electorum deſideratur autoritas. Eſt et aliud Statu-

 um

Digitized by Google

um iudicium, Auſtregarum, a re, ortus Germanici, mutuans nomen, originem refert potiſſimum ad tempora Interregni, ubi aut iuris arbiter, Mars, aut conventiones Illuſtrium Familiarum arbitrariae. Hinc diviſio Auſtregarum in arbitrarias et legitimas; illis in dictum tempus, his in Maximiliani I. aetatem collocatis. In beneficium primae inſtantiae introductae Cameraeque levamen, cum ordinaria iurisdictione, nec per Cameram, nec aulam Caeſaris impedienda in laeſionem dictae inſtantiae. Diſputant, num ordinaria ſit Auſtregarum iurisdictio? MINDANVS, STEPHANI et plures apud LIMNAEVM *in I. P. l. 9. c. 5. n. 39. &c.* negant, delegatam pro illa ſupponentes, quaſi Statibus a Caeſare mandatam, dicto iudicio inter ipſos exercendam; rationes caeteras latius LIMNAEVS *d. l. et* DN. BECHMAN *cit. diſſ. Exoter. de Auſtreg.* exponunt. Aliis rectius videtur contrarium, Auſtregas, nec ſolius Imperatoris, morti ſcilicet eius ſuperſtites, nec alterius delegatione, iudices putantibus, hac potiſſimum ratione: Auſtregarum iudicandi poteſtatem totius ab Imperii conſenſu pendere et lege, illamque mandato tranſire Statuum in conſiliarios, argumento iurisdictionis ordinariae maximo. A poſteriori ſaltim in hoc deflecterem ſententia, diſtinguens nimirum inter Auſtregas, ſic ut *Legitimis* propius accedat ordinaria, niſi ſpecialem inter hanc et extraordinariam, ceu ex ſpeciali lege, certis in cauſis, certisque ſubiectis conceſſam, ſtatuere liceat. *Arbitrariis* vero prorogata, vel compromiſſoria, lege ni firmata, haut tamen prohibita, ſit ſimilior. Germania noſtra nec in his aliisque Romani Iuris miratur ſemper myſteria. *art. 5. d. §. I. P.* Non omnibus, ſed certis conceſſae Statibus: Civitatum enim imperialium quaedam ſaltim habent arbitrarias. Pro diverſitate actoris et rei variant, nec in omnibus obtinent cauſis. *O. Camer. part. 2. tit. 1. 2, 3. 4.* DN. BECHMAN *d. diſſ. Exot. I. P. x. de Auſtreg.* De Iudicio, quo vita, dignitas et territorium Statuum agitatur, periodus noſtra eſt in ambiguo, factum inter et ius haeſitans. Res ardui eſt momenti, unde et arduum vult iudicem, quem unius agere arbitrium antiquus praeſensque reclamat Impe-

rii

rii ſtatus, improbans, tanta unius libidini committere negotia, in minoribus vero totum Imperium conſulere. Antiquus, ubi antiquiſſimo Germanorum ſtatu, teſte CONRINGIO *differt. de Civibus Imper. German. n. 14.* maioris momenti cauſae maiori in concilio, h. e. totius populi, vertebantur, quod nec cum Francis Imperatoribus extinctum. Nam Henrici III. tempore aliorumque poſt Caeſarum talia iudicia cum Statuum ſuffragiis habita, prout multis ex AVENTINO pluribusque rerum german. ſcriptoribus refert BVRGOLDENSIS *ad I. P. Diſc.* XX. *P.* II. *n. 3. 4.* Praeſens, dum tantis in cauſis poteſtas decernendi ad regalia Maieſtatis Imperii et ſummam ſpectat iurisdictionem, quae cum ſolius non ſit Caeſaris, ceſſat et ſolum eius hic arbitrium. Nec ab exemplis rite metiuntur iuris huius rationem, Caroli V. in Saxone ac Haſſo, nec minus Ferdinandi II. in Palatino factum recenſentes. Sectio haec in corpore morali Imperii periculoſa, nec unius medici hinc ſatis conſilium. *adde* MONZAMBANO *d. tract. c. 5. 6. et 16.* DN. BECHMAN *d. diſſ. Exot. de Auſtreg. n. 30.* BVRGOLDENSIS *part.* III. *Diſc.* VI. LIMNAEVS *ad Capitul. Ferdin.* III. *art. 30. art. 28. Capitul. Leopold. ibique monita Principum.*

XVII. Ad Magiſtratus denique greſſum levat periodus, quos in civiles et militares diſtingvere non abſonum. Illos in iudiciales, qui deprehenduntur in iam adductis Iudiciis, et extraiudiciales, quo referre aliquatenus licet Imperii Vicarios, *vide S. et m. h. n. 13.* nec minus Electores, cum eccleſiaſticos, ut Moguntinum, Archicancellarium Germaniæ, *c. 2. §. 2. A. B.* Trevirenſem, per Galliam et Regnum Arelatenſe, *c. 1. §. 12.* et Colonienſem, per Italiam Archicancellarios, *c. 1. §. 11. d. A. B.* licet penes poſteriores hodie forſan plus honoris ſit, quam muneris. Vide tamen ὁ πάνυ STRAVCHIVM, *Differt. Exot. I. P. 11. n. 9.* Origo horum dubia, cauſa licet, cur clericis haec dignitas data, certior. Munus hoc optabat rerum ſcientiam, quae tum non erat in ſeculo. Tum ſeculares, ut Bohemum, Archipincernam *c. 27. §. 8. A. B.* Bavarum, hodie Archidapiferum, *art. 4. I. P. §. 4. et d. c. A. B.* Saxonem, Archi-Marſchallum, *§. 1. d. c.* Brandeburgenſem, Archi-Camerarium,

§. 3.

Digitized by Google

§.3. *d. c.* Palatinum, hodie Architheſaurarium, donec extincta fuerit linea Wilhelmina. *d. art. 4. I. P.* Haec officia, non, ut affectuoſus BODINUS, ſervitia, *l. 1. de Republ. c. 9.* ab Imperio per Imperatorem, non a Bambergenſi, (cui ob quaedam feuda, nunquam in perſona renovata, ſemper per vicarios miniſtrant, LIMNAEUS *ad A.B. c. 27. pr. obſ. 7.*) vel praeſentes, vel per alios in feudum petunt et exhibent, hodie, ut LIMNAEUS *obſ. 20. ad. d. c. 27. §. 5. A.B.* putat, tecto capite, de quorum vicariis vide §. *6. cit. c. A.B.* proceſſu autem et ſeſſione, pro actibus in ſerie aut latere, diverſa, *c. 4. §. 1. d. A.B.* utrobique LIMNAEUS *obſ. praeſertim h. l. ix.* non enim transcribere vacat. Pertinent huc et Circulorum Directores ac Condirectores, ex ſecularibus ac eccleſiaſticis Statibus ſelecti. *art. 10. I. P. ibique* BURGOLDENSIS *Part. III. diſc. 7.* Militares ſunt vel in conflictu, ubi ſummus belli Dux caeterique ordinis inferioris Praefecti: vel extra, iique aut in conſilio, aut iudicio bellico, quos recenſere rei ratio prohibet et ambiguitas.

SECTIO III.
Membr. I.
Periodi finem tractans.

I.

FInis mihi non eſt periodi extremum, ſed pro illo, cuius cauſa eſt, ſui conſervatio, indeque pendens ſalus Imperii. Per fluctus enim iactatae Imperii navi, ne naufraga tandem pulſaret litora, ſacra opus erat anchora, quam in Pace Osnabrugo-Monaſterienſi demum invenit. Nunc, quaſi in arena ſecuritatis, belli anteacti luſtrat Oceanum, horrore gratiſſimo, ſecum altius reputans, quanta ſit rerum viciſſitudo, et quam infirmis nitantur radicibus! BARCLAIUS *in Satyrico, part. 2.* Ignavia inſuper non contineri magna Imperia, virorum armorumque faciendum certamen. TACITUS *l. 15. A.* Tutum contra non eſſe, Rempublicam armorum perpetuo duci ſtudio, ne, pacis artibus neglectis, ſuo ſeipſam demum conficiat gladio, quod Martiae illi Romanorum et Laconum Reipublicae contigit: ARISTOTELES *2. Polit. 7.* nec minus

minus idem Turcico, ni arma in exteros tendat, Imperio metuendum. Tanta ſiquidem militum multitudo, belli tantùm artes edocta, raro dulcedine otii inteſtinas citra convulſiones utitur. Bellicoſus Spiritus, modeſtiae impatiens, ſi foris non habet, domi quaerit ubi certaminis mereatur gloriam. *conf.* FORSTNERVM *ad l. 4. et 15. A. Taciti.* CONRINGIVM *in animadv. in* MACHIAVELLI *Pr. c. 3.* BOECLERVM *in l. 2. H. Taciti p. 690.*

II. Hic ergo ſcopus noſtrae periodi, poſt tantos belli turbines tueri pacem et ſalutem publicam, ſalva Reipublicae forma in periodo incolumi. At dicas, otium inerme magnis Imperiis pluris interdum ſtetiſſe armis hoſtilibus. Principatus amittendi prima cauſa, diſciplinae militaris neglectus. MACHIAVELLVS *in Principe, c. 14.* Ferrum, ni exerceas, rubigo conſumit, nitescit uſu. Otioſa tranquillitas molliciem, et, quod peius, luxuriam indit, virtus aemulis concita creſcit. Roma, ſublata Carthagine, ſecurior, pacis ſerenitatem in delicias, hinc ſui ruinam vertebat, in ſe ipſam ſibi facta Carthago. vide *Metellum ap.* VALERIVM MAXIMVM *l. 7. c. 2. n. 2. et 3.* FLORVM *l. 2. c. 15.* TACITVM *l. 13. A.* VELLEIVM *l. 2. c. 1.* BOECLERVM *in l. 2. H. Taciti p. 700.* AMMAIAN. MARCELLIMVM *lib. 14.* Ita Orientale Imperium luxu et deſidia, in gynaeceum ubi abierat, Turcico iugo turpiter ſubmiſſum, teſte CLVVERO *in Hiſt. Univ. p. 518. et* HORNIVS *in O. P. 3. p. 51.* Sic caeteris quoque regnis pacis nimia voluptas empta. Hebeſcunt enim acres virtutis ſtimuli ſoecordia, et magna gloria, ni renovetur, ſeneſcit. Dicta ergo non plane aliena ſunt a noſtra Republica. Haec plusquam vicennem, Dei gratia, experta quietem, quid minus curae habuit, quam arma? ac ſi tricennalis illorum furor priſcum Germanorum ſanguinem penitus hauſerit, bene ſciens, pacem ſub galea eſſe tutiſſimam. SAVEDRA *S. P. 98. et* BOXHORN *Diſſ. 3.* Nunc in tantam hominum auctam multitudinem, ipſa ſibi mole ſua gravis, hoſtibus non ita formidabilis, ſingulis ſegni potius paupertate contentis, quam armorum ſtudio vitam aut mortem nobiliorem tentantibus. Veteres Germani nec terram arare, aut expectare annum tam facile poterant, quam vocare hoſtes, et vulnera mereri: pigrum et iners ſudore acquirere, quod ſanguine parare

rare poterant. Ita TACITVS *de M. G.* Non aliis ſine mediis rupturienti velut Germanorum copiae conſultum. Quid enim honeſtius utiliusve, domi egena vitae ſorte torpeſcere, an foris iniuſte Imperio erepta repetere? Per hoc mole ſua ſublevabitur Germania, priſca armorum revireſcet gloria. *vide* CONRINGIVM *animadvers. in Machiavelli Principem c. 12. p. 52.* AENEAS SYLVIVS *apud* KIRCHMAIERVM *in Comment. in c. 2. Taciti de M. G. p. 34.* Dicunt, bella ſic ab Imperio, praeſertim in Oriente ſuſcepta utplurimum noſtris fuiſſe triſtia: ſed, ni fatum admittimus, plus ibi nocuit ambitioſus belli finis et modus, quam bona cauſa. *conf.* CLVVERVM *Hiſtor. univerſ. p. 524.*

Membrum II. et ultimum

de Contrariis.

I.

SUmma Imperii ambigua. TACITVS *l. 11. A.* BOECLERVS *ad l. 2. H. Taciti p. 700.* Nihilque ſuo ſtatu manet, ſed quodam temporis mutatur ambitu. ARISTOTELES *5. Polit. 12.* Ineſt enim cunctis rebus quidam velut orbis, TACITVS *l. 3. A.* quo circumacto nova rerum facies. Ut Sol, abſoluto curſu, novos incipit dies et annos; ſic Imperia, ſuos emenſa terminos, veteres mutant formas, in melius aut deterius, ſi non in cineres. Eiusmodi fatalia leguntur in omnibus, quot unquam floruerunt florentque, Rebuspublicis. Ita rerum culmini negata conſtantia, ut ipſi ſaepius felicitatis noſtrae ſimus hoſtes, ubi non ſunt, qui nos ex alto deiiciant, multisque pro fortuna ſit, fortunam non habuiſſe.

II. Hi nunc manes noſtram quoque manent periodum, ultima ſua variis ex cauſis expectantem. Sunt autem potiſſimum I. Fatalis vel contingens lapſus termini, quo decurſo nova erit revolutio. Veteres enim Imperii periodi ſuas ut numerant aetates, ita et praeſens tali non deſtituitur. Creſcunt ut homines Imperia, quae per gradus aetatis primae ducta, ex virili vigore in ſenectutem, huicque proximam mortem declinant. *adde* THVANVM *l. 1. Hiſt. II.* Sanguinis Auſtriaci in prole maſcula

Digitized by Google

maſcula deceſſio. Hanc ſine periodi turbatione nemo prudens facile conceſſerit. Aquila quippe Imperii nidum, ita fixe hic compoſitum, ſolennem citra metamorphoſin vix alio feret. Tanta vis eſt diuturni, ut non facile convellas, quae invaluerunt tempore. *conſ.* SVETONIVM *in I. Caeſare, c.86.* DN. TEXTOR *d. tr. c.5. III.* Vis bellica, eaque vel interna, vel externa. Hæc maxima mundi cecidere Regna, totusque terrarum orbis fere concuſſus. Hanc ſuperiora in Imperio deplorarunt tempora, metuunt praeſentia; rebellis namque Hungaria, triſtis funeſta executione, doloris ſtimulos Turcico chalybe in vindictam acuere fertur. Ita ſeditio, acri medio preſſa magis, quam extincta, torrentis ritu ſaepe recurrit. Vis interna ipſa petit viſcera, quibus laeſis ſalva non poteſt eſſe Reſpublica. Dum enim rebus compoſitis nulla ſpes, ſed in turbido eſt conſilium, Reſpublica ex ſui laniena commoda metitur, reſecta membrorum copia, robuſtiores nervos in paucis reponens. Nec minus facit ad periodi mutationem mutua in Statu temperato renitentia, qua altera pars, evadens ſuperior, in ſuccumbente novae formae quaerit materiam. Hoc quippe eiusmodi Rebuspublicis ſolitum malum. ARISTOTELES *4 Polit. u.* POLYBIVS *l.6.*

III. IV. Tyrannicum aut deſpoticum regimen. Hoc multis Rerumpublicarum verſionibus cauſa extitit et anſa: ſceptra enim raro ſunt felicia, ad ingenia populi ſe componere neſcia, et ſaepius cervix, aſperi impatiens jugi, illud cum damno domantis, quamvis ſub periculo, excutit. Hinc maximi civilis prudentiae errores, inexorabili aſperitate perdere, quod levi clementia retinere poteras: obſtinata enim ſeveritas odio eſt. TACITVS *l.15. A. et H. l. 4.* MACHIAVELLVS *c. 8. ibique Conringius*, Aliam regiminis artem Auſtria Helvetiae, dimidii vero Belgii iactura Hiſpani fero nimis didicerunt. *conſ.* CONRINGIVM *in Animadv. in Machiavelli Pr. c. 9. p. 39.* BOXHORNIVM *Diſquiſit. Polit. caſ.57.*

V. Et ultima cauſa ſit mutuus Imperantis et parentis conſenſus de forma regiminis nova. Ut enim iſto plures Reſpublicae coeunt, ſic et ſolvuntur, aut in alium Statum migrant,

Digitized by Google

grant, quod licet non expreſſa ſemper, tacita tamen ſit conventione, ea ubi conceduntur, quae Statu regiminis illaeſo haberi non poſſunt, vel, ut Criſpus *apud* TACITVM *l. 6. A.* vim Principatus reſolvunt. *vide* BOECLERVM *d. l.* Cuius rei documentum noſtra quoque eſt Germania, quae, DEO Protectore, cum Capite ſacrisque Proceribus ſit Inclyta, Auguſta, et hoſtibus formidabilis!

S. D. G.

IOANNIS STRAVCHII

DE

HOSTENDITIIS

DISSERTATIO

RESPONDENTE

IO. REGVLO VILLINGERO

VLMENSI

IENAE MDCLXXI.

§. I.

DE Hoſtenditiis non niſi unico Iuris feudalis loco, *libro ſcil. 2. F. 40. §. 2.* mentio occurrit, quam rem ſub diſputationis acumen vocaturus, ante omnia in veram ac genuinam vocis ſignificationem paulo accuratius inquirendum eſſe duxi, eoque magis, quod a nullo hactenus, quod ſciam, Feudiſtarum recte ſit expoſita. Non enim cum exteris in *Hoſtelitium* aut *Hoſtelitias* corrumpenda eſt, neque cum *Herislitio* confundenda, cui vocabulo ſui proprii ſunt natales.

§. II. Dicuntur ergo Hoſtenditiae, quaſi Hoſtendienſte, ab Hoſte vel Ooſte, vocabulo mere Teutonico, quod notat ſervitium in exercitu, vel pecuniam, qua illud redimitur eadem compoſitione, qua *Frohndienſt*, *Herrendienſt*, *Ritterdienſt*, docente FREHERO *in comment. ad Imp. Karoli III, dicti Craſſi, conſtitutionem de expeditione romanorum p. m. 25. et 26.*

§. III.

Digitized by Google

§. III. Antiquas enim Germanorum LL. ſi inſpicimus, deprehendemus, vocem Hoſte, Hoſtis, idem notare ac exercitus aut expeditio. GOLDASTVS *in gloſſario, quod praemiſit tom.* III. *Receſſ. et Conſtitutionem* Hoſtis, exercitus, oſt. hoſte. hueſte. Ita in Lege Longobardorum *lib. 2. tit. 18. L. 5. Si res tradiderit et in hoſte profectus fuerit.* Et *L. 4.* verba: *in hoſtem vadere*, mox in eadem Lege deſcribuntur per verba: *expeditionem facere.*

§. IV. Eadem ſignificatio occurrit in Lege Salica, *tit. 32. §. 6.* verbo: *Scutum proieciſſet in hoſte. et tit. 66. verbo: Si quis hominem in hoſte occiderit.* In Lege Bavariorum, *tit. 2. c. 4.* Ripuariorum, *tit. 63. et 65.* Saxonum, *tit 5. c. 1. et paſſim.*

§. V. Et hanc FREHERI originationem confirmant quoque aliquot textus feudales, in quibus vocabulum Hoſtis, pro exercitu, caſtris et militia ſumitur. *e. g. 1. F. 7. dicitur: Tunc enim poſſunt deveſtiri, niſi fecerint hoſtem Romae, et 1. F. 20. Si inſimul ſteterint, vel in hoſtem Regis acquiſierint,* i. e. in exercitu et comitatu Imperatoris Romam profecti ſint.

§. VI. Unde refellitur LOCCENII originatio, vbi FREHERI ἐτυμωλογίαν cum laudat, addit: *Ooſtendienſt*, quaſi *aus* vel *us dem Dienſt.* Verum ſi priſcis Germanis ex Hoſt vel *Oeſt* et *dienſt* vocabulum eſt compoſitum, utique hoſten non eſt compoſitum ex praepoſitione *us* et articulo *dem*, ut argutatur LOCCENIVS.

§. VII. Atque ſic ſatis, ni fallor, inveſtigata ἐτυμωλογία, accedimus ad ipſam πραγματολογίαν, deſcribentes Hoſtenditias ex *2. F. 40. §. ſimiliter.* hunc in modum.

§. VIII. Hoſtenditiae dicuntur Adiutorium, quod faciunt Dominis, Romam cum Rege in hoſtem (exercitum) pergentibus, vaſalli. Simile Scutagio Britannorum, quod eſt ſervitium ſcuti, in bello ferendi, domini iuvandi cauſa. Nam ſub ſcuto reliqua omnia arma militaria comprehendebantur, ut tradit MATTHAEVS a) CRAGIVS *tractatu feudali*, in Scotia et Anglia obtinente, *lib. 1. diegeſi* XI. ubi addit; hoc ſcutagium ſervitiis militaribus accenſeri, quando publicae expeditiones, ad reprimendos hoſtes, ſive rebelles in ordinem redigendos,

 fiant.

a) *Thomas rectius audit.*

ſiant. Quodſi quis Scutifer in ea expeditione abſuiſſet, taxatus eſt ad certam quantitatem, domino feudi appendendam. Unde nos deſcribimus ita: Hoſtenditiae ſunt operae vaſalli, Imperatori debitae, ad comitandum eum, in expeditionem iturum.

§. IX. Cauſa efficiens eſt ius ad rem, quod ex contractu feudali oritur Seniori in vaſallum, quippe quem, ratione rei in feudum conceſſae, obligatum habet ad fidem praeſtandam. *2. F. 3. fin. 6. 7. 23. fin.*

§. X. Competit igitur hoc Ius in perſonam vaſalli, non ratione conditionis ſeu ſtatus perſonae, ſed quatenus vaſallus habet feudum, ſub obligatione ad fidem conceſſum. MOLINAEVS *in conſuetudinibus Pariſinis, tit. 1. §. 1. quæſt. 5. num. 45.*

§. XI. Vnde facile apparet, Domino feudi, quatenus tali, ius ſuperioritatis in vaſallum non competere; aliud enim eſt, eſſe vaſallum, aliud, eſſe ſubditum alicuius. CARPZOVIVS *l. 4. reſp. 70. n. 24.* Non enim ſequitur, inquit MATTHAEVS *de* AFFLICTIS, ego ſum vaſallus: Ergo ſum ſubditus. *add. 2. F. 5. verb. ſi ideo.* Inde etiam eſt, quod dicitur in pacificatione Oſnabrugenſi: *Von der bloſſen Lehns-oder Affter-Lehns-Qualitæt, ſie kommen von Kænigreich Bœhmen, oder Chur-Fürſten und Stænden des H. Rœmiſchen Reichs, oder anders woher, entſtehet die Gerechtigkeit zu reformiren nicht etc.* Idem etiam innuit illuſtris SECKENDORFFIVS *p. 3. c. 3. tit. 4. ibi: Und iſt ſonſt eben kein Regal, oder hohes Landes-Obrigkeitliches Stück, daſſ einer einem andern ein Stück Guts, oder gewiſſe Einkommen und Gerechtigkeiten zu Leben verleihet: Sintemahl viel geiſtliche und weltliche Perſohnen, die keine hohe Obrigkeiten ſind, dergleichen Lehnleute, und offt hœhere, als ſie ſelbſt ſind, haben, bringet auch insgemein die Lehn-Herrſchafft keine Unterthanen Pflicht mit ſich, wenn der Lehn-Herr nicht zugleich Lands-Fürſt iſt.* Denique differt omnino iuramentum fidelitatis a iuramento ſubiectionis, Germ. *Huldigung, Lands-Huldigung, Erb-Huldigung, Erb-Pflicht*, quod ſubditi praeſtant ſuis ſuperioribus. Illud ratione rei in feudum datae; hoc ratione perſonae, quae in ſocietate civili quoad perſonam et res eſt Imperanti ſubiecta, prae-

Digitized by Google

præſtatur. *vid.* ROSENTHAL *c. 2. concl. 34.* BESOLDVS *theſauro pract. voc. Huldigung. et voc. Lehnmann. Lehnspflicht.*

§. XII. Hoc ergo ius ad rem non ſubiectionem vaſalli, ſed ſaltem fidei praeſtationem importat, FIDES etenim de eſſentia feudi eſt. *2. F. 5. c. in epiſtola. de form. fidel. 2. F. 6. et c. eſt et alia. de nov. form. fidel. 2. F. 7. c. dominus. §. Curia. de mil. vaſ. 2. F. 22.* Dicitur etiam fidelitas, *2. F. 3.* quae dupliciter in iure feudali accipitur. I. pro Fide, quae vel iuramento, vel ſine eo promittitur. *2. F. 5. 2. F. 6. et 2. F. 7. II.* pro ipſo iuramento fidelitatis, *ut in c. utrum autem quid praeced. deb. 2. F. 4. 2. F. 24.* Et hoc, quia ad naturam feudi tantum pertinet, aliquando vaſallo remitti poteſt: *2. F. 3. 2. F. 24. c. 1.* nihilominus tamen ad omnia ea, quae alias iuramento, a vaſallo praeſtando, continentur, ipſe eſt obligatus. *II. F. 47. in fin.* SCHRADERVS *part. 2. c. 2. num. 27. et c. 4. n. 14.* ROSENTHAL *c. 2. concl. 60. et concl. 66.* Non enim omnis promiſſio fidei, ſed modus ſolum promittendi fidem per iuramentum eſt remiſſus. *d. 2. F. 3. fin.*

§. XIII. Fides autem ipſa remitti nequit, nec feudum eo pacto conſtitui poteſt, ut pro eo fides praeſtari non debeat, *2. F. 5. 6. 7. 2 F. 22.* Vid. CVIACIVM *in praefat. tract. de feudis in fin.* ZASIVS *p. 3. n. 34.* BORCHOLD *c. 7. p. 1. n. 37.* MOZZIVS *de ſubſtant. feud. n. 1. et 20.* MENOCHIVS *conſ. 1. n. 29. et conſ. 65. n. 45. vol. 1.*

§. XIV. Quaerunt autem hic Dd. An eiusmodi pactio pro non adiecta habeatur, ita, ut feudum nihilominus conſiſtat, et fides debeatur: an vero hoc pactum totum vitiet actum, ita, ut nec aliud quoddam ius conſtitutum cenſeatur? Pro non adiecto pactum haberi, poſſet videri ſtatuendum eſſe. *arg. l. 14. ff. de precar. l. 1. §. 45. et 46. depoſiti. l. 14. iunct. l. 70. pro ſocio. l. 14. §. 2. comm. div.* Totum vero actum vitiari tradit ROCERVS *in tract. de ſubſt. feud. c. 1. n. 19.* hanc afferens rationem: *qui enim,* dicit, *aliquod negotium, quod ſolum contrahere voluit, inutiliter agit, omiſſa ſcilicet eius ſubſtantia, is non modo idem illud negotium fruſtra et inutiliter tractat, ſed et nullum aliud negotium conficere in eo ipſo cenſetur. ſec. text. l. 1. §. 4. de conſtit. pecun. l. 1. §. 2. ff. de V. O.*

§. XV.

Digitized by Google

§. XV. Verum enim vero ad quaeſtionem hanc recte decidendam, in genere notanda venit diſtinctio pactorum, circa eſſentialia adiectorum.

Vel enim illa plane ſunt contra iura, et manifeſtam continent iniquitatem, et haec non valent, ſed habentur pro non adiectis. *vid. l. 27. §. 3. de pact. l. 29. §. 2. pro Soc.* Exempli gratia. Si in praecario aut depoſito convenerit, ut non niſi poſt certum tempus repetatur. *l. 14. π. de precar. l. 1. §. 45. et 46. depoſiti.* Vel pacta de ſubſtantialibus Iuri non contrariantur, et tunc ſunt aut praeter, aut contra eſſentiam. Illa contractum vel ius alterant, non tamen efficiunt, ut alius plane contractus vel ius conſtituatur. *vid. l. 24. l. 26. §. 1. π depoſ.* Atque eo ſpectant pacta feudo adiecta, quibus vel plus vel minus, quam utile dominium, vaſallo conceditur. Haec vero, quae ſunt contra eſſentiam, ita transformant ius vel contractum, ut alius plane contractus vel ius inducatur. *vid. l. 80. §. ult. π. de contrah. empt. l. 46. locat. l. 22. de praeſcr. verb. §. ult. Inſt. de mand. verb. in aliam formam negotii cadere. §. 2. in fin. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. l. 5. §. ult. pro Soc.* Atque huc etiam pertinet pactum, quo obligatio ad fidem ei, cui conceditur dominium utile, remittitur, quippe cum eo ipſa formalis ratio feudi tollatur. Non igitur pro non adiecto habetur, quia non eſt contra iura, utile dominium alteri contractu quodam, absque obligatione ad fidem praeſtandam, concedere. Et feudum quidem non conſtituitur, ſed aliud quoddam ius, ſive alia quaedam utilis dominii ſpecies oritur. *arg. dd. text.* ROSENTHAL *c. 2. concl. 57.* Ratio inſuper, ex BOCERO relata, non obſtat. Diſtinguendum enim eſt: aut conſtat, quod partes noluerint inire alium contractum, quam illum, quem expreſſerunt, nec ex alio velint eſſe obligati, et tunc, non obſervatis iis, quae ad illum contractum requiruntur, vitiatur omnimodo actus; quo de caſu eſt *alleg. l. 1. §. 4. π. de conſtit. pecun. et l. 1. §. 2. π. de V. O.*

Aut vero conſtat, quod contrahentes velint eſſe omnino obligati; quando videlicet contractum partes quidem celebrant, ſed per expreſſum pactum eius eſſentiam alterant vel transformant; et totus actus non vitiatur, ſed propter voluntatem

tatem expreſſam paciſcentium aliud negotii genus oritur, ut modo diximus. vid. Magnif. Dn. D. STRVVE *in S. I. F. c. 2. aph. 6. fin.* SCHRADER *d. l. p. 2. c. 2. n. 34. et ſeqq.*

§. XVI. In quo vero FIDES illa, ad quam vaſallus ſe obligat, conſiſtat, traditur II. *F. 6.* et patet quoque ex formula iuramenti, propoſita II. *F. 7.* cuiusmodi etiam hodie adhiberi ſolet. Vide SCHNEIDEWIN *in epitome feud. p. 5. c. 1.* SCHVLZIVS *c. 9. n. 35.* MYLERVS ab EHRENBACH *in tract. de foeder. c. 1.* BOCERVS *d. tr. c. 4. n. 20.*

§. XVII. Et quidem in genere eadem conſiſtere videtur in reverentia, Domino a vaſallo exhibenda; taciturnitate, et utilitate domini. Vide VVLTEIVM *de feudis lib. 1. c. 5.* WESENBECIVM *c. 9. n. 10.* HARTM. HARTMANNIVM *lib. 2. de feud. obſerv. 30.* CVRTIVM IVNIOREM *p. 4. n. 1.*

§. XVIII. Ad reverentiam vaſallum merito obligat collatum Beneficium, *arg. l. 25. §. 2. π. de petit. haered.* de qua videantur *textus* II. *F. 22. verſ. curiae autem.* et 2. *F. 25. verſ. quomodo enim.* ex quibus et aliis patet, vaſallum ita ſe gerere debere, uti erga illos faciendum eſt, quorum perſona ſancta et honeſta videri debet. *l. 9. π. de obſeq. parent. et patron. praeſtand.* SCHRADER *part. 6 c. 6. n. 101. et p. 10. ſect. 5. n. 127.* SCHNEIDEWIN *p. 5. n. 115. ſeqq.*

§. XIX. Non igitur criminis alicuius dominum vaſallus accuſare poteſt. II. *F. 33. §. item ſimiliter. 24. §. item ſi delator.* Excipitur a Dd. crimen perduellionis et laeſae maieſtatis, de quibus criminibus dominum a vaſallo recte accuſari volunt. MATTHAEVS DE AFFLICTIS *d.* II. *F. 24. §. item ſi dilator. n. 13.* FRIDER. SCHENCK, EGVINAR. BARO, *ibid.* RITTERSHVSIVS *lib. 2. c. 1. quaeſt. 8.* LVDWELL, *arg. Nov. 115. c. 1. §. 3. in Synopſi Feudal. cap. 14. p. 364.* SONSBEC *p. 12. n. 48.* Nec actionem famoſam, aut exceptionem adverſus eum intentare. *arg. c. eſt et alia. de nov. form. fidel.* II. *F. 7. l. 10. §. 12. π. de in ius voc. l. 1. c. 1. de dolo. l. 2. et l. 5. π. de obſequ. parent. et patron. praeſtand. l. 4. C. eod.* Hinc nec interdicto unde vi adverſus dominum vaſallum experiri poſſe Dd. tradunt. *arg. l. 1. §. 43. π. de vi et vi arm.* II. *F. 22. verb. ſalva reverentia.* Vid. ALVAROTTVS *ad d. c. 22. p. 2. n. 9.* ZASIVS *p. 11. n. 23.* Dn. RITTERSHV-

Digitized by Google

ſivs *lib. 2. c. 1. quaeſt. 7.* hvnnivs *c. 13. p. 355.* ubi ad contraria reſpondet. lvdwell *in Synopſi Feud. c. 14. p. 365. Diſſent.* vvlteivs *1. F. c. 11. n. 27.* rosenthal *c. 10. concl. 23. n. 3.* borcholt *c. 9. n. 18.* tamen prior opinio et communior eſt et verior, per textum *in c. dominus. d. 11. F. 22.*

§. XX. Quaeri inſuper hic ſolet, an propter reverentiam hanc, domino debitam, vaſallus ſine venia dominum in ius vocare queat?

Qua de re variae ſunt Dd. opiniones, ut videre eſt *apud* alciatvm *ad L. 1. C. de ius. voc.* vvlteivm *lib. 1. de feud. c. x. n. 32.* Dn. rittershvsivm *d. c. 1. quaeſt. 14. et 15.* niellivm *Diſſert. de feud. 10. th. 4. B.*

§. XXI. Sunt enim qui *Negant. arg. l. 13. et 14. π. de in ius voc. et l. 2. d. tit.* Quos inter eſt zasivs *in epitome feud. p. 7. n. 47.* oldendorp *d. l. claſſ. 1. act. 4.* hartm. hartmannvs *in obſerv. pract. tit. de feud. obſ. 44. in addit.* ubi praeiudicium Camerae Imperialis in negativam ſententiam allegat. sichardvs *conſil. feud. 8. quaeſt. 1.* ubi itidem pro negativa aliquando Tubingenſes conſuluiſſe perhibet.

§. XXII. Sunt etiam qui *Affirmant cum Gloſſa ad d. c. dominus* 11. *F. 22.* ibique alvarottvs *n. 8.* baldvs *n. 24.* ivl. clarvs *d. c. feudum.* fachinaevs, *10. controv. 89.* cantivnccivs *conſil. 2. n. 7.* et complures alii, relati a camillo borello *in ſumma deciſ. tit. 45. n. 730.* mynsingero *4. obſerv. 92. in fine.* gailio *de pignor. c. 15. n. 4.* rosenthalio *5. Feud. 69. lit. h. et* borcholt *c. 10. de feud. n. 38.* Qui poſteriores uno ore confitentur, quotidie in Camera imperiali affirmativam obſervari.

§. XXIII. Verum enim vero, licet affirmativa verior eſſe videatur, eo etiam, quia propudioſa in ius vocatio, qua olim antagoniſtam, ubicunque deprehenſum, propria authoritate prehendere, et invitum obtorto collo ad praetorem trahere actori licebat, hodie ſublata eſt, adeoque, ceſſante ratione impetrandae veniae, ceſſat diſpoſitio: Vide B. carpzovivm *ad p. 1. C. 2. n. 26.* Nihilominus tamen modeſte ac reverenter adhuc citatio impetranda erit. vid. rosenthal *d. c. concluſ. 33.* schneidewin *in epitome feud. part. 5. n. 119.* clarvs *ad d. c. feudum.*

Digitized by Google

feudum. quaeſt. 25. MYNSINGER, *4. obſerv. 92.* CARPZOVIUS *p. 1. c. 2. defin. 26.* Magnific. Dn. STRUVE *in S. I. F. cap.* XI. *aphoriſm.* III. *et in S. I. C. exercit.* V. *theſ. 9.*

§. XXIV. Porro honor, domino debitus, exigit, ne vaſallus teſtimonium dicat adverſus dominum. II. *F. 33. §. ſimiliter. arg. l. 4. π. de Teſtibus. l. 12. C. eod.* Neque in criminali cauſa, neque in civili modica. *d. text.* II. *F. 33. §. ſimiliter. et §. ſeq.* In civili vero non modica ſeu magna teſtari contra dominum impune ipſi licet. Quamvis nonnulli ſint, qui cum CUIACIO et GOTHOFREDO hunc textum variis modis corrigant, et dictam particulam, modica, modo huc et illuc transponant: Nobis tamen res clara eſſe videtur, cum ratio prioris ſit haec; quod in criminali quidem cauſa non liceat, propter grave, quod inde ſuſtinet dominus, diſpendium. II. *F. 24. item ſi delator.* Liceat vero in civili, quod iſtiusmodi grave diſpendium in ea ceſſat, adeoque merito iuſta cauſa adverſarii teſtimonio vaſalli adiuvetur. In cauſa autem modica cum non multum proſit adverſario teſtimonium vaſalli, et tamen iſta cauſa moleſtus ſit adverſarius domino, ipſique negotium faceſſat, iura feudalia in tali cauſa vaſallum teſtimonium perhibere noluerunt. Vid. ROSENTHAL *et allegati in c. 10. concl. 23. n. 25.* Dn. D. STRUVE *in S. I. F. c.* II. *th. 3. n. 3.* BOCERUS *in tract. de iur. et comm. ſenior. c. 2. n. 4.* Vel etiam haec ratio eſſe poteſt, quod in cauſa civili modica teſtimonium contra dominum dicere prohibetur, quia ſc. contra eum vaſallus provocatur, cui obſequium debet: Ergo non adeo promptus debet aſſurgere, niſi iuſtitiae favor praeponderet, et cauſae magnitudo eum excuſet, tanquam neceſſitate ad hoc coactus fuerit. Vid. MOESTERTIUS, *Diſſert. Feudal.* VI. *theſ. 9. in fin. confer.* SONSBEC *d. l. p. 12. n. 68.* STEPH. GRATIANUS *3. diſcept. for. 597. num. 1.*

§. XXV. Ceterum hanc teſtimonii prohibitionem tam in cauſa civili, quam criminali, Dd. ita explicant et limitant: eam ſcil. procedere in cauſis non feudalibus, quoniam in cauſa feudali ſuper inveſtiturae negotio etiam contra dominum recte teſtimonium fert vaſallus. ZASIUS *pag. 10. num. 49.* SEYZIUS *Diſſert. feud. 9. theſ. 8. lit. C.* Deinde, ſi non ſponte, ſed coactus teſtimo-

ſtimonium dixerit. Hoc enim caſu eum excuſari Dd. tradunt. GLOSSA *in d. c. prima autem. c. 2. verſ. item ſi delator.* II. *F. 24. et d. c. ſciendum. § ſimiliter* II. *F. 33.* Si enim vaſallus, ad teſtimonium contra dominum vocatus, reſiſtat, et nihilominus a iudice vel magiſtratu cogatur, tunc absque periculo teſtimonium perhibere poteſt, docente ALVAROTTO, MATTHAEO de AFFLICTIS *in d. text.* FRANC. CVRTIO *part. tract. feud. 4. cauſ. priv. 32. n. 7.* cum nulla ipſi culpa imputari poſſit. ZASIVS *d. p. 10. n. 49.* VVLTEIVS *l. 1. c. 11. n. 42.* IACOB de S. GEORGIO *verb. dictique vaſalli promiſerunt. num. 25.* MOZZIVS *ex quib. cauſ. feud. amitt. num. 32.* atque, ſe in facti contingentia aliquoties vidiſſe id ſervari, teſtatur BORCHOLT *c. 8. n. 128.*

§. XXVI. Ex eadem praeterea obligatione ad reverentiam fluit, quod non poſſit exigere a domino vaſallus iuramentum calumniae. II. F. *c. 33. in quibus.* Idque, ſive vaſallus iuramentum fidelitatis praeſtiterit, ſive non. Nam quod nonnulli poſteriori hoc caſu tam dominum, quam vaſallum de calumnia iurare oportere volunt, GLOSSA *in d. c. in quibus. ibid.* ALVAROTTVS, FRIDER. SCHENCK et BARO *ad d. c.* HARTMANNVS *d. obſ. 45.* BORCHOLT *c. 10. n. 40.* et alii, recipiendum non videtur, tum quia *textus in d. c. ſciendum, c. 1.* indiſtincte loquitur, tum etiam quod ratio, propter quam iuramentum calumniae remittatur, non tantum ſit iuramentum fidelitatis ſemel praeſtitum, ſed etiam, et quidem praecipue, mutua reverentia et fides, quam ſine iuramento quoque ſibi invicem debent dominus et vaſallus, *c. in epiſtola. in fin. de forma fidelit.* II. F. *6.* VVLTEIVS *lib. 2. de feud. c. 3. n. 8.* ROSENTHAL *d. c. 12. concl. 13. n. 58.* SEYZ *diſp. feud. ult. th. 16. lit. A.* Neque etiam diſtinguendum puto inter iuramentum calumniae antiquum ſive ſpeciale, quod praeſtari ſolet ab eo, qui alteri iusiurandum in iudicio defert; et novum ſeu generale, quod, a Iuſtiniano introductum, initio litis ab utraque parte praeſtandum eſt, *l. 2. C. de iureiur. propter calumn.* ita, ut cum HOTTOMANNO et CVIACIO textum de priori accipiamus, *l. 16. π. de iureiur.* de poſteriori vero negemus. *l. 34. §. 4. π. eod.* Hanc enim *Legem 34. §. 4.* quod attinet, correctione aliqua eam indigere cum CVIACIO *9. obſ. 37.* exiſtimamus,

mus, ita ut legendum; *aeque patrono atque parentibus remittitur.* Quam lectionem praeter *l. 8. c. 5. π. qui ſatisd. cog.* confirmant libri BASILICORVM, in quos *d.* §. ita translatus: Ὁ ἐπάγων πρῶτος ὄμνυσι τὸν περὶ συκοφαντίας, ἐὰν ἀπαντηθῇ, ὃν οὐκ ὄμνυσι πατὴρ, ἢ πάτρων. *lib. 22. tit. 5. l. 34. ex edit.* FABROTTI, *tom. 3. fol. 138.* ubi etiam in Scholiis *lit. K. fol. 162.* additur ratio: οἱ ἀνίοντες τὸν συκοφαντικὸν ὅρκον ὁμοίως δὲ καὶ οἱ πάτρωνες οὐδέποτε ὀμνύουσιν. ἐπὶ δὲ ἔχει, ἀνυχρᾶς ὑποψίας ἀποφυγὴν. ἤγουν ὅτι οὐκ εἰσὶ συκοφάνται. Atque haec ea ipſa videtur eſſe ratio, quod Dd. communiter textum generaliter intelligunt, ut nullum omnino iuramentum calumniae dominus et vaſallus unquam praeſtare cogantur. GLOSSA *in d. c. ſciendum. §. 1. ibique* ANDR. de ISERNIA *n. 8.* BALDVS *n. 1. et 2.* ALVAROTTVS *n. 1.* et alii. Niſi forte ultro quis ad iusiurandum ſe obtulerit, quo tamen caſu alteri parti neceſſitas praeſtandi non imponitur: cum ſuo quidem iuri quilibet renunciare poſſit, ſed adverſario ius quaeſitum auferri nequeat. BALDVS, ALVAROTTVS, PRAEPOSITVS, SCHENCK, EGVINAR. BARO *ad d. c. ſciendum. c. in quibus.* ROSENTHAL *d. concl. 13. n. 48.* WVRMSERVS *lib. 1. tit. 14. obſ. 7.*

§. XXVII. Ceterum dicta reverentia vaſalli erga dominum requirit etiam, ut vaſallus, caſu eveniente, renovationem inveſtiturae iuſto tempore a Domino petat, II. *F. 40.* II. *F. 24. pr.* I. *F. 22.* eo qnod petitio inveſtiturae ſit ſignum devotionis ac reverentiae, quam vaſallus domino ſuo exhibere debeat. *arg. c. prima autem. pr. quae fuit princip. cauſa. benef. amitt.* II. *F. 24.* ibique Feudiſtae communiter, teſte BORCHOLT *c. 7. n. 30.* CVRTIO IVNIORE *p. 4. n. 45.* MOZZIO *de ſubſtant. feud. n. 4.* SCHNEIDEWIN *p. 5. n. 4.* Eſt autem haec renovatio nil aliud, quam confirmatio et quaſi redintegratio inveſtiturae, de feudo primitus factae. *c. inveſtitura. pr. ibique Gloſſa.* II. *F. 3.* VVLTEIVS I. *F. c. 7. n. 96. ſeq.* MENOCHIVS *conſil. 66. n. 28. et 40. vol. 1.* Feudiſtae communiter *in c. 1. quid praeced. deb.* BALDVS *in c. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar. et in auth. hoc ius porrectum C. de SS. Eccl.* Haec enim nihil novi iuris addit, ſed id, quod invenit, confirmat. SCHENCK, BARO *in c. 1. n. 1. quid praeced. deb.* SCHRADER *p. 6. c. 3. n. 29. ſeq.* Unde perhibent, renovari debere feudum

Digitized by Google

per inveſtituram ſub eadem forma et pacto, quo prima inveſtitura facta fuit: BARTOLVS *in l. quod dicitur. n. 9. π. de impenſ. in rem. dot. fact.* BALDVS *in l. 1. quaeſt. 15. π. de R. D* quomodo inveſtituram eſſe renovandam iudicavit Camera imperialis *d. 23. Ianuarii An. 1544.* adeoque in feudo renovato repetitas cenſeri omnes qualitates inveſtiturae primae. BALDVS *in l. unica n. 31. C. quando non petant part.* ALEXANDER *conſ. 30. n. 6. vol. 1. et conſ. 107. vol. 4.* Toties vero haec inveſtiturae renovatio eſt petenda, quoties perſona vel domini vel vaſalli mutata eſt, puta, alterutro vel utroque mortuo. *c. 1. pr. ubi* ISERNIA, BALDVS, ALVAROTTVS et AFFLICTIS, *quo tempore miles.* IACOB. de S. GEORGIO *in inveſt. verb. dictique vaſalli, n. 2.* CVRTIVS IVNIOR *p. 4. n. 54.* ZASIVS *p. 10. n. 16.* SCHRADER *p. 6. c. 1. n. 1.* ROSENTHAL *c. 6. concl. 30.* A quibus autem eadem petatur, vel etiam qui petere eandem debeant, prolixe nos docent Feudiſtae *ad c. inveſtitura. c. 1. per quos fiat inveſtitura 11. F. 3. 11. F. 26. et 11. F. 77. confer.* LVDWELLVS *in Synopſ. Feud.* §. 11. *p. 289. et inprimis eius tract. de renov. inveſtit. cap. 10.* VVLTEIVS *lib. 1. c. 7. n. 134.* quae omnia et ſingula hac diſſertatione complecti nequimus, cum brevitas nobis pro lege ſit.

§. XXVIII. Illud autem adhuc obſervationem aliquam mereri videtur, quod haec inveſtiturae renovatio peti debeat intra annum et diem. *d. c. prima autem. pr. 11. F. 24. d. c. imperialis. §. fin. 11. F. 52. et d. c. imperialem. in fin. pr. 11. F. 55.* ARDIZO *in ſumma feud. c. 42. et 72.* CVRTIVS IVNIOR *de feudis p. 4. n. 24.* DVARENVS *de feudis, c. 14. n. 2.* WESEMBECIVS *conſ. 148. n. 12. ſeqq.* PARISIVS *conſ. 101. n. 31. vol. 1.* FORCATVLVS *de feudis c. 4. pr.* COLERVS *deciſ. 83. n. 1.* FERRARIVS *3. coll. 6.* Neque hic obſtat *c. ſancimus. pr. quo temp. milit. inveſt. pet. 1. F. 22.* in quo annus et menſis requiri videtur. Hinc diverſae Dd. opiniones hac de re. Alii enim cum HOTTOMANNO et CVIACIO textum corrigendum, et pro voce *menſem*, *diem* legendum eſſe exiſtimant. Alii ſpeciale quid eſſe, adeoque ſolis *militibus* favore *militiae* indultum autumant, quos inter eſt LVDWELL *in Synopſ. feudal. c. 2. p. 294.* MYNSINGER *d. cent. 5. obſerv. 9.* ROSENTHAL *c. 6. concl. 30. n. 7.* Alii denique cum VVLTEIO et STRVVIO aſſerunt, iure quidem

dem *annum et diem* definitum fuiſſe, iuxta textus allegatos, non tamen ita ſtricte obſervatum in iudiciis, ſed ſi vaſallus poſt lapſum *anni et diei* veniſſet, intra ſpacium 29. dierum moram commiſſam celeri quadam ſatisfactione pro purgata habitam fuiſſe, *per d. c. 1. quo temp. miles.* quod innuere videtur particula VLTRA. *d. c. 1.* Adeoque diem in iure feudali non naturaliter, ſed civiliter accipiendum eſſe, ita ut non unus dies, ſed aliquot dies ultra annum intelligantur, author eſt SIER. REVSNERVS *in colleg. feud. diſp. 4. th. 19.* et FINCKELTHAVS *diſp. 7. contr. 16.* Quot autem dies indulti ſint moribus Longobardorum, exprimitur *d. u. F. 22.* ubi anno menſis adiicitur. Et haec explicatio confirmatur Iure Saxonico, quo itidem formula annus et dies, *Jahr und Tag*, non denotatur annus et unicus dies, ſed plures dies ultra annum, nimirum ſex ſeptimanae cum tribus diebus. *Land-Recht lib. 1. art. 28.* GLOSSA. Et quoad hanc ipſam renovationem inveſtiturae annus et dies explicatur per ſex ſeptimanas. *Lehn-Recht c. 22. et 25.* Atque haec ſententia, ut benignior, recipi omnino meretur.

§. XXIX. Dicta vaſalli erga dominum reverentia quoque requirit, ut inſtrumentum inveſtiturae, et ſic titulum poſſeſſionis ſuae edat, GLOSSA *in §. imperialem. §. illud quoque u. F. 55.* HARTM. PISTORIVS *p. 2. quaeſt. 46.* NICOL. INTRIGL. *de feud. art. 84. fin. cent. 2.* pro iuſtificanda ſcil. poſſeſſione feudali. Ita enim germanice dicunt: *Lehns-Iuſtification.* Atque huc pertinet uſurpata hac in re clauſula: *Die vorigen Muthzeddel* in originali, *dem hieſigen Cantzeley-Gebrauch gemäß, mit zur Stelle bringen.* Non tantum autem in iudicio, ſed etiam extra iudicium petenti domino vaſallus inſtrumenta inveſtiturae edere tenetur. *arg. l. Titius haeres. ubi* ALBERICVS, *π. de act. empt.* ISERNIA *in c. 1. §. illud quoque. de prohib. feud. alien. per Fridericum.* BORCHOLT *c. 8. n. 117.* IASON *in praelud. feud. n. 51.* WESENBECIVS *d. conſil. 195. n. 164. ſeqq.* Atque haec de reverentia dicta ſufficiant.

§. XXX. De taciturnitate res eſt expedita, quod vaſallus non poſſit pandere ſecreta domini ſui: GLOSSA *in c. de forma. 32. quaeſt. fin.* et regulare id eſſe reſpondit DECIANVS *conſ.*

27. n.

Digitized by Google

27. n. 23. vol. 1. adeo, ut vaſallus, revelans ſecreta, ideſt, dicta vel facta domini ſui, feudum amittat. *per text. in c. 1. quib. mod. feud. amitt.* BALDVS *in c. 1. verb. credentia. de pac. conſt. et in l. nullum. C. de Teſtibus.* IASON *conſil. 87 et 89.* CRAVETTA *conſ. 224. n. 6.* CAEPOLLA *conſil. 39. n. 29.* Quam rem valde eſſe periculoſam, dicit WESEMBECIVS *de feud. c. 15. n. 6.* ideoque monet tria deſiderari, ut ex hac cauſa feudum amittatur. 1. Ut vaſallus id fecerit ſcienter et dolo malo. *d. c. 1. quib. mod. feud. amitt.* 2. Ut id fecerit animo afficiendi dominum damno, *d. loco.* GLOSSA et AFFLICTIS *in c. 1. quib. mod. feud. amit.* SCHRADER *9. feud. 3. n. 1.* PACIANVS *2. de probat. 40. n. 15. et 310.* ut revera damnum inde ſit ſecutum. ZASIVS *p. 10. n. 34. ſeqq.* SONSBEC *p. 11. n. 62.* MOZZIVS *ex quib. cauſis feud. amit. n. 35.* Quod poſtremum tamen non ſemper requiritur, cum nonnunquam feudo privari poſſit vaſallus, ſi modo eo animo revelavit, ut domino noceret. GIGAS *de crim. laeſ. maieſt. quaeſt. 21. n. 8.* BORCHOLT *ſ. 8. n. 127.* Controverſia autem vaſallo ſi ea de re incidat, ipſe probare debet, malitioſe a ſe ſecreta non eſſe revelata. ALVAROTTVS *in c. 1. quib. mod. feud. amit.* ZASIVS *p. 10. n. 35.* CVRTIVS IVNIOR *de feud. part. 4. conſ. 37. n. 76. fin.* SCHRADER *9. feud. 9. n. 44. 50. ſeqq. et part. 9. ſect. 12. n. 34.* BARDELLVS *1. conſ. 101. n. 57. ſeqq.* ROLANDVS a VALLE *conſ. 1. n. 89. vol. 3.* Sed probe hic notandum, quod ſcribit HEIGIVS *2. quaeſt. 40. n. 48.* nimirum, ſi vaſallus convincatur ſecretum domini revelaſſe, ipſe autem contendat, ſe id non mala mente et animo feciſſe, eundem iurare debere, ſe id eo animo non feciſſe, ut domino noceret. Atque hoc etiam affirmat IACOB. de S. GEORGIO *in verb. dictique vaſalli promiſ. commiſſ. felon. n. 28.* Sed SCHRADERVS *ſup. cit. loco* contrarium tenet, atque, vaſallum hoc caſu ad iurandum admitti non debere, aſſerit; cuius ſententia verior et conſcientiae tutior eſſe omnino videtur.

§. XXXI. Ad utilitatem denique et incolumitatem domini promovendam quovis loco ac tempore vaſallus omnino eſt adſtrictus. Commodum autem domini promovet, et damnum eiusdem avertit, in genere quidem ita ſe gerendo, ne vel omittendo, vel committendo obſit 1. vitae et corporis

INCO-

Digitized by Google

INCOLVMITATI et SECVRITATI. 2. bonorum TVTAE, FACILI et POSSIBILI conſervationi aut acquiſitioni, aliive VTILITATI et HONORI domini II. *F. 5. 6. 7.* Vid. ANDR. KOHLIVM *de ſervit. feud. l. 4. n. 1. ſeqq.*

§. XXXII. **In ſpecie vero utilitatem domini promovet vaſallus per ſervitia feudalia, ſive vaſallitica, et militaria.** *Lehen- oder Ritterdienſte. II. F. 23. fin. et* II. F. *55. c. firmiter. conf.* I. F. *5. pr. 19. 20. 21. II.* F. *12. 21. 26.* §. *beneficium.* Eſt enim de natura feudi, ut vaſallus domino ſuo eo nomine ſervitia praeſtet. *per. c. 1.* §. *firmiter. de probib. feud. alien.* BORCHOLT *in c. 1. n. 29.* ARDIZO *rubr. 33.* MOLINAEVS *in conſuetud. Pariſiens. de feud. tit. 1. n. 52. et 53.* Non vero de eſſentia feudi eſt: quia feudum etiam ita concedi poteſt, ut nulla omnino a vaſallo praeſtentur ſervitia. *arg. c. ſignificavit. 41. x. de teſtib. et atteſtat.* Quod feudum Francum ſive liberum appellant BALDVS *in praelud. feud. n. 53.* ALVAROTTVS *in praeloq. diviſ. 2.* ZASIVS *p. ult. n. 36.* SCHRADER. *p. 8. c. 2. n. 32.* CVRTIVS *tr. feud. p. 1. quaeſt. 8. n. 27.* ARVMAEVS *Diſſert. feudal. 1. th. 38.* DECIVS *conſ. 193. n. 4.* adeoque, ſalva feudi eſſentia, pacto fieri poteſt, ut ſervitia vaſallo plane remittantur. ISERNIA *in c. 1. II. quib. cauſ. etc.* MOZZIVS *de accident. feud. n. 31.* ANDR. KOHLIVS *de ſervit. feud. p. 1. n. 5. 6. 7. ſeqq.* MENOCHIVS *conſ. 1. n. 31.* Iam vero quae formae ſunt, ea pactis immutari nequeunt. Servitia igitur non de ſubſtantia, ſed ſaltem de feudi natura eſſe ex dictis conſtat. Neque etiam hic obſtat *c.* 1. *in quib. cauſ. feud. amitt. ex* I. F. *23.* ubi ſervitiorum expreſſa in deſcriptione fit mentio: quoniam ad ea reſpexit Feudiſta, quae ex natura feudi inſunt, etiamſi nihil de iis dictum vel actum fuerit. ISERNIA *ad d. c.* 1. *Obertus. n. 9.* SCHENCK *num. 3.*

§. XXXIII. Conſiſtunt autem illa ſervitia in opera, qua tam belli quam pacis tempore, conſilio atque auxilio, domini vita, corpus, honorque defenditur, territorium aliave bona ac iura conſervantur atque augentur. Quae opera regulariter eſt militaris, et equis armisque praeſtatur, unde vocari conſuevit, *Ritterdienſt. vid.* I. F. *5. pr. 19. 20. 21. 22. et* II. F. 12. 21. *26.* §. *beneficium.* Eaque ſecundum communem feudi naturam eſt indeterminata, ſed moderate a domino exigenda,

 etcu-

Digitized by Google

et cuiusque loci conſuetudo, ut et quantitas feudi attendenda eſt. ROSENTHAL *c. 8. concl. 4 n. 3.* GAILIVS *2. obſ. 62.* Unde plerumque recurri ſolet ad ſchedulas luſtratorias, *Muſter-oder Ferirzettel*, ut quot equis, delectu facto, quis comparuerit, tot ſervire obligatus eſſe praeſumatur. KNICHEN *de pact. veſtit. p. 2. c. 5. n.* 19. *it. de iure territor. c. 3. n. 366.* Quandoque vero in inveſtituris haec opera determinata reperitur, v. gr. ut vaſallus uno, duobus tribusve equis ſit praeſto, *daſs er das Lehn mit einem, zwey oder drey Ritter-Pferden bediene.* IACOB. de S. GEORGIO *tract. de feud. verb. et promiſc.* HEIGIVS 1. *quaeſt.* 18. *n.* 12. 14. BOCERVS *c. 4. n. 30.* Vel etiam, ſi exigua ſunt feuda, ut ratione duorum vel plurium feudorum unus alatur et mittatur cum milite equus: *Daſs das Lehn ein halb Ritter-Pferd oder weniger halte.* KOHLIVS *de ſervit. feud. p. 4. n. 95.* ANTONIVS *diſp. feud. 7. th. 3. lit. C.*

§. XXXIV. Praeſtanda autem domino eſt a vaſallo haec opera militaris, quando eadem indiget, dominum autem ea indigere, cum facti ſit, quod divinare citra denunciationem vaſalli nequeant, ſequitur, iſtiusmodi operam omnino prius vaſallis intimandam, ab iisdemque ſpecialiter petendam eſſe. *arg. pr. noſtri textus. verb. in petend. hoſtendit. Et c. ſecundi Conſtitutionis Karolin.* his verbis: *Annus cum ſex hebdomadibus ad praeparationem nobiscum euntium pro induciis detur, et per totum taliter regnum fidelibus noſtris indicetur.* Vaſallus etenim non niſi requiſitus ad ſerviendum ſeſe ſiſtere tenetur. II. F. *25. §. licet.* II. F. 28. §. *ad hoc.* II. F. *37. in fin. conf.* ZASIVS *p. 7. n.* 27. BORCHOLT *c. 1. n.* 24. Et ad ſervitia praeſtanda, quando iis opus, *1. F. 21.* interpellatio ſive indictio omnino eſt neceſſaria. *dict.* II. *F. 26. §. licet. et 55. c. firmiter.* Quae olim ſcripto aut voce praeconis fiebat, et illa latinitate dicebatur *Bannus*, mulcta autem emanentis *Heribannus* vocabatur, et indicebatur in duorum hominum ſive comparium praeſentia, uti nos docet vetuſtus quidam AVCTOR *de Beneficiis. c. 9.* et textus aliquis feudalis, *lib.* II. *F. tit. 54. de Allodiis*, ita conceptus: *Si de vocatione legitima a Domino ſuo convinci per compares ſuos poterit, feudum perdat; et dominus in ſuos uſus illud habeat redigendi liberam facultatem.*

Cete-

Ceterum de iure communi feudali talis interpellatio ſive indictio vel generalis eſt, quae fit per ſolam certiorationem, ad hoc ut parati ſint vaſalli; vel ſpecialis, II. *F. 7.* quae fit periculo appropinquante, quando locus ſimul indicatur luſtrationis, ubi comparendum ſit. Prioris exemplum exhibent hae literae evocatoriae, quas adhuc adiicere haud ſupervacaneum eſſe duximus, quarumque ſubiecta copia ita ſonat: *Von Gottes Gnaden, Iohann Philipp, Hertzog zu Sachſen etc. Lieben getreue, weil ſich die Gefahr im Heil. Römiſchen Reiche von Tage zu Tage beſorglicher anläſt, in deme allerhand gefährliche motus und Kriegs-Empörungen ſich hin und wieder ereignen, alſo, daß wir unumbgänglich verurſacht und bewogen werden, (ohngeachtet wir mit niemanden in ungutem zu thon) unſere Sachen in gute Acht zu nehmen, und auff Mittel und Wege zu gedencken, wie wir und unſere Lande und Leuthe ſo viel möglich vor unbillichem und unverſchuldetem Gewalt, vermittelſt des Allmächtigen genädiger Verleyhunge geſichert ſeyn und bleiben möchten; als begehren wir vor uns und die Hochgebohrne Fürſten, unſere freundliche geliebte Brüdere und Gevattern, Herren N. N. etc. Ihr wollet Euch, vermöge euer Pflicht, mit den Pferden und Knechten, mit welchen uns, und genanten unſern geliebten Brüdern, auch unſern freundlichen lieben Vettern, Fürſtl. W. Linien, Ihr zu dienen ſchuldig, alſo und der Geſtalt gefaſt machen; Daß ihr auf ferner unſer Zuſchreiben an dem Orte, dahin wir Euch erfordern möchten, bey Tage un Nacht ohne Auſſenbleiben erſcheinet, und Euch hieran nichts als Gottes Gewalt verhindern laſſet. NB. Im Fall Ihr aber durch Leibes Ungelegenheit davon abgehalten würdet, nichts deſtoweniger eine ſolche Perſohn, damit wir zu frieden ſeyn können an euere Statt ſamt zugehörigen Pferden und Knechten ohnfehlbar ſchicket, und ſolches nicht anders haltet. Daran geſchicht unſere zuverläſſige gäntzliche und gefällige Meinung. Datum N. am 24. Martii. Anno 1626.*

§. XXXV. Quando itaque hunc in modum petita prius ac requiſita fuit haec opera, tunc omnino quoque a vaſallo Domino erit praeſtanda, et quidem iuxta indigentiam eius, tam belli quam pacis tempore, cum ſc. in periculo eſt conſtitutus,

 II. *F.*

II. F. *7. et 26. §. licet. 28. verſ. adhuc.* maxime autem cum guerram facit; II. *F. 28. pr. c. domino.* modo cauſa iuſta et rationabilis ſit; tunc enim vaſallus dominum tam in defendendo, quam offendendo omnino adiuvare tenetur. II. F. *7. c. eſt et alia. verſ. etſi ſcivero* ZASIVS *p. 7. n. 27.* BORCHOLT *c. 7. n. 45.* Idem dicendum, ſi cauſa dubia ſit, *c. domino.* II. *F. 28.* quoniam determinatio iſtius dubii ad vaſallum non pertinet, ſed debet obſequi domino ſuo, cuius perſona ipſi ſancta et honeſta videri debet. *arg. l. 9. π. de obſeq. par. et patr. praeſtand.* BALDVS *ad d. c. domino.* Sin vero cauſa notorie et evidenter ſit iniuſta, vaſallus domino auxilium praeſtare non tenetur. *c. 1. verſ. etſi ſcivero de nov. form. fidel.* ZASIVS *p. 7. n. 28.* BORCHOLT *c. 7. n. 44.* MENOCHIVS *conſil. 281. n. 32. vol. 3.* Si tamen dominus, etiam iniuſte bellum gerens, in magno periculo conſtituatur, defendere ipſum tenetur vaſallus. II. *F. 28. verb. adiuvet eum ad eius defenſionem.* Vid. KOHLIVS *p. 2. n. 46. ſeqq.* Ratione etiam perſonae domini conſiderandum eſt, quod bannitum ſeu proſcriptum, II. *F. 28. Ordn. des Landfried. rubr. die Poen der Friedbrecher* CARPZOV *prax. crim. p. 3. quaeſt. 140.* GAILIVS *lib. 2. de pac. publ.* item excommunicatum, *d.* II. *Feud. 28. iunct. c. pen. et ult. ſtat.* vaſallus adiuvare non teneatur. vid. KOHLIVS *p. 2. n. 59. ſeqq.*

§. XXXVI. Hanc operam vero vaſallus domino praeſtare tenetur contra omnes. *per c. eſt et alia.* II. F. *7.* Excipitur autem I. Imperator, Rex ſeu Princeps, II. F. *7. 55. in fine.* quia regulariter ſubditi Maieſtati reſiſtere nequeunt, ſed potius iniuriam illatam tolerare debent. GROTIVS *in aureo lib. de Iur. Bell. et pac. l. 1. c. 4. n. 1. ſeqq.* II. Dominus antiquior, II. F. *28. in fin.* qualis non tantum eſt is, cui prius iuramentum praeſtitum eſt, ſed et ille, cuius vaſallus iam ante eſt, qui nunc feudum accipit. *c. Imperialis. §. ſatis bene. de prohib. feud. alienat. per Lotharium.* II. F. *52.* Adeo ut neque etiam per ſubſtitutum vaſallus poſteriorem contra priorem dominum adiuvare poſſit. *per d.* II. F. *28. c. fin. add.* HVNNIVS *c. 13. p. 372. 310.* III. Excipitur patria vaſalli, *arg. l. 35. π. de relig. et ſumpt. fun.* BORCHOLT *c. 7. n. 49.* SCHENCK, BARO *n. 4. de nov. form. fidel.* RITTERSHVSIVS *c. 1. quaeſt. 24.* adeo ut ſi dominus vaſalli ſit proditor ipſius patriae, ipſe accu-

accuſari poſſit a vaſallo, GLOSSA *in c. 1. quae fuit prima cauſa.* cum alias hoc facere nequeat, ut ſupra docuimus. IV. denique excipitur ipſa perſona vaſalli, quia ordinata charitas a ſeipſa incipit, *arg. l. 6. C. de ſervitut.* et in generali perſona loquentis excipitur. *l. 29. §. ult. π. de pign. et hypoth. l. 18. C. de ſolut. et l. 9. π. de pignor. et hypoth. et l. 9. π. de ſervitut.* GLOSSA *ad d. c. fin. ibique* BALDVS *et* ALVAROTTVS. BORCHOLT *c. 7. n. 41.* Unde etiam recte dicitur: vaſallum non teneri vitam ſuam poſtponere vitae Domini. GLOSSA *in §. ſi clientulas. de alien. feud. 1. F. 13.* SPEC. *de feud. §. quoniam.* FRECC. *de ſubfeud. lib. 2. autor. 4.* KIRCHOVIVS *in theſauro commun. opinion. lit. v.*

§. XXXVII. Non autem hic excipitur pater vel filius. II. F. *28. in fin. et* II. F. *55. §. inſuper.* Diſerte enim conſuetudinibus feudalibus cavetur, vaſalum etiam contra patrem vel filium teneri adiuvare dominum ſuum *per dd. text.* Quod etſi durum ſit, et rationi naturali contrarium videatur, ſervandum tamen eſſe, cum lex conſuetudinis ita ſcripta ſit, dicit ZASIVS *in epitome ſua feud. p. 7. n. 28.* Verum alii hoc aegre concedunt, quapropter *d. text.* cum CVIACIO *lib. 4. feud. c. 31.* corrigunt, ac verba illa: *Et patrem,* ab antiquo codice abeſſe, ac proinde delenda monent. Alii autem cum BALDO *in c. 1. de nov. form. fidel.* et HOTTOMANNO, *ad d. c. domino.* variis modis diſtinguunt. Vid. DN. LVDWELL *in Synopſ. feud. c. 14. p. m. 369.* VVLTEIVS *lib. 1. c. 10. n. 43.* HENR. ARNISAEVS *de iur. maieſtat. lib. 1. c. 5. etc.* Verum enim vero cum allegatus textus II. F. *28. fin.* hoc expreſſe innuat, ab eo quidem haud facile recedendum. IACOB. de BELLOVISV *ad d. c. fin. ibique* BALDVS *n. 1.* Sed tamen non ita crude, prout ſonat, verum civiliter eum accipiendum eſſe credimus, de auxilio ſcil. praeſtando domino, non qui alium offendit, ſed qui ipſe offenditur, et quidem offenditur iniuſte a patre, vel filio, aut fratre vaſalli. Neque hoc enim caſu reverentia, quam filius debet patri, vel amor, quem pater debet filio, hic obſtare poteſt, quo minus datam fidem ſervet vaſallus, ac dominum adiuvet contra quosvis iniuſte aggredientes. Vid. VVLTEIVS *lib. 1. de feud. c. 10. n. 43. fin.* DN. STRVVE *in ſyntag. iur. feud. c. 12. aph. 8.* Modo tamen vaſallus in hac ipſa defenſione do-

 mini

Digitized by Google

mini contra parentem, quantum fieri poteſt, amorem ac pietatem debitam obſervet; quod fieri optime poterit, ſi tale auxilium contra parentem in propria perſona haud praeſtet, quoniam ſolvendo dimidium redituum unius anni de feudo, filius ſervitia, contra patrem praeſtanda, luere ſeque liberare poteſt. II. F. *55. §. firmiter. add.* KOHLIVS *p. 3. n. 5. ſeqq. et n. 29.* quod tamen ſingulare.

§. XXXVIII. Regulariter enim auxilium domino vaſallus in propria perſona praeſtare tenetur, II. F. *23. in fin. et* II. F. *55. §. firmiter.* quia ipſius vaſalli fides et induſtria electa eſſe cenſetur, *arg. c. in epiſtola. de form. fidel. §. eſt et alia.* II. F. 7. atque ſic conſideranda nobis hic venit Hoſtenditiarum cum materia, tum forma.

§. XXXIX. Materia eſt actus comitandi, ſeu actualis itio cum domino in expeditionem. Procerum enim et vaſallorum Imperii omnis ordinis officium et ſervitium, Imperatori debitum, vel primum hoc erat, ut Regem Romanorum, ab Electoribus creatum, et ſolenni ritu Romae in Auguſtum conſecrandum et coronandum, honoris et maieſtatis ergo illuc comitarentur. De qua profectione multa in ipſis Feudorum libris mentio extat: quam Lotharius, Imperator, *lib.* II. *feud. tit. 52. de prohib. feud. alien. per Lothar. feliciſſimam noſtri numinis expeditionem,* et Fridericus *d. lib.* II. *feud. tit. 56. Quae ſint Regaliae. feliciſſimam regalis numinis expeditionem* vocant, imitatione Theodoſii et Valentiniani, Imperatorum, *in l. iubemus. 10. l. Neminem 2. C. de SS. Eccleſ.* Ut autem Caeſarem Principes et Proceres pro nexu ſuo, quo Imperio tenentur, comitari debebant, maiori aut minori numero et apparatu, pro principatuum et feudorum ſuorum ratione; ita ipſi rurſus clientes et beneficiarios ſuos in profectionem hanc comites et aſſeclas trahebant, ſimili proportione beneficiorum facultatumque habita. Atque haec actualis itio cum domino tam neceſſaria erat, ut quis, ea neglecta, feudum amitteret. Id quod nobis clare oſtendit *Conſtitut. Imp. Karoli III, dicti Craſſi, de Expedit. Rom. his verbis: Cuicunque autem ſecundum hanc Legem eadem Expeditio inperetur, ſi ad Curiam Gallorum, hoc eſt, in campum,*

qui

qui vulgo Rungalle dicitur, Dominum ſuum non comitetur, et ibi cum militari apparatu non repraeſentetur, feudo (praeter hos, qui cum gratia Dominorum ſuorum remanſerunt) in conſpectu noſtro absque ſpe recuperationis privetur.

§. XL. Forma huius actualis itionis in expeditionem cum Domino in dicta conſtitutione Karolina exprimitur per verba: *Halsbergas ducere.* Quae vox diu multumque exercuit Clariſſ. Virum, Dn. MARQV. FREHERVM, utpote quam nec legiſſe, vel audiviſſe, nec, doctiſſimis amicorum conſultis, diſcere potuiſſe ſcribit in ſuo erudito commentario ad hanc *Conſtit. Karoli 3, dicti Craſſi, de Epedit. Rom.* donec tandem deprehenderit, *Halspergam* priſce et proprie eſſe thoracem vel loricam, ſive ex laminis compactam, ſive ex annulis orbiculisque contextam, quam Franco-Galli adhuc *Haubert-Hauberge-* et *Haubergeon* appellant. Unde vetus proverbium illorum: *De maille a maille on fait le hubergeon.* Eſt autem vox vetus Francica Germanica, uſu quidem deſita, ſed quae in libro veterum cantionum, Heldenbuch inſcripto, frequenter legitur. *part. 1. 2 et 3.* Et ne ἔτυμον etiam neſciamus, ſic dicta, quaſi munimentum colli, quae collum tegat (id enim eſt *bergen*) qua forma Saxones dicunt, *ſe ſind geborgen*, ſervati ſunt e periculo. Eadem compoſitione, qua galeam idem aevum Haubtach dixit; quod tecti inſtar ſit vertici. Halspergas igitur tot ducere, tot eſt cataphractos et loricatos ducere, in quibus ſplendor et robur totius agminis praecipuum. LIVIVS *lib.* XXXVII. *His tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipſi appellant) adiunxit.* HISTORIA MISCELLA *lib.* XXXI. *Usque ad viginti ſcaphas remanſerunt, habentes centenos loricatos ad has cuſtodiendas. Et lib. 20. Miſit tria millia loricatorum ad circumdandum eum ne fugeret.* Hinc feudum Loricae, apud SIGEBERTVM GEMBLACENSEM, *An. 1560. de expeditione Henrici, Regis Anglorum.* Quod militi aſſignatur ea lege, ut ad edictum praeſto ſit in armis loricatus ſive cataphractus. Quod Feudum Hauberticum, *Fief de haubert*, Franci et Normanni etiamnum vocant, ut legimus *in Conſuetudinibus Normandiae c. 85. Celuy qui tient fief de haubert, doit deſervir ſon fief par*

pleines

pleines armes, par le cheval, par le haubert, par l' eſcu, par l' eſpée, par le heaulme.

§. XLI. Atque ſic etiam in expeditione Romana hanc operam in armis loricati ſive cataphracti vaſalli quivis praeſtare debebant, nonnunquam tamen pecunia eandem redimere ipſis permittebatur, ſed ita: ut ii vaſalli, qui cum gratia et bona voluntate dominorum ſuorum domi remanſerunt, ad legendos alendosque eorum loco alios milites promiſſa ſtipendia rite exſolvant. Vid. FRIDER. a SANDE *in comment. in Conſuetud. Geldriae feud. tract. 2. tit. 1. §. 2. n. 13.* Atque hoc caſu nomine Hoſtenditiarum venit pecuniae pro opera praeſtatio.

§. XLII. Et huc pertinet, quod ait Feudiſta, *Hoſtenditias* eſſe adiutorium, quod vaſalli domino praeſtant, ſi cum eis non vadunt, in Lombardia nempe de modio 12. denarios: In Teutonica Terra tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum ſolummodo eius anni, quo hoſtem faciunt. Id quod Saxonibus *Heerſteur*, *Reiſegelt* dicitur. *Lehn-Recht c. 46.* SCHNEIDEWIN *p. 5. de feud. n. 96.* Prout ergo fructus in eo anno deprehenduntur, ita etiam reſtituendi erunt, nec meliores, nec deteriores, non plures, neque tamen pauciores; ſed dicta pars tertia. Hinc ea, feudo vel aucto vel imminuto, augeri aut imminui nullo modo poteſt, nimirum quia definita atque determinata eſt quantitas; niſi vel ſumma aliqua emergens neceſſitas aliud ſuadeat, aut etiam Feudiſtarum diſtinctiones inter augmentum et decrementum quod fit naturaliter, vel facto domini, vel vaſalli, aliquando aliud velint. Vid. KOHLIVS *in tract. de feud. p. 4. n. 177.* Magnif. Dn. D. STRVVE *in Syntagm. I. F. c.* XI. *th.* V. *com.*

§. XLIII. Ut autem olim in Teutonica Terra tertia pars fructuum fuit determinata; ſic ex conſtitutione Friderici, Imperatoris, dimidia ſaltem fructuum ac reditus illius anni, quo indicta eſt expeditio, perſolvenda conſtituta eſt: Ut ex communi Feudiſtarum conſenſu et dicta *Conſtit. Imp. Friderici, de prohib. feud. alien. II. f. 55. c. firmiter.* colligi licet. Mire etenim in hoc variatum fuit, namque *in Imp. Karoli III, dicti Craſſi, Conſtitut. de Exped. Rom. th. 6.* totus fructus illius anni expoſcitur.

Digitized by Google

tur. Et vetus quidam AVCTOR *de Beneficiis c. 13.* ita ſcribit: *Ibunt illuc et alii, omnes Imperialia beneficia habentes, quisque cum domino ſuo, niſi talento decimo iter redimat, quod annuatim a Domino ſuo habuerat.* Cum quo maxime convenit IVS FEVDALE SAXONICVM, eundem in modum hanc ipſam quantitatem ita determinans: *Der Mann iſt mit dem Herren zu ziehen ſchuldig, oder muß die Farth löſen, mit dem zehenden Pfund des Zinſſes, den er jährlichen von ihm hat. Sächſiſch. Lehn-Recht c. 4. conf.* SCHNEIDEWIN *part. 5. de feud. a. 114.*

§. XLIV. Et hanc quoque in rem ſuperiori aevo vires totius imperii aeſtimatae, et certa quantitas cuilibet Statui aſſignata fuit: *Receſſus Imperii de An. 1521. §. auch haben uns Chur-Fürſten.* et *Reichs-Abſchied zu Nürmberg Anni 1522. pr.* ita ut, comitatu illo Romano ad 20000. peditum et 4000. equitum ad ſex menſes conſtituto, unicuique Statuum Imperii iuxta conditionem bonorum ſuorum certus numerus peditum et equitum, quem mittere, aut pro unoquoque equite 12. florenos, et pro ſingulo pedite 4. florenos ſolvere teneretur, definitus fuerit. Vide LIMNAEI *Ius Publ. lib. 2. c. 4. et lib. 4. c. 7. iunct. add. d.* ubi inſimul ſchema quoddam iſtiusmodi unicuique Statuum ordini aſſignatae quantitatis exhibet.

§. XLV. Adeo, ut nec eccleſiarum filii, ſive eccleſiae ab hoc expeditionis onere immunes fuerint. Ex quo enim tempore eccleſiae bonis, latifundiis, praediis, reditibus auctae fuerant, ex eodem etiam beneficiarios ſuos ſibi libellis precariis, feudis acquiſiverunt, et milites, fideles, miniſteriales, advocatos ſuos habuerunt: Unde pro hac ipſa regia expeditione peragenda certum numerum militum, id eſt, nobilium vaſallorum, ſibi aſſignatum ſuſtentare neceſſe habebant, ut praeter hiſtorias *ex §. v. dictae Conſtit. Karolinae de Expedit. Rom. et aliis Imperatorum conſtitutionibus* notum eſt. *II. F. 52. et II. F. 55. §. firmiter. iunct. l. 2. C. de quib. muner. et l. 10. 11. C. de SS. Eccleſ.* quas egregie, ut omnia, explicat Magnificus Dn. D. STRAVCH, *Anteceſſor in hac inclyta Salana primarius, Doctor et Patronus meus aeterno mentis cultu pie proſequendus in MSS. commentario ad has Cod. LL.*

Qq §. XLVI.

§. XLVI. Quinimo nec Regiae domus expeditionis tempore ab angariis et parangariis excuſantur. *l. 21. C. de curſu publico.* Cauſa enim haec ſumme eſt neceſſaria, ideoque nemo ab ea excuſatur. *l. un. C. ut nemini lic. in empt.*

§. XLVII. Finis etiam Hoſtenditiarum hoc requirit, isque duplex. Unus, ſplendor et maieſtas tanti exercitus, utpote qui 20000. peditum, et 4000. equitum conſtabat, quorumque non minima pars Loricatorum erat, in quibus ſingularis ſplendor et maiſteas deprehendebatur. Haud ſane immerito; Imperatoriam enim maieſtatem in tam arduo imperii negotio, pro ſumenda ſcilicet et obtinenda corona Romana, omnino armis armatam atque decoratam eſſe decet, ac proin omnium et ſingulorum, qui feuda imperii tenent, primum officium eſſe debet, ut Imperatorem, Romam ad petendam coronam profecturum, cum iſtiusmodi ſplendido militari apparatu comitentur; quemadmodum alias etiam vaſalli tenentur de ſervitio praeſtando in honorem domini ſplendidioris apparatus cauſa, *in Ehrenfällen*, ut teſtatur KOHLIVS *de ſervit. feud. p. 4. n. 99.* Alter, periculorum et inſidiarum, in quas iſto in itinere Imperatores incidere poſſunt, averſio. Variis etenim graviſſimisque periculis et inſidiis plurimos Imperatores tum temporis obnoxios fuiſſe, exempla Lotharii III. et Friderici I. nobis clare oſtendunt; quapropter ab hoc auxilio, Imperatori expeditionis tempore praeſtando, nemo immunis erit, quia de ſalute Principis agitur. *Omnis igitur vaſallus, qui, indicta publica expeditione, vocatus a Domino ſuo, in eadem expeditione ſpacio competenti temere venire ſuperſederit; vel alium pro ſe Domino acceptabilem mittere contemſerit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non ſubminiſtraverit, feudum, quod ab Epiſcopo vel alio Domino habuit, amittat; et dominus feudi in uſus ſuos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem. dicta Conſtit. Friderici de prohibit. feud. alien.* expreſſe cavetur. *II. F. 55. §. firmiter.*

§. XLIIX. Feudum ergo amittit, quomodo autem id fiat, non ſatis liquet. *Iudicio curiae privatur*, ut GVNTHERVS innuit: *condemnatur*, ait OTTO FRISINGENSIS. Quae verborum diſcrepantia

pantia congruam nobis excutiendae illius vexatiſſimae inter Feudiſtas controverſiae occaſionem et anſam praebet: Quando nimirum in vaſallum fertur ſententia condemnatoria? *Wenn Er des Lehns verluſtig erkant wird?* *1. F.21 et 22. §. 2.* An ſcilicet haec condemnatoria ſententia ſit privatoria, an ſaltem declaratoria, (differunt enim invicem, quod illa ex nunc operetur in futurum, haec autem in praeteritum; illa deiiciat, haec cecidiſſe declaret vaſallum) ſive, an feudo demum per ſententiam privetur, an vero ipſo iure propter feloniam id amittat vaſallus, et ſolum inſequatur ſententia, qua declaretur, ipſum, quippe a Domino convictum culpae, feudo privatum eſſe, vel etiam, ut clarius dicam, an dominium utile ipſo iure ad Dominum ob commiſſam feloniam revertatur, an vero per ſententiam vaſallo adimatur demum utile Dominium? Quod poſtremum his innixi rationibus libere aſſerimus. I. Quod nullibi in iure feudali dicatur, ipſo iure dominium utile ob feloniam ad dominum reverti. II. Quod concedatur domino *1. F. 21.* condictio cauſa data, cauſa non ſecuta, qua actione perſonali quis petit ſibi reſtitui rem, cuius dominium eſt apud alterum. *d. t. de condict. cauſa data, cauſa non ſecuta. add. l. ult. π. uſufr. quemadmodum caveat.* III. Quod conveniat haec feudi ex ingratitudine repetitio cum revocatione donationis, *11. F. 24. §. 2.* quae ob ingratitudinem commiſſam non ipſo iure fit, ſed per actionem et ſententiam. *l. fin. C. de revoc. donat.* IV. Quod nec perduellium bona ipſo iure publicentur, ſed, usque dum damnati fuerint, dominia rerum ſuarum retineant. *l. 15. qui et a quibus. man. lib. non fiant.* Conf. ANTON. MATTHAEI *d. tract. lib. 48. tit. 2. c. 3.* Neque etiam V. ex aliis delictis quis ante patiatur poenam, quam per ſententiam condemnatus fuerit. MARTIN. BONACINVS *tract. moral. de contract. diſp. 3. quaeſt. 8.* Privatoria igitur haec eſt ſententia, non autem declaratoria ſaltem, ſive, quod idem eſt, dominio utili per ſententiam demum, et non ante, privatur vaſallus. Vid. *Ampliſſ.* Dn. D. STRVVE *in Syntagm. I. F. cap. 15. de amiſſ. feud. th. xi. comm.* ROSENTHAL *c. 10. concluſ. 41.* CLARVS *in §. feudum, quaeſt. 6.* RITTERSHVSIVS *partit. feud. lib. 2. c. 6. quaeſt. 15.*

§. XLIX. Atque haec Feudi privatio poena eſt vaſalli, quando ſcilicet hanc militarem operam Domino nec ipſe, nec per ſubſtitutum praeſtare vult, aut etiam dimidio reditus annui eandem redimere detrectat. E contra vero praeſtitae huius operae tantus eſt favor, ut etiam feudum aliquibus ea propter adimi nequeat. Conſtat enim, omne id, quod vaſalli de ſuis feudis in valvaſinos (quos vocant) gratuito conferunt, feudi ius ac vim non habere, ſed precarii ſimplicis inſtar eſſe, et absque illorum culpa a dante ad lubitum revocari poſſe. *1. F. 16. de F. dat. minim. valvas.* Niſi (*quae exceptio hunc ad locum pertinet*) hi valvaſini ſuos illos ſeniores in hac expeditione et exercitu Romano comitati ſint. *1. Feud. tit. 1. fin. et tit. 7. de natura feud.*

§. L. Origo autem huius expeditionis Romanae (*Römerzugs*) inde a Carolo M. deducitur. Cum enim Carolus M, Rex Francorum et Longobardorum, eligeretur ac conſtitueretur Imperator Romanus, atque a Pontifice ipſis feriis natalitiis An. ꟾↃ.CCC. precioſiſſima corona coronaretur, qua de re vid. HENN. ARNISAEVS *de translatione imperii*, et Dn. CONRINGIVS *de Germ. Imp. Rom. §. 7. et ſeqq.* ritus quoque ille ſolennis coronationis in ſequentibus Romanis Imperatoribus eſt obſervatus, indeque factum, ut vaſalli Regni horumque ſubvaſalli creatum a Germanis Regem, atque ita ſimul ab ipſis electum Regem et Imperatorem Romanum, tenerentur ad ſuſcipiendam Imperii Romani coronam et ſolennem conſecrationem Romam comitari; qua de re extat vetus Conſtitutio Imp. Caroli III, dicti Craſſi, quam edidit et commentario illuſtravit MARQ. FREHERVS, eamque exhibet GOLDASTVS *in Conſtitut. Imper. vol. 1. p. 28.* LEHMANNVS *in Chron. Spir. lib. 2. c. 42. in fin.*

§. LI. Quae Conſtitutio an ſit genuina? magna adhuc inter magni nominis viros dubitatio eſt. Clariſſimus equidem ICtus, FREHERVS, *in comment. ſuo ad d. Conſtit.* eam pro genuina habet, atque dictum Imperatorem, Karolum III, eius verum auctorem eſſe contendit, eo quod nomen Luitwardi, dicti Regis Cancellarii, conſtitutioni huic Carolinae ſit ſubſcriptum, cum illud nec in Magni, nec Calvi actis reperiatur, ſed in

in huius Karoli III. diplomatibus exprimatur, [illegible]roin, quia hoc Luitwardi nomen in hac, de qua loquimur, conſtitutione reperitur, non ſine ratione exiſtimat FREHERVS, hunc eum ipſum eſſe Luitwardum, qui ſub Karolo Craſſo vixerat. Verum enim vero haec aſſertio non admodum firmo ſtat talo, quia facile ſit, ut plures diverſo tempore ac loco idem nomen habeant; nihil enim certi hic demonſtrari poteſt. Vid. *ὁ πάνυ* Magnificus Dn. IOH. HENR. BÖCLERVS, *Argentor. Academ. Hiſtoriar. Profeſſor inclytus, Doctor olim meus exoptatiſſimus, ſummaque animi reverentia ſubmiſſe et obſervanter aetatem colendus ac ſuſpiciendus, in Notitia S. R. Imp. MSS. cap. 2. de Expedit. Rom.* Ceterum et Chronologia diſcrepat, quod ipſe etiam FREHERVS fatetur, aſſerens, quod hoc ipſo anno DCCXXC. Imperator Carolus M. conventum ordinum celebraverit Wormatiae, non vero Craſſus; cum tamen Karolo M. haec conſtitutio nullo modo adſcribi poſſit. Lapſum ergo eſſe, inquit, Scriptorum in numeris, eumque non inſolitum, et reſcribendum neceſſario DCCCXXCI. *vel ſeq. ann.* Quod ut levius, non tamen omnem adimit ſcrupulum, praeſertim cum plura in ipſa etiam conſtitutione occurrant, quae Ampliſſimis Viris, BÖCLERO et CONRINGIO, dictae conſtitutionis authorem ſuſpectum reddant. Cuiusmodi eſt illud ſtatim ab initio: *Rex Romanorum*, quo titulo certe nemo tum temporis audiit, niſi iam Imperator coronatus. Vide iterum Dn. CONRINGIVM *in tr. de orig. iur. germ. c. 17.* Principum quoque ſecularium et eccleſiaſticorum voces illis temporibus fuere inuſitatae. Neque etiam reperire licet vel leve indicium conventus iam tum inſtituti in Italia ad curiam Gallorum, ſive Rungallium, cuius hic ut rei uſitatae fit mentio. Ac denique nec ſtilus conformis eſt illi aevo, nec feudi vox eius eſt temporis, unde WELSERVS ipſe fatetur in epiſtola MSS. ad FREHERVM: *Quoniam aliquando ſubdubitare viſus es, an feudorum nomen in vetuſtis tabulis ante Fridericos extaret, duo nunc apographa mitto, quae illum ſcrupulum hactenus eximant: Carolinam tamen antiquitatem Conſtitutionis a Te editae non attingunt.*

Digitized by Google

§. [illegible]uid ergo hac de re ſit ſtatuendum, nondum ſatis liquet, niſi quod cum Magnif. Dn. D. CONRINGIO aſſerere velimus, hanc conſtitutionem fictam eſſe, idque forte Seculo XII. in regulam expeditionum romanarum, quae tum temporis illis pene legibus fuere inſtitutae, ceu patet ex hiſtoria Friderici primi, Caeſaris, tum apud OTTON. FRISINGENSEM, cum in GVNTHERI *Ligurino.* Ita enim OTTO *lib. 2. c. 12. Inde caſtra movens* (ſcil. Fridericus I. Imp.) *in campo Roncaliae ſuper Padum, non longe a Placentia, menſe Novembri reſedit. Eſt enim conſuetudinis Regum Francorum, quae et Teutonicorum, ut quotiescunque ad ſumendam Romani Imperii coronam, militem ad tranſalpizandum coëgerint, in praedicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto ſcutum ſuſpenditur, univerſorumque equitum agmen feuda habentium ad excubias, proxima nocte Principi faciendas, per Curiae praeconem expoſcitur: quod ſectantes, qui in eius comitatu fuerant, ſinguli ſingulos beneficiatos ſuos per praecones expoſcunt. At ſequenti die, quicunque nocturnis vigiliis defuiſſe depraehenſus fuerat, denuo ad praeſentiam Regis, aliorumque Principum vel virorum Illuſtrium evocatur, ſique omnes omnium beneficiati, qui ſine bona voluntate Dominorum ſuorum domi remanſerunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe ſecuto, non ſolum laicorum feuda, ſed et quorundam Epiſcoporum, i. e. Harwici Bremenſis, et Ulrici Halberſtatenſis regalia perſonis tantum, quia nec perſonis, ſed Eccleſiis perpetualiter a Principibus tradita ſunt, adiudicata fuere.*

§. LIII. Licet autem haec expeditio Romana diu multumque duraverit, atque etiam hodie electi Imperatores ſoleant in Capitulatione Electoribus promittere, ſe operam daturos, quo corona quoque imperatoria coronentur: Aliquot tamen noviſſimi Imperatores illam coronationem, utpote Imperio gravem ac ſuperfluam, omiſerunt. Unde non immerito quaeritur, an iure hoc facere potuerint? ſive, quod idem eſt, an Imperator teneatur Romam petendae coronae cauſa expeditionem facere? Quod cum Iuris Publici ſcriptores diverſimode inter ſe diſputarint, anſam id nobis dedit eorum hac de re opiniones pro virili paulalum referre atque excutere.

§. LIV.

§. LIV. Celebris equidem ARNISAEVS (*de ſubiectione et exemtione clericorum cap. 7. ubi de translatione imperii romani agit, n. 29. p. 190.*) ſunt, ait, qui negant, Imperatorem ullo modo ad petendam coronam cogi poſſe, quia id nulla lege ſtatutum, vel conſuetudine inductum fuit. I. Legem quod attinet, planum eſt, Imperatoriam non dari, ſed potius contrarium decretum eſſe a Ludovico Bavaro; et ſi aliqua eſſet, non valeret, cum ne iuramentum quidem valeat, quod dignitatem Imperatoris diminuit. (*c. intellecto. de iureiur.*) Si vero Lex pontificia producatur, eam conſtat non obligare, niſi quatenus approbetur, cum iurisdictiones ſint diſtinctae. Sed nec ulla produci poteſt, quia *Clementina Romani, de iureiur. c. venerabilem. de electione. can. in Nomine Domini. diſtinct. 23.* Imperatorem non adſtringunt ad petendam coronam, ſed Pontificis ius eſſe contendunt, ungere, conſecrare, nominare, approbare Imperatorem electum, ſi eo petitum veniat. II. Quod ad conſuetudinem attinet, licet *d. Clementina Romani* producat exemplum Alberti et Henrici, qui conſecrationem a Papa petierint, tamen, quod per favorem, aut ex certa cauſa fecerunt, aliis non debet creare praeiudicium. *c. quod ob gratiam. de R. I. in 6. cum concord.* In Actibus enim voluntariis et merae facultatis nulla praeſcriptio vel conſuetudo induci poteſt, *per l. viam. π. de via publ.* III. Praeterea cum ſatis clarum ſit, actum creandi Imperatoris abſolvi in ſola electione, patet, ſupervenientem coronationem nihil aliud eſſe quam ſolennitatem. Atqui Imperator ab iis, quae ſolennitatis ſunt, legibus abſolvitur (*ut Dd. interpretantur L. Princeps. π. de LL. l. digna vox. C. eod. l. ex imperfecta. 3. C. de Teſtam.*) Adeoque cum duplex ſit ſolennitas; levis, quae ſubſtantiam non immutat, *l. 1. π. de Exercit. act.* et gravis; conſtat illam a quovis, hanc vero a ſolo principe omitti poſſe, urgente evidenti neceſſitate. *l. etſi nihil. 183. π. de R. I. l. 85. fin. l. 90. de in integr. reſtitut.* Unde etiam in hac ipſa ſolennitate multa immutata reperire licet. Huc usque ARNISAEVS.

§. LV. Iam vero ad eiusdem argumenta reſpondebimus. I. enim contra eum faciunt omnes Capitulationum articuli

Digitized by Google

ticuli illi, quibus electus in Imperatorem ſe obligat ad coronam imperialem petendam et requirendam. Cogi ergo, qui hoc promiſit, poteſt, ſi ſponte promiſſa adimplere nolit. Lex enim contractus ſervari debet, et quod prius ante promiſſionem voluntarium erat, poſt eam neceſſarium factum eſt.. Cogi inquam poteſt, ſed non a Pontifice, ut nonnullis viſum, verum ab Electoribus, quibus promiſſio facta et actio competit, ipſaque executio ab Imperio fieri poteſt, non vero ab alio.

§. LVI. Et hi dicti Capitulationum articuli contrariantur quoque ARUMAEI ſententiae, *diſcurs. 2. ad A. B. th. 20. p. 109.* aſſerentis; hanc pontificiam coronationem plane non eſſe neceſſariam, quia nullibi eadem praecipiatur, neque etiam verbulo quidem in A. B. eius fiat mentio. Verum enim vero quam facile is refutari poſſet, niſi ipſe paulo poſt (*th. 21. p. 224.*) ſui immemor aliud innuere videretur. Clarum namque ac certum eſt, in A. B. non ſolum ex verborum conſequentia, ſed etiam expreſſe coronae imperialis fieri mentionem (*in exordio circa fin. c. 2. §. 5. inprimis autem c. 26. §. 4.* qui textus probe notandus) aliumque dici *Regem Romanorum*, alium *Imperatorem*, (*d. c. 2. §. 7.*) quod et phraſis, *Rex Romanorum in Imperatorem promovendus*, notat, (*c. 1. pr. c. 18. pr.*) vel *in Caeſarem promovendus* (*d. c. 1. §. 18. 19. 21. c. 2. pr. §. 2. 3. c. 7. §. 1. c. 20. pr.* vel *Rex Romanorum, futurus Imperator. c. 28. §. 5.* Et licet etiam in AureaBulla mentio nulla fiat, cuius ſit hanc coronam Romanam Regi imponere, aliunde tamen ſatis notum eſt, hoc Pontificii eſſe muneris. Non enim ad propoſitum Caroli IV. faciebat, hoc ibi exprimere, non magis, quam quis coronam Mediolanenſem (*cuius meminit d. c. 26. §. 4.*) Romanorum Regi conferre debeat; Bulla namque potiſſimum de Electorum iure, officio ac privilegiis agit, non de aliorum. Atque haec contra ARUMAEUM ſufficiant: quapropter revertamur ad reliqua ARNISAEI argumenta.

§. LVII. Ludovici Bavari Decretum quod attinet, illud certe nos non ferit, non enim decernit, Imperatorem, ſi Electoribus promiſerit coronam imperialem a Pontifice requirere,

Digitized by Google

rere, non teneri promiſſis ſtare; ſed hoc decidit, falſum eſſe, quod dicitur, imperialem dignitatem et poteſtatem a Papa eſſe, electumque Imperatorem non eſſe verum Imperatorem, nec Regem, niſi prius per Papam, ſive Sedem Apoſtolicam, confirmetur, approbetur et coronetur. Statuit autem quod is, qui eligitur in Imperatorem ſive Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione ſit Rex verus, et Imperator Romanorum cenſendus et nominandus, eidemque ab omnibus imperii ſubiectis obediri debeat; ac adminiſtrandi iura imperii, et caetera faciendi, quae ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habeat poteſtatem, nec Papae, ſive ſedis Apoſtolicae, vel alicuius alterius approbatione, confirmatione, authoritate indigeat vel conſenſu, ut ipſa Decreti verba ſonant apud GOLDASTVM *inter Conſtitut. Imper. p.99.* Et ut brevibus dicam, quod res eſt; Conſtitutio Ludovici reiicit effectum, quem alii coronationi, quae a Pontifice fit, attribuunt, coronationem autem ipſam fieri non prohibet. Poſito etiam, non tamen conceſſo, coronam illam prohibitam fuiſſe a Ludovico, vel ullo veterum Imperatorum alio, eius ſane prohibitionis vis hodie ceſſaret, poſtquam Imperator iurat, ſe omni diligentia eam expediturum. Abrogare enim LL. et novas ferre; prohibere, quod antea conceſſum; concedere, quod antea prohibitum; novum inauditum in Imperio non eſt, nec ab ipſa iuſtitia alienum.

§. LIIX. Verum aliud hic diverticulum quaerit ARNISAEVS et putat, coronam illam diminuere dignitatem Imperatoris. Sed certe iniurius eſt in ipſos Sereniſſimos Electores, quaſi illi, immemores officii et iuramenti ſui, contra dignitatem Imperatoris et Imperii agant, et quidem ex proaereſi ac praemeditatione: cum tamen corona illa dignitatem Imperatoris non magis diminuat, quam corona Regalis, utraque dignitatis adeptae publicum teſtimonium, dignitatem honore ac reverentia coronans. Et, niſi Caroli V. teſtimonium ac publicas Imperii tabulas reiicere volumus, credendum eſt, coronam illam pro fine agnoſcere laudem divinam, Imperii honorem et emolumentum, ita enim diſerte exprimitur: *Gott zu*

förderſt zu Lob. Dem H. Reich zu Ehr und Wohlfarth. R. A. zu Wormbs An. 1521. §. *und als wir*. Denique ne putemus, electores eccleſiaſticos Pontifici hac in parte nimium favere, perpendi debet, Electores ſeculares, qui pontificiae religioni haud addicti ſunt, iam olim tempore Maximiliani II. capitulationis articulo primo, et continuato hucusque more, expreſſe declaraſſe, ſe in negotiis, quae pontificiam authoritatem, dignitatem et emolumentum tantum ſpectant, a caeteris Electoribus diſſentire, nec velle Imperatorem ad ea obligare. Quod cum non in genere, ſed ſpecialiter et nominatim factum ſit, nec tamen ad coronationem imperatoriam ab illis repetitum vel extenſum, coniectu facillimum eſt, quid de ea ſenſerint ſentiantque.

§. LIX. Ius Canonicum quod attinet, nolumus hic illud examinare; An ſcilicet Imperatorem adſtringat ad petendam coronam, nec ne? Satis enim notum eſt, illud omnem aquam in molendinum Papae derivare, et totum fere in eo occupatum eſſe, quo mundo perſuadeat, a Papa Reges et Principes deſcendere.

§. LX. Ceterum quod concernit ARNISAEI argumentum de actibus merae facultatis, incongruum hic eſſe videtur. Licet enim haec coronatio aliquando merae facultatis fuerit, quod equidem ipſi concedimus, atque etiam ipſius Caroli M. exemplo clare demonſtramus. Cum enim Carolo M. non petenti, ſed a Pontifice ſponte corona imperialis impoſita fuit, tamen Carolus eam ſuſcipiendo minime ſucceſſores obligare nec potuit, nec voluit, eam inpoſterum ut illi peterent vel ſuſciperent a Pontifice. Sed filium, Ludovicum, ſucceſſorem in Imperio ſibi aſſumens ac declarans, non Romam coronandum miſit; verum author ipſi fuit, ut publica ſolennitate Aquisgrani coronam, altari impoſitam, propriis elevaret manibus, ſibique ipſimet imponeret. Quod factum exponit FAUCHET *en la fleur de la maiſon de Charlemagne, (qui eſt de la continuation des antiquités francoiſes, au ſecond volume livr. 2. chap. 16. fol. 167. b.)* ubi addit: *Icy faut noter, que Charlemagne declarant ſon fils Empereur n' attend point le conſentiment du Pape,*

Pape, et des Romains, ni qu' autre que ſon fils touche à la couronne Imperiale, pour la mettre ſur ſon chef, non pas mêmes des Eveques; choſe que ie n' eſtime avoir eté faite par le vieil Empereur ſans myſtere, et pour montrer, qui ne tenoit l' Empire que de Dieu ſeul, puis qui l'envoye ſon fils la prendre ſur l'autel, comme de la main de Dieu. Idem FAVCHET (*d. vol. 2. livr. 3. chap. 2. p. 186.*) refert; Quod Papa Stephanus fecerit Romanos iurare fidelitatem Imperatori Ludovico abſenti, et nondum ab ullo Papa coronato. Signum mehercule! ipſum quoque Papam Romanosque faſſos eſſe, Imperatori etiam citra coronationem Romanam dominium urbis et imperii competere. Verum enim vero licet haec coronatio aliquando merae facultatis fuerit, certum tamen eſt, capitulationes hanc meram facultatem non admittere; unde nec ab exemplis eorum, qui coronam hanc vel ſuſceperunt, vel neglexerunt, argumentandum erit, ſed a Conſtitutione Imperii.

§. LXI. Coronationem ſolennitatem eſſe equidem non infitemur, ſed Ius Civile Imperatorem ab hac ſolennitate abſolvere poſſe expreſſe negamus; niſi dicere velimus, LL. atque Conſtituta, ubi a iure illo antiquo divertunt, nullius eſſe momenti, vel ſtatum Imperii noſtri ab antiqua Romanorum forma informari, aut, quod tamen longe a nobis abſit, Germanos eſſe mancipia alienae libidinis. Et poſito etiam, Legem Imperii ſolennibus iuris Imperatorem Romanum olim ſolviſſe, *l. 3. C. de Teſtam.* exinde tamen nihil evinci poteſt. Conſtat enim ex capitulationibus, Imperatorem noſtrum ſolennitati coronationis imperatoriae a Lege Imperii eſſe alligatum. Ergo quae olim poteſtas Romanis fuit, ſuum Imperatorem legibus ſolvere, eadem etiam hodie Germanis eſt, Imperatorem ſuum ligare vel ſolvere. Quod enim hodie Imperator noſter nonnullis LL. ſolutus, nonnullis ligatus eſt, non a Romanorum illo iure derivatur, ſed a iure Germanorum, qui Imperatorem ſibi eligunt, et ei poteſtatem talem concedunt, qualem volunt. Itaque ſi Imperator noſter ſolutum ſe hac vel illa lege aſſeverat, fruſtra ad ius antiquum Romanum provocabit contra Germanos, niſi in illis capitibus, in

Digitized by Google

quibus illud approbarunt, et ita ſuum effecerunt. Diximus autem limitate, Imperatorem ab hac ſolennitate de iure civili abſolvi non poſſe; poteſt tamen ab Electoribus ab eadem abſolvi, utpote quorum ſolum eſt ab iis, quae in Capitulatione ipſis promiſit, eundem abſolvere ac liberare.

§. LXII. Denique multa quoque in hac ſolennitate eſſe immutata docet urgetque ARNISAEVS, ſed noſtra inde non convellitur ſententia. Non enim ſequitur; Aliqua in hac vel illa ſolennitate ſunt immutata: Ergo et ipſa ſolennitas mutari, totaque negligi poteſt. Quandoquidem etiam, quod notari velim, poſtquam in Capitulationem electi Imperatoris ſemel relatum, coronam imperatoriam expetendam et ſuſcipiendam, nihil in hoc a Caroli V. aetate usque ad hanc noſtram mutatum reperire liceat. Quod enim de materia trium coronarum adducitur, fomentum certe eſt, quaelibet enim coronarum harum ſtatim ab initio aurea fuit, et aurea etiam permanſit, neque inſuper vel in ordine vel materia quicquam immutatum fuit.

§. LXIII. Examinatis itaque cum ARNISAEI, tum ARVMAEI ſententiis, quae noſtra hac de re ſit opinio, neceſſe eſt ut innuamus. Concludimus ergo ex relatis, atque decernimus cum LIMNAEO *Iur. Publ. 2, 4, 107.* Imperatorem hanc coronationem imperialem vi Capitulationis, ab electoribus ipſi praeſcriptae, omittere nullo modo poſſe; ſed potius omnem debere adhibere diligentiam, ut coronam imperialem conſequatur: *Zum beſten befleiſſigen, die Kayſerliche Cron zu empfangen. per Artic.* XXX. *Capitul. Caroli V.* Niſi, ut ſupra monuimus, Electorum conſenſu ac voluntate id fiat. In eorum enim, et non Pontificis poteſtate ſitum eſt, an velint Imperatorem ab hoc requiſitionis coronae imperialis onere abſolvere, et quod ſibi promiſſum remittere. *arg. l. ſi unus. 27. §. pactum. 2. π. de Pactis.*

§. LXIV. Quid autem dicemus de illis, qui in Capitulationem quidem iurarunt, coronam tamen imperialem conſecuti non ſunt? Sane, ſi eam ſtudioſe ambiverunt, et per illos non ſtetit, quo minus eandem aſſecuti fuerint, iure excu-

ſatos;

ſtros eos habemus. Varia namque hic nonnunquam ſe ſe offerunt obſtacula et impedimenta tum ex parte Pontificum, cum Imperatorum, atque aliquando vel vera ſunt, vel ficta.

§. LXV. Ex parte Pontificum deprehendere licet, quod quamvis olim ii, cum erat res anguſta domi, Imperatores ad ſuſcipiendam coronam vel ipſi invitarint, vel venientes amicabiliter ſuſceperint, poſtmodum vero, aucta illorum potentia, praeſentiam Imperatorum cane peius et angue averſati ſunt, quoniam Syrma viginti quatuor millium militum (hoc enim numero Imperatoris exercitus conſtare debet) oderunt, et cum illis caeteri omnes, qui malae fidei poſſeſſores rerum Imperii in Italia ſunt.

§. LXVI. Ex parte vero Imperatorum tam generales, quam ſpeciales, eaeque vel probae, vel reprobae perquam multae rationes allegari poſſent, quod hanc coronationem vel inſuper habuerint, vel plane ad eandem non pervenerint, aut, ut mitius loquar, pervenire haud potuerint, excluſi nonnunquam vel ipſa temporum iniuria, vel bellicis ac aliis negotiis impediti; ſive denique variis incommodis et periculis, in iſto itinere forſan ſuſtinendis, deterriti. Id quod nobis oſtendunt quam plurima plurimorum Imperatorum exempla, nimirum Ludovici IV. et Conradi I. (*de quibus vid.* LVD. MOLINA *de iuſt. et iur. diſp. 24. verſ. caeterum.*) Henrici I, cognomento Aucupis (*vide* ABBATEM VRSPERGENSEM *et* CVSPINIANVM *in eius vita*, Conradi Suevi, Caeſaris, BEVTTHERVS *in addit. hiſt. Limnaei c. 13. n. 20.* Inprimis autem Rudolphi ac Maximiliani exempla hic omnem rem facere videntur. Nam Rudolphus I. cum Principes Germaniae eum in Caeſarem elegerunt, eundem inſimul obligarunt, ut, intra annum in Italiam diadematis cauſa ſe profecturum, profiteretur, totis, quibus imperavit, annis ſemper novas occupationes publice cauſatus, nunquam Italiam ingredi voluit, ab amicis interim rogatus, quamobrem ab Italia deterreretur, non diſſimulanter reſpondit, quod Caeſarum in Italiam veſtigia laeta, magnifica, plenaque bonae fidei videret, ex Italia vero referentia et foras verſa, triſtia, miſera, luctuoſa. Vide MATENES. *tom. III. hiſtor. eccleſ. lib. 13. n. 200.* CVSPINIANVM *in vita Rudolphi, p. 303. ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. Maximilianum I. quod attinet, maieſtatem Imperii ipſis Ordinibus ineſſe, ideoque hac corona Imperatorem haud indigere, dicere ſolitum fuiſſe, tradit equidem BODINVS *de Republica, lib. 1. c. 9. p. 191.* Verum enim vero, ſi ipſi Maximiliano fidem non denegamus, res clara eſt, eum a Rege Galliae fuiſſe impeditum, quo minus hanc coronam acciperet, ita enim legimus, *in deſſen Verantwortung uff die Klag des Königs in Franckr. An. 1507. ap.* GOLDASTVM *in Politiſchen Reichshändlen p. 276. ibi: Er ſeye von dem König in Franckreich verhindert worden, damit Er die Käyſerliche Crone nicht empfangen mögen.* Et hoc quoque HARTMANNVS MAVRVS affirmat *in deſcriptione coronationis Caroli V.* Eandem neglexiſſe Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. et Matthiam tradit REINKINGIVS *de regim. ſecul. lib. 1. claſſ. 3. c. 8. n. 20.* quod ſane duriuſculum aliquo modo videtur. Scimus equidem illos iuxtaque Ferdinandos II. et III. corona Romana non fuiſſe coronatos, ſed eam illos neglexiſſe, quam tamen aſſumere Capitulatione promiſerant, ſalva ipſorum reverentia affirmari vix poteſt. Fortaſſis Pontifex eam illis alia intentione et cum onere dare voluit, quam illi accipere, et quod ſubire maieſtas Imperii non permittit; vel etiam variis, et citra ipſorum culpam incidentibus negotiis impediti eandem omiſerunt, ut ſupra oſtendimus.

§. LXVII. Aut denique in eadem petenda diutius cunctati ſunt, dubii forſitan, an operae et expenſarum precium hac corona conſequantur? Certe non ſine ratione. Nam ſi dicendum quod res eſt, deprehendere licet, nomem et ipſam coronam ſi exceperis, parum, aut nihil amplius ad coronatum tranſire. Olim equidem nondum ſatis callida vetuſtas a Pontifice aliquando ſibi perſuaderi paſſa eſt, electione Regem Romanorum fieri, coronatione Romanum Imperatorem, cuis rei hinc inde varia ſunt teſtimonia, atque etiam in ipſa Caroli IV. *A. B. cap. 2. §. 6. cap. 26. §. 4.* Verum enim vero ſatis conſtat, omnem coronationem eſſe ſaltem accidens, nec de eſſentia Imperatoris, eamque adhiberi, non ut aliquid novi iuris electo conferat, ſed ut ille publice ac ſolenniter pro tali declaretur,

Digitized by Google

retur: quod vero ſola electione fiat Imperator, patet ex *A. B. tit. 2. §. 5. ibi: peracta ſtatim electione.* Ipſam autem coronam Imperatoribus amuleti inſtar eſſe, ac contra quosvis morbos ac tragicos caſus, Legatus aliquis Pontificius in coronatione Friderici III. Regis Romanorum An. 1451. itidem nobis perſuadere conatus eſt, inquiens: *Ex Germanis Caeſaribus, qui per manus primi Paſtoris inuncti Romae coronatique ſunt, nullum comperimus violenta morte periiſſe, uti ex Italis et Graecis Imperatoribus quamplurimi.* Sed haec veritati contrariari, mors Ottonis II. qui telo ſauciatus deceſſit, Ottonis III. qui veneno necatus, Friderici II. qui itidem veneno abſumptus, aliorumque tragica exempla demonſtrant. Cum itaque praeter nomen et coronam ipſam nihil amplius Imperatores hac coronatione conſequantur, mirum non eſt, quod eandem non ita ſtudioſe ambiverint.

§. LXIIX, Hinc ſane fit, quod, niſi diverſi diverſarum capitulationum articuli, qui hanc ipſam coronationem fieri debere praecipiunt; non quidem ob praeceptum ac finem a Pontifice poſitum, ſed propter monitum Electorum, et finem iam olim credulitate receptum; obſtarent, quam plurimae, eaeque graviſſimae haud deeſſent rationes, quibus hanc coronam omittendam eſſe ſuadere poſſemus. Una eſt abſentia Caeſaris, quae non raro, dum iter in Italiam vel Romam verſus ſuſcepit, aliis occaſionem praebuit motus in Germania ſuſcitare. Altera eſt iter intutum, locusque Caeſaribus ſaepius exitialis, quod Imperatorum, ARNVLPHI, OTTONIS II. et III. HENRICI IV. et HENRICI VII. horrendis exemplis ex MVTII *Chron. Germ. lib. 12. et 14.* oſtendi poſſet, niſi ſilentio haec talia involvere conſultius foret. Tertia autem cauſa ſunt durae minusque decorae conditiones, quae coronandis nonnunquam praeſcriptae fuerunt, quales ſunt, ut ab acceptis inſignibus ſtatim Italia diſcederent. Quod certe nil aliud eſt, quam Principem Romanum, publicae libertatis authorem, libertate privare. Vide KYRIANDRVM *in Auguſtae Trevir. annal. part. 14. p. 116.* Quarta ratio eſſe videtur Pontificum praeſumpta ac falſa opinio, dum ſibi perſuadent, hanc coronationem argumentum

et no-

et notam eſſe ſuae in Imperatores ſuperioritatis ac potentiae, quoniam nomen Imperatoris et Auguſti hac coronatione iis conferant, quod licet ſaepiſſime refutatum, conſultius tamen eſſet, omnem hic eis iactandi vanitatem adimere. Quinta ratio ſeu cauſa videntur magnae impenſae, ad hanc coronationem neceſſariae, quanta enim dona Eccleſiae Romanae, Praefecto urbis, caeteriſque Romanis officialibus coronandi dare et elargiri debuerint, vel quaſi coacti ſint, brevibus dici non poteſt. Videatur ergo hac de re prolixe OTTO FRISINGENSIS *chron. l. 7. c. 33.* ONVPHRII PANVINI *tract. de comitiis imperii.* Quanta denique pecuniae ſumma fuerit impenſa in ſtipendia militum, ſex menſibus continuanda ordinarie in quatuor millia equitum et viginti millia peditum, *R. Abſchied zu Wormbs. An. 1521. §. auch haben uns Chur-Fürſten. R. A. zu Nürmberg. An. 1522. in fin. pr. p. 171.* nemini, niſi plane rerum geſtarum ignaro ignotum eſſe poteſt.

§. LXIX. Verum enim vero licet haec coronatio ob iam allegatas rationes omitti poſſet, atque aliquando ex variis cauſis et impedimentis per aliquot noviſſimos Imperatores etiam omiſſa fuerit, ideoque rarior uſus huius expeditionis Romanae hodienum ſit, nomen tamen retinetur, etſi res fere ad alium uſum pro neceſſitate Imperii transfertur. Unde fit, quod ſumptus, qui ad bellum Turcis inferendum a Statibus Imperii conferuntur, nonnunquam ad quantitatem expeditionis Romanae, *nach Anſchlag des Römerzugs*, computentur. *R. A. de An. 1544. §. und damit nun.* et *R. A. zu Regenſpurg. An. 1576 §. Dieweil aber unſern Königreichen etc.* ibi: *auf den einfachen Römerzug, nach eines ieden gewöhnlichen Anſchlag.* it. *R. A. zu Augſpurg. An. 1582. §. Wann dem H. Reich etc.* ibi: *auff den einfachen Römerzug, nach eines ieden gebührlichen Anſchlag, beharrlichen Defenſiv-Hülffe etc.* it. *R. A. de An. 1594. §. Wiewohl nun Chur-Fürſten etc.* ibi: *Zu Abwendung des Türckiſchen Friedenbrechers einer freywilligen mitleidentlichen Hülffleiſtung ſich entſchloſſen, und auff den einfachen Römerzug.* it. *R. A. de An. 1598. §. So iſt doch von Ihnen. R. A. de An. 1603. §. nichts deſtoweniger.* et paſſim. Quandoque etiam ſimplices ſunt ſumptus, *nach*

nach dem Einfachen Römerzug, ut iam dictum, quandoque vero duplicati, nonnunquam enim pro dimidio ſolvuntur. *R. A. de An. 1542.* §. *und wiewohl Chur-Fürſten etc.* ibi: *nemlich den halben Anſchlag des Römerzugs. R. A. zu Erffurth. An. 1567.* §. *wann wir nun in unſere Kayſerl.* Propoſition etc. Item ad extruenda et munienda fortalitia. *R. A. zu Speyr. An. 1570.* §. *erſtlich.*

§. LXX. Hic ergo collectandi modus, nempe, ſecundum cenſum expeditionis Romanae, (*nach Anſchlag des Römerzugs*) licet per aliquot ſecula in inſtituendis Imperii collectis ac contributionibus a Statibus Imperii diligenter fuerit obſervatus, poſtmodum tamen et inprimis hodie nonnulli Imperii Ordines eum alicuius iniquitatis arguunt, forſan ob nimiam eius inaequalitatem, quia temporum illorum, quibus inſtitutus atque inſimul obſervatus fuit hic modus, et noſtrorum tam diſcrepans eſt ſtatus, tantaque diverſitas, ut, iis inter ſe invicem collatis, longe alia, quam olim, bonorum facultatumve hodie ſit conditio. Atque hinc eſt, quod plurimi Statuum Ordines Matriculae, ad expeditionis Romanae cenſum directae, correctionem et reductionem in omnibus ferme ac ſingulis Imperii comitiis univerſalibus tantopere expetant.

§. LXXI. Unde alterum illum collectandi modum, qui fit per cenſum communis Denarii (vulgo, *nach Anſchlag des gemeinen Pfennings*) longe aptiorem et magis aequiorem plurimi Status exiſtimant, eo potiſſimum, quod ſecundum eius collectionem nemo ultra vires ac facultates ſuas gravetur, ſed quisque pro rerum ſuarum modulo aeſtimetur. Id quod multis etiam nobis oſtendit Vir de Republica noſtra Romano-Germanica optime meritus, Dn. TOBIAS OELHAFFEN VON SCHÖLLENBACH *in Templo pacis*, *orat.* IV. *et* V. *p. m. 158. et 200.* quarum priori ſummam neceſſitatem et utilitatem decantatae correctionis Matriculae, ad dictum cenſum expeditionis Romanae directae, abunde demonſtrat, ſimulque media, quibus facile ad hanc correctionem perveniri poſſet, egregia exhibet. Poſteriori vero Oratione firmiter concludit, communem De-

Digitized by Google

narium (ſepoſita hac Matriculae correctione, quod tamen fieri haud debet,) non ſolum magis aequiorem, ſed etiam multo opimiorem et fertiliorem altero fore.

§. LXXII. Verum enim vero neque de hoc inter omnes ac ſingulos Imperii Ordines adhuc dum ſatis convenit; tam diſcrepans enim ac diverſum Statuum hac in re eſt ſtudium, ut in unum redigi vix ac ne vix quidem poſſint. Cuius rei exemplum nobis exhibet SPEIDELIVS *in noviſſimis ſuis obſervationibus, voc. Gemeiner Pfenning*, ubi ex Actis et Protocollis Imperii diverſa diverſorum Imperii Ordinum vota diligenter annotavit atque ſtudioſe collegit, quorum aliqua ſaltem ex *dictis Obſervationibus*, (*utpote quae in paucorum manibus ſunt*) in medium proferre, nec ſupervacaneum, neque inutile fore exiſtimo.

§. LXXIII. Cum enim, inquit SPEIDELIVS, diverſis temporum vicibus, anno ſcilicet 1598. 1603. et 1641. haec quaeſtio in publicis comitiis proponeretur: An nimirum indicta tum temporis contributio ſecundum cenſum expeditionis Romanae, an vero iuxta cenſum communis Denarii praeſtanda eſſet? ſemper contrariis votis pugnatum fuit: id quod ſubiecta exempla oſtendunt.

§. LXXIV. Ex parte enim DOMVS AVSTRIACAE et SALISBVRGENSIS, earumque adhaerentium, quorum magnus erat numerus, pro cenſu communis Denarii vota tum temporis fuere lata. I. Eo quod communis Denarius longe ſit antiquior cenſu expeditionis Romanae, quoniam et Imperatoris Friderici tempore, poſt occupatam Conſtantinopolim ac Orientalis Imperii everſionem, in uſu fuerit, ac Imperator Maximilianus I. *An. 1495. et 1512.* eundem uſurpaverit. Et licet etiam Imperator Carolus V. cenſu expeditionis Romanae nonnunquam uſus fuerit, id tamen ea occaſione ſaltem factum, quoniam Status in Receſſu Imperii comitiorum, An. 1521. Wormatiae habitorum, eundem conceſſerint ad coronationem Romanam, non vero in alium finem: Adeo, ut licet tum temporis pro hac coronatione impetranda non uſurpatus, verum in aliam Imperii urgentem neceſſitudinem verſus; tamen poſtea

ſequen-

ſequentibus annis, et Anno inprimis 1542. communis Denarius denuo introductus fuerit. II. Quod communis Denarius vigore Propoſitionis Imperatoriae aequiſſimum ac iuſtiſſimum collectandi ſit medium, quo aurea aequitas conſervari poſſet; quoniam nemo hic ultra ſuas vires ac facultates, vel etiam unus prae altero aggravetur, verum aequalis proportio inter unumquemque rite obſervetur. Quare nullum dubium, quin iſtiusmodi neceſſaria collecta certior, promptior, atque etiam uberior ſit futura; cum hac ratione Statuum querelis de moderanda et minuenda Taxa nullus amplius locus relinqueretur. III. Quod communis Denarius multas impediret controverſias ac difficultates, quae alias in cenſu expeditionis Romanae exoriri ſolent, nimirum quoad ſubditorum Sub-Collectationem, et Status eximendos ac exemptos: Vel inter ipſos etiam Status, dum aliqui collectam perſonis, alii vero rebus imponendam eſſe cenſent; aut denique inter Status eccleſiaſticos et ſeculares, quorum illi nonnunquam ob bona diverſis in locis ſita ab utroque magiſtratu aeſtimantur, quod tamen iniquum eſt.

§. LXXV. Ex parte vero BAVARI eiusque adhaerentium pro cenſu expedionis Romanae haec proferebantur argumenta. I. Cenſum expeditionis Romanae ab *An. 1544.* per ſequentia etiam tempora ſemper a Statibus fuiſſe uſurpatum, communem vero Denarium per longum temporis ſpacium plane non obſervatum, aut ſi vel maxime obſervatus fuerit, *An. ſcil. 1495. 1512. 1531. 1542. et 1544.* eundem tamen optato effectu ſemper fuiſſe deſtitutum, pecuniamve ad propoſitum finem non collocatam, certo certius eſſe. II. Subditis grave fore, ſi praeter ordinarium canonem etiam communem Denarium perſolvere tenerentur; et cenſum expeditionis Romanae aeque proficuum forte ac communem Denarium. III. Principes ac Status Imperii haud conceſſuros eſſe, quod ſua ſuorumque bona ac facultates ita taxentur et publicentur, ut in cenſu communis Denarii fieri aſſolet; *Grave namque eſſe vilitatem detegi paupertatis, et divitias exponere invidiae.* Certa quoque inter nonnullos Principes et eorum ſubditos dari

Digitized by Google

compactata, ideoque communem Denarium absque confuſione et diſcordiis uſurpari haud poſſe. Denique Statibus permiſſum ſemper eſſe in Receſſibus Imperii Sub-Collectationem ſubditorum in iſtiusmodi auxiliis publicis inſtituere, et Principes alias ſatis ſollicitos eſſe, quo ſe ex bonis cameralibus apte ſuſtentare queant, cum certe quotidianae expenſae in dies creſcant, reditus vero camerales magis magisque decreſcant. Quare iam plures ante annos in Imperio noſtro hunc collectandi modum, nempe ſecundum communem Denarium, fuiſſe ſepoſitum, e contra vero Matriculam Imperii, ad cenſum expeditionis Romanae directam, non ſolum ad coronationem Romanam, verum etiam ad quaevis alia toti Imperio Romano-Germanico imminentia pericula et mala vel avertenda, vel minuenda uſurpatam fuiſſe, teſtari Imperii Protocolla. Vid. SPEIDELIVS *in dictis Obſervationibus. Confer* AVCTOREM *des Diſcurſs von dem ietzigen Reichs-Tag circa finem.*

§. LXXVI. Has igitur et ſimiles egregias gravesque pro hoc et illo collectandi modo in publicis comitiis a diverſis Statuum Ordinibus in medium allatas rationes in ſuo equidem valore relinquimus, nec unam prae altera arripimus, verum utrasque pro virili in utramque partem in cathedra defendendas ſuſcipimus, quoniam alias etiam hi duo collectandi modi, nempe ſecundum cenſum expeditionis Romanae (*nach Anſchlag der Römerzugs*) et iuxta cenſum communis Denarii, *nach Anſchlag des gemeinen Pfennings*, in Imperio noſtro Romano-Germanico, licet diverſis temporum vicibus, conſenſu Statuum et ſubſecuto uſu utrique recepti et comprobati ſunt, indeque etiam pari neceſſitatis, utilitatis et honeſtatis precio, ſi privatis affectibus incorrupti fuerint ſubalternis uſibus, pro temporum et Reipublicae ſtatu aeſtimandi veniunt. Quare hic gradum ſiſtimus, et ſtudia noſtra Benevolo Lectori porro commendamus.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE
CENTESIMIS VSVRIS
ET
FOENORE VNCIARIO
ad L. XXVI. §. 1. C. de Vſuris

RESPONDENTE
IO. PHILIPPO SLEVOGTIO
IENAE D. XXIII. OCTOBRIS CIↃIↃCLXXII.

Verba Legis.
Imp. Iuſtinianus A. Mennae P. P.

EOs, qui principali actione per exceptionem triginta vel quadraginta annorum, ſive perſonali, ſive hypothecaria ceciderunt, iubemus, non poſſe ſuper uſuris vel fructibus praeteriti temporis aliquam movere quaeſtionem, dicendo, ex iisdem temporibus eas velle ſibi perſolvi, quae non ad triginta vel quadraginta praeteritos annos referuntur, aſſerendo, ſingulis annis earum actiones naſci: principali enim actione non ſubſiſtente, ſatis ſupervacuum eſt, ſuper uſuris vel fructibus adhuc iudicem cognoſcere. §. 1. Super vſurarum vero quantitate etiam generalem ſanctionem facere neceſſarium eſſe duximus, veterem duram et graviſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque iubemus illuſtribus quidem perſonis, ſive eas praecedentibus, minime licere ultra tertiam partem centeſimae uſurarum nomine in quocunque contractu, vili vel maximo, ſtipulari. Illos vero, qui ergaſteriis praeſunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad beſſem centeſimae uſurarum nomine in quocunque contractu ſuam ſtipulationem moderari. In traiectitiis autem contractibus, vel ſpecierum foenori dationibus, usque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat conceſſum. Ceteros autem omnes

Digitized by Google

homines dimidiam tantummodo centeſimae uſurarum nomine poſſe ſtipulari, et eam quantitatem uſurarum etiam in aliis caſibus omnibus nullo modo ampliari, in quibus citra ſtipulationem exigi uſurae ſolent. Nec liceat iudici memoratam augere taxationem occaſione conſuetudinis in regione obtinentis. Si quis autem aliquid contra modum huius fecerit conſtitutionis, nullam penitus de ſuperfluo habeat actionem, ſed et ſi acceperit, in ſortem hoc imputare compelletur. Interdicta licentia creditoribus ex pecuniis foenori dandis aliquid detrahere vel retinere ſiliquarum nomine, vel ſportularum, vel alterius cuiuscunque cauſae gratia. Nam ſi quid huiusmodi factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur, ut tam ipſa minuenda pars, quam vſurae eius exigi prohibeantur. Machinationes etiam creditorum, qui, ex hac lege prohibiti maiores uſuras ſtipulari, alios medios ſubiiciunt, quibus hoc non ita interdictum eſt, reſecantes, iubemus, ſi quid tale fuerit attentatum, ita uſuras computari, ut neceſſe eſſet, tanquam ſi ipſe, qui alium interpoſuit, fuiſſet ſtipulatus. In quo caſu ſacramenti etiam illationem locum habere ſancimus. Datum Conſtantinop. Iuſtiniano Cos.

CAPVT I.
De inſcriptione et ſubſcriptione legis.

ARGVMENTVM.

Menas quisnam, et ubi Praefectus Praetorio fuerit? Interdum bini in Oriente Praefecti P. interdum tres delegebantur. Idem Menas fuit Praef. Praet. Illyrici. Alii eiusdem nominis. Olim tantum equitibus Romanis deferebatur Praefectura Praetorii. Dignitas et poteſtas Praefectorum Praetorii. C. Adamus Rupertus notatus. Praefecturae Praetorii officium nullo certo tempore definitum. Auctores qui de eo ſcripſere. Subſcriptio legis.

SAnctionis huius inſcriptio, ut hinc differendi initium capesſamus, praefert Iuſtinianum, Imperatorem, et Menam, ſive Mennam, Praefectum Praetorio, qui *in Conſtitutione de Iuſtiniano Cod. confirm.* Expraefectus urbis Conſtantinopolitanae ac Patricius appellatur. Meminit eius ALEMANNVS *ad hiſtoriam arcanam Procopii: Menas Patricius Praefecturam Praetorio geſſit Iuſtiniano Auguſto II. Cos. usque ad menſem Auguſti*

Auguſti inſequentis conſulatus. Variae ad ipſum conſtitutiones in Codice leguntur, quarum aliae Iuſtiniano II. aliae Caecinna Mauro Decio in occidente Coſſ. anno aerae Dionyſianae DXXIX, promulgatae fuerunt. Sub idem vero tempus Baſilides, Atarbius et Iulianus officio ampliſſimae Praefecturae fungebantur. Iſtum quidem *Conſtitutio de Iuſtin. Cod. confirm.* Praefectum Praetorio per Illyricum appellat: hos vero, quibus inſcriptae ſunt *l. 42. C. de Epiſc. et cler. l. 23. de S. S. Eccleſ.* in Oriente cum Menna fuiſſe, vel inde perſpici poteſt, quod aliae nullae neque Africae, neque Italiae praefecturae erant: quum provincias haſce Imperator nondum in ditionem ſuam redigiſſet. Et veriſimile eſt, Mennae deceſſorem Atarbium extitiſſe: nam Iulianus diutius muneri huic praefuit, uti legum variarum ſubſcriptiones docent. Non raro autem bini Praefecti Praetorio ſimul in Oriente delegebantur. De Iuſtiniani aevo loquitur *l. 54. C. de Epiſc. et cler.* quae haut obſcure oſtendit, duos pariter unaque in urbe fuiſſe. Quin imperante Claudio Luſium Cetam et Rufum Criſpinum; Sub Nerone Fenium Rufum et Sofonium Tigellinum; Galba et Othone regnantibus eundem Tigellinum et Nymphidium Sabinum floruiſſe, ex TACITO, SVETONIO, PLVTARCHO diſcimus. Neque tamen inſolitum plane, ut tres interdum coniunctim ſummam rempublicam adminiſtrarent. LAMPRIDIVS *in Commodo: Praefectus etiam Ebutianus inter hos eſt interemtus: in cuius locum ipſe Cleander cum aliis duobus, quos ipſe delegerat, Praefectus eſt factus. Tuncque primum tres Praefecti Praetorio fuere: inter quos libertinus, qui a pugione appellatus eſt.* Didius quoque Iulianus, uti SPARTIANVS *in vita ipſius* tradit, Flauium Genialem, Tullium Criſpinum et Veturium Macrinum Praefectos Praetorio fecit.

Ann. 12, 42. & et 14, 51, 4. Suet. in Galba, 11. Plut. in Galba.

Equidem *Novella 153.* Menas Praefectus Praetoriorum Illyrici appellatur: at vero illud ipſum ab ultima demum Codicis promulgatione, hoc eſt, poſt annum DXXXIV, quo tempore Novellae leges coeperunt, contigit. Hinc minus convenienter nonnulli Menam, Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum et Patriarcham, eundem cum noſtro eſſe adfirmant. Anthimo

Digitized by Google

vid. Baron. ad ann. 536. p. 371. lit. c. mo enim de ſede regiae urbis ab Agapeto Papa deiecto, poſt conſulatum Beliſarii, anno nempe DXXXVI, Menas in locum ipſius ſublegebatur: quem πρεσβύτερον primo καὶ ξενοδόχον τῶν Σαμψῶν fuiſſe, CEDRENVS auctor eſt. Sequentibus vero temporibus demum ſanctiſſimum munus cum ſeculari dignitate illum commutaſſe, nemini fortaſſis perſuaſerim. Eiusdem quoque nominis, Mauritio regnante, fuit quidam Aegypti Praefectus; inſigni prodigio, quod ea tempeſtate accidiſſe dicitur, memorabilis. Et alium quendam, natione *Samnitem, nomine Menam, ſive Menum, commemorant: qui procul hominum coetibus, ne quid eſſet otioſus, apes curabat. Noſter, uti oſtenſum eſt, Senatoria dignitate conſpicuus, et quidem ex eorum ordine erat, qui, a primis centum Senatoribus ſuam repetentes originem, *Patricii appellabantur. Poſt almae urbis Praefecturam, Praetorii adminiſtravit: quae ante Alexandrum Seuerum, niſi equitibus Romanis, non facile deferebatur. Hic primus Imperatorum Praefectis Praetorii Senatoriam addidit dignitatem: *ne quis non Senator de Romano Senatore iudicaret.*

Cedrenus ad ann. 18. Maur. Imp. p. 400.

**Stephanus in Dictionario hiſt. geograph.*

** Plut. in vita Romuli.*

Lamprid. in vita Alex.

De officio eorum Aurelius Arcadius Chariſius, Chriſtianus Iureconſultus, librum ſingularem ſcripſit. *l. un. π. de off. P. P.* SOCRATI audiunt μείζονες τῶν ἄλλων ἀρχόντων, δεύτεροι μετὰ βασιλέα. AVSONIVS de Probo, Praefecto Praetorii: *Qui ſolus, exceptis tribus heris* (Imperii conſortibus) *Herorum primus eſt.* Male autem doctiſſimus RVPERTVS, *ad Enchiridion Pomponii,* Praefecto urbi parem cum Praefecto Praetorii poteſtatem, argumento *l. 1. C. de P. P.* videtur tribuere: ibi enim non de imperio et iurisdictione, ſed tantum de dignitate, ſede ac loco honoris exaequandis, cum ſequenti lege agitur. Iſtud praeterea obſervationem meretur, non circumſcriptum certis temporibus officium hoc fuiſſe, namque pendebat ex arbitrio principum, qui aliis perpetuo, aliis ad pauciſſimos dies id concedebant. PROCOPIVS in Ἀνεκδότοις Phocam et Baſſum refert ſub Iuſtiniano, veluti non bonae frugi homines, neque morum eius aetatis, vix ad paucos menſes hunc ſibi honorem ſervare integrum potuiſſe. Et ſi quae fides habenda eidem hiſtorico, in uſu Imperatori

Hiſt. Eccl. 2.

Epiſt. 16. ad Prob.

c. 19. p. 297.

p. 301.

peratori erat, ut Praefectis Praetorio ex libidine agere cuncta, ſubiectorumque fortunas auferre ac diripere permitteret: occupata vero occaſione, nihil quidquam metuentes mali, inevitabili oneraret calumnia, atque de bonis omnibus deturbaret. Commodo etiam imperante mutabantur ſaepius Praefecti Praetorio per horas ac dies. Niger ſex tantum horis; Marcus Quartus quinque diebus ea dignitate gaudebant. Caetera, quae ad argumentum hoc pertinent, varii luculenter perſcripſerunt. Poſt laudatos a magnifico et nobiliſſimo viro, D. GEORGIO ADAMO STRVVIO, IC. ac Conſiliario Saxo-Vinarienſi eminentiſſimo, videri quoque poſſunt PETRVS FABER I. *Semeſtrium*; IACOBVS GVTHERIVS *de officiis Auguſtae domus*; C. ADAMVS RVPERTVS *ad Enchiridion Pomponii*; et *in antiquitatibus Biblicis* IO. CONRADVS DIETERICVS.

Lamprid. in vita Commodi.

Exerc. Iurid. IV, 12. et ſeqq.

ad Geneſ. 37. v. 36.

Data eſt praeſens conſtitutio Conſtantinopoli (quae tunc ſedes regia in oriente) Iuſtiniano Conſule: anno puta aerae Chriſtianae DXXIIX. Erat is tertius imperii Iuſtiniani, atque ſecundo ſolius ipſius conſulatu inſignis. Reſtituenda hinc quoque ſubſcriptio legis ſequentis, quam eodem omnino tempore fuiſſe ſancitam, ex primis ſtatim verbis pateſcit. Sed ſatis de his dictum eſt: nunc reliqua exequamur.

CAPVT II.

De uſuris ac modo uſurarum in genere.

ARGVMENTVM.

Vſurae *notati et acceptio varia. Definitio.* Quantitas *et* acceſſio *quidnam ſint? Ut in eodem genere cum ſorte uſurae conſiſtant, non opus eſt. Uſurae neque id quod intereſt, neque nudum tantummodo lucrum ſunt. Hoc pluribus demonſtratur. Cur uſurae dicantur praeſtari ob uſum? Prima uſurarum origo in mutuo. Menſtruarum uſurarum origo. Refutatur Cuiacius. Ex mutuo ad alios contractus uſurae tranſierunt. Cur publicis legibus ſint definitae. Duae uſurarum ſpecies.* Foenoris *notatio. Nonius Marcellus reprehenſus.* Foenoris *vox varia ſignificat. Differentia uſurarum et eius quod intereſt. Explicatur l. 17. § 3. de uſuris. Uſurae univerſim ſpectatae damnari nequeunt. Cautelae quaedam in iis exigendis obſervandae. Ob abuſum optandum eſſet, omnes omnino tolli. Cur Deus foenerationem prohibuerit? Fruſtra uſurae vetantur. Character foeneratoris. Cauſae impulſivae conſtitutionis noſtrae. Iuſtinianus iniuſte a Procopio accuſatur. Modus olim uſurarum* centeſima. *Deinde*

 conſti-

Digitized by Google

conſtitutionibus Principum alius fuit definitus. Laudatur conſtitutio Iuſtiniani. In terminandis uſuris creditoris praecipue ratio habenda.

POſteaquam Imperator in principio legis de praeſcriptione uſurarum tractaverat, quantitatem quoque illarum ſequente paragrapho moderatur. Agitur itaque de uſuris. Nomen ab *utendo* deſcendit, idemque ſaepius cum uſu denotat. Sic *uſuram corporis, vitae, lucis, temporis* apud PLAVTVM et CICERONEM legimus. Factum deinde eſt conſuetudine loquendi, ut pro *mercede uſus* acciperetur: qua ratione *vectura* iam ipſam vectionem, iam mercedem illius, et ναῦλον ſeu φόρετρον deſignat. *l. 62. d. R. V.* De *mercatura* NONIVS MARCELLVS: *Merx eſt ſpecies ipſa: mercatura actus ipſe, vel lucrum de merce.* Graecis etiam εὐαγγέλιον pro nuncio laeto ac praemio eiusdem promiſcue uſurpatur. Bene autem obſervatum fuit, veteres uſurae vocabulum numero unitatis de *uſu*, pluralitatis de *acceſſione ſortis* magis adhibuiſſe: unde *uſuras centeſimas, quincunces, ſemiſſes* dixere ſaepius, quam *centeſimam, quincuncem, aut ſemiſſem.* Cauſa huius locutionis ea fortaſſis, quod ſors plerumque plurium erat centenum; aut, dilata longius ſolutione, plures centeſimae, quincunces, ſextantes, ſemiſſes ſimul erant praeſtandae.

Salmaſ. de Uſur. 4. p. 83. Gronov de Seſtert. 3, 13. Honor. Leotard. diſp Quid ius Iuſtin. de uſur. ſtat. part. 1. ſect. 1.

Nobis *uſurae ſunt acceſſiones quantitatis, quae in compenſationem interceptae utilitatis, tanquam intereſſe, petuntur.* * Quantitatem appellamus earum rerum, quae non conſiderantur, ut corpus iam determinatum; ſed in ſingulos modios aut metretas, in ſingula corpora appenduntur, admetiuntur, vel annumerantur: quales ſunt aurum, argentum, vinum, triticum, nummi. Aliud longe in iumentis ac gregibus: nam ovium quantitas non determinatur per numerum; ſed ſingulae, ſuam naturaliter quantitatem habentes, in contractum veniunt. *l. 35. §. 5. et 6. de contr. emtione.* Sane *l. 17. §. ult. de uſur. l. 1. de naut. foen. l. 25. C. de uſur.* videntur deberi uſurae ſtatuarum, mercium trans mare vehendarum, et veſtimenti. Sed facilis reſponſio: *neque enim tam illarum rerum, quam aeſtimationis uſurae ſpectantur. Finimus porro uſuras per † *acceſſiones:* quod verbum latiſſime patet, et comprehendit id

** vid. Magn. Dn. Praeſes Diſp. Iuſt. 13, 8.*

Magnif. Struv. Ex. Iur. 16, 14.

** Pacius ad tit. Cod. de Uſur. p. 706. et 746.*

† Cuiac. ad

id omne, quod ex alia re, tanquam principali, nobis obvenit, ab eaque ſive naturaliter, ut fructus; ſive civiliter, ut penſio, merces, uſura deſcendit. Nihil vero refert, utrum acceſſiones hae, ſeu uſurae, ſint eiusdem cum principali quantitate generis, an diverſi. * *l. 16. C. de uſur. c. 14. qu. 3. c. 3. c. 1. et 2. de uſur. c. illos vos. de pignor.* Diximus tandem; *eas in compenſationem interceptae utilitatis, tanquam intereſſe, peti.* Neque enim ſunt vere illud, quod intereſt; neque etiam nudum tantummodo lucrum: ut falſo Iureconſultorum nonnulli, qui omnes in univerſum uſuras iniquitatis deferunt, arbitrantur. Quod ut evidens magis fiat, operae pretium videtur, excedere paululum, atque rem omnem altius repetere. Ponemus vero certa quaedam principia, ex quibus in cetera probationes noſtrae exeant. Praemonemus quoque, quaeſtionem hanc non in hypotheſi, et in perſona huius vel illius pauperis aut divitis; ſed generatim atque in theſi eſſe tractandam.

tit. ff. de Vſur.

* *Tholoſanus Synt. Iur. univ. 22, 3, 2. Leotard. de uſur. qu. 1, n. 4.*

Quum in ambiguis recepti ab omni tempore iuris fuerit, ut meliorem ſemper in partem fieri praeſumtio debeat, quilibet etiam rerum ſuarum indigere, atque ex earundem uſu quaerere vitae ſubſidia praeſumendus eſt. Deinde nemo dubitauerit, ex pecunia non minus, quam aliis fortunae bonis, percipi utilitatem poſſe. Quanquam enim eſt ſuapte natura ſterilis; perinde tamen eam, ut domos et res alias natura infoecundas, hominum induſtria fructuoſam facit. Poſt haec tenendum, tantum ad nos detrimenti redire, ſi non utamur, aut uti nequeamus rebus noſtris; quantum, ſi utamur, emolumenti ſentimus. Unde plus dare creditur, minus recipere, qui tempore minus recipit: ob utilitates, quas ſecum fert ἡ φυσικὴ κατοχὴ. Ad ultimum dictat natura, neminem ſuo cum malo aliis bono eſſe teneri.

Ex his iam illud conficitur: quotiescunque ab aliis detinentur, quae iure ad nos, ſive in genere ſuo (qualia ſunt debita ex mutuo) ſive in ſpecie pertinent; tantum quemque in compenſationem depoſcere merito poſſe, quantum ei utilitatis ob ceſſantem rerum illarum uſum decedit. Quandoquidem vero adcurate ſemper dignoſci nequit, quantum interſit

 revera;

Digitized by Google

revera; deveniendum eſt ad coniecturas, ut eam ſummam impune liceat exigere, quae probabiliter ex re noſtra, quamdiu eius utilitatem alter intercipit, ſolet redire. Atque hinc uſurae fuerunt natae, quae ſic appellantur; quod praeſtentur ob uſum, et ſint quaſi merces uſus. Debetur haec appellatio receptae vulgo loquendi conſuetudini, poniturque per metonymiam cauſa pro effectu. Dum enim quis fruitur; aut certe poteſt ac praeſumitur frui re aliena, quam habet; dominus, interea uſu illius deſtitutus, damno afficitur, vel lucro privatur: ob haec autem vere ac principaliter, non ob uſum alterius, penſiones eiusmodi expetuntur.

Quantum ad primam uſurarum originem, eam reperiri putaverim in mutuo. Nam quilibet fere mutuo daturus praetexebat indigentiam et iacturam rei familiaris, neque temere concedebat quidquam, niſi indemnem ſe noverat futurum. Alter vero coactus neceſſitate, facile ſe ſponſione penſionis, quam creditor ſtipulabatur, obſtringebat. Hinc quoque menſtruarum uſurarum fons et origo. Plerique ſaepius non in annum; ſed ad unum vel alterum tantummodo menſem credere, aut accipere pecuniam volebant. Taxato itaque modo lucelli, quod probabiliter ex credito capere in menſem quisque poterat, uſurae quoque reſpectu eiusdem definiebantur. Quod ſi ad diem praeſtitutum ſortem non ſolvebat debitor, habita eiusdem menſtrui ratione, protrahebantur uſurae. Quum autem multi creditorum carere diu mercede rerum ſuarum non poſſent; non expectabant, dum exiſſet tempus ad penſionem exigendam; ſed ad finem ſingulorum menſium eam flagitabant: quod diuturna conſuetudine poſtea in mores abiit. Non ſane ſubſcribere poſſum excellentiſſimo IC. Iacobo Cuiacio, qui, ea de cauſa creditores in ſingulos menſes uſuras ſtipulatos fuiſſe, aſſerit, ut hoc ſcilicet pacto, ſolutae per tempora et partes, duplum excederent, quod olim permittebatur. *l. 10. C. de uſur.* Parum enim putauerim referre, utrum in menſes ſingulos, an in annos uſurae promittantur, quum annuae quoque per partes, hoc eſt, quotannis exigi, atque eodem modo excedere duplum queant. Por-

vid. Salmaſ. de M. V. p. 58. et ſeq

Ad Afric. tr. 7. l. pen. de R. Cred.

ro conſuetudo haec ad Romanam gentem a Graecis propagata fuerat, apud quos publica SOLONIS lege ſancitum antiquitus: *τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ᾽ ὅποσον ἂν βούληται ὁ δανείζων, uſurarum modus eſto, quem ſtipulatus fuerit foenerator.* Quin hoc fere iure utebantur veteres, ut uſuras ſub fine anni non ſolutas ſorti adiicerent; *improbum exercentes foenus, et uſuras uſurarum exigentes:* uti DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, Imperatores, loquuntur *l. 20. C. Ex quib. cauſ. infam.* Non prohibebantur igitur duplum excedere: neque cauſae quidquam fuit, cur diſſimulanter potius ac per malitiam, quam aperte et ſimpliciter agerent. Hae vero uſurae pedetentim quoque in alios contractus immigraverunt. Neque illud iniuſte factum: naturaliter enim licet incommoda et detrimenta in nos redundatura declinare.

Petit. ad LL. Attic. 5, 4.

Caſaub. ad Theophraſti charact. περὶ μικρολογίας

Vt autem nulla tam ſalutaris medicina eſt, quin adhibita male perniciem afferat; ita uſurae quoque, in compenſationem detrimenti tacita conſuetudine introductae, magnam tandem reipublicae peſtem importarunt. Mox enim quaeſtum occipiebat avaritia mortalium, atque, aucta immenſis uſurarum incrementis ſorte, bonis fortunisque omnibus debitores exſpoliabat. Hic iam coërcere improbitatem magiſtratus cogebatur. Quid faceret autem? Prohibitum ire in univerſum uſuras, parum videbatur conſultum: neque enim in ſe ſpectatae quidquam iniquitatis habebant, et nemo civium ſuo cum damno aliorum neceſſitates erat ſublevaturus. Ponere vero legem, ut, quod vere intereſſet, tantummodo liceret petere; ob probationis difficultatem non ſatis expeditum erat. Itaque illud tandem relinquebatur, ut certam ac definitam ſummam in locum intereſſe ſubſtitueret, extra quam egredi nemini cuiquam permitteretur. Hanc autem generatim pro arbitrio magiſtratus determinabat. Nam ob varietates caſuum ac perſonarum ſciri adcurate haut poterat, utrum vere damnum aliquod; utrum maius minuſue faceret, cuius pecunia, frumentum, vinum, oleum, ab alio poſſidebantur. Et ſolent communiter non in ſingulas perſonas, ſed generaliter iura conſtitui. *l. 8. de LL.*

Digitized by Google

Romani porro variis limitibus, tam quae in mutuo, quam aliis contractibus occurrunt, uſuras circumſcripſerunt. Duae autem vulgo ponuntur ſpecies: quarum altera eſt *ad quantitatem, ex quacunque etiam cauſa, praeter mutuum, principaliter debitam, acceſſio; atque ex conventione, aut mora debetur. l. 17. §. 4. l. 32. §. 2. de uſur. l. 2. C. depoſ. t. 1. C. de uſur. et fruct. leg.* altera peculiari *foenoris* nomine inſignitur, deſcribiturque per *acceſſionem ad ſortem creditam. Foenus*, auctore NONIO, *ab eo dictum eſt, quod pecuniam pariat increſcenti tempore, quaſi foetus aut foetura. Nam et Graeci* τόκος *dicunt* ἀπὸ τοῦ τίκτειν. Verum haec male conveniunt: foetus enim non parit, ſed naſcitur. Melius idem de foenore, ſive reditu ex mutuo: *Eſt accepti foetus: unde et foenus dictum eſt, ut Graece* τόκος, *quaſi partus mutui ſumti.* Proxime autem ad veritatem accedit CLAVDII SALMASII ſententia, qui originem foenoris a voce ποινὴ vel ποῖνος deducit; communi π in digamma Aeolicum et Latinum F mutato. Hoc verbum non tantum poenam et mulctam ſignificat, ſed ἀντισήκωμα etiam, penſionem, hoſtimentum; quum aliquid pro alio redditur tam in honorem, quam in contumeliam. Et ſignat *foenus* modo ſortem ipſam cum acceſſione, itemque totum negotium foeneratorium; modo ſimpliciter uſuras, ſive acceſſionem ad ſortem ex mutuo debitam: quo ſenſu hic quoque accipitur: ut tamen cum optimis auctoribus praecipue uſuras ex pecunia credita; et per foeneratores, eos, qui pecuniam ſub uſuris credunt, intelligamus, ut ut vinum, triticum, oleum foenori etiam dari dicantur *Nov. 34. l. 14. 16. C. de uſur. et legis noſtrae §. 1. verb. ſpecierum foenori dationibus*, nam haec frequentius generis nomen ſolent retinere.

Magn. Dn. Praeſes Diſſ. Inſt. 18, 13.

vid. Salmaſ. de Uſur. 1. Gronov. in Mantiſſa de Pecun. Vet. 1.

Honor. Leotard. diſp. quid Ius Inſt. de Vſur. ſtatuerit. part. 1. ſect. 1.

Ex iſtis, quae prolata iam ſunt, haut perplexe poterit iudicari, uſuras neque confundi debere cum eo, quod intereſt; et falſo accuſari legislatores, qui publicis legibus eas conceſſerunt. Intereſſe in quamuis obligationem, ſive dandi, ſive faciendi cadit, et quarumvis rerum nomine praeſtatur: uſurae vero tantum in obligationibus dandi, et rebus quantitate conſtantibus locum habent. Id, quod intereſt, ſimul ac ſemel; uſurae per intervalla petuntur. Pro varietate quoque caſuum,

modo

modo plus; modo minus; modo nihil intereſt, *l. 15. de re iud. l. 112. §. 1. de V. O.* ac proinde eius probatio actori incumbit: quae ubi deficit, ad exiguam ſummam res deducitur. *l. ult. de praet. ſtipul. et §. non ſolum. Inſt. de V. O. l. 1. C. de ſent. quae pro eo.* Vſurae certae ſemper ac determinatae ſunt: neque requiritur, ut petitor doceat, revera ſibi tantum emolumenti deceſſiſſe. Sufficit conventionem, aut moram probari: nam ob praeſumtum intereſſe uſuras iam definivit legislator. PAVLI verba *l. 17. §. 3. de uſur. Vſurae enim non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium, infliguntur:* varie interpretes explicant. Nobis ea IC. mens fuiſſe videtur. In bonae fidei iudiciis uſurae non promiſſae haut ſimpliciter, ut lucrum faciamus; ſed tum demum iudicis officio adiudicantur, quoties quis tardius pecuniam, et ſua quidem culpa, infert. Namque tunc moram facit, uſuque rerum noſtrarum praeciſo (quisquis autem re ſua praeſumitur indigere ac uti) debitum nobis emolumentum intervertit. Atqui ob hanc interceptae utilitatis praeſumtionem ſola mora ſolventem ad uſuras damnat; in quibus praecipue compenſatio, ſecundo loco poena debitoris, reſpectu primae legislatorum intentionis, conſideratur.

vid. Leotard. de Vſur. qu. 1. Hotoman. 1. de vſur. 5.

Inique porro ſpectatae generatim uſurae damnantur. Et ignoſcendum eſt piiſſimo ſanctorum Patrum, aliorumque zelo, quo nimium quantum abrepti, promiſcue omnes gravisſimis vocibus infamant. Neque enim tam quod intrinſecum eis eſt, quam quod vitio humanae prauitatis adeſt plerumque et conſequitur, reſpiciunt. Equidem cauendum ſedulo, ne quid uſurarum nomine exigamus, quando nihil plane noſtra intereſt: plus enim accipere, quam dederis, commutativae iuſtitiae adverſatur. Providendum deinde, ne plus aequo exigamus; monente Apoſtolo: τȣ̃το γάρ ἐςι θέλημα τȣ̃ θεȣ̃, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτȣ̃: praeterea, ne verſantibus in * egeſtate foeneremur. Satius erit, ut denegemus iis pecuniam, quos nulla rerum neceſſitas ad mutuandum cogit; aut benigne largiamur, ſi nullum inde ad nos detrimentum redeat. Tandem obſervandum, ne

1. Theſſ. 4. 5. et 6.

* *Nyſſenus Orat. contra Uſur. p. 226.*

Digitized by Google

ne tanquam artem et modum parandi victum foenus exerceamus. Haec dum nefarie violantur praecepta, letalem noxam contrahi neceſſum eſt. Peccat civilis iam poteſtas, quoties aut in deſcribendo publice uſurarum modo modum non tenet, aut iuſte legitimeque terminatum audacter ac iniurioſe patitur excedi. Neque vacant culpa omni debitores, qui, collata in longum ſolutione, cumulant aes alienum uſuris, inque id exitii genus ſe ultro praecipitant, unde emergendi deinceps ſpes nulla eſt ſuper.

Laudamus ſane illorum pietatem, qui omnes omnino uſuras ex genere humano ſublatas mallent, quum facilis hinc peccandi occaſio avaritiae mortalium aperiatur. Neque aliud ſibi voluit aeternum Numen, quam ut, prohibita inter Hebraeos foeneratione, officiis eos conſtringeret. Egregius eſt in hoc argumento FLAVIUS IOSEPHUS IV. *Originum:* Δανείζειν δ' ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενὶ, μήτε βρωτὸν, μήτε ποτόν. ὐ γὰρ δίκαιον προσοδεύεσθαι τὰς ὁμοφύλους τὰς τύχας, ἀλλὰ βοηθήσαντα ταῖς χρείαις αὐτῶ κέρδος εἶναι νομίζειν τήν τ' ἐκείνων εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἀμοιβὴν τὴν παρὰ τῦ θεῦ γενησομένην ἐπὶ τῇ χρηστότητι. Οἱ δὲ λαβόντες εἴτε ἀργύρια, εἴτέ τινα τῶν καρπῶν ὑγρῶν ἢ ξηρῶν, κατὰ νῦν αὐτοῖς τῶν παρὰ τῦ θεῦ χορηγησάντων, κομίζοντες μεθ' ἡδονῆς ἀποδιδότωσαν τοῖς δῦσιν, ὥσπερ ἀποθέμενοι εἰς τὰ αὐτῶν, καὶ πάλιν, εἰ δεηθεῖεν, ἕξοντες. *Mutuum dare ad uſuram Hebraeorum nemini liceat, neque cibum, neque potum; neque enim iuſtum eſt, reditus captare ex fortunis tribulium; ſed praeſtat opem ferre illorum neceſſitatibus, et ad lucrum imputare eorum gratiarum actionem, et Dei retributionem, quae huiusmodi beneficentiam ſolet conſequi. Qui vero acceperint mutuo, ſive pecuniam, ſive fructum aliquem aridum aut liquidum; ubi Deo favente fruges ipſorum ex ſententia provenerint, alacres reſtituant eis, qui mutuaverunt, quaſi ſua reponentes, et uſuri denuo ſi opus fuerit.* * Apud Mohammedanos quoque ſancitum legitur: *Conceſſa eſto negotiatio: at interdictae uſurae modis omnibus.* Idem Chriſtianae caritatis regula exigit. Si enim nulla † compenſationis ſpe ſuccurrendum egentibus; multo profecto magis ſine uſura. Sed docuit rerum eventus, effectu caruiſſe conſilia conatusque illorum, qui tollere

c. 8. p. 127.

* *Hacſpan. ad leg. Mohammed. Seldenus de I. N. et G. iuxta Diſcipl. Ebraeor. 6, 10.*

† *Luc. 6, 35.*

tollere penitus e republica uſuras voluere. Patris ſui exemplo teſtatur LEO, Imperator. *Nov. 83.* Olim quoque fruſtra Romae vetita verſura. *Tac. Ann. 6, 16.* Neque priorum tantum ſeculorum maculae *Liv 7, 42.* ſunt improbitas et circumſcriptiones foeneratorum, ſed noſtra quoque tempora polluerunt. Inhaeret enim hodieque medullis civitatum ac regnorum peſſimum genus, cuius habitum vultumque ſeveris verborum coloribus oratione contra uſurarios GREGORIVS NYSSENVS depinxit. Locum ipſum, *p. 227.* quando minus eſt obvius, huc transferre non pigebit. Ἀργὸς καὶ ὁ πλεονεκτικὸς βίος ὁ τοῦ τοκίζοντος· οὐκ οἶδεν πόνον γεωργίας, οὐκ ἐπίνοιαν ἐμπορίας· ἐφ' ἑνὸς δὲ τόπου κάθηται τρέφων ἐπὶ τῆς ἑστίας θηρία· ἄσπαρτα αὐτῷ βούλεται τὰ πάντα καὶ ἀνήροτα φύεσθαι· ἄροτρον ἔχει τὸν κάλαμον· χώραν, τὴν χάρτην· σπέρμα, τὸ μέλαν· ὑετὸν, χρόνον· αὐξάνοντα αὐτῷ λανθανόντως τὴν τῶν χρημάτων ἐπικαρπίαν· δρέπανόν ἐστιν αὐτῷ ἡ ἀπαίτησις· ἅλων, ἡ οἰκία ἐφ' ἧς λεπτύνει τὰς τῶν θλιβομένων οὐσίας· τὰ πάντων ἴδια βλέπει. εὔχεται τοῖς ἀνθρώποις ἀνάγκας καὶ συμφορὰς, ἵνα πρὸς αὐτὸν ἠναγκασμένως ἀπέλθωσιν· μισεῖ τοὺς ἑαυτοῖς ἀρκοῦντας, καὶ τοὺς μηδὲν δανειζομένους ἐχθροὺς ἡγεῖται· προσεδρεύει τοῖς δικαστηρίοις, ἵνα εὕρῃ τὸν στενούμενον· τοῖς ἀπαιτηταῖς καὶ τοῖς πράκτορσιν ἀκολουθεῖ, ὡς ταῖς παρατάξεσι καὶ τοῖς πολέμοις οἱ γύπες· περιφέρει τὸ βαλάντιον, καὶ δείκνυσι τοῖς πνιγομένοις τῆς θήρας δέλεαρ· ἵν' ἐκείνῳ διὰ τὴν χρείαν προσχήναντες, συγκαταπίωσιν τοῦ τόκου τὸ ἄγκιστρον· καθ' ἡμέραν ἀριθμεῖ τὸ κέρδος· καὶ τῆς ἐπιθυμίας οὐκ ἐμπίπλαται· ἄχθεται πρὸς τὸν χρυσὸν τὸν ἐπὶ τῆς οἰκίας ἀποκείμενον, διότι κεῖται ἀργὸς καὶ ἄπρακτος, μιμεῖται τοὺς γεωργοὺς τοὺς ἀπὸ τῶν σορῶν ἀεὶ σπέρματα αἰτοῦντας, οὐκ ἀνίησι τὸν ἄθλιον χρυσὸν, ἀλλ' ἐκ χειρῶν εἰς χεῖρας μετάγει. βλέπεις γοῦν τὸν πλούσιον καὶ πολύχρυσον πολλάκις μηδὲ ἓν νόμισμα ἔχοντα ἐπὶ τῆς οἰκίας, ἀλλ' ἐν χάρταις τὰς ἐλπίδας, ἐν ὁμολογίαις τὴν ὑπόστασιν, μηδὲν ἔχοντα καὶ πάντα κατέχοντα. πρὸς τοὐναντίον τοῦ ἀποστολικοῦ γράμματος κεχρημένον τῷ βίῳ· πάντα διδόντα τοῖς αἰτήσασιν· οὐ διὰ φιλάνθρωπον γνώμην, ἀλλὰ διὰ φιλάργυρον τρόπον· αἱρεῖται γὰρ τὴν πρόσκαιρον πενίαν, ἵνα ὡς δοῦλος ἐπίμοχθος ὁ χρυσὸς ἐργασάμενος, μετὰ τῶν μισθῶν ἐπανέλθῃ. Hactenus Diuus Orator. Adiiciam vero latina quoque: non ut qui implere pagellas ſtudeam, ſed ne ſit fortaſſis, qui aurem vellat:

Graeca haec ſunt, nec legi poſſunt, neque intelligi. *Segnis et inſatiabilis eſt vita uſurarii: neſcit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, ſed uno in loco confidens immanes domi ſuae feras nutrit. Vult omnia ſibi ſine ſatu et inarata progigni, cui quidem aratrum eſt calamus: ager, charta: ſemen, atramentum: pluvia, tempus: quod illi pecuniae fructus occultis incrementis adauget et educat. Falx illi eſt repetitio: area, domus, in qua miſerorum fortunas ventilat, et quae omnium ſunt, propria ſui ipſius videt. Imprecatur hominibus calamitates, ut coacti ad ipſum confugiant: odit, quibus res ſuae ſufficiunt, et quos mutuum ſub uſura petere non conſpicit, in hoſtium numero habet. Aſſidet curiae et foro, ut inveniat, quem ſors adverſa affligit. Exactores et procuratores ſuos ſemper ſequitur, ut vultures caſtra et acies. Circumfert autem loculos, ut miſeris eſcam oſtendat: ut ei ob neceſſitatem inhiantes, devorent ſimul uſurae hamum. Quotidie numerat lucrum, ſuamque cupiditatem minime explet: dolet ob argentum domi repoſitum, quod otioſum eſt et infructuoſum. Imitatur colonos, qui ex acervo frumenti ſemper ſemen petunt. Non relinquit miſerandum aurum intactum, ſed ex manu in manum transfert. Aſpicis igitur opibus divitiisque abundantem ſaepe domi ſuae ne unum quidem nummum habere, ſed omnes ſpes eius in charta ſitas, omnesque fortunas in pactis et conventis; qui nihil habet, et omnia poſſidet. Contrario modo Apoſtolicis monitis vitam inſtituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, ſed cupiditatis gratia. Eligit enim paupertatem ad nonnullum tempus, ut pecunia, inſtar laborioſi ſerui operans, cum mercede ad ipſum revertatur.*

Iam redeamus ad conſtitutionem noſtram. Ait Imperator: *Super uſurarum vero quantitate etiam generalem ſanctionem facere neceſſarium eſſe duximus, veterem duram et graviſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes.* Proponitur heic cauſa, quae impulerit Iuſtinianum, ut univerſo uſurarum generi modum ſcriberet. Illa fuit ingens ac intolerabilis earum magnitudo: vel quod incertus plane modus, vel quod gravis ſaltem ac durus. Accedebat licentia foeneratorum, prava * magiſtratus indulgentia quo impunitior, eo effrena-

* *Procop.* ἀνεκδ.

frenatior. Utrum autem in Iuſtinianum huius mali transferenda ſit culpa, quod vult PROCOPIVS; probabile haut eſſe, dudum oſtendit memorandus inter illuſtria Iureconſultorum nomina vir, IOANNES EICHELIVS, Patronus, et quondam Doctor meus longe colendiſſimus.

Animadv. ad Procop. n. 107.

Olim quidem certus uſurarum modus partim ex regionis more, *l. 1. pr. de uſur. l. 10. §. ſi procur. 3. mandat. l. 29. §. 1. de legat. 2.* partim communi iure definitus erat. Seruari enim lex contractus debebat usque ad *centeſimam:* ultra quam, niſi in traiectitiis pecuniis, ac ſpeciebus foenori datis (uti pateſcit ex lege noſtra, et *l. 1. C. Th. de uſur.*) in uſuris rei iudicatae, *l. un. C. Th. de uſur. rei iud. l. 2. C. eod.* maiores nullae permittebantur. * PAVLVS: *Uſurae ſupra centeſimam ſolutae ſortem minuunt, et conſumta ſorte repeti poſſunt.* Item: *Uſurae, quae centeſimam excedunt, per errorem ſolutae, repeti poſſunt.* Hinc dicuntur etiam graviſſimae, *l. 7. §. 8. de adm. tut.* maximae, *l. 38. d. N. G.* licitae, *l. 44. de uſuris.* † legitimae, *l. 4. §. 1. de Nautico foenore. l. 1. C. de uſur. pup. l. 3. C. arb. tut. l. 8. C. ſi cert. pet.* ſtatus modus uſurarum, *l. 29. de uſuris.* modus legitimae uſurae *l. 7. de uſur.* Aliae enim nullae ſupra eas legitimae erant. De Lucullo * PLVTARCHVS tradit, eum non amplius centeſima, foenoris nomine, in Aſiae civitatibus exigi praecepiſſe. CICERO *in edicto translatitio,* id eſt, uſitato, conſueto, ex ſuperiorum Praetorum edictis tranſlato, ſe ait habuiſſe de centeſimis obſervandis. Sed nondum ſatis publicae rei cenſebatur proſpectum. Equidem conſtitutionibus ſacris alius modus uſurarum poſitus fuit, quod ex *l. 20. C. de uſuris.* et AELIO LAMPRIDIO videre eſt, qui de Alexandro: *Uſuras foeneratorum contraxit ad trientes penſiones, etiam pauperibus conſulens. Senatores ſi foenerarentur, uſuras accipere primo vetuit, niſi aliquid muneris cauſa acciperent: poſtea tamen iuſſit in ſemiſſes acciperent donum, munus tamen ſuſtulit.* Verum haec mutaſſe iterum, *l. ult. C. de uſur. rei iud.* docet, in qua IVSTINIANVS fatetur, ſe uſuras minores feciſſe centeſima.

** 1. Sent. 14. ibique Cuiac.*

† vid. Briſſon. 3. antiquit. 2.

** In vita Luculli.*

Epiſt. ad Att. 5, 21. vid. et 6. ad Att. 1.

Atqui dignus ſingulari laude Imperator, qui prudentiſſima ſanctione eum tandem modum introduxit, quo aequio-

Digitized by Google

rem priora ſecula nondum acceperant. Nam priſcis temporibus, et LL. XII. Tabularum etiam, certa tantum ſumma uſurarum ſtatuta erat, qua maiores quidem ſtipulari nemini licitum, permiſſum vero omnibus ſub una eademque quantitate pecuniam occupare. At vero ut legitimum uſurarum ſit temperamentum, perſonarum praecipue diligens ratio eſt habenda, quum alii carere facilius pecunia, alii non ſine diſpendio ac damno commodare petentibus poſſint. Qua in re, qua potiſſimum cautela ſit opus, adcuratiſſime expoſuit magnus, etſi cum maximis comparetur, HVGO GROTIVS. Verba eius haec ſunt: *Vt ſciatur, quantum recipi aequitas permittat; non eſt ſpectandum, ut quidam cenſent, quantum lucri faciat, qui pecuniam ſumſit; ſed quantum ei abſit, qui pecuniam alteri numeravit: ſicut in emtione quoque et in aliis contractibus nunquam aeſtimatio facienda eſt ex eo, quod interſit accipientis, ſed ex eo, quod abſit danti. Abeſt autem tantum, quantum quisque pro vitae ſuae genere ex pecunia compendifacere poteſt ac ſolet: puta, ex agris, ex domibus, ex mercatura; detracta aeſtimatione periculi, quod in aliis rebus maius, in aliis minus eſt: ita ut fieri inter mercatores ſolet in contractu averſi periculi, quem aſſecurationis vocant.* Quae omnia quam vere conſonent Conſtitutioni noſtrae, ex ſequentibus illius verbis fiet manifeſtum.

Ad Lucae Evang. 6, 38.

CAPVT III.

De centeſimis uſuris.

ARGVMENTVM.

Vſurae apud Graecos et Romanos menſtruae. Exempla annui foenoris. Foenus nauticum in omne tempus navigationis ac periculi promittebatur. Etiam in ſingulos dies uſuras ſtipulabantur. Exempla menſtrui foenoris. In centenario numero veteres ſubſiſtebant. Datur ratio. Centeſimae *Nota eius ſicilicon. Nominis explicatio. Centeſima eſt pars ſortis centeſima.* Centeſima haereditatum. Centenarii. Centeſimare. Ἑκατοστή. Centenaria *uſura male dicitur. Centeſima fons ac caput reliquarum uſurarum.* Quinquageſimae *de uſuris non recte uſurpantur. Minores aut maiores centeſimae uſurae quomodo appellatae. Ad* Aſſem *Romani cuncta redigebant.* Aſſes uſurae. *Ratio huius appellationis. Partes aſſis applicantur uſuris. Explicatio legis 47. §. 4. de adm. tut. Schockii opinio confutatur.*

ſutatur. Vnciaria *uſura;* as uſurarius *male et ſine exemplo veterum dicuntur. Quid Salmaſius per* centeſimam unciam *ſibi voluerit. Manutii error, quo alias aſſis partes menſtruum; alias annuum foenus ſignare putavit. Centeſimae, ac partium eiusdem vocabula noſtris temporibus accommodata.*

AIt Imperator: *Ideoque iubemus illuſtribus quidem perſonis, ſive eas praecedentibus, minime licere ultra tertiam partem centeſimae, uſurarum nomine in quocunque contractu, vili vel maximo ſtipulari.* Prius quam de perſonis agamus, pertractanda heic erit quaeſtio, quidnam ſit *centeſima*; quidque illius partium nomine veniat. Nuper enim exorti ſunt viri celeberrimi, IO. FRIDERICVS GRONOVIVS, ingens criticorum decus, et MARTINVS SHOOCKIVS, qui ambiguum ac perdifficile argumentum magis magisque controverſum fecerunt. Nobis, ſi quod poſt uberrimas ſummorum virorum meſſes ſpicilegium relictum eſt, dabitur haec venia, ut per illorum veſtigia ubique incedentes, procul amore, procul odio, propius rem omnem cognoſcere allaboremus.

Romani quemadmodum alia multa, ita hoc quoque a Graecis acceperant, ut uſuras communiter non in annum, ſed in ſingulos menſes ſtipularentur. Communiter dico: neque enim annuum foenus plane ignotum fuit. Quantum ad Graecos quidem, luculenter SALMASIVS in opere, ut SELDENO audit, incomparabili, *de Uſuris* diſputavit; τόκον ἐπίτριτον, ἔφεκτον, ἐπίπεμπτον, ἐπόγδοον, ἐπιδέκατον, vocatos ab eo, quod annuum referebant. De Romanorum moribus neſcio an loquatur VLPIANVS XXIV. ad Sabinum, *l. 3. §. ult. de annuis legat: Sicui certa quantitas legetur, et quoad praeſtetur, in ſingulos annos certum aliquid, velut uſuras, iuſſerit teſtator praeſtari; legatum valet: ſed in uſuris hactenus debet valere, quatenus modum probabilem uſurarum non excedit.* Non placet HOTOMANNI explicatio: *velut uſuras; quaſi, tanquam uſuras.* Iuſſerat enim teſtator praeſtari certum aliquid, quodcunque illud eſſet, poſitis exempli cauſa uſuris. Si quid vero hic inſolens, ea fortasſis ratione magis excuſabitur, quod non ſpeciem, ſed genus reſpexerit teſtator, ſub quo varia adhuc continentur, quae ſingu-

Seld. de I. N. et G. iuxta diſcipl. Ebr. 6, 10. Salmaſ. de M. V. 1. et 2.

Epiſt. 22. 1, 6.

ſingulis annis, quam menſibus, frequentius ſolent perſolvi. Meminerunt quoque annui foenoris *Nov. 32. et 34.* In traiectitia pecunia illud ſpeciale fuit; quod unam in omne tempus navigationis ac periculi ſummam paciſci liceret: uti de Athenienſibus teſtem habemus DEMOSTHENEM πρὸς Φορμίωνα. IVSTINIANVS *Novella 106.* refert conſuetudinem, qua creditori in ſingulos ſolidos tres ſiliquae praeſtabantur, non in diem certum, ſed omnino, usque dum ſalva rediret navis: ſive rediret poſt annum, ſive poſt menſem unum vel duos. Verum id deinceps abrogatum fuit. Occurrrit † quoque *l. 4. §. 1. de naut. foen.* exemplum de creditore, pro operis ſervi, traiectitiae pecuniae gratia debitorem ſequuti, in ſingulos dies certam ſummam paciſcente. Sed magis eſt, ut operarum et poenae, quam foenoris ſtipulationem illam dicamus. Ceterum non infrequens * ἡμεροδανιστῶν natio fuit: uti ex THEOPHRASTO *in characteriſmo ἀπονοίας*, atque ex PLAVTI *Epidico* licet addiſcere. De menſtruo † foenore eruditae variorum commentationes copioſe tractant. ** Exempla eius petere licebit ex CICERONE, HORATIO, *l. 40. de reb. cred. l. 26. depoſ. l. 41. §. ult. de uſur. l. 24. de conſt. pecun. l. 135. de V. O.*

Hiſce vero uſuris ſua ſingulis nomina Romani, pro modo earum et quantitate, imponebant. Quod ut melius intelligamus, tenendum eſt, certum ſibi terminum veteres in *centenario numero* defixiſſe, ad ſimilitudinem Graeci moris, quo, commodioris doctrinae cauſa, quaevis ſumma ſortis ad Minam, quae † centum drachmas valebat, redigebatur. Non illi minam quoque, ut Graeci conſtituebant, nam id genus nummi Romanis ignotum erat, ſed centenarium numerum abſolute, veluti terminum ſtatuerant fixum immotumque, ad quem ceterae ſortis quantitates revocarentur. Multis ea probatum ire, ſuperfluens labor eſt. Quin hodieque idem nobis in more poſitum. Pervulgata enim paſſim eſt formula: *decem in centum*, vel, *pro centum dare quinque, ſex, octo.* Etiam ubi uſura intra annum ſorti aequatur, *centum pro centum effici*, dicere conſuevimus. Ea vero gratia in centenario antiqui procul dubio ſubſtiterunt, quod hic numerus communi omnium

vid. Budaeus de Aſſe, p. 34.

Cuiac. ad Nov. 106.

† *Cuiac. 7. ad Afric. l. 23. de obl. et act. Obſerv. 5, 38. Bachov. ad Treutl. 2, 3, 2. lit. c.*

* *vid. Salmaſ. c. 2. de M V.*

† *Budaeus de Aſſe, p. 33. Cuiac. 8. ad Afr. l. pen. de reb. cred. Tholoſanus Synt. 21, 3, 29.*

** *Cic. pro Q. Roſc. p. 51. et 6. ad Attic. 1. Horat. 1. Epod. ibique comment.*

† *Plutarchus in Solone Sam. Petitus ad LL. Attic. 5, 4.*

con-

conſenſu finis quodammodo eſſet ceterorum: ultra hunc, praeter millenarium, non inveniuntur nova nomina. Si quid reſiduum eſt, denuo ad priores numeros redeundum, quibus centenis iſtis adiectis, centum et unum, tria, quatuordecim, triginta conficiemus, donec, impleto iterum centenario, ſubſiſtendum, idemque numerus, binis, ternis, aut pluribus vicibus repetitus, ducentorum, trecentorum, quadringentorum, vocabulis exprimendus eſt. Rotunditas quoque numeri non parum momenti habet. Sic ſeculum centum annorum ſpatio olim circumſcripſerunt: ſic Poetae ſaepius centum pro incerta quantitate ponunr, ut MARO:

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus. *Georg. 3, 38.*

Simili plane modo certam uſurae quantitatem definiverant, a qua minores maioreſve denominabantur. Erat haec *centeſima*: cuius nota ſicilicon, id eſt, C averſum, totque ponebantur ſicilici, quot centeſimae convenerant. Id propterea vero ſic pingebatur, quod, cum C centum ſignificaret, convertebatur ad eam ſummam, cuius centeſima futura erat: uti refert Voluſius Maecianus, cuius vitam ſingulari diſſertatione magnificus atque nobiliſſimus DN. PRAESES, excelſus Iurisprudentiae vates atque antiſtes, Patronus et Doctor meus aeternum devenerandus, haut ita pridem exquiſitiſſime perſcripſit.

vid. Salmaſ. de M. V. 8. p. 309.

Nominis ipſius rationem multi ſollicite inveſtigarunt. Hoc quidem indubitabile eſt, non eam hic intelligi, quae reſpectu penſionis, ſive ordine centeſima eſt; quo ſenſu *lux centeſima* a CICERONE uſurpatur; alias enim nullam omnino uſuram centeſimam dicere poſſemus, niſi et menſe centeſimo ſolveretur. At vero ſaepius videmus contingere, ut, vel maturius ſorte reddita, uſurae conſiſtant, vel non reddita, ultra tempus iſtud producantur, nihil tamen ſecius centeſimarum appellatione permanente. Peſſime quoque Scholiaſtes apud HARMENOPVLVM † centeſimam vocat, quidquid duodecim partes complectitur, ideo quod priſcis temporibus, qui centum alicuius generis habebant, duodecim in commune conferebant. HVGO DONELLVS, quum de uſuris erudite, ſummaque

vid. Cuiac. ad Nov. 32. et Tholoſan. Synt. 21, 3, 28. qui alias duas explicationes recenſent, quarum neutra poteſt probari.

† l. 3. tit. 7.

maque facundia diſputaſſet, *Relinquitur igitur*, inquit, *ut hoc ſolum quaerendum ſit, quid ſit centeſima uſura. De qua re iam inter doctos viros omnes conſtare video, centeſimam uſuram eſſe centeſimam partem ſortis in ſingulos menſes: ut ita dicta videatur, quod ad ſortem relata, centeſima ſit portio ſortis. Alii hoc modo centeſimam uſuram eſſe definiunt, quae centeſimo menſe aequat ſortem; quod eodem redit ut puta, in centum aureos in ſingulos menſes unus aureus; id eſt, centeſima pars, uſura centeſima eſt: eadem centeſimo menſe aequat ſortem.* Poterant ultima haec de ſortis aequatione rectius omitti. Si enim centeſima eo ſignificatu accipietur; *binae, ternae centeſimae* erunt, quae *ducenteſimis, trecenteſimis demum kalendis* credito adaequantur: quod rationi omni prorſus repugnat. Nam haec ſic appellantur, quoties ſumma centeſimae altero tanto, aut triplo ſunt maiores, adeoque non ſeculis demum, ſed quinquaginta, aut trium et triginta menſium ſpatio ſortis quantitatem explebunt. Veriſſima omnino prior ſententia eſt, de parte ſortis centeſima intelligenda, quod aliis quamplurimis exemplis poteſt demonſtrari. Vt enim veteres *quadrageſimas ferarum viceſimam, item centeſimam haereditatum* (unde *centenarii*, qui eam exigebant) pro partibus ferarum quadrageſimis, et ſic porro dixerunt; ita *centeſimam* quoque eadem ipſos ſignificatione pro tali parte, non quidem uſurarum, ſed totius crediti, poſuiſſe veriſimile eſt. Praeterea, quum ad publicorum vectigalium modum concepiſſent nomen fructus pecuniae privatae; quis dubitet eodem more et *centeſimam* fuiſſe acceptam? De vectigali CICERO *epiſtola* XVIII. *ad Brutum: Obdureſcunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex centeſima collatum impudenti cenſu locupletium in duarum legionum praemiis omne conſumitur.* Hoc idem alibi explicat: *ager vectigalis populo Romano ex parte decima.* Proxime ad inſtitutum noſtrum accedere quoque videtur *centeſimare*, proprium Opilii Macrini verbum: qui ſi quando benignius cum ſeditioſis agere vellet, *centeſimare* ſolebat, qui digni *decimatione* atque *viceſimatione* fuiſſent, hoc eſt, ut decimus quiſque ac viceſimus eorum capite plecteretur. Centeſimam igitur uſuram, vel centeſimas uſuras,

vid. etiam Budaeum de Aſſe, p. 33.

Turneb. Adverſ. 29, 16.

Gronov. de Seſtert. 3, 13.

Capitolin. in Opil. Macrino.

non

Digitized by Google

non ut ſubſtantivum cum adiectivo, ſed inſtar duorum adiectivorum, καὶ ἐπεξήγησιν commode explicabis: *centeſimam ſortis partem uſuram*, vel *centeſimas partes ſortis uſuras*, id eſt, uſurarum vel commodi nomine ductas aut ſtatutas. Huic centeſimae Graecorum ἑκατοστὴ, uti PLVTARCHVS *in Lucullo* appellat, reſpondet: cuius vocis origo ad Romanos, quam hos potius eſt referenda; quum apud eos tantum, qui ſub Romano imperio ſcripſere, reperiatur. Veteres Attici τόκον ἐπὶ δραχμῇ vocabant; item ἐπὶ δραχμῇ δανείζεσθαι: aut plene, ἐπὶ δραχμῇ δανείσασθαι τὴν μνᾶν. Fallitur autem SCALIGER, qui *centenariam* uſuram eandem cum noſtra eſſe autumat. Centenarium enim certi ponderis aut numeri corpus denotat. Sic centenarius lapis, pondus eſt centum librarum; grex centenarius, grex centum pecudum. Et quamvis *centenaria* pro uſura centum nummorum uti velis; neſcio tamen, an eius locutionis exemplum apud bonos auctores occurrat.

Gronov. de Seſt. d. l.

Salmaſ. de M. V. 6. Gronov. d. l. 498.

vid. Gronov. de Seſt. 1, 3. p. 37.

Poſitum iam in aperto erit, centeſimam a parte ſortis centeſima; quemadmodum *drachmalis* apud Graecos *a drachma*, ſibi nomen inveniſſe. Faciet igitur in centum denarios, ſingulos menſtruos, annuos vero duodecim: non quod ſua natura et directo duodecim in centum ſignificet, ſed quia quot menſibus renovata, duodecies quotannis praeſtatur. Hanc veluti fontem ſtatuerunt ac caput, unde omnia, maiora minoraque iuxta uſurarum vocabula, tanquam rivuli emanarent. Neque facile in foeneraticia pecunia aliud invenietur verbum, quod ſua vi, nullo ad centeſimam reſpectu habito, certam uſurae quantitatem deſignet. Eſt, qui *quinquageſimas* in medium profert; ſed is ſine exemplo veterum loquitur; et peſſime verbum hoc interpretatur. Lego quidem apud CICERONEM *ternas quinquageſimas frumenti, tres quinquageſimas:* at vero de vectigalibus intelligendae ſunt: quemadmodum Graecorum verbum πεντηκοστὴ, ſcilicet μοῖρα, certum vectigalis genus deſignat; quod qui publicanus Athenis exercebat, πεντηκοστολόγος vocabatur. Deinde minus adcurate *quinquageſimas* eſſe affirmat, quando ſena tantum pro centenis annuatim perſolvuntur; cum quatuor potius ac viginti dicere

vid. Gronov. de Seſt. 3, 13.

 debuiſ-

debuiſſet. Centenarii namque numeri (qui fixus uſurariae ſortis terminus manet) in quinquaginta partes diviſi, pars quinquageſima duos in uſuram menſtruos dabit: qui latinis *binae centeſimae*, quoniam pars centeſima bis ſingulis menſibus poteſt exigi, appellatur. Quoties igitur plures centeſima uſurae; ſive alterum, tertium, quartum tantum petebatur; multiplicabant centeſimarum nomina: *binas*, *ternas*, *quaternas centeſimas*, ut Graeci τόκον ἐπὶ δυσὶ, τρισὶ δραχμαῖς, pronunciantes. CICERO: *binis centeſimis foeneratus eſt*. Et ad Atticum: *Nam aut bono nomine centeſimis contentus erat, aut non bono quaternas centeſimas ſperabat*. Quod ſi minus centeſima in ſtipulationem venerat, verbi cauſa, ut ex centum denariis dimidia aut tertia denarii pars quot menſibus penderetur; non *ducenteſimam*, *trecenteſimam* dicebant; ſed alio prorſus more, quum aſſiduo patrumfamilias uſu frequentari centeſimae nomen coepiſſet, in ſuas eam partes dividebant, quibus deinceps uſurae minores ſignificabantur.

in Verr. 3. 5.
Ep. 21.

Solebant autem veteres Romani, quoties totum aliquod partiri vellent, ad *aſſem* id redigere, qui duodecim partibus conſtabat, quarum ſingulae, *unciae*, plures coniunctae ad aſſem usque ſuis nominibus appellabantur. §. 5. *Inſt. de haered. inſtit.* BALBVS ad Celſum de aſſe, minutisque eius portiunculis: *Quidquid unum eſt, et quod ex integrorum diviſione remanet, aſſem ratiocinatores vocant. Quotquot ergo de integra diviſione ſingulares res unitatesve remanebunt, totidem aſſes erunt: ſi unitas una remanebit, unus erit, asve; ſi duae, duo; ſi plures, plures erunt aſſes.* VOLVSIVS MAECIANVS: *Sicut aſſis appellatio ad rerum ſolidarum haereditatisque totius, diviſio autem eius ad partium demonſtrationem pertinet: ita et ad pecuniam numeratam refertur: quae olim in aere erat, poſtea et in argento feri coepit, ita ut omnis nummus argenteus ex nummo aeris poteſtatem haberet.* Hac ratione centeſimam quoque per aſſem partiebantur, quem non tanquam nummum, ſed tanquam commune inſtrumentum omnis integri, quod vel conſtat, vel ſecari commode duodecim partibus poteſt, dividendi conſiderabant. Quantum igitur ab aſſe ſuae partes, tantum et contractiores uſurae a centeſima

Budaeus de Aſſe. p. 5.

Digitized by Google

teſima diſtant, iisdemque aſſis partibus vocitantur. Neque improbabile eſt, centeſimas ipſas *aſſium uſurarum* vocabulo fuiſſe notatas. De quo *ὁ πάνυ* GRONOVIVS, ut et de ratione appellationis. *Nunc autem,* inquit, *et* uſuras aſſes *dictas, et ſumma cum ratione dictas, et in ore vulgi non infrequentiores, quam alias fuiſſe, et ab* uſuris aſſibus *fluxiſſe ceteras, certum habeo. Unde igitur* uſurae aſſes *nomen acceperunt? Verbo dicam, quod adhuc neminem ſtatuiſſe vidi, ſed veriſſimum eſt: ex eo, quod* as *et* libra *eadem res erat, quum haec vocabula ſunt inventa, et eodem pondere fuerunt usque ad bellum Punicum ſecundum, quum ob aerarii inopiam et ultimas reipublicae neceſſitates, Q. Fabio maximo dictatore, as ex librali factus eſt ſextantarius. Quemadmodum autem centeſimis minores uſurae dictae ſunt* deunces, dextantes, dodrantes, beſſes, ſeptunces, ſemiſſes, quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, unciae, ſemunciae, *quia* centeſima *et* libra *eadem res erat, nec pecuniam aliam, quam libras aeris habebant, et ſi centeſimam dividere vellent, non poterant aliis vocabulis uti, quam partium librae: ita et uſuras centeſimas dixerunt* uſuras aſſes, *quia qui centeſimas uſuras promiſerat, menſtruos dabat aſſes in centenos aſſes, vel menſtruas libras in centenas libras. Una erat differentia inter* aſſem *et* libram *ex inſtituto Seruii Tullii, quod* as *ſignatus habebatur cum partibus ſuis, ne moleſtia appendendi moram commerciis faceret;* libra *dicebatur etiam de non ſignato aere: in caetera pondus idem, eadem materia, eadem partitio aſſis et librae fuit: ſed invaluit, ut potius dicerent* uſuras aſſes, *quam* uſuras libras, *quia in ſignato et pecunia huius nuncupationis uſus erat.* Merebor veniam, ſi quae porro vir ſummus addidit, deſcripſero. *Haec vera ſunt, adhuc ab omnibus fruſtra quaeſita* uſurarum aſſium *incunabula: hoc initium uſurarum modum aſſe definiendi: quod non niſi aſſes forent, quibus ut plurimum ibant in creditum, quibus emebant, vendebant, pretia rerum omnium aeſtimabant. Id hinc porrexerunt ad minores uſurarum numeros, quia aſſes iſti, perinde ut centeſimae, nihil differebant a libris aeris, niſi quod ſignum impreſſum haberent: et ſic commodius aut omnino aliter dividi non poterant, quam partibus librae.* Haec GRONOVIVS. Partes vero aſſis illae ſunt. *Deunx*

De centeſ. et unciis uſuris Ἀντεξηγήσει II. contra Mart. Schook. p. III.

unx undecim unciis; *dextans*, ſeu *decunx*, decem; *dodrans*, novem; *bes*, vel *beſſis*, octo; *ſeptunx*, ſeptem; *ſemis*, vel *ſemiſſis*, ſex; *quincunx*, quinque; *triens*, quatuor; *quadrans*, tribus; *ſextans*, duabus unciis conſtabant. Ultima pars, *uncia* nominatur. Sic enim BALBVS: *Cuiuslibet integrae rei, in duodecim partes diviſae, ſemper duodecima pars uncia dicitur.* Haec dividitur in *ſemunciam*, quae eſt medietas unciae; *duellam*, quae tertia; *ſicilicum*, quae quarta; *ſextulam*, quae ſexta; *drachmam*, quae octava; *hemiſeclam*, quae duodecima; *tremiſſem*, quae ſexta decima; *ſcrupulum*, quae quarta et vigeſima unciae pars eſt. Sed minores ſemunciis uſurae non occurrunt.

Balbus de Aſſe.

Diviſa igitur in duodecim uncias centeſima, quotiescunque non integrae, ſed undecim tantum; verbi gratia, in centum denarios ſingulis penſionibus non denarius, ſive XVI aſſes, verum tantummodo quatuordecim aſſes, duos trientes conuenerant; *deunx* centeſimae, vel *deunces uſurae* praeſtari dicebantur. Pari modo ſi decem unciae, ſive decem denarii partes; hoc eſt, XIII. aſſes triens ſolvebantur; *dextans* centeſimae, ſeu *dextantes uſurae* erant, ſi novem unciae, ſive XII. aſſes; *dodrans* centeſimae appellabantur. Eadem ratio reliquarum partium. *Beſſis uſurae*, quae decem aſſes, duos trientes in triginta diebus ſorti addit, mentionem facit conſtitutio noſtra, et CICERO *ad Atticum: Foenus ex triente Idibus Quinctilibus factum erat beſſibus.* *Semiſſes uſurae*, * ſive victoriatus, ** vel duo ſeſtertii ſunt, quae in lege noſtra † *dimidia pars centeſimae*, et *l. ult. C. Th. de uſur. medietas centeſimae* vocantur. Eaedem a levioribus uſuris ab VLPIANO *l. ſi legat. §. 5. de oper. publ.* diſtinguuntur. Erant vero ſolemnes civitatum uſurae:* unde MODESTINVS etiam *l. ſepticia. 10. de pollicit.* τὸν ἐξ ἔθυς τόκον interpretatur, *ſemiſſales uſuras*. *Quincunces* dicuntur, cum quinque centeſimae partes, id eſt, ſex aſſes duo trientes in centum denarios quot menſibus exiguntur. De his videri poſſunt *l. 17. de uſuris. l. 15, 16. §. 2. de alim. et cib. leg. l. 7. §. 10. de adm. et per tut.* PERSIO *modeſtae* audiunt: *decunces* autem e contrario *auidae*. *Trientes uſurae* ab Imperatore in praeſenti conſtitutione per *tertiam centeſimae partem* ſignantur. Quinque

IV. epiſt. 14.

* *vid. l. 162. §. ult. de ſolut. l. 17. pr. de uſur.*

** *vid. Voluſ. in Diatrib.*

† *add. l. ult. C. de Fiſc. uſur.*

* *Cuiac. ad Nov. 7.*

Satyr. 5, 149.

que enim aſſes trientem quot menſibus ſorti adiiciunt. Itidem *l. 17. §. ult. de uſuris* legitur: *usque ad tertiam centeſimae:* quae verba a TRIBONIANI manu, et Graecorum more ἄχει τρίτης ἑκατοστῆς dicta eſſe, CVIACIVS affirmat. Mentionem harum uſurarum PAPINIANVS quoque *l. 26. §. 1. quand. dies leg.* PAVLVS *l. 3. §. 2. ad L. Falcid.* VLPIANVS *l. 7. §. 10. de adm. et per. tut.* faciunt. Atque illae ipſae ſunt fortaſſis, quas AFRICANVS *l. 108. §. ult. de leg. et fideic. 1. leuiores* vocat: nam *l. 5. de oper. publ. leviores* dicuntur, quae PAVLO *d. l. 17. §. ult. de uſur.* trientes ſunt. Itidem *trientarium foenus* de eo uſurpatur, quod trientes uſuras parit. Hoc ANTONINVS PIVS et ALEXANDER exercuiſſe feruntur. Sequitur *quadrans* centeſimae, ſeu *quadrantes uſurae,* quum quarta denarii pars; id eſt, quatuor aſſes, vel ſeſtertius penditur: de quibus *l. 21. §. 4. de ann. legat. l. 12. C. de pet. haered. Uncia et ſemuncia* centeſimae, ſive *unciae ſemunciae uſurae* ſunt leviſſimae: quarum illae duodecimam denarii partem, puta aſſem cum triente: hae duodecimae dimidiam, duos nempe trientes efficiunt.

Obſ. 38.

Luculentum earum exemplum offert SCAEVOLA II. Reſponſorum *l. 47. §. 4. de adm. et per tut. Praefectus legionis ita teſtamento cavit;* Volo ut ſit in arbitrio tutorum filii mei, ſi voluerint huius ſummae uncias inferre uſurarum * nomine, ita, ne nummi diſpergantur, *quaero, ſi apparuerit pecunia foenerata tutoribus, iudicio tutelae uncias uſuras, an vero eas, quas ſtipulati ſunt, praeſtare debeant? Reſpondi, ſi ſecundum voluntatem defuncti elegiſſent uſurarum praeſtationem, neque pupilli nomine in foenus dediſſent: id praeſtatur, quod teſtator voluiſſet* Nollem locum hunc attigiſſet SCHOOCKIVS: fecit enim intelligendo, ut aut intelligere parum, aut inſigniter calumniari videatur. Quid expeditius iſto ſenſu? Praefectus legionis reliquit teſtamentum: in eo cavit, ſe libero tutorum arbitrio permittere, utrum ipſi ſub uſuris accipere pecuniam vellent, an vero extraneis foenori dare. Sed minus periculi ſuberat, ſi nummi non diſpergerentur, hoc eſt, ſi apud tutores permanerent. Quo igitur facilius adducerentur eo, uncias tantum uſuras, illas ſcilicet leviſſimas, inferri teſtator uſurarum nomine iuſſit.

* *eadem loquendi formula utitur Iuſtinianus in noſtra conſtit. cui adde l. 26. depoſiti.*

Gronov. legit, praeſtaturos.

 Occu-

Digitized by Google

Occuparunt tutores pecuniam, uſuris multo maioribus in ſtipulationem deductis, haſce ſibi pupillus; tutores uncias tantum deberi affirmant. Agitur tutelae iudicio. Lite utrinque agitata IC. reſpondit: Aut ſecundum voluntatem defuncti ipſi tutores ſuo nomine elegerunt uſurarum praeſtationem, pecunia deinde pro lubitu foenerata; aut pupilli nomine in foenus nummos dederunt. Si prius ſtandum teſtatoris voluntati, neque plus unciis uſuris ſolvere tutores tenentur: ſin hoc; equidem pro pupilli cauſa erit ſentiendum, quum naturae iure aequum ſit, neminem cum detrimento alterius et iniuria fieri locupletiorem. Atqui illa vera Scaevolae mens eſt: nihil hic inepti, nihil coactum, Fac autem, per uncias uſuras intelligi *centeſimas* debere: quotusquisque in beneficii loco ponet, quae maximae, quae graviſſimae civili iure habentur? Et erat tamen deſtinatum defuncto, ut tutoribus ipſis leviori foenore obſtrictis, diſperſu nummorum de ſorte filius in periculum ne veniret. Ponamus iterum cum SCHOOCKIO, centeſimas ſignari. Quaenam vero illae maiores, quas ſtipulati tutores fuerant? Maiores enim vnciis uſuras in contractum veniſſe, hinc diſcimus; quod tutores mutuo ſumſere pupillarem pecuniam, quam extraneis deinde crediderunt. Atque potiſſima ex eo cauſa diſceptandi, utrum uncias uſuras, an vero quas ſtipulati erant, praeſtare deberent: quum alio pacto quaeri de unciis non potuiſſet. Quis autem adeo abſurdos tutores putet, ut pecuniam, graviſſimis uſuris mutuatum, minore foenore collocarent? Verum enimvero centeſimas olim terminum uſurarum leges ſtatuerant, ultra quas quidquid convenerat, in ſortem imputabatur: noſtras autem improbaſſe iudices, nusquam apparet. Igitur aut centeſimae, aut centeſimis inferiores in conventionem deductae fuerunt: quidquid vero contenderis, nunquam cum unciis uſuris eas licebit confundere, quum unciis ſint maiores. Unde conficietur tandem, uncias uſuras, niſi eo, quo explicavimus, ſenſu, peſſime deſcribi.

Eadem nobis lex quoque ſuggerit, male quosdam *unciariam uſuram, aſſem uſurarium* uſurpare: quemadmodum

ex

Digitized by Google

ex adverſo recte dicitur *foenus unciarium, ſemunciarium.* Foenus enim eſt, quod uncias, ſemuncias uſuras efficit: at uſurae neque aſſes pariunt, neque uncias, quum ſint ipſi aſſes, ipſae unciae. As reſpondet centeſimae, ac perinde eſt, ſive *aſſem*, ſive *centeſimam uſuram*, hoc eſt, centeſimam ſortis partem uſuram pronuncies. Sic *dextantes, beſſes, ſemiſſes, trientes unciae* valent tot *centeſimae partes uſuras*, ſive uſurarum nomine accedentes, vel condictas. Praeterea, hoc etiam perſpicuum fiet, diverſo longe ſenſu a CLAVDIO SALMASIO *unciam* adhiberi, quando illam ſub *centeſima* vult comprehendi. *Quid ſi igitur*, inquit, *Latini veteres, quum centeſimam dixere, non ad uſuram, ſed unciam reſpexerunt, quia centeſima uncia, menſtrua tim uſurae nomine ſoluta, centeſimam uſuram efficit? Ac ſic potius eſſet dicenda centeſimae* (ſcil. unciae) *uſura, quam centeſima.* Haec vero haut obſcure innuunt, talem heic unciam denotari, quae ex ſorte, in centum uncias diſtributa, centeſima ſingulis penſionibus exigitur. PAVLVS MANVTIVS, neſcio quo ſubtilitatis ſtudio, in novum errorem delapſus eſt. Didicerat ſcilicet, *aſſem*, ut cum eo loquar, *uſurarium* vulgo definiri: qui duodecim in centum; *deuncem*, qui undecim; *dextantem*, qui decem; *dodrantem*, qui novem; *trientem*, qui quatuor; *unciam* ſive potius ex ipſius mente *unciariam uſuram*, quae unum annua die progigneret. Haec parum convenire videbantur. quis enim, ſi unciam tantummodo quotannis acciperet, tantulo quaeſtu occupare pecuniam vellet? Exiſtimandum igitur, *uncias uſuras* non annuas, ſed *menſtruas* eſſe. Et quoniam *centeſima* unum quoque ex centum denariis efficit, eadem perinde intuitu menſtrui ſic dicetur: atque hoc pacto unciae ac centeſimae uſurae, vocabulo differentes, re ipſa congruent. Sed vero *deunces, dextantes, dodrantes, beſſes vſurae* quae undecim, decem, novem, octo in centum faciunt, a menſtruo ut ſibi nomen invenerint, incredibile eſt: quis etenim tanta rei familiaris iactura foenebrem pecuniam acciperet? Itaque annuae erunt: et ea ratione aſſis partes aliae menſtruum, aliae annuum foenus dabunt. Simili plane modo SALMASIVS, Athenis quaſdam uſurarum annuas, quaſdam menſtruas fuiſſe, ex earum

vid. de M. V. 6. p. 230.

vid. §. 5. inf. Inſt. de haered. inſt.

Manut. ad Ep. Cic. 5, 6. Aliter Manutium explicat Gronovius.

De M. V. 2.

earum quantitate vere ac erudititiſſime demonſtrat. MANVTIO nemo forſitan accedet, ut quem unciarum et ſemunciarum vilitas, itemque illorum error decepit, qui, ſimilitudine duodecim menſium, quibus annus conſtat, ac totidem partium aſſis ducti, aſſem annuum confinxerunt. Non diffitemur vero, et noſtris rebus commodari Romanorum vocabula poſſe, ſi, quod ex menſtrui aeſtimatione apud Romanos valebat, nobis directo annuum ſignificet. Sic *centeſima* duodecim in centum; *deunces centeſimarum uſurae*, undecim: *dextantes centeſimarum uſurae*, decem; *dodrantes centeſimarum uſurae*, novem in centum, et reliquae partes ſuas quaeque uſuras denotabunt: uti prolixius ὁ πάνυ GRONOVIVS explicavit.

Αυτοξ. I. contra Schoock. p. 77.

CAPVT IV.

De foenore unciario.

ARGVMENTVM.

Schoockii de unciario foenore ſententia. De Schoocki iudicium. Status controverſiae. Argumenta pro Schoockio. Paupertas populi Romani tempore XII. Tabularum. Unciarium foenus ſynecdochice dictum. As annuus. *Plinii locus de duodenis aſſibus Schoockii rationes expenduntur et confutantur. Ante Decemvirorum tempora Romani mercaturam et navigationes exercebant. Impotentia foeneratorum, et plebs obaerata nimis, cauſam legi de unciario foenore dederunt. Ratio, cur unciarium foenus adhuc moleſtum debitoribus fuerit. Nullus in vocabulo unciae tropus agnoſcitur. As annuus negatur. ALL. XII. Tabul. ſequens aevum ſaepius longiſſime receſſit.* Ius vetus, antiquum *non ſemper XII. Tab. ſignat. Deſcenditur ad Gronovii ſententiam. Novum argumentum contra Schoockium.*

DE centeſimis hactenus ſatis dictum habeo. Nondum vero defuncti ſumus: expedienda enim in praeſenti controverſia eſt, quae laudatos ſupra viros, doctrina famaque ingentes, infeſtiſſime inter ſe commiſit. Locum et occaſionem diſceptationi TACITVS atque LIVIVS aperuerunt, qui lege XII. Tabularum, et tribunicia rogatione, ſanctum fuiſſe tradunt, *ne quis unciario foenore amplius exerceret.* Hoc *unciarium foenus* paria cum centeſima facere MARTINVS SCHOOCKIVS con-

contendit argumentis illis quidem non plane ſpernendis, infirmioribus tamen, quam ut GRONOVIVM in alia omnia abeuntem infringant. SCHOOCKIVS, ſua ſe obſcuritate haut raro involvens, a ſenſibus, quam verbis melioribus; ab ubertate ingenii, quam iudicii rectitudine, dilaudari magis meretur. Parum ſibi interdum quoque videtur conſtare. Ut praetercam perpetuum cavillandi ſtudium, in quo delicias quaeſivit maxime et exultavit, Neque illud inultum abſtulit, haut perfunctorie caſtigatus ab adverſario, cui tanto pronior victoria fuit, quod in locis ſibi opportunis et exploratis, SCHOOCKIO alieniſſimis, invaderetur. Non repetam prolixe, quae de unciis uſuris praecedenti capite diſputávimus, quam enim nihil auxilii in *l. 47. §. 4. de adm. tut.* inveniat SCHOOCKIVS, neminem tam arbitror caecutire, quin ſponte ſua perſpiciat. Illud fixum ac ſine dubitatione erit: uncias, quemadmodum duodecimam aſſis partem conſtituunt, ita centeſimis quoque aptatas, non poſſe non idem valere, ſi indolem vocabuli atque analogiam ſpectaveris. Veteres etiam eo ſenſu uſurpaſſe hanc vocem, Scaevolae reſponſo defendimus, Haec igitur nobis reliqua quaeſtio eſt; utrum TACITVS, et cum eo LIVIVS (qui ſoli ex antiquitate omni unciarii et ſemunciarii foenoris, priſcis temporibus praefiniti, mentionem intulerunt) de centeſima uſura; utrum vero de duodecima eiusdem parte ſint loquuti. Apud TACITVM haec leguntur: *Sane vetus urbi foenebre malum, et ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa: eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis ſanctum,* ne quis unciario foenore amplius exerceret, *cum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redacta: poſtremo vetita verſura, multisque plebiſcitis obviam itum fraudibus, quae toties repreſſae, miras per artes rurſum oriebantur.* Patavinus ſcriptor VII. hiſtoriarum iſta literis mandavit: *Haut aeque patribus laeta inſequenti anno C. Martio, Cn. Manlio Coſſ. de unciario foenore a M. Duellio, L. Menenio, tribunis plebis rogatio eſt perlata: et plebs aliquanto eam cupidius ſcivit accepitque.* Et paulo infra: *Idem otium domi foriſque manſit T. Manlio Tor. C. Plautio ſecun-* **Ann. 6, 16.**

cun-

cundum Coſſ. ſemunciarium tantum ex unciario foenus factum. Cura nunc erit, ſi qua ad verum via inquirentem ferat, diſpicere.

Enimvero, ut hinc ordiamur, ſimile veri haut videtur, adeo extenuatas ea tempeſtate inciſasque legibus uſuras fuiſſe, ut duodecimam demum, et quod excedit fidem, vix quartam ac vigeſimam centeſimae partem licuerit ſtipulari. Maiores namque et debuiſſe concedi, et conceſſas fuiſſe publice, multis firmari argumentis poteſt. Neminem ſane latet XII. Tabularum tempore, quum brevibus Italiae terminis Romani adhuc cluderentur, iis divitiarum opumque copiis nondum urbem redundaſſe, quibus deinde ſub iuventa imperii, et robuſta quadam ſui maturitate, praepollebat. Plerique civium aut nullo, aut perquam paruo aere cenſebantur. Teſtes Poplicola Valerius, Menenius, Fabricius, Papus, Curius. Nec ulla unquam affirmante LIVIO, exſtitit reſpublica, ubi tantus ac tamdiu paupertati ac perſimoniae honos fuerit. Ex ſuperius vero dictis conſtabit, potiſſimam ſemper creditoris rationem eſſe habendam, ut tantum exigere uſurarum nomine iure meritoque poſſit, quantum ei decedere commodi ex pecunia mutuo data cenſetur. Tenues homines atque egentes carere difficilius bonis, unde alimur praecipue ac ſuſtinemur, confeſſa res eſt: quantumcunque enim ſuppeditaverint aliorum neceſſitati, ſuae detrahent. Locupletes contra, quibusque opes effuſe affluunt, nullo rei familiaris intertrimento aliquam fortunarum portionem rogantibus communicabunt. Qui vero inopis creditoris ſarcietur damnum, quoties non amplius duodecima, aut vigeſima etiam quarta centeſimae parte, conceſſum fuerit ſtipulari? Quam pulchre haec ſequenti aevo convenient, quo centeſimas uſuras paſſim obtinuiſſe docuimus? Et immenſam tamen copiarum vim tot divitiſſimarum gentium victor populus tum congeſſerat. Iniquitatis igitur deferendi legumlatores, aut, longe ſibi alia XII. Tabulas voluiſſe, affirmandum eſt. Atque huc ibat procul dubio SCHOOCKIVS, quum ſcriberet: *Apud omnes ſanae mentis homines in confeſſo eſſe; in ea republica, quae ſubditos habet pauperes, et aeris indigos, uſuras eſſe gran-*

Val. Max. 4, 4. *vid. et* §. 7. *Inſt. de Iniuriis.*

grandiores, quam ubi ſubditi opibus et pecunia abundant. Declinavit GRONOVIVS alio; pluribus oſtendens, ſub republica fortunata et potente nimias partim mutationes, partim conditiones iniquiſſimas, non legum, ſed ſeculi, corruptorumque morum vitio, foenus immodicum reddidiſſe. Quantum vero heic diſcriminis eſt? Illic quaeritur: *Utrum magiſtratus, reſpectu eiusdem crediti, civibus, rei nummaria difficultate preſſis, maiores quam locupletibus indulgere uſuras debeant?* Hic diſceptatur: *Utrum plura et grandiora debita occurrere; utrum ſub gravioribus uſuris, non quidem ex praeſcripto legis, utrum ex ſola ſua libidine, creditores in opulenta civitate ſoleant foenerari?* Quod ut negari haut poteſt; ita prior quaeſtio vix in dubium videtur vocanda. Praeterea vero magiſtratus, ſi prudens, ſi amans reipublicae geſtit audire, eo incumbet ſedulo, ut univerſi ac ſinguli civium in operas mutuas et opitulationes promti inveniantur. Quotusquisque vero partas labore vel periculo opes aliis utendas conſumendasque tradat, extra omnem fere ſpem emolumenti poſitus? Et quantillum uſurae futurum erat, ſi quinquaginta aut viginti denarii in foenus dati? Profecto equidem honeſtior quisque erubuiſſet, quot menſibus id exigere. Porro autem, quid cauſae plebi, ut reſtitutam a tribunis de unciario foenore legem *aliquanto* tantum *cupidius* patribus ſciſceret acciperetque? Nempe enim adhuc moleſtum debitoribus hoc foenus erat: aliquanto tamen levius ac gratius prae illo, quo ab avaris creditoribus, procul habita et abolita minutatim XII. Tabularum ſanctione, trucidabantur. Neque apparet ratio, cur T. Manlio Tor. C. Plautio ſecundum Coſſ. ſemunciarium foenus ex unciario fecerint, ſi hoc duodecimam centeſimae denotabat. Iam tum enim levisſima erat haec uſura, quam improbare et accuſare iniquitatis, vel egentiſſimus civium non poterat: nedum ut tot graviſſimae turbae ac ſeditiones ea re conſlarentur. Fac autem alias, easque maiores uſuras per unciarium foenus ſignari, et locus dubitandi nullus erit relictus. Nunc inquirendum, quaenam illae fuerint. Enimvero haut occurrent commodiores centeſimis: neque alius hic latebit tropus, quam ſynecdoche;

vid. loc. Livii citat.

quae aut totum pro parte, aut partem pro toto ponit. Poſſet fortaſſis alia quoque ratio afferri, cur unciarium foenus centeſimam ſignificet. Certum eſt, uſuras quot menſibus exigi ſolitas, et annum iam a Numa Pompilio in duodecim menſes deſcriptum fuiſſe. Conſequebatur igitur, ut ſingulis annis uſurae duodecies praeſtarentur. Hae duodenae, verbi gratia, centeſimae aſſem conficiebant, cuius duodecima pars, *unciae* vocabulo appellata, una centeſima erat. PLINIVS quoque *in epiſtolis* argumentandi copiam nobis ſuggerit, non plane inſuetum Romanis fuiſſe, ut menſtruas uſurarum penſiones, quantum annuatim efficiunt, conſociatas eloquerentur. Sic enim ad
ep. 62. Traianum ſcribit: *Pecuniae publicae, Domine, prudentia tua et miniſterio noſtro etiam exactae ſunt et exiguntur: quae vereor ne otioſae iaceant. nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt: nec inveniuntur, qui velint debere, Reipublicae praeſertim,* duodenis aſſibus, *quanti a privatis mutuantur.* Hiſce porro aſſis nomen Romanos impoſuiſſe, id indicio eſt; quod res omnes, quae numero, pondere, menſura continebantur, ubi commodum erat, aſſes facerent, et per quadrantes, beſſes, trientes, uncias, dividerent. Solam vero *unciam* et *ſemunciam* reſpectu annui aſſis, neque beſſes etiam, ſemiſſes, trientes, deunces et ſic porro dicebant, ne confuſio forte oriretur, et quia ultra centeſimam uſurae nullae permittebantur. Hinc communiter per nomina illa inferiores centeſima, hoc eſt, menſtrui aſſis, intelligebantur partes, neque de aliis maioribus ius reddebatur. Satis haec, credo, explanavimus, quae SCHOOCKIVS tenebricoſis verborum ambagibus involuit. Ceterum iſtam de centeſima coniecturam hoc confirmat, quod communiter olim, uti dictum, tanquam finis ac terminus uſurarum erat praefinita. Quis autem credat legiſlatores immoderate adeo a XII. Tabulis, quas in animo et oculis habere perpetuo decebat, receſſuros fuiſſe, ſi duodecimam tantum centeſimae partem decemviri permiſiſſent? Quid? quod ipſe IVSTINIANVS haut perplexe praeſenti Conſtitutione per *veteres leges,* XII. Tabulas videtur indicare? Plura non moveo, nam haec quidem pro aſſerenda SCHOOCKII ſententia ſufficient. Quam-

Quamvis autem magnam veritatis ſpeciem habeant, nondum tamen ita ſunt comparata, ut non facillime queant refutari diluique. Condonemus liberaliter priora duo argumenta. Sed quid cogetur inde? Ut eadem ſcilicet opera obiectemus mendacium hiſtoricis, et vetitam plane verſuram fuiſſe pernegemus. Si etenim reſecari nimium uſuras non oportuit, quis laudet magiſtratum, omnem earum ſtipulationem interdicentem? Haut vero evincet paucorum egeſtas, ut omnes perinde copiis familiaribus adeo exiguis fuiſſe ſtatuamus. Non poteſt non locupletari civitas, quae mercaturas et navigationes exercet: quod Romanos iam LX. annis ante decemvirorum tempora feciſſe, contra SCALIGERUM et SALMASIUM clariſſimus RUPERTUS *ad Enchiridion Pomponii* probat. *p. 80. et 91.* Neque ob ſolam paupertatem tantum cuique emolumenti intervertetur, quum divites ſaepius multo plura negociando lucrari poſſint, quibus ut ſe privari aliorum gratia patiantur, naturali quidem iure non tenentur. Quanquam vero ſunt pauperrimi in republica cives; quanquam aegre adducuntur, ut ſub uſuris leviſſimis credant: non temere tamen civilis maieſtas recedere ab officio cenſenda eſt, ſi vel gratuito, vel minimo foenore debitores obſtringi velit ac iubeat. Satis eam divinae ſanctionis auctoritas exemplumque tuetur. Et improbitas foeneratorum, ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa, neceſſitudinem tandem Romanis fecit tanti mali cohibendi. Hoc autem vel prohibitione uſurarum omnimoda, vel non niſi leviſſimarum permiſſione poterat praeſtari. Quodque ſumma rerum eſt, diſerte LIVIUS refert; invitis patribus a tribunis plebis (quae demerſa maxime aere alieno non in ſervitium, ſed in ergaſtulum et carnificinam a foeneratoribus ducebatur) de unciario foenore rogationem fuiſſe perlatam. Miras enim per artes oriebantur repreſſae dudum fraudes, et ſenſim exſpiraverat vis omnis legis XII Tabularum: cuius ferendae procul dubio tumultus ac ſeditiones obaeratorum cauſa fuerant. *Vid. Livius de ſeceſſ. in montem ſacrum.* Nunquam vero perſuaderi mihi patiar, haut invite plebem in centeſimas, acerbiſſimis etiam foeneratoribus, teſte CICERONE, probatas, conſenſiſſe, quae ſortem aegerrime perſolvebat. *Ad Attic. 6, 1.*

vebat. Invalidum porro a locuplete republica argumentum eſt. Nam hac ratione longe maiores centeſima uſuras, laborante eadem et inope, fuiſſe concedendas, ſequeretur: quas etiam ſi publicis legibus admiſſas fingamus; iam unciarium foenus non centeſimae, ſed binis fortaſſe, aut ternis centeſimis reſpondebit. Illud autem vanum plane, neque dignum omnino eſt, cui quidquam opponatur, creditoribus plerique rubori futurum, ſi, minore ſumma locata, uſuras minutiſſimas ſingulis ſibi menſibus numerari poſtulare debuiſſent. Sic canonem leviſſimum, diobolum fortaſſis, praeſtari oportere negabimus; quod emphyteutae iuxta et domino eius ſolutio pudorem afferat. Quid obſecro ad decus et laudem reipublicae intereſt, ſive invite et quodam cum rubore, ſive cupide ac libenter uſurae exigantur? Non equidem ad foeneratorum arbitrium, ſed ad communem ſalutem maieſtas civilis conſtituit omnia ordinatque. Ceterum in promtu eſt remedium, quo verecundiae huic occurratur. Nulla creditori imponebatur neceſſitas, ſingulis Kalendis de uſuris debitorem appellandi. Ferenda igitur tantiſper mora, donec incrementis maioribus auctas, uno tempore univerſas repoſceret: quod hodieque in vectigalibus agris nonnunquam aſſolet fieri. Progrediendum nunc iam ad LIVII loca, quae prima fronte plurimum ſententiae noſtrae videntur adverſari. Sed nihil eſt, quod a Patavino metuamus: ipſe rem omnem planiſſime ac luculenter expedit. Quorſum enim verba iſta? *Nam etſi unciario foenore facto levata uſura erat* quanquam cauſae nihil ſuberat, quamobrem de uſurarum gravitate quererentur, maximis illis, qualis centeſima etiam, coërcitis ac reſecatis) *forte ipſa* (tamen) *obruebantur inopes, nexumque inibant.* Sortis igitur magnitudo perfecit, quo minus ſolide laetarentur: et vel minima uſurarum acceſſio per incommoda accidebat. Hinc quinto a tribunitia rogatione anno compellebantur novi conſules, ut ſolutionem aeris alieni, rem difficillimam tractatu, publico impendio ſuſtinerent. Iſtius cauſam mali LIVIVS mox addit: *Tarda enim nomina et impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus.* Haec *inertia* ipſas quoque uſuras, quantumvis

Liv. l. 7. ad ann. V. C. 403.

Digitized by Google

tumvis leviſſimas, exaggerabat. Finge ſortem mille Ioachimicorum: (ſumamus enim exempli loco genus monetae notiſſimum) haec menſtruas uncias uſuras noſtro ſenſu efficiet Ioachimicum; annuas, decem Ioachimicos. Quarum ſolutione per aliquot annos dilata, plurimum ſane ſorti acceſſionis fiet. Finge iterum, hasce uncias uſuras, quoties exacto anno non ſolvebantur, de communi fere veterum iure ſorti adiectas fuiſſe: et quantis hinc incrementis augebitur. Non itaque abſurde, neque abſone dicitur, ſemunciarium foenus quartam et viceſimam centeſimae partem ſignificare, utut ſit tenuiſſimum. Nec enim querelae civium de gravitate unciarii foenoris, ſed prolatae iam rationes, atque fraudes et machinamenta foeneratorum eo vocabant tribunos, ut ſemunciarum rogatione plebi conſultum irent. At vero ne ſic quidem liberata respublica ingenti malo. Poſtremo igitur vetita verſura; quae per dolos aſtutiasque rurſum oriebatur; machinationibus creditorum omnem plebiſcitorum vim eludentibus. Adeo ſemper in civitate et vetabantur uſurae et retinebantur. Non morabimur ulterius in hac parte. Illud iam confutandum erit; per uncias uſuras, ſeu unciarium foenus, antiquos ipſam centeſimam indicaſſe. Fatemur ſane, haut inuſitatum ac novum eſſe, ut partem pro toto ponamus. Cur autem in ſolo uſurarum genere, neque in aliis etiam rebus, quae per aſſem diſpertiuntur, tropus eiusmodi occurrat? Diverſitatis equidem ratio nulla apparet, neque dari poteſt ex omni antiquitate ſimile exemplum. Imo vero ne commode quidem unciae vocabulum pro aſſe, ſive centeſima, licet uſurpare. Quae enim inde confuſio? Aut duodecimam aſſis partem, ipſumque aſſem, ſive centeſimam, ſimul deſignat; aut aſſem tantum. Si illud; dubius haerebis, ecquid debeat intelligi, niſi expreſſe fuerit additum: ſin hoc; peribit tibi nomen, quo duodecimam aſſis, ſive centeſimae, partem appelles. Conſtat ex Scaevolae reſponſo, uncias uſuras Iureconſulti tempore duodecimam centeſimae partem fuiſſe. Quis autem credat, adeo indiligentes hic TACITVM aeque ac LIVIVM (qui poſt Scaevolam floruerunt) futuros, ut ne verbo qui-

Ante Iuſtinianum adhuc licuiſſe uſuras non ſolutas ſorti adiicere, probatur l. 28. C. de Uſuris. vid. ibi Cuiac.

quidem diverſae ſignificationis indicium facerent. Magno ſane ſilentium ipſorum argumento eſt, neque XII Tabulas, neque tribunitias rogationes a nativo vocabuli uſu quidquam receſſiſſe. Exſanguis quoque eſt altera ratio, qua reſpectu annui unciarium foenus dici potuiſſe contenditur. Nondum enim conceſſa ponit: centeſimam ſcilicet legitimam uſuram fuiſſe. Deinde oſtendi facile poteſt, nullum plane annuum aſſem dari. Non commemorabo multa de illorum opinione, qui tantummodo annui reſpectu aſſem appellari exiſtimant. Demonſtravimus enim ſuperiore capite, aſſem, parteſque eius perpetuo congruere ac geminum eſſe centeſimae: hanc vero, eaque inferiores uſuras in ſingulos menſes promiſſas communiter fuiſſe. Id ſolum negatum eo, menſtruas uſuras, quantum in annum conficiunt, iunctas congregataſque, veteres ſimul enunciaſſe. Nam PLINII locus, quum ſolus ex veterum monumentis produci queat, nondum evincet, vulgo ac paſſim, priſcis temporibus quoque, iſtum loquendi morem viguiſſe. Ne addam, quod ſuſpectus magnis viris videtur*. Utut praeterea hoc ipſum largiatur, nondum tamen annuus aſſis conceſſus eſt. Neque enim quiſquam mentionem eius facit, et nihil intempeſtivius, quam fingere, quae confuſiones maximas pariant; quum eadem hic de aſſe, iam menſtruum, iam annuum ſignificante, locum habeant, quae ad ſynecdoches figmenta reſpondimus. Reliqua Schoockianae coniecturae firmamenta ſuopte impetu concidunt. Multa olim per aliquot ſecula vel more maiorum, vel publica lege introducta fuerunt; XII. Tabularum aevo aut ignorata plane, aut longe aliter conſtituta. Solam iniuriarum poenam, quae antiquitus propter membrum ruptum talio erat, ſufficiat nominaſſe. De hac Imperator §. 7. *Inſt. de Iniuriis: Sed poena quidem iniuriae, quae ex Leg. XII. Tabularum introducta eſt, in deſuetudinem abiit: quam autem Praetores introduxerunt (quae etiam honoraria appellatur) in iudiciis frequentatur.* Adeo non perpetuum fuit, ut priſci huius iuris rationem ubique legiſlatores duxerint. Neque id oportebat fieri: curſu rerum, et reipublicae habitu alia omnia ſuadente. Longe infirmiſſimum quoque eſt, quod a conſtitutione noſtra, vel

* *v. Salmaſ. de M. V. p. 269. Gronov. Ἀντεξ. contra Schook. II. p. 102. et ſequ.*

vel quibuscunque tandem locis, ubi priſci iuris mentio fit, argumentum petitur. Saepius enim *ius antiquum aut vetus* appellatur, quo iam diu populus uſus eſt: item quod antiqua prudentia iurisperitorum induxit. Interdum ſic vocatur, habita ratione conſtitutionis eiusdem legislatoris novae, uti in Paratitlis ad Digeſta, et in Obſervationibus docet ſummus iuris interpres, IACOBVS CVIACIVS. LIVIVS etiam VII. Hiſtoriarum: *Lex vetuſta eſt, priſcis literis verbisque ſcripta, ut qui Praetor maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat.* Nemo autem hinc XII. Tabulas unice ſignari exiſtimat. Nulla igitur necesſaria conſequutio: Centeſima legibus priſcis recepta et praeſtituta dicitur; ergo leges illae fuerunt XII. Tabularum. *Ad tit. de Reg. Iuris Obſerv. 1, 12.*

Amiſit vero praecipua ſtabilitatis ſuae praeſidia SCHOOCKII, et cum eo aliorum opinio. Cetera, ſi quae poſſunt moveri, neque maioris momenti quidquam trahent, atque enervata facile collabentur. Nos, ut mutemus propoſitum, et ab indole vocis communique uſu abeamus, nulla praegnans ratio urget. Monebo adhuc unicum: quod vel ſolum confutandae Schoockianae aſſertioni ſufficiat. Poſtea quam TACITVS tot malorum cauſam foenebri malo imputaverat, haec ſubiicit: *Eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus:* ſtatim et modum cohibitionis, qualis ille fuerat, addens: *nam primo,* inquit, *duodecim tabulis ſanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret.* Egregios vero et innocentes mores illos, qui centeſimas, tale ſcilicet uſurarum genus permittunt, quod ſub Nerone, pronoque in peiora ſeculo, *ſanguinolentum* SENECAE audiebat. Melius igitur Iuſtiniani aevuum, et dignum quod priſcis temporibus ruborem incutiat; dum, uſuris longe minoribus introductis, prodidit, quantum a vera et perfecta laude maiores abfuerint. Sane non potuit laudare TACITVS, quod honeſtiſſimo cuique improbatur. Manet itaque firmumque eſt, unciarium foenus; ſeu uncias uſuras, non centeſimam, ſed duodecimam eius partem valere. Nunc iam revertamur ad Imperatorem: ne nimii in hac parte illis videamur, qui aurea utilitate cuncta metiuntur. Nec enim po- *de benef. 7, 19.*

Digitized by Google

ſitae in his Germaniae fortunae ſunt, et retinendus, quod ſeculi mores depoſcunt, ex iſta ſapientia modus.

CAPVT V.

De Modo uſurarum Iuſtiniani, et noſtris temporibus introducto.

ARGVMENTVM.

Debitorum in Lege noſtra nulla habetur ratio. An ob lucrum debitoris quidquam poteſt exigi? A quibus uſurae non exigantur. Quaenam perſonae Illuſtres *et* Supcrilluſtres. *Cur iis tantum trientes permiſſae. Olim Senatoribus et Praeſidibus Provinciarum prohibitum foenerare. An in omnibus omnino contractibus ultra trientes uſuras perſonae Illuſtres non poſſunt ſtipulari? Notatur Pacius.* Inſtitores. Argentarii. *Cur his beſſes conceſſae.* Negotiatores ultimi *quinam? Quid ſtatuendum, ſi quis initium controctum negotia gerat; aut deſinat negotiari; aut nomen alteri cedat.* Traiectitius contractus. Foenus nauticum: *Quinam id exercebant potiſſimum? Cur* nauticum foenus *magis, quam* nautica uſura *dicatur. Definitio nautici foenoris. Quae ratio periculi a creditore ſuſcepti. Tempus certum navigationi interdum praefigebatur. Reprehenditur Hotomannus. Quodnam periculum regulariter praeſtabat creditor? Uſurae in his contractibus permiſſae. Novellae* 110. *lux. Salmaſii ſententia reiicitur. Utrum Iuſtiniani aevo conſuetum adhuc, ut ſervus cum navigante mitteretur.* Foenus quaſi nauticum. *Iure Canonico videtur nauticum ac quaſi nauticum foenus probibitum.* Species quid *ſint. Quo reſpectu hic ſub centeſima foenerari poſſint. Molinaei error. Cur reliquis omnibus ſemiſſes tantum concedantur. In mutuo uſurae, niſi ex ſtipulatione non debentur. An odio uſurarum? Negatur cum Cuiacio adverſus Paulum Buſium. Buſii rationes examinantur. Redditur ratio, cur ſtipulatio requiratur. Effectus nudi pacti mutuo adiecti. Effectus nudi pacti mutuo adiecti. Effectus nudi uſurarum pacti, ſi contractibus bonae fidei addatur. Leotardi ſententia, cur mutuum adiectum ſit contractibus ſtricti iuris. Utrum aliis adhuc caſibus centeſimam licet exigere? P. Gregorius refutatur. Imperator uſuras moribus receptas ceteris omnibus exaequavit. Quidquid ultra praefinitum modum aut promiſſum, aut datum eſt, conſtitutione noſtra irritum habetur. Machinationibus foeneratorum obviam itur.* Siliqua. Onus ſiliquatici. Sportula. *Variae foeneratorum fraudes recenſentur. Poena foeneratorum. An ipſo iure infamia irrogatur? Ad quem iudicem quaeſtio et cauſa uſurarum ſpectent. Quid noſtris temporibus obtineat, breviſſime indicatur.*

Ad

Digitized by Google

AD perſonas cum Imperatore progredimur, quarum tria genera conſtituuntur. Primo enim loco Illuſtres ac Superilluſtres; deinde ἐργαστηριάρχαι, quive licitam negotiationem gerunt; ultimo reliqui promiſcue omnes numerantur. Tractatur autem de iis tantum, qui uſuras ſtipulantur; aut citra ſtipulationem exigere ſolent. Debitorum hic nulla fit mentio: ex ea fortaſſis ratione, quod regulariter in praeſtatione uſurarum haut oportet ſpectari, quantum ex re aliena commodi debitor queat percipere. Nam ſi quidquam lucri facit, in mercedem ac praemium laboris inpenſi ſibi merito vindicabit: et ſecundum naturam eſt, commoda cuiusque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *l. 10. de R. I.* Neque potuerunt legislatores generaliter ob lucrum debitoris, proprie ſic dictum, uſuras permittere; quandoquidem hoc ipſum (quod tum demum intelligitur, quotiens, impenſis omnibus ac damno deductis, aliquid ſupereſt) non facile conſuevit praeſumi. Et magna pars hominum non ut quaeſtui ſerviant, ſed ne deſtituantur vitae ſubſidiis, rebus ſuis utuntur. Imo vix ac ne vix quidem dabitur pactum, quo creditor eum ſolummodo in caſum, ſi nempe lucrum alter fecerit, uſuras ſtipulatur. Saepius enim, quidquam ſibi lucelli accreviſſe, debitor negabit: ſaepius quoque, ſi exiguus nimium quaeſticulus, plane neſciet. Inde vero altercationes, et difficillimum probandi onus: ut conſultius multo ſit, procul habere huius generis pactiones, quam novis ſemper ac perpetuis controverſiis exponi. Ideoque fruſtra fortaſſis ac nullo operae pretio a quibusdam diſceptatur, utrum talis contractus naturali iure licitus ſit, nec ne. Illud ſaltem moneri hoc loco meretur; ſingulari eccleſiarum atque agricolarum favore ductum Imperatorem, ne temere uſuris gravarentur, per *Novellam 7. et 37.* praeſentem Conſtitutionem reſtrinxiſſe, ac conſtituiſſe, ut pecunia mutuo accepta, illae quadrantes, hi ſolas trientes poſſint polliceri. Permiſſum vero eſt ab omnibus uſuras exigere, quamquam nihil emolumenti ceperunt. Fiſcus ex ſuis contractibus, moramque committens, uſuras non dat; ſed ipſe ſemiſſes accipit. Unde debitores, qui minores ſemiſſibus praeſtabant, poſt-

Digitized by Google

quam ad fiſcum tranſierunt, has coguntur exſolvere. *l. 17. §. 5. et 6. de uſur.* Quod ſi in loco privati ſucceſſit, etiam dare uſuras ſolet. *d. l. et l. 6. de iure fiſci. l. 2. C. de fiſcal. uſur.* Quodcunque autem privilegii fiſco competit, hoc idem et Caeſaris ratio et Auguſtae habere debet. *l. 6. §. 1. de iure fiſc.*

Exponendum nunc eſt, quaenam dicantur perſonae *Illuſtres*. Erant ſcilicet Patricii et Conſules, et Conſulares; Praefecti Praetorio: Praefectus Urbi; Magiſtri militum; Quaeſtores Sacri Palatii; Magiſtri officiorum; Comites ſacrarum largitionum, et rei privatae; itemque Praepoſitus ſacri cubiculi. Hi omnes ingrediendi Senatum dicendaeque ſententiae ius habebant. *lege 5. C. ad L. Iul. Maieſt.* ab ARCADIO et HONORIO A. A. appellantur: *Viri illuſtres, qui conſiliis et Conſiſtorio principis interſunt;* id eſt, Conſiliarii intimi ſanctioris et arcani conſeſſus Principis: συνεδρεύοντες καὶ βασιλεῖ τῆς ὑπὲρ ἁπάντων βȣλῆς κοινωνȣ̃ντες. Unde THEODOSIO M. deſcribuntur: *Comites Conſiſtoriani, qui participantes Auguſti pectoris curas agendo clarebant. Superilluſtres;* ſive ut hic, *illuſtres praecedentes perſonae* dicuntur, quae proxime principi aſſidebant, neque praeter eum quemquam agnoſcebant ſuperiorem. Hiſce tertia tantum pars centeſimae, id eſt, trientes uſurae ſunt conceſſae. Nam et facilius carent pecunia, et quaeſtu etiam minore, utpote a mercatura atque negotiationibus plane alieni, ea utuntur: ut tantum ipſos damni facturos, ſi mutuo dent aliis, non ſit veriſimile. Minus porro decorum perſonis in dignitate conſtitutis, ac pernicioſum exemplo habetur, agitare foenus, et in uſuras nimium extendere. Quamquam hoc a pauciſſimis olim obſervatum fuit: quod infinitae plebis, a primis usque temporibus, querelae loquuntur. Etiam Tiberii aevo, quum magna vis accuſatorum in foeneratores irrumperet, *trepidi patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petivere.* Sane quidem, ut Senatores (quales ſecundum VLPIANI * definitionem *l. 12. de Senat.* omnes perſonae illuſtres ſunt) eorumque filii, et Praeſides provinciarum, neque per ſe, neque per ſuppoſitas perſonas foenore auctitare pecunias poſſent, ſaepe reſcriptum fuit. Quod ex AELIO LAMPRIDIO ſupra citato *, et *l. pen. C. Th. de uſur.*

vid. Cuiac. ad l. 1. C. de dignitat. Gothofr. ad l. 5. C. ad L. Iul. Maieſt. c. 11. Perez ad tit. C. de dignit.

Tac. Annal. 6. 16.

* *vid. Cuiac. ad d. l. 1. C. de dignit.*

* *p. 16.*

et

et conſtitutione GORDIANI *l. 3. C. ſi cert. pet.* liquet. Mox conniveri, liberaliusque indulgeri coeptum eſt, vario uſuris modo per Alexandrum, Arcadium, Honorium, Theodoſium, ac noſtrum tandem Imperatorem praefinito. Ait vero IVSTINIANVS: ***minime licere ultra tertiam partem centeſimae uſurarum nomine, in quocunque contractu vili vel maximo ſtipulari.*** Haec ſanctio eam in partem eſt accipienda, ne caſus ſingulari conceſſu exceptos comprehendamus. Cuius generis heic recenſentur traiectitii contractus, et ſpecierum foenori dationes. Neque enim ferenda PACII, *ad titulum Codicis de Nautico* **Adde Salmaſ.** *foenore,* ſententia eſt, qui ſolis negotiatoribus nauticae pecu- **de M. V. 9, p.** niae contractus adiudicat; perſonis vero illuſtribus, quan- 374. tumvis eiusmodi pecuniam credant, ultra trientem negat deberi. Enimvero centeſima uſura, reſpectu periculi a creditore ſuſcepti, traiectitio contractui fuit aſſignata, et quibusvis tam illuſtribus, operariis, agricolis, quam aliis mercatum inſtituentibus periculum ſuſcipere eſt integrum. Ratio autem, cur iſtis, quam his fraudi eſſe potius benignitas ſua debeat, nulla apparet. Ad haec negotiatores ipſi quoque privilegio hoc minime videri poſſent gaudere; ut quos Imperator ſtipulationes ſuas usque ad beſſes tantum in quocunque contractu iubet moderari. Aequipollent vero, *quicunque contractus,* et *quicunque contractus, vilis vel maximus.* Quid? quod negandum etiam foret, ex ſpecierum foenori datione centeſimam licere accipere? quod mutui genus tamen proprium negotiatorum eſſe, fruſtra affirmabitur.

Tranſimus ad eos, qui ergaſteriis praeſunt. Ἐργαστήρια dicuntur officinae, quae mercimoniis deputantur. His inſtitores praeerant atque argentarii; ſive, ut *l. 12. §. 3. C. de cohort.* et vulgo audiunt, trapezitae. *Inſtitor*, definiente CVIACIO, eſt, **Ad. Cod. de** qui alieno nomine inſtat mercaturam, qui et officinator in **inſtit. et ex-** gloſſis, et ἐργαστηριάρχης, vel actor rerum eius, qui eum prae- **erc. act.** poſuit. Adde *l. 3. et 5. de Inſtit. act. §. 2. Inſt. quod cum eo qui in alien. pot.* SENECA VI. *de Beneficiis: Inſtitores delicatarum mercium* (ſerici, Coae veſtis, unguentorum, margaritarum, ut LIPSIVS annotat) *iuventus corrupta locupletat.* Nimirum quibus-

 vis,

vis, et pretioſiſſimarum rerum negotiationibus praeponebantur. Per *Argentarios* hic non illos intelligimus, quorum *l. 1. C. de excuſ. artif.* meminit, quique ſignare argentum ſolent; ſed quos IVSTINIANVS *l. un. C. negotiat. ne milit. argenti diſtractores*, et, argumento rubricae dictae conſtitutionis, communi *nego-*
vid. Cuiac. ad l ſi unus. ff. de pact. et 10. Obſ. 14. *tiatorum* vocabulo appellat. Graecis audiunt ἀργυροπρᾶται, quod argentum, id eſt, cuiuscunque materiae nummos vendunt: οἱ τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντες. Alias variis nominibus, *collybiſtae, nummularii, menſarii, menſularii, argentariae menſae exercitores* vocitantur, perque illos plerique credebant pecuniam, et foenore accipiebant. *l. ſi hominem. 7. §. 2. depoſ. l. ſi res. 50. de admin. tut.* Addit Imperator: *vel* qui *aliquam licitam:* id eſt, toleratam, nec reiectam publicis aut legibus, aut moribus, *negotiationem gerunt.* Hiſce perſonis, et ſi qui harum nomine contrahunt, in univerſum beſſes uſuras, ſive octo in centum permittit ſtipulari. Argentariis quidem quod officium eorum publicum, *l. 10. de edendo.* ac uſus neceſſarius ex utilitate publica, *l. 8. depoſiti.* quodque non ſine periculo omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati erant *Novell. 136. c. 4.* Quapropter etiam noviſſime IVSTINIANVS conſtituit, ut beſſes uſurae ſine ſtipulatione; et quamvis expreſſis verbis nominatum nihil eſſet, iis deberentur. *de Nov.*
vid. Cloppenburg. Inſt. de Uſur. 10. *136. c. 4. et 5.* Eo enim audaciae ſi non omnes; ſaltem plerique nondum devenerant, quo ſuperiore ac noſtro quoque ſeculo Longobardi; qui turpiſſimi tantum quaeſtus gratia, poſitis publice foeneratoriis menſis, horrendum foenus, idque intolerabili extorquere conditione conſuerunt. Negotiatoribus reliquis beſſes conceduntur, quod pecuniae magis indigent, plusque negotiando emolumenti ex rebus ſibi ſuis ſciunt comparare. Utrum vero in his ponendi ſint, quos *l. 6. C. de dignit. negotiatores ultimos* vocat, haut vane fortaſſis dubitaveris. Nam compendia ipſorum longe ſolent eſſe viliſſima; et minus quoque videntur legibus probari. Eius generis ſunt *propolae*, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant; uti a CICERONE *in primo de Officiis* deſcribuntur: in illiberalibus ac ſordidis ea propter relati. Eodem loco habendi et *ſta-*

tiona-

Digitized by Google

tionarii, in *l. 6. §. 3. C. de cohort. apothecarii* appellati; quod mercium viliſſimarum apothecas ſecum deferentes, certis in locis, opperturi emtorem, aliquamdiu ſubſiſtunt. Sed vix ſuſtinemus privilegio arcere, quos non diſerte reperimus hac in parte notatos. Duae praeterea hoc loco quaeſtiones ab interpretibus moventur: ſi inito iam contractu negotia creditor gerere incipiat; et deinde, ſi aut deſinat negotiari, aut nomen alteri cedat; utrum beſſes queat ſtipulari? Priori caſu a creditore ſtare videtur *l. 7. C. de uſur.* ubi IVSTINIANVS uſuras, ante promulgationem legis noſtrae XXVI. in ſtipulationem deductas, et in futurum ſolvendas, ad modum dictae ſanctionis vult temperari. Sed verior omnino negativa eſt: quandoquidem lex iſta de minuendis, non augendis uſuris loquitur; et in contractibus ſtricti iuris id ſemper ſpectandum quod primo in ſtipulationem venit. Absque novatione igitur maiores uſurae non debentur. Quin autem creditori ſub ea conditione, ſi facturus ſit mercaturam, beſſes ſtipulari liceat, dubitatione omni caret. Altera quaeſtio inde controverſa redditur, quod in contractibus initium praecipue eſt obſervandum: ut non iniuria durare hic, quantum ad praeſentem quidem contractum, beſſes uſurae exiſtimentur. Quoniam vero privilegium hoc perſonale eſt, merito etiam, ceſſante ratione illius, exſtinguetur, quod exemplo *§. 1. l. 87. de leg. et fidecom. 2.* poteſt confirmari: ibi enim finita aetate, cuius favore privilegium concedebatur, et ipſum privilegium finitur. Haut incongrue quoque locum hic inveniet ratio, quam ex *l. 27. Cod. de uſur.* antea petebamus.

Cuiac. 1, Obſ. ult.

Immiſces iam perſonis Imperator contractus, quorum quis reſpectu iacturam poteſt maiorem facere. Ait: *In traiectitiis autem contractibus.* Traiectitius contractus proprie non ille dicitur, ubi res credita trans mare tantummodo exportatur: quo ſenſu PAPINIANVS III. *et* V. *Reſponſorum*, *l. 4. de naut. foen. l. 39. §. patruus. de adm. et per tut.* pecuniam uſurpat: ſed quum periculo creditoris, contra naturam mutui, pecunia, ſive merces ex ea comparatae *l. 1. de naut. foen. l. 122. §. 1. de V. O.* vehuntur. Foenus autem nauticum, ſive *maritima uſura*,

l. 6.

Digitized by Google

vid Salmaſ. de M. V. 3. Gothofr. ad l. 122. §. 1. de V. O.

l. 6. de naut. foen. (Graecis dicitur *δάνεισμα ναυτικὸν, διαπόντιον*, et opponitur *τῷ ἐγγύῳ*, quod *ἀσφαλὲς*, tutum ac ſine periculo) eſt, quae creditoribus etiam quibusvis, ob ſuſceptum pecuniae periculum, conſuevit exſolvi. Quanquam negatum haut eo, exercitores navium foenus hoc frequentius agitaſſe; quod periti navigationum, periculo ſuo facile credebant. Utrum vero ideo magis *nauticum foenus*, neque *nautica uſura*, vel *nauticae uſurae* dicantur, quod totum nempe foenus; id eſt, ſors et uſura ſimul ac ſemel ſolebant exigi, non ſine controverſia eſt. Primus affirmativae ſententiae auctor, SALMASIVS, a GRONOVIO *in Mantiſſa pecuniae veteris* eo nomine notatur. Sane quidem, quidquid hic intuitu periculi pollicetur, improprie uſura audit; quoniam non ob uſum (quod origo vocabuli ac vis depoſcit) ſive in compenſationem interceptae utilitatis; ſed in *pretium periculi* exſolvitur. Meruit tamen uſurae nomen; quia indivulſo adeo nexu coniunctum cum ea eſt, ut non diverſum aliquid, ſed idem omnino videatur. Rectius autem vocabulo foenoris (quatenus non pro ſpecie uſurae, proprie ſic dictae, accipitur) comprehendes: hoc enim generalius eſt, et vel partum mutui, vel redhoſtimentum deſignat. Finire uſuram hanc, ſive potius foenus, licebit *per acceſſionem quantitatis creditae, quae in compenſationem* (puta et utilitatis interverſae, et ſuſcepti periculi) *tanquam intereſſe petitur*. Quantum ad ipſum contractum, debitor ea, et quidem expreſſa lege *l. 2. et ult. C. de naut. foen.* mutuo pecuniam ſumebat, ut ſuſcepto creditor periculo, ſi praefiniti itineris tempore periret creditum, nihil plane poſſet repetere; ſin vero ſalvum transferretur, ſortem iuxta, ac uſurarum nomine ſummam certam exigendi ius haberet. Periculum illud vel in omne itionis atque reditionis tempus ſuſcipiebatur; et hinc Graecis foenus *ἑτερόπλουν*, itemque *ἀμφοτερόπλουν*; vel ad locum, inque diem certum tantummodo. *l. 3. C. de naut. foen. l. 4, 6. ff. eod. l. 122. §. 1. de V. O.* Diem aut menſem expreſſe navigationi dicebant, quia temporum alia navigantibus accomoda, alia pleniſſima periculi, ac quodammodo intractabilia erant. Fallitur autem HOTOMANNVS, qui eum in finem id factum putat,

ac

ne creditor vel nauta moras itineri nectendo, in uſuras maiores foenus extenderet. In omne namque ſuſcepti periculi tempus maritimas uſuras communiter promiſſas fuiſſe, ſupra docuimus; et in laudato ſaepius opere SALMASIVS paſſim demonſtravit. Adde, quod a creditore dies aſſignabatur, cuius intererat maxime, navigationem quamprimum finiri; quum tractu temporis et periculum traheretur. Periculum hic regulariter illud intelligitur, quod a naufragio contingit. Ceterum haut dubie etiam de eo, quod a piratis, hoſtibus aut incendio provenit, nominatim interdum cavebatur. Quod ſi in tempeſtate, levandae navis cauſa, de communi vectorum conſenſu iactura facta; ſi debitoris culpa damnum illatum, ad creditorem caſus non pertinebit. Illic enim neque totum creditum, et non invito debitore perit: hic imputabit ſibi, quod contra legem contractus venerit, aut perniciosa temeritate magnum acceperit incommodum. *l. 3. C. de naut. foen. l. 11. §. 2. π. de publican.* Iſtud vero periculum creditoris ut penſaretur, licuit olim, quamdiu navis navigaret, infinitas uſuras recipere. Quod PAVLVS II. *Sententiarum, titulo de uſuris* teſtatur. IVSTINIANVS centeſimam praefixit: quae a communibus uſuris *l. 1. C. de naut. foen.* diſtinguitur. Neque eam abrogavit deinceps per *Novellam 110.* antiqua licentia, quantis quis vellet uſuris, traiectitiam mutuam dandi, reſtituta: quod fruſtra SALMASIVS *capite nono de Modo Uſurarum* exiſtimavit. Improbantur enim tantummodo receptae moribus in nautico foenore conventiones, quas *Nov. 106.* Imperator confirmaverat. De cetero ſecundum de talibus contractibus *poſitas leges*, qualis eſt, in cuius explicatione haeremus, negotia et aeſtimari vult, et diiudicari. Sive igitur in ſingulos menſes (neque enim fuit prohibitum) ſive in omne navigationis tempus uſuras placuerat ſtipulari, centeſimam nullo modo licebat excedere. Id eſt, hoc poſteriore caſu tempus iſtud univerſum menſtrui reſpectu computabatur; totque centeſimas, aut tanto minus centeſima debitor praeſtabat, quot menſibus, aut quanto minore dierum ſpatio in itinere fuerat. Aliam Iuſtiniano mentem vix licebit affingere. Neque abſolvent eum

iniquitatis, qui plane ac praeciſe in omne ſuſcepti periculi tempus centeſimam putant praefiniri. Quid enim, ſi tamdiu periculo ſuo pecuniam futuram creditor pepegerit, donec naves revertantur ſalvae? Continget forſitan, ut in tres, quatuor, quinque menſes; aut in annum etiam integrum navigatio extendatur: et tum tu ultra centeſimam iure non deberi contenderis? Ingens ſane beneficium, quod neminem non ad ſuſtinenda tot tamque varia amittendae ſortis pericula invitet. Enimvero aliud longe eſt, ubi creditor eiusmodi pactum ipſe init, cuius mentionem *Novella 106.* movet. Tunc etenim lucri damnive cauſam aut culpam in ſe merito transferet. A nautico hoc foenore differt pecunia, pro operis ſervi traiectitiae pecuniae cauſa ſequuti (quem κερμακόλυθον vocabant) in ſtipulationem deducta. *l. 4. §. 1. de naut. foen.* Crediderim vero Iuſtiniani aevo conſuetudinem illam, ſervum cum navigante mittendi, deſiiſſe. Nihil enim quidquam ea de re in Codice deciditur, neque veri videtur ſimile, poenam centeſimae reſpondentem pro ſervi operis poſt diem periculi ſtipulari licuiſſe; quum in traiectitia pecunia ſolius periculi intuitu centeſima in permiſſis habeatur, eoque diſcuſſo, ceſſet tota atque communes tantum uſurae debeantur. *l. 1. C. de naut. foen.* Ad exemplum nautici foenoris introductum eſt *quaſi nauticum;* quando periculo creditoris pecunia in ſolo continente per intutas infeſtasque vias transportatur. Qua de re videri poteſt SCAEVOLA in vexatiſſima *l. 5. de naut. foen.* cuius tenebras diſpulit, controverſiamque omnem feliciſſime

Diſſ. 12, 15. expedivit eminentiſſimus diſputationis noſtrae PRAESES *in diſſertationibus ad univerſum ius Iuſtinianeum.* Commune autem hoc utrique foenori eſt, ut, habita ratione diſcriminis, et pactum ſine ſtipulatione ad obligationem proſit, *l. 5. §. 1. de naut. foen.* neque ultra periculum, ut dictum eſt, centeſima duret. Multi Iureconſultorum neutrum foenus Canonico iure tolerari aſſeverant. In teſtimonium afferunt GREGORIUM IX, qui *c. ult. de Uſur.* *Naviganti,* ait, *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus.*

FACHI-

FACHINAEVS II. *Controverſiarum* negationem infert: *uſurarius non eſt cenſendus*. Mox recedit tamen ab hac coniectura, quod codicum omnium fides reclamet. Ceterum duo caſus vulgo ponuntur, quorum alterutrum a Pontifice interpretes volunt deſignari: ſi aut dare quis pecuniam mutuo, niſi ſuo id periculo fiat, recuſet; aut inaequalitas inter uſuras ſuſceptumque periculum nimia occurrat. c. 47.

Ait porro Imperator: *vel ſpecierum foenori dationibus*. Species hic opponuntur pecuniae numeratae, ſuntque fructus aridi vel liquidi; veluti frumentum, vinum, oleum. Vocantur σιτῶναι, id eſt frumentarii; ἐλεῶναι, id eſt olearii, qui tales ſpecies curant. *l. ult. de mun. et hon. §. 5.* MOLINAEVS hoc loco eatenus tantum conſiderari eas arbitratur, quatenus ſub qualitate pecuniae traiectitiae foenori dantur. Sed errat. Nam quibuscunque caſibus, etiam agricolis, ſub centeſima poſſunt credi: *Nov. 32. et ſequ.* ob incertitudinem pretii, quod alio tempore maius, minus alio eſſe conſuevit. Hinc etiam ex nudo pacto debentur. *l. 12. C. de uſur.* Per veteres autem leges, quibus olim excedere centeſimam in contractibus his licuit, non intelligendas eſſe XII. Tabulas, ſed quasvis ante Iuſtinianum latas, ſuperiore capite monuimus. Tanta vero antiquitatis erat indulgentia, ut quatuor etiam centeſimas Διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν exigere concederetur. *l. 1. C. Th. de uſur.*

Pergit Imperator, ac reliquis omnibus dimidiam ſolummodo centeſimae; id eſt, ſemiſſes aſſignat: minores negotiatorum, maiores illuſtrium perſonarum uſuris. Nam et fructuum atque utilitatum, quas illi rerum ſuarum uſu potiuntur, eadem eſt ratio: quum neque praeſumantur minus egere, aut uti pecunia, neque opima adeo merces operam et impenſas ipſorum ſequatur. Ait porro: *et eam quantitatem* per totam ſanctionem iſtam (nec enim placet ad ſolas ſemiſſes verba haec referri) pro perſonarum ac contractuum diverſitate determinatam. *etiam in aliis omnibus caſibus nullo modo ampliari.* Quinam vero illi: *In quibus citra ſtipulationem exigi uſurae ſolent.* Egerat hactenus igitur de uſuris ſtipulatis, idem iuris fore aſſerens in iis, quae ex conventione nuda, vel citra ullam con-

ventionem praeſtantur. Praeſtantur autem uſurarum quaedam, atque tum demum ad iudicem earum nomine itur, ſi ſtipulanti fuerint promiſſae: in quibusdam ſtipulatio neceſſaria non eſt, ſed nuda conventio creditori ius exigendi acquirit: nonnullas praeterea et officio iudicis conſequimur. Illius generis ſunt, quae mutuo accedunt, regulariter noſtris quoque temporibus ſtipulationem poſtulantes. An vero id uſurarum odio priſcis legibus ſit conſtitutum; quod poſt ACCURSIUM BARTOLUM, CASTRENSEM clariſſimo viro, PAULO BUSIO *in Subtilitatibus iuris*, contra CUIACIUM aſſerere placuit, merito queas dubitare. Neque enim argumenta ipſius grande adeo momentum trahunt. CAII regula *l. 48. ff. de pactis: In traditionibus rerum, quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtiſſimum eſt:* vel ad dationem ac traditionem a iure nondum formatam, vel ad revocabilem etiam, monente BACHOVIO, ſpectat. Offendit deinde BUSIUS in eo, quod niſi uſurarum odium obſtaret, ſaltem praeſcriptis verbis in factum actionem naſcituram arbitratur. Ex nudo enim pacto per ſe non datur actio: et quamvis in continenti ſtricti iuris contractibus (qualem mutuum quoque eſſe vel dupondii novere) adiectum fuerit, civilem tamen obligationem haut parit. Ubi autem civilis obligatio nulla, ibi nec actio; atque ſic perinde cenſetur, quaſi nulla prorſus conventio interveniſſet. Hinc PAULUS *l. 17. pr. de pactis: Si tibi decem dem, et paciſcar, ut viginti mihi darentur*, quia tale pactum invalidum eſt, ac civiliter pro non adiecto habetur; *non naſcitur obligatio ultra decem:* quandocunque enim expreſſe nihil convenit, tunc *re*, ſola rei traditione, *non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit;* quod ipſum commutativae iuſtitiae ratio depoſcit. Non itaque odio uſurarum obligatio impeditur, ſed quoniam mutuum annumeratur contractibus ſtricti iuris, qui, tradente in *commentario ad Inſtitutionum libros* ARNOLDO VINNIO, ea de cauſa variis adeo arctisque limitibus ſunt circumſcripti, quod altera tantum pars in iis obligat, altera vero obligatur. Hinc, ne temere quis vinculis gravioribus obſtringeretur, illum demum paciſcendi modum valere firmiter legislatores voluerunt, qui publica auctoritate figu-

vid. Magn. Dn. Praeſid. Diſſ. 11, 10.

Subt. 1, 4. 19. Obſ. 27.

ad Treutlerum 1, 6, 10. l. ars b.

ad §. 28. de action.

Digitized by Google

figuratus quaſi, confirmatusque eſſet. Hunc ſtipulationem appellantes, addi ſemper mutuo iuſſere, quoties ad alia, quae ex natura contractus non fluunt, alterum quis cuperet obligatum. Utut igitur certis annis, quod nudo pacto convenerat, ſolviſti, ad praeſtationes eiusmodi tamen in poſterum non obligaris, quam diu ſtipulatio non intervenit. *l. 28. C. de pact. l. 7. C. de uſur.* Ceterum diuturna ſolutio niſi de pacto vel ex ſe, vel ex probatione debitoris conſtet, ſtipulationis praeſumtionem inducit, quam et ſingularis interdum favor confirmat. *l. 6. de uſur. l. 1. C. de fideicom.* Excipiuntur quoque pacta legitima, quae condictionem ex lege pariunt, *arg. l. 6. de pact. iunct. l. un. de condict. ex lege Nov. 162. c. 1. in fin.* non autem actionem praeſcriptis verbis, quod PACIO ad *l. 12. C. de uſuris* placet: quia haec tum demum competit, quum alia nulla ſupereſt, *l. 21. de praeſcr. verb.* niſi per pactum contractus reſolvatur; cuius exemplum habemus in *l. 2. C. de pact. int. emt. et vend.* a PACIO icitata. Legitimum pactum eſt, ſi civitas, pecuniam credens, de uſuris conveniat. *l. 30. de uſur.* Cui adde quae de argentariis; de foenore nautico; de ſpeciebus mutuo datis, paulo ante tradebamus. Haec enim ea de cauſa confirmantur, ne in damnum temere contrahentes incurrant. Quamquam vero nudum pactum actionem nullam parit; tantum valet tamen, ut promittentem naturaliter obſtringat. Leges etenim eiusmodi conventionem non prohibent, ſed tantummodo non confirmant: adeoque admittit culpam, qui fidem non ſervat; quamvis a magiſtratu non cogatur puniaturve. Solutae igitur ex conventione uſurae neque repeti poſſunt, et in ſortem nequaquam computabuntur. *l. 5. §. 2. de ſolut. l. 3. C. de uſur.* Vinculum enim naturale impedit condictionem, atque pactum, quod non valet ad agendum, valet tamen ad retinendum. Quod ſi computarentur uſurae, naturalem pariter ac civilem obligationem tollerent: illam quidem, quia ſolvendo liberamur ab eo, quod naturaliter debemus; hanc, quia pars ſortis eo caſu auferretur. Pari modo pignus quoque uſurarum nomine; vel in ſortem et uſuras ſimul; vel ſimpliciter (non vero in ſortem duntaxat, *l. 11. §. 1. de pign. actione*) datum, intuitu

Bachov. ad Treutl. 2, 17. lit. e.

Digitized by Google

intuitu naturalis obligationis licite retinebis. *l. 4. C. de uſur. l. 8. §. ult. ff. de pign. actione. l. 18. ff. qui pot. in pign.* Civilem obligationem non parit quidem, ſed praeparat ſimplex conventio in bonae fidei contractibus: quia hi mutuae praeſtationis ſunt, in iisque et obligant uterque, et obligantur. Noluerunt ſcilicet veteres in pari cauſa ſeveram adeo legem contrahentibus ponere, et iudicis quoque poteſtatem minus formulae adſtrinxerunt, ut liberum aeſtimandi ius haberet, quid alterum alteri, quamvis expreſſe nihil conventum, ex bono et aequo oporteret praeſtare. PAVLI regula eſt: *Tantundem in bonae fidei iudiciis officium iudicis valet, quantum in ſtipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. l. 7. de N. G.* Inde venit, ut poſt moram acceſſiones officio iudicis praeſtentur, *l. mora. 32. §. 2. de uſur.* utque dies etiam pro homine interpellet. *l. 12. de contrah. ſtip.* Quod aliter fit in contractibus μονοπλεύροις, ſive ſtricti iuris, quorum cauſa minus eſt favorabilis, adeo ut ne a tempore quidem litis conteſtatae uſurae currant. *l. 24. de praeſcr. verb. l. 1. C. de cond. ind.* Necquicquam opponitur *l. 35. de uſur.* nam de uſuris antea debitis accipienda eſt. Quin HONORATVS LEOTARDVS iuxta cum aliis ideo mutuum in contractus ſtricti iuris receptum iudicat, ne ex mora uſurae praeſtarentur. *Multo,* inquit, *aequius videbatur, mutuum inter contractus bonae fidei referre, quam depoſitum, commodatum mandatum, emtionem et alios huiusmodi: quia propter utilitatem et neceſſitatem ſolius recipientis fieri ſolet. Nihilominus tamen, quia mutuum in rebus duntaxat conſiſtit, quae uſu conſumuntur, et illis abſumtis difficilis plerumque eſt earum reſtitutio, cum ſpes ſaepe miſeros debitores fallat, ideoque fere fit, ut moram in ſolutione facere cogantur; veteribus placuit a contractibus bonae fidei mutuum ſecernere, ne uſurae propter moram ex eo contractu deberentur, et debitores fere ſemper in uſuras incurrerent.* Haec praeclara in ſpeciem; verior tamen omnino laudata VINNII eſt ſententia. Et cur non commodatum in iis ponit, quae ſolius accipientis gratia traduntur? Quantum ad legata et fidei commiſſa; certi iuris eſt, ut ob favorem ultimae voluntatis, in quaeſtione de mora, eodem cum bonae fidei iudiciis privilegio

Cuiac. 20. obſ. 14.

Vinn. d. l.

d. tract. de uſur.

legio gaudeant. *l. 3. 43. de uſur. l. 3. C. in quib. cauſis in integr. reſt. non eſt nec.* Neque obſtant Severi atque Antonini, Imperatorum Conſtitutiones, quae legatorum ſeu fidei commiſſorum uſuras ex eo tempore, quo lis conteſtata eſt (quum de bonae fidei iudiciis conſtet, a tempore morae et citra litis conteſtationem uſuras praeſtari) percipi affirmant. *l. 1. et 2. de uſur. et fr. leg.* Nimirum ponitur hic aperte litis conteſtatio, ut de mora eo minus dubitetur, quae interdum ante litem conteſtatam non ſolet committi. *l. 3. pr. de uſur.* Fiſco etiam in quibusvis contractibus, *l. 17. §. 5. l. 43. de uſur.* atque in actione rei iudicatae, ex mora uſurae debentur. *l. 2. C. de uſur. rei iud.* Illic in perpetuum ac ſingularem publicae rei favorem; hic in poenam, ut GELLII verbo utar, impatientiae.

Ait Imperator: *in aliis omnibus caſibus.* Diſerte puta non exceptis. Centeſima enim in uſuris rei iudicatae *tit. C. de uſur. rei iud.* et in caſu *l. 4. C. de aedif. privat.* ſpeciatim permittitur. Quid vero ſentiendum de illis legibus, in quibus *maximarum* et *graviſſimarum* uſurarum fit mentio? per quas vulgo centeſimas intelligunt. PETRVS GREGORIVS, IC. Tholoſanus, (* quem aliquoties ſolo hoc nomine more quorundam citavimus) aliter longe eas putat explicandas. Sed et maximae, inquit, et minores uſurae ſecundum etiam mores et conſuetudinem locorum, *l. 1. de uſur.* et habita ratione negotiorum, intelligendae ſunt, neque nomen maximarum uſurarum ſemper ad centeſimam referendum eſt, ut plerique falſo interpretantur: ut *gloſſ. in l. 1. C. de uſur. pupill.* ut *in l. qui ſine uſuris. 38. de neg. geſt.* et *l. non exiſtimo. 54. de adm. et per tut.* Quare cum TRYPHONINVS reſpondit, tutorem, qui pupilli pecunias clam accepit, condemnari ad maximas uſuras; id explico; ut non ad centeſimas (quia illae ad nauticam et pecuniam traiectitiam pertinent) nec ad communes, ſed ad eas maximas teneatur, quas quis ex pecuniis pupillaribus negotiando vel foenerando conſequi potuiſſet; perpendendo mores diverſos regionum, iuxta *l. tutor. §. ſi poſt. depoſ. et §. quae ſunt. et ſeqq. ff. de adm. et per. tut.* Sic enim etiam iubentur iudices in definitione uſurarum morem et conſuetudinem regionum

Syntag. 22, 3, 45, 46. et 48.

** κατ᾽ ἐξοχὴν eum non male ſic nominaveris: nam ceteri communiter ſe Tholoſates appellant: quamquam et apud Plinium in hiſtoriis Tholoſani vocabulum eodem ſenſu bis uſurpatum video.*

gionum ſequi, dummodo quantitas definitionem legis non excedat. PAVLVS *in l. cum ſervus. 39. §. in uſurarum. ff. de legat. 1. l. 1. de uſur.* Huic vero ſententiae quo minus faveamus, illud facit; quod paſſim et communiter interpretes centeſimam in legibus hisce ſignari ſtatuerunt. Neque potuere VLPIANVS, aut TRYPHONINVS alias denotare uſuras, quum ſimpliciter loquantur; et haec ipſa fuerit olim iure civili maxima, ultra quam, niſi certis caſibus, nulla legibus licita habebatur. Inuſitatum vero eſt, ut legibus alium, quam quo ab auctoribus ſuis prolatae ſunt, ſenſum affingamus. Hoc igitur manet, IVSTINIANVM ipſum de centeſimis eas accepiſſe. Sed utrum per generalem hanc Conſtitutionem ſunt correctae? Haut ſane affirmaverim. Nam certi iuris eſt, ſpeciali legi univerſalem, niſi expreſſe id fiat, nihil derogare. *l. 32. §. 6. C. de appellat.* Suadet adhuc ratio ſumma, ut uſuras communibus maiores, quoniam in poenam exiguntur, ponamus. Maiores autem illae non ſunt, quas quis maximas, pro diverſitate morum ac regionum, conſequi poterat (nam has omnes reliquis Iuſtinianus exaequavit) ſed quae uſuras conſtitutione noſtra praefinitas excedebant. At vero nihil de earum quantitate in Codice reperitur ſancitum: igitur conſequens eſt, leges iſtas, ex recepta Iureconſultorum ſententia, de centeſimis intelligi debere.

Pergit Imperator, et uſuras etiam, moribus in diverſis regionibus introductas, ita moderatur, ut praeſentem hanc taxationem iudici nullo modo liceat excedere: ſive de promiſſis ferenda ſententia; ſive ob moram officio iudicis fuerint aſſignandae. Non autem eo haec extendenda, ut quincunces, aut trientes, aut leviores uſurae in provincia frequentatae. *l. 7. §. 10. de adm. tut.* augeantur. Quod ſtatuendum quoque, ſi lege ſpeciali minores dictae ſunt; quales occurrunt *l. 17. §. fin. de uſur. l. fin. §. 2. C. de iure dot.* Quid vero, ſi quis aliquid contra modum huius fecerit conſtitutionis? Ait Imperator: *Nullam penitus de ſuperfluo habeat actionem.* Valebit igitur ſtipulatio uſurarum, in quantum non ſuperfluae, ſed civili iure permiſſae ſunt, *l. 9, 20. 29. de uſur.* quum utile per inutile, modo ſciungi poſſit, non debeat vitiari. *c. 37. de reg. iur. in 6.* Multo autem

autem minus acceſſorium hoc totum contractum reddet irritum, niſi diſerte in poenam creditoris ita conſtituatur. Exemplum *Novella 32.* ſuppeditabit. Nondum itaque ſolutae uſurae ultra licitum modum peti nequeunt, ſed etſi accepit creditor, in ſortem eas imputare compellitur, aut poſt ſortem ſolutam reſtituere tanquam indebitas tenetur. *l. 26. de cond. ind. l. 18. C. de uſur.*

Tranſit Imperator ad fraudes et machinationes, quibus eludere creditores praeſcriptum uſurarum modum ſolebant. Plerique etenim, initio contractus vario ſortem praetextu deminuentes, in ſyngrapha aut chirographo integram, ſtipula- *vid. Gronov.* tasque totius ſummae uſuras ſcribi curabant. Duos hic prae- *de Seſt. p. 473.* cipue caſus recenſet Imperator, quorum nomine de pecuniis foenori dandis detrahebant aliquid, vel retinebant. *Siliqua* finiente ISIDORO, viceſima quarta pars ſolidi eſt, ab arboris ſemi- *vid. Gron. de* ne vocabulum tenens. Hinc onus *Siliquatici;* ſic dictum, quod *ſeſtert. in fin.* a negotiatoribus nundinis quibusque, ex qualibet mercium negotiatione, dimidia ſiliquae ab emtore, dimidia a venditore, conſtituentibus THEODOSIO et VALENTINIANO A. A. aerario *Cuiac. 16.* inferretur. *Sportularum* vocabulum ortum ex prandio vel coe- *Obſ. 23.* na, quae in panariolos vel ſportellas coniecta dabatur clienti- *vid. Cuiac. ad* bus. Deinde et ſalaria, congiaria, diaria, honoraria denota- *tit. C. de ſportulis.* runt. Sic ſportulae appellantur mercedes exſecutorum; Graecis *ἐκβιβαστικά l. 33. §. 5. C. de Epiſc. et cler. l. 12. §. 1. C. de prox. ſacr. ſcrin. l. ult. C. de fruct. et lit. expenſ.* Sub harum igitur ſiliquarum ac ſportularum praetextu, quaſi vel tabellionibus pro ſcribenda cautione; vel exactoribus, pro pecunia exigenda; vel collectae, aut alio etiam nomine deberent praeſtari, de ſorte creditores aliquid retinebant. Atqui geminus inde quaeſtus; nam et ſiliquae ſive ſportulae eis cedebant lucro; et debitor, quamdiu utebatur pecunia, graviores, quam pro accepta ſorte, uſuras pendere tenebatur. Occurrens vero malo huic Imperator. *Si quid huiusmodi,* inquit, *factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur,* debitor ultra id, quod datum eſt, non obligabitur, *ut tam ipſa minuenda pars,* ut neque portio illa ſiliquarum nomine, vel ſportularum, vel

 alterius

alterius cuiuscunque cauſae gratia recisa ac reſervata, *quam uſurae eius* portionis, *exigi prohibeantur.* De cetero ſolutae ſi fuerint, condictione indebiti recte repetuntur. Quae enim vetante magiſtratu conventio initur, ea ne naturalem quidem obligationem parit. *arg. l. 7. §. 16. de pact. l. 5. C. de LL.* Sequitur iam nova fallacia, priſcis et Iuſtiniano longe prioribus ſeculis haut incognita. Quum etenim L. Genutius ad plebem tuliſſet, ne omnino foenerare liceret; mox in fraudem avariſſimus quisque conſilia vertebat. Transſcriptis igitur in ſocios, qui legibus hisce non tenebantur, nominibus, libero debitores foenore obruebant. Sed facile dolus deprehenſus. Hinc iterata per M. Sempronium, tribunum plebis, rogatione ſciſcebatur, ut cum ſociis ac nomine Latino pecuniae creditae ius idem, quod cum civibus Romanis, eſſet. IVSTINIANVS alia adhuc ratione hanc uſurarum improbiſſimarum viam intercludit. Ait: *Machinationes etiam creditorum, qui ex hac lege prohibiti maiores uſuras ſtipulari, alios medios ſubiiciunt, quibus hoc non interdictum eſt*, puta ſi illuſtres perſonae, aut agricolae, argentarios vel negotiatores interponant, quorum ope beſſes ſtipulentur; *reſecantes*, irritas eſſe volentes, *iubemus, ſi quid tale fuerit attentatum, ita uſuras computari, ut neceſſe eſſet, tanquam ſi ipſe, qui alium interpoſuit, fuiſſet ſtipulatus.* Haec diſerte conſtituuntur; quum legislatori alias, quod fieri non vult, generaliter tantum prohibuiſſe ſufficiat, ceteraque quaſi expreſſa ex legis liceat voluntate colligere. *l. 5. C. de LL.* Ait porro: *in quo caſu etiam ſacramenti illationem locum habere ſancimus.* Quotiescunque ſcilicet haut vana coniectura eſt, fallaciae aliquid creditorem moliri. Hinc regula interpretum: Uſurariae pravitatis praeſumtionem iuramento purgationis creditorem onerare. Nondum vero omnes foeneratorum machinas Imperator detexit. Neque unquam tantus earum numerus inietur, quin novas ſubinde excogitet ingenioſum in perniciem fortunarum noſtrarum genus. De Gallia teſtatur BAVDIVS *in commentario de foenore: Tot latebrae, tot effugia reperta ſunt ad eludendam elidendamque omnem animadverſionem, ut vix unquam liquido pronunciare poſſit cognitor, ſatis quaeſitum videri.*

Liv. l. 35.

videri. Sic interdum legitimis uſuris, in ſtipulationem deductis, poenam inſuper adiiciebant. Quin etiam, ne ſtipulata in ſingulas Kalendas poena uſuras nimium redoleret, unam in omnem ſortis uſum penſionem poſtulabant, quae ſaepe *alterum tantum;* id eſt, tantundem ſemel, quantum in ſorte datum, erat. Ad haec, dilata nonnunquam uſurarum ſolutione, quum ſatis creviſſe viderentur, nova easdem ſtipulatione in ſortem redigebant, callide ac per fraudem uſuras uſurarum exigentes. Iſta vero univerſa deinceps prohibita et publicis interdicta legibus fuerunt. *l. poenam. 44. de uſur. l. 15. 16. C. eod.*

vid. Hotom. Epit. in π. 22, 1, 27 et 29.

Numquid vero alia nulla in foeneratores animadverſio? Coërcebantur antiquitus poena quadrupli, quae deſuetudine poſtmodum abrogata atque in infamiam mutata fuit: *l. 20. C. ex quibus cauſis inf.* ut nemini tamen infligatur temere, niſi qui foenus illicitum conſtanter, et tanquam artem quandam exercuerit. An ipſo iure uſurarius infametur, quaeſtionis eſt. Affirmat BACHOVIUS, rationibus ſatis validis ſubnixus. Non abſurde vero dubitare poſſes, annon futuri temporis verbum, in conſtitutione iſta uſurpatum, ſententiam iudicis manifeſte videatur depoſcere. Namque alias poenae, ipſo iure infligendae, praeſentis aut praeteriti temporis vocabulo ſignantur. De extraordinaria, et quidem criminali animadverſione obiter monemus, certum eius nullum in Romanis legibus occurrere veſtigium. Diſceptari etiam conſuevit, ad quodnam forum quaeſtio et cauſae uſurarum pertineant. Interpretes legis noſtrae ad civilem poteſtatem ſpectare, argumento verbi *iubemus* contendunt. Neque eſt ratio cur eccleſiaſtico foro iudicium earum attribuamus. Quin tantum abeſt, ut ius Pontificium laico cognitionem harum cauſarum eripiat; ut potius adiudicare unice videatur: *c. poſt miſerab. de uſur.* quod neutiquam fieret, ſi ad eccleſiaſticum tantum forum crimen hoc referreretur. *iuxta c. tuam. de ord. cognit.*

Bachov. ad Treutl. 2, 3. 5, l. c.

Bachov. d. l.

Hactenus Imperatori operam ſtylumque commodavimus: pauciſſimis nunc, nec niſi indicis ritu commemorare habemus, quantum a Conſtitutionibus illius tempora noſtra decli-

clinaverint. Communi vero iure comparatum eſt, ne ultra quincunces uſurarum nomine cuiquam exigere liceat. Neque mercatorum hac in re melior cauſa, niſi diuturna conſuetudine aliud in mores fuerit inductum. Receſſus Provinciales in Electoratu Saxonico, A. MDCXXVIII. et ſequentium, ſpeciatim indulgent, ut ſextus adhuc florenus, collectae Magiſtratui ſolvendae gratia, accedat. Creditores praeterea, qui pluris ſua intereſſe probare volunt, audiuntur: quod ſi fruſtra et falſi fuerint, etiam quincuncibus excidunt. Hoc quoque notandum, a tempore litis conteſtatae in mutuo; itemque a die contumaciae, quae conteſtationis numero habetur, quincunces loco intereſſe recte peti. Quanquam autem fructum ſaepenumero maiore ex ipſo rerum noſtrarum uſu percipimus: placuit tamen prudentiſſimis conditoribus legum: ne vel ingraveſcerent uſurae nimium; vel idem emolumenti ad otioſos et ſecuros caſuum rediret: ut quincunces tantummodo promitti poſſent, aut per iudicium aſſignari. Qui quidem modus meliorum fundorum reditibus reſpondet, viceſio demum anno exaequans ſortem. Poenae feneratorum iſtae ſunt. Ipſi contractus infirmantur, et quarta inſuper ſortis pars, in Electoratu vero Saxonico integra ſors, fiſco cedit, et arbitraria interdum fuſtigationis, relegationis, aut carceris poena delinquentibus irrogatur. Quae univerſa ac ſingula copioſe viri doctiſſimi, in iisque praecipue BENEDICTVS CARPZOVIVS, expoſuerunt. Ad hos lectorem meum fas erit delegare. Nobis enim ſubſiſtendum aliquando eſt, ac faciendus commentandi finis. Et forſitan videbimur quibusdam cum Albutio Rhetore non quae debebant dici, ſed quae poterant, dicere voluiſſe. Tu, erudite Lector, ſi quae nondum excuſſa ſatis, et minus elaborata; ſi quae alia humanae imbecillitatis veſtigia deprehendes, facile ignoſces non omnia pervidenti. Quod in chirographo ſuo Caeſar Auguſtus ſape non literas modo, ſed ſyllabas aut permutabat, aut praeteribat, communi hominum errori tribuit SVETONIVS. Obrepunt ſcilicet ut ſcribentibus, ſic et meditantibus ſui errores; quos optimus quisque ſolicite fugit; effugere, niſi cognata coelo, et proxima DEO mens non poteſt.

Ant. Faber in Cod. 4. 24, 2. Adde Carpz. 2, 30, 2 et 3.

Faber in Cod. 4, 24, 2.

Vid. Coler: de Proceſſ. Execut: 1, 10. Carpz. 2. c. 30. Prax. crim. 2. 92.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII

ICti

DISSERTATIO

DE

COMPETENTIA FORI

RESPONDENTE

IO. BALTHASARO WALDHAVSER

RATISPONENSI

IENAE. D. MARTII CIↃ IↃC LXX.

QUi rei alicuius materiam pertractandam ſibi proponunt, plerumque ab ipſius rei commendatione exordium ſolent petere, ut inſtituti rationem non tam exornent, quam lectorem, iucunditate et utilitate materiae propoſita, attentiorem faciant. Nos, materiam de FORI COMPETENTIA tractaturi, ulteriori laude eam non exornabimus, per ſe enim eſt conſpicua, et ob ſui excellentem, quem in praxi cumprimis praebet uſum ſeſe reddit commendabilem. Certi autem et indubitati iuris eſt, quod ſi Actor Reum ex quacunque cauſa ſibi obligatum convenire, ſuumque ab eo conſequi velit, eius forum ſequi teneatur; *l. 2. C. de iurisd. om. iud. l. f. C. ubi in rem act. ibique* DN. BRVNNEMANNVS quod quibus modis ſortiatur in ſequentibus dicturi erimus. Cum vero bono quae ſunt inchoata principio bonum ſortiri exitum praeſumantur, *arg. l. 11. C. qui dar. tutor.* et hinc univerſa bene geri dicantur, ſi rei principium fiat decens et amabile Deo, *Nov. 6. in praef.* itaque ſecundum praeceptum Imperatoris noſtri in *l. 1. pr. C. de I. U. E. et l. 1. C. de offic. Praef. Praet.* Tuum o Trina Poteſtas invoco auxilium.

Digitized by Google

CAPVT I.
Generalia tractat.

Aph. 1.

ANtequam ad modos, queis Reus ſortitur Forum, progrediamur, pauca quaedam de vocabuli FORUM ſignificatione praemittemus.

2 Vocabulum FORUM, omiſſis variis illis acceptionibus,
3 quas refert CALVINVS *in ſuo Lexico Iuridico*, in noſtra hac materia ſignificat 1. territorium cuiusque Iudicis, intra quod iu-
4 risdictionem ſuam exercere poteſt. arg. *l. 239. §. 8. de V. S.* Vel 2. do eſt locus, ubi ius redditur, ſeu eſt exercendarum litium locus. *c. forum. X. ext. de V. S.* vid. DN. HAHNIVS *ad Weſenbecium,*
5 *ad tit. de iudic. n. 16.* ZOESIVS *ad d. tit. n. 68.* Hinc deſcribitur forum in hoc ſignificatu a Magnifico DN. STRAVCHIO, Patrono meo ſemper venerando, *Diſſert. ad Ius Iuſtin. 21. θ. 13: quod ſit locus, exercendarum litium cauſa neceſſario a litigantibus adeundus.* Dictum autem eſt Forum (ut M. VARRO, graviſſimus Autor, ſcribit *lib. 1. de ling. lat.*) a ferendo, quod in eum locum litigantes controverſias deferant, ſicuti negotiatores res, quas
6 vendere cupiunt. In Iure noſtro ſi reperiatur, ſemper ſubintelligitur aliud adhuc verbum, nimirum competens, ideſt, proprium, congruens; vel incompetens, incongruum, alienum, vide GOTHOFREDVM *ad rubr. de iurisd. omn. iud.* Iure Saxonico *ein Hand-Mahl, eine bequemliche ordentliche Gerichtsſtatt*, quaſi quis eo loco, ſe iuri ob temperaturum, manu propria iuraverit. Vid. WEHNERVM *obſ. pract. voce Handgemahl.*

Habetur autem iudicium et a magiſtratu, et a litiganti-
7 bus: ab illo active, ab his paſſive; indeque, quando quaeritur: An forum competens ſit nec ne? ex utriusque perſona id di-
9 iudicandum venit. Iudex forum competens habet, ſi limites, quibus circumſcripta eſt ipſius iurisdictio, obſervet. Limites autem illi circumſcribuntur quoad perſonas, cauſas, locum et
10 ordinem. vid. DN. HANIVS ad *Weſenbecium, ad tit. de iudic. n. 16.* Inter litigantes forum aeſtimatur ex perſona rei. Hnc regula: Actor forum Rei ſequitur. A qua excipitur iudicium diffama-

Digitized by Google

famationis, nam diffamatus, licet reus ſit (ratione cauſae principalis, ſi contra ipſum intentetur) privilegium habet impetrandi citationem *ex l. diffamari 5. de ingen. manumiſ.* in ſuo foro adverſus diffamatorem, ut veniat in hoc, et diffamationem probet, vel perpetui ſilentii impoſitionem ſuſtineat. Secus ſe 11
res habet in iudicio principali, ubi ipſe diffamator actor eſt, cum ſic diffamando provocet, adeoque actoris partes ſuſtineat. GAILIVS *1. obſ. 9.* HAHNIVS *ad Weſenbecium tit. de iudic. n. 16.* & Magnificus DN. RICHTER *part. 2.* ubi per *totam deciſionem 100.* elegantiſſime hanc deducit materiam. Sortitur vero forum reus 12
vel iure communi, vel ex privilegio: vid. Magnificus DN. STRVVIVS *Ex. IX. §. 13.* DN. HAHNIVS *ad Weſenbecium de iudic. n. 16.* Hinc eſt vel commune, vel etiam ſingulare. Magnif. DN. STRAVCH, citata *Diſſ. 21. Aph. 13.* Ordinarium iure communi, vel ex perſona alterius quis habet, ut 1) heres, qui in foro defuncti recte convenitur, licet ratione ſuae perſonae imperio illius magiſtratus ſubiectus non ſit. *l. 19. de iudic.* 2) Defenſor, ſive voluntarius, ſive neceſſarius, ut venditor in cauſa evictionis *l. 49. de iudic.* 3) Libertus ex perſona Patroni *l. 22. in pr. ad municip.* Sed de his in ſubſequentibus. Vel ex ſua quinque modis, et 1) quidem ratione domicilii; 2) ex contractu; 3) ratione delicti; 4) rei ſitae, et 5) ob continentiam cauſae vid. Zanger *de Except. p. 2. c. 1. n. 8.* VVLTEIVS ad *l. 2. C. de iuriſd. n. 9.* HILLIGER *ad Donellum lib. 17. c. 12.* TREVTLERVS vol. *Diſp. III. §. 8.* De ſingulis hiſce modis ſigillatim nobis nunc agendum erit.

CAPVT II.

De Foro domicilii.

Aph. 1.

SOrtitur itaque reus forum, quod actor ſequitur, 2) ratione patriae ſeu domicilii, quod bipartitum facimus: vel 2
enim eſt commune, vel proprium ſeu privatum, vid. Magnif. DN. STRAVCH. *Diſſert.* XXI. §. 15. DONELLVS *lib. 17.* 3
c. 12. VMMIVS *diſp. 4. §. 1. n. 6.* GEORG. NICOLAI *c. 19. n. 7.* Forum domicilii commune fuit civitas Roma omnibus Romano imperio

Digitized by Google

perio ſubiectis, *l. 2. §. 4. 5. l. 24. de iudic. l. 33. ad municip.* ſi Romae
erant, nam ex ſua civitate abſentes evocari non poterant. *l. 2.*
4 *§. 4. ff. de iudic.* Magnif. DN. STRAVCH *d. Diſſert.* XXI. *aph. 15.* Ini-
tio quidem omnes, extra urbem qui erant, pro peregrinis ha-
bebantur, ſed ſenſim quibusdam municipibus, poſt omnibus
Italis, et paulatim quibusdam provinciis, et tandem conſtitu-
tione Antonini omnibus Imperii ſubditis ius civitatis Romanae
5 datum. *l. 17. de ſtat. hom.* DN. STRVVE *Ex.* IX. *θ. 14.* Hodie vero,
ex quo Roma ſedes Pontificis reddita, MATTH. STEPHANI *1. de iu-
risd. 28. n. 20.* et mutata Imperii forma eſt, non amplius patriam
communem eſſe eorum, qui Imperio ſunt ſubiecti, facile
6 patet, ſecundum DONELLVS *lib. 13. comm. c. 17.* Quamvis vero
putet IMOLA et ANTON. de BVTRIO *in c. ult. X. de for. Compet.*
hodie in curia et aula imperiali quemque conveniri poſ-
ſe, ſi ibi verſetur, niſi ex neceſſaria cauſa iure revocandi
domum uti poſſit: et hoc etiam caſu conventum cogi poſſe
praeſtare cautionem iudicio ſiſti et de reſpondendo in foro
7 ſuo, uti tradit MATTH. STEPHANI *c. 28. n. 21.* et IOH. MONACHVS
pract. iudic. p. 2. c. 6. n. 16. rectius tamen negatur. Ius enim pri-
marum inſtantiarum, quod hodie obtinet, non admittit, ut
ſtatim quis conveniatur in ſupremo iudicio. *Cammer-Ger.
Ordn. p. 2. tit. 1.* DONELLVS *c. 13. lib. 17.* PETR. FRIDERVS *lib. 1. proc.
c. 16. n. 1.* Aliud tamen commune Imperii forum ſtatuit. GAILIVS
2. obſ. 3. n. 36. add. DN. STRVVIVS Exerc. IX. *θ. 15.* Ex quibus patet,
quod omnes exteri poterant Romae conveniri, ſi ibi erant; *l.
2. §. 4. d. iudic.* niſi ius eſſet domum revocandi, quod fuit le-
gatis, et qui neceſſaria de cauſa, teſtimonii, tutelae reddendae,
9 iudicandi accerſiti. *d. l. 2. §. 3. de iudic.* Hoc ius revocandi
domum Doctores generalius uſurpant, quoties enim
quis alibi, quam in domicilio conventus forum declinare pot-
eſt, dicunt habere ius revocandi, ut, ſi v. gr. in domicilio ori-
ginis conveniatur, poſſet revocare ad domicilium habitatio-
nis: vid. ZANGERVM *p. 2. de except. l. 1. n. 29.* DONELLVS *lib. 17. c. 13.*
ſicuti etiam quibusdam civitatibus Imperialibus datum, ut ci-
ves non poſſint extrahi, extra urbem IOH. MONACHVS *Pract. iu-
10 dic. p. 2. tit. de iur. revoc. dom. in praef.* Forum domicilii pro-
prium

Digitized by Google

prium ſeu privatum, uti volunt HAHN *in comm. ad Weſenbecium* et Dn. NICOLAI *in proceſſ. p. 1. c. 19. n. 7.* iterum duplex eſt, naturale ſcilicet, ſive originis, et accidentale, ſive habitationis in ſpecie ſic dictum. Magnif. Dn. STRAUCH *Diſſert.* XXI. *aph. 15.* Il- 11
lud eſt locus nativitatis, quod natura tribuit, et unde quis et Parentes eius oriundi ſunt. *l. 7. C. d. incol. lib. x. l. 6. §. 1. ad municip.* Pro quo ſemper ſtat praeſumtio tamdiu, donec mutatio fuerit probata, *arg. l. 6. pr. et l. 17. §. 11. ad municip.* adeo ut 12
de iure quoque Romano ſit immutabile; et licet quis domicilium alibi conſtituat, origine tamen ſe eximere non poteſt. *l. 4. 5. C. ad municip. l. 6. ff. eod.* Peculiaris tamen eſt ratio 13
originis per adoptionem conſtitutae, quod cum per emancipationem deſinat eſſe filius, etiam civis eius civitatis, cuius per adoptionem fuerat civis factus, eſſe deſinat. *l. 16. ad municip.* Sic etiam foemina adeo mariti domicilium ſequitur, ut ius originis amittat. *l. un C. d. mulier. in quo loc. mun.* Effectus 14
domicilii originis ſaltem in munerum et honorum civilium delatione ac iniunctione, non vero in foro ſortiendo, vel iurisdictione ſubeunda, niſi quis in loco nativitatis ſuae Parentumve reperiatur, conſiſtere ſtatuunt MONACHVS *in pract. Iudic. p. 2. c. 16. pr. n. 9.* GAILIVS *2. obſ. 36. n. 11.* RITTERHVSIVS *c. 10. n. 17.* DN. CARPZOVIVS *in reſp. Elect. lib. 2. t. 2. reſp. 21. n. 7. 8. 9.* Hodie 15
vero effectus hic domicilii originis generali Germaniae uſu non obtinet, ſed alibi domicilium conſtituens neque quoad honores et munera, neque quoad iurisdictionem ius originis retinet. PAVERMEISTER *de iurisd. lib. 1. c. 8. n. 38.* MATTH. STEPHANI *lib. 1. c. 28. n. 57.* DN. CARPZOVIVS *in proceſſ. tit. 1. art. 2. n. 59. 60.* GAILIVS *2. obſ. 36. n. 7.* VVLTEIVS *ad l. 2. C. de iurisd. n. 18.* Magnif. DN. STRAVCH *Diſſert.* XXI. *aph. 15.* Et ſic hodie quoad forum ſor- 16
tiendum praecipue attenditur domicilium privatum accidentale, habitationis ſcilicet, quod deſcribitur: quod ſit locus, in quo quis habitat eo animo, ut ibi perpetuo conſiſtat, niſi quid avocet. *l. 7. C. de incol.* GAILIVS *2. obſ. 25.* OBRECHT *de iurisd. lib. 3. c. 11. n. 9.* SCHOTANVS *Diſſ.* XXII. *θ. 7.* Ad huius igitur con- 17
ſtitutionem requiritur 1. animus, qui conſiſtit in propoſito ſeu

Digitized by Google

voluntate permanendi, et 2. ipſum factum, ſeu actualis inha-
18 bitatio, quae duo ſemper copulative requiruntur, cum ex ſo-
la domus inhabitatione, et ſi quis in civitate focum et ignem
teneat (*ſein eigen Rauch und Licht hält*) vel immobilium rerum
acquiſitione, et acquiſitarum poſſeſſione domicilium non con-
ſtituatur, *l. 17. §. 13. ad municip.* ſed ex voluntate cum habitatio-
ne coniuncta. ZANGER *c. 1. n. 12. 13. 14.* DONELLVS *lib. 17. c. 12.*
19 MATTH. STEPHANI *c. 28. n. 41.* Non itaque ſola habitatio, ſed
potiſſimum animus ſedem fixam habendi *l. 7. C. de incol.* requi-
ritur. DN. STRAVCH *Diſſert.* XXI. *aph. 15.* Perpetuitate itaque
manendi, et animo conſiſtendi deficiente, v. gr. ſi quis ad tem-
pus legationis, mercatus, aut ſtudiorum cauſa quodam in lo-
co commoretur, minime dici poteſt, quem domicilium iſto
in loco conſtituiſſe. ZANGER *d. c. 1. n. 13.* DONELLVS *lib. 17. c. 12.*
20 DN. CARPZOVIVS *proc. iur. tit. 1. art. 1. n. 33.* Quod autem quis con-
ſtituerit domicilium, colligi poterit ex nonnullis coniectu-
ris, animum perpetuo commorandi oſtendentibus, quales
ſunt, 1) ſi quis in aliquo loco maiorem bonorum partem poſ-
ſideat, *l. 2. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* modo ibidem quis ut pater
21 Familias inſtruxerit *l. 27. §. 2. ad municip.* 2) Si quis ius civita-
tis impetraverit, ibidemque habitaverit, *wann er das Bürger-
recht erlanget*: CARPZOV *reſp.* XXI. *n. 27.* MATTH. STEPHANI *de Iu-
22 risdict. lib. 1. c. 28. n. 71.* aut 3) ſi matrimonium contraxerit, et
habitationem inſtituerit, praeſertim ſi de uxoris domicilio
agatur, quae mariti forum ſequitur. Licet et maritus ex ma-
trimonio ſaepe nanciſcatur domicilium uxoris, quando ce-
lebratis nuptiis domum ac bona intrat uxoris, *wann der Mann
23 zum Weibe einfreuet.* DN. CARPZOV. *reſp.* XXI. *et* XXII. Coeterum,
praeter modo dicta paucis attingendum 1) appellatione do-
micilii in dubio habitationis intelligi DONELLVS *c. 12. lit. B.*
2) pluribus Rei domiciliis concurrentibus, electionem eſſe
Actoris. *arg. l. 4. de eo quod cert. loc.* ZANGER *c. 1. n. 95.* CARPZOV
in proc. art. 1. n. 49. 3) Actorem forum domicilii rei ſequi tum
in civilibus, in perſonam vel rem, *l. 2. C. de iurisd.* tum in cri-
24 minalibus. *l. 5. pr. C. de iurisd.* Excipiuntur vero quaedam per-
ſonae,

Digitized by Google

ſonae, in quibus conveniendis non ipſarum, ſed aliarum conſideratur domicilium, ſicuti 1) uxor et vidua ſequuntur forum mariti; *l. 22. §. 1. ad municip.* 2) liberti et eorum liberi, qui ſequuntur forum Patroni; 3) propter defunctum heres, quod ratione ſuae perſonae ibi non ſit ſubiectus *l. 19. de iudic.* nec enim ex perſona defuncti mutatur obligatio, *arg. l. 2. §. 1. de V. O.* et heres hunc repraeſentat. *l. 34. de iudic.* DN. FRANTZKIVS *in comm. de iudic. n. 9.* DN. HAHN *ad Weſenbecium, tit. de iudic. n. 16.* Magnif. DN. STRAVCH *Diſſert.* XXI. *aph.* 14. Et haec de foro domicilii, quod adeo generale eſt, ut cum reliquis fere omnibus concurrat. Reliqua, quae huc referri poſſent, hac vice nolumus proponere, ſed pergimus ad alterum modum ſortiendi forum.

CAPVT III.

De foro contractus.

Aph. 1.

CONvenitur II. etiam reus, ſeu forum ſortitur, propter contractum, et recte convenitur in loco contractus, aut deſtinatae ſolutionis, ut maxime ibidem domicilium non habeat. *c. 17. et ult. X. de for. compet. l. 19. pr. et §. 1. ff. de iudic.* ZANGER *c. 1. n. 107.* HILLIGER AD DONELLVM *lib. 17. c. 14.* 2
Hoc duplex ſtatuitur; 1) quod habet reus ex prorogata iurisdictione, ſeu propter expreſſam conventionem, hoc eſt, ſi quidam expreſſa conventione ſe alterius iurisdictioni ſubiiciant, *c. 18. X. de for. compet.* GAILIVS *1. obſ. 4. 45.* GRAEVAEVS *1. concluſ. 40. n. 11.* OBRECHT *lib. 3. de iurisd. c. 16.* ZOESIVS *de iudiciis n. 88.* quod tamen non obtinet, niſi in cauſis eiusdem qualitatis. Ideoque iudex criminalis ex prorogatione iudicare non poteſt in cauſis civilibus, nec hic in illis, aut iudex appellationis, aut Feudalis, Eccleſiaſticusve, in aliis diverſi generis cauſis, cum in his pro privato habeatur. Magnif. DN. STRAVCH *Diſſ. ad Ius Iuſtin.* XX. *aph. 5.* Hodie tamen prorogationi, niſi 4

Ccc 2 con-

conſentiente ſuperiore, locum non eſſe docet GRAEVAEVS *I.*
concl. 40. n. 11. DN. HAHN *ad Weſenbecium tit. de iudic. n. 16.* Nec
contrariatur, quod hodie obligationis inſtrumentis videamus
ſaepius inſeri clauſulam; *daſs man einen vor allen auch geiſtli-*
chen Gerichten vornehmen kœnne. BESOLDVS *in theſauro pract.*
5 *verb. geiſtl. iuriſdiction. n. 26.* 2) Sortitur Reus forum, ubi ipſe
contractus de negotio civili inter contrahentes perfecte cele-
bratus, *l. 19. §. 1. 2. & l. 20. ff. de iudic.* licet alio loco fuerit con-
firmatus. SICHARD *in l. 9. C. de negot. geſt.* DN. STRAVCH. *Diſſert.*
6 XXI. *aph. 16.* Et ſi inter abſentes per literas contrahitur, lo-
cus contractus dicitur, ubi utriusque partis conſenſus con-
iungitur, ubi nimirum literae acceptatae. BERLICHIVS *deciſ. 37.*
7 DN. STRVVE *Exerc.* IX. *θ.* 40. Praeterea tacite quoque ex con-
tractu nanciſcitur forum quis, qui ad iudicem in competen-
tem vocatus non opponit exceptionem fori declinatoriam,
8 *l. 1. C. de iuriſd. l. f. de excep. it.* Actor quoad reconventionem
l. 14. C. de ſentent. & interloc. Nam agens coram iudice Rei,
ab eodem reconventus coram eodem, eum ut incompetentem
non detrectat, quod cuius in agendo obſervat iudicium, eum
contra ſe habere iudicem non debeat dedignari. *l. cum Papi-*
nianus. 14. & authent. & Conſeq. C. de ſentent. Idem colligitur
ex *l. 21. ff. de iudic.* ubi, qui non cogitur in aliquo loco iudicium
pati, ſi ipſe ibi agat, cogitur et excipere actiones; quod etiam
iure Canonum eſt ſtatutum. *vid. tit. X. de mutuis petit.* vid. ZOE-
9 SIVS *de iudic. n. 87.* 3) Sortitur quis forum, ubi promiſit ſe ſo-
luturum: *l. 19. §. 4. de iudic.* et hoc procedit in quocunque con-
tractu, ſive ille verus ſit, ſive quaſi contractus, *l. 19. §. 1. 2. de iu-*
dic. cum veriora ibi documenta praeſtari poſſint, ubi negoti-
um geſtum, *l. ult. C. ubi de ratiocin. tam public. quam priv.* DO-
10 NELLVS *lib. 17. c. 14.* Quod ampliatur, ſive ad eius impletio-
nem, ſive reſciſſionem ac diſſolutionem agatur, *l. 14. C. de non*
num pec. vid. Magnif. DN. STRAVCHIVS *cit. loc.* ſive contrahentes
clerici ſint, ſive laici, *c. f. X. de for. compet.* ZANGER *de except.*
p. 2. c. 1. n. 107. VMMIVS *diſp. 4. θ. 1.* HILLIGER *ad Donellum lib. 17.*
11 *c. 14.* dummodo tempore inſtituti iudicii praeſens ſit reus, et
in

Digitized by Google

in loco contractus, vel deſtinatae ſolutionis reperiatur, et
ibidem confeſtim non ſit diſceſſurus. GAILIVS *2. obſ. 36. n. 14.*
ZANGER *c. 1. n. 73.* Quod de iure civili ſecus eſt, ubi non at- 12
tenditur, an in loco contractus reperiatur, nec ne, *arg. l. 19.*
§. 1. de iudic. Nov. 96. c. 1. §. 1. alias enim actor in bona rei mit-
titur *l. 19. §. 1. ff. de iudic.* Si tamen hodie in loco contractus 13
bona alicuius, licet abſentis, reperiantur, tunc Arreſto uti li-
cebit, ut aut reſpondeat, aut ob contumaciam miſſionem in
poſſeſſionem fieri patiatur. DN. MAEVIVS *de Arreſt. c. 12. n. 8.* Sin 14
vero incolae cuiusdam civitatis gaudeant privilegio de non
evocando? Nihilominus eos in foro contractus recte conveniri
exiſtimamus, quia illud privilegium non videtur excludere
illam fori competentiam, quae venit ex ipſius rei, de qua agi-
tur, natura. CARPZOVIVS *l. 2. reſp. 29.* Aliquando vero huic 15
foro contractus locus non eſt, ſi expreſſe ita conventum, *l. 19.*
§. 2. de iudic. licet ex intervallo, quia et inde reo ſua exceptio.
vid. DONELLVS *lib. 17. c. 14.* Excipitur porro ab eo tempus nun- 16
dinarum, quibus hoc datum, ut ad eas veniens de debito alio
tempore contracto non poſſit conveniri: *l. 1. c. de nundin.* DN.
STRAVCH. *citat. diſſert. aph. 16.* ut et mercator, advena, in quo re-
quiritur, ut ſit viator confeſtim diſceſſurus, nec merces venum
expoſiturus, et ut alter contrahens id ſciat. DONELLVS *lib. 17.*
c. 14. 3) etiam maritus non poteſt conveniri in loco, ubi do- 17
tem accepit, *l. 65. de iudic.* id enim actum, quia dos datur ma-
trimonii cauſa, cuius conditio, ut uxor ipſa in domicilium
mariti veniat ergo et res: cum ipſo contractu matrimonii fiat
mutatio fori, ergo locus is ſpectatur, in quem fit migratio.
MATTH. STEPHANI *c. 29. n. 58.* Cumque uxor, viro ſubiecta, 18
eius domicilium ſequi cogatur; videtur ſolutio dotis exigen-
dae, et omnis virtus, qualitas et effectus eiusdem conferri in
locum domicilii mariti. GOMEZ *in l. Tauri 50.* ROBERTVS *1. ſen-*
tent. 4. DONELLVS *lib. 17. c. 14.* Denique locus conſtituti non 19
inducit forum, ſed locus principalis contractus reſpiciendus
l. 8. de iudic. l. 33. de donat. Conſtituto enim non nova indu-
citur obligatio, ſed vetus acceſſione confirmatur. HILLIGER
ad Donellum c. 14. l. 9.

CAPVT IV.

De Foro relicti.

Aph. 1.

TErtium quod reus ſortitur forum eſt locus delicti, in quo nimirum delictum eſt commiſſum. *t. t. C. ubi de crim. & auth. qua in provinc. C. d. t. l. 1. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* In cuius enim territorio quis deliquit, ibi expectat iudicium, quia delinquendo illi ſe ſubiecit *l. un. C. ubi de crim.* ZOESIVM *ad ff. de iudic. n. 74.* DN. HAHN *ad Weſenbecium tit. de*
2 *iudic. n. 16.* Nec refert, publicum ſit an privatum, ordinarium an extraordinarium, quatenus tamen ſuper crimine criminaliter agitur, nam ſi de illis civiliter intentetur actio, crimen contractus appellatione continetur. *l. 20. ff. de iudic.* VVLTEIVS *ad l. 1. n. 4. 5. ubi de crim.* DONELLVS *lib. 17. c. 16.* VMMIVS *diſp. 4. th. 2.* ZANGER *de except. c. 1. n. 200.* DN. CARPZOVIVS *lib. 2. Reſp.*
3 *Elect. 26.* qui delicta privata contractibus aequiparari, et hinc reum in loco delicti, ſi non ibidem reperiatur, aut domicilium
4 habeat, conveniri non poſſe ſtatuit. Concurrunt autem cum hoc foro delicti adhuc plura alia, ſiquidem reus alicuius criminis conveniri et puniri poteſt non ſaltem ubi ſuum habet domicilium, habitationis ſcilicet, ſive ibi praeſens ſit, ſive abſens *l. 2. C. de iurisd.* ſed et in loco perpetrati et commiſſi deli-
5 cti. An vero inchoatum ſaltem eſſe delictum ſufficiat, an vero conſummatum eſſe oporteat, ut ita competens iudex ſit, et ubi inchoatum, et ubi conſummatum eſt, quaeritur. Ad huius quaeſtionis deciſionem, ſalva aliorum Doctorum opinione, tum iudicem inchoati, tum conſummati delicti, competentem putamus. vid. BARTOLVS *ad l. 3. de accuſ.* DECIANVS *lib. 4. c. 17. n. 9.* FRANZKIVS *de iudic. n. 41.* DN. STRVVE *Exerc.* IX. *th.*
6 45. Denique 3) quocunque locorum repertus et deprehenſus reus fuerit, ibi forum ſortietur, licet nec domicilium ibi habeat, nec delictum commiſerit. *t. t. C. ubi de crimin.* ZANGER *c. 1. n. 221.* DONELLVS *lib. 17. c. 16.* PEREZIVS *ad tit. ubi de crim.* CHRISTINAEVS *in deciſ. Belg. vol. 2. deciſ. 162. & ſeqq.* Adde

DN.

Digitized by Google

DN. CARPZOV. *in prax. crim. p. 3. qu.* 110. *n. 9. 10.* 11. qui *d. l. n. 34.* 7
quoad forum delicti in confinibus commiſſi dicit, ſi coniecturae non extent, quae in alterutro territorio delictum commiſſum eſſe monſtrent, utriusque territorii Dominos eſſe ſimul competentes iudices; ſi vero in via publica ſit perpetratum crimen, eius coercitionem ad ſuperiorem, regalia habentem ſpectare tradit ZANGER *de Except. p. 12. c. 1. n. 241.* SIXTINVS *de regal. l. 2. c. 2. n. 16.* COLERVS *deciſ. 237. n. 3.* BERLICHIVS *part. 1. deciſ. 62. n. 7.* Concurrit etiam hoc forum delicti cum foro 8
domicilii ita, ut iudex domicilii contra eum, licet extra domicilium deliquerit, tum ad accuſationem partis, tum per viam inquiſitionis procedere poſſit. COVARRVVIAS *pract. qu. c. 11. n. 6.* COLERVS *deciſ. 239.* Quid vero de remiſſione 9
delinquentium ſit ſtatuendum, an nimirum petente magiſtratu loci, ubi degit, ſit remittendus? non adeo inter Doctores convenit. De iure civili res eſt expedita, propter *l. 7. §. ult. de accuſ. et l. 7. de cuſtod. reor. & Nov. 134. c. 5. c. ult. X. de for. compet.* Expedit enim exempla publicae vindictae edi, 10
ubi facinus commiſſum et cognitum, ut bonis ſatisfiat facto, vel exemplo laeſis, ac metus adimatur, malique tereantur. vid. HILLIGER *ad Donellum lib. 17. c. 16. et in l. 1. C. ubi de crimin.* dicitur: quaeſtiones criminum perfici debere ubi inchoata ſunt, nec non conveniens eſſe, iudicem eum habere ſatisfactionem ac vindictam, cuius iurisdictio violata eſt. *l. 13. de offic. praef.* MONACHVS *pract. iudic. p. 2. c. 6. num. 40.* Erantque olim hae re- 11
miſſiones adeo neceſſariae, ut iudice delicti id flagitante, iudex domicilii, licet ſeipſum ad ius reddendum paratum dixerit, remiſſionem declinare non potuerit, uti docet ZANGER *de except. p. 2. c. 1. n. 247.* CARPZOV *in praxi crim. p. 3. qu. 110. n. 48.*
Moribus vero noſtris, et ſecundum conſuetudinem ubique 12
locorum ferme receptam, neceſſitas illa remiſſionis ſublata eſt, ac arbitrii ac urbanitatis effecta eſt, cum gratificari quandoque hac in re ſoleant invicem magiſtratus, iure amicitiae aut vicinitatis, ſub antigrapho tamen ſeu reverſali caveri poſtulantes, remiſſiones iſtas iurisdictioni ſuae fraudi eſſe non debere.

Digitized by Google

bere. MONACHVS *ad l. ult. de iuriſd. n.* 31. GAILIVS I. *de pace publ.*
13 *16. n. 31.* DECIANVS *c. 19. n.* 11. RAVCHBAR *qu. 40. n. 25.* Add. Magnif. DN. RICHTER, qui part. I. *per tot. deciſ.* 15. elegantiſſime hanc materiam exhibet, eamque multis praeiudiciis confirmat, nec non DN. CARPZOV *in praxi crim. qu.* 110. *n. 48. usque ad 49.* qui tamen *n. 59.* ſcribit, in praefecturis Electorum Saxoniae remiſſionem etiamnum locum habere, propter ordinationem provincialem de A. 1555. tit. *daß man die Ubelthäter ſo in den Aemtern verbrochen, wiederumb in die Aembter folgen laſſen ſoll.* Neceſſitatis vero hodie eſt, uti tradit HAHNIVS *ad Weſenbecium*
14 *tit. de iudic. n. 16.* ſi in loco delicti, inquiſitio formata, et ſententia iam lata, iisque peractis reus aufugiat: quae autem tum requirantur, collegit DN. CARPZOV *pr. crim. p. 3. qu. 110. n. 64. ſeqq.* Coeterum in quibusnam caſibus huic foro locus non ſit, et quae ab eo eximantur, vide DN. HAHNIVM *ad Weſenbecium tit. de iudic. n. 16.*

CAP. V.
De foro rei ſitae.

Aph. 1.

SUccedit nunc Forum rei ſitae, ratione cuius non minus ac in aliis reus conveniri poteſt, ubi nimirum res ſita eſt, de cuius poſſeſſione aut proprietate agitur (*wo ſich Klagen erheben umb die Güter, ſo an dem Orte gelegen*) *t. t. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de poſſeſſ. l. un. C. ubi de heredit.*
3 Quamvis neque domicilium ibi habeat, neque ibi contraxerit, aut deliquerit. Uti enim in perſonam agens eam ſequitur, ſic etiam agens in rem, ubi ſita eſt, petit. *l.* 1. *C. ubi in rem act.* vid. ZOESIVS *ad ff. de iudic. n. 76.* Et hac ratione clericus quoque ratione bonorum ſuorum coram iudice ſeculari conveniri poteſt: GAILIVS *1. obſ. 37. n. 4.* MYNSINGER *1. obſ. 22.* VVLTEIVS *ad l. un. C. in quib. cauſis mil.* ZANGER *de except. p. 2. c. 1. n. 93.* quin ratione rei, etiamſi, qui poſſidet, honore ſu-
4 perior, inferioris iuriſdictionem ſubit. MONACHVS *c. 6. n. 60.*
Eoque

Eoque reſpectu ſubditum quem tradunt, etſi regia dignitate emineat. vid. HILLIGER *ad Donellum lib. 17. c. 17.* Nec obtinet ſolum hoc forum ratione rei, ſed etiam in omnibus interdictis, ſi agatur de poſſeſſione, eaque vel recuperanda *l. un. C. ubi de poſſeſſ.* ſive retinenda *d. l. in verb.* aut momentaneae, ſive adipiſcenda, *l. un. C. ubi de hered. agat. §. 4. l. de interd.* Convenientes igitur huic foro ſunt 6
non tam actiones reales, ſed etiam mixtae *l. 3. C. ubi in rem act.* nam et hereditas ibi recte petitur, ubi ſita eſt *l. 29. §. f. de inoffic. teſtam.* ſive agatur iudicio petitorio, petitionis hereditatis, ſive poſſeſſorio, quorum bonorum. vid. BESOLDUM *c. 1. th. 12. tit. X.* DN. HAHNIUM *ad Weſenbecium tit. de iudic. n. 16.* Quin imo et in rem ſcriptis actioni- 7
bus iudicem rei ſitae adiri poſſe, tradit PANORMITANUS *in c. f. X. de for. compet. n. 43.* RICCIUS *p. 1. Deciſ. Neapol. 79.* et DN. STRUVE *Ex. IX. §. 51.* Non vero reſtrictum ſolum eſt 8
hocce forum ad res immobiles, ſed pertinet etiam ad mobiles: arg. *l. 38. ff. de iudic.* quod quidam reſtringunt ad res 9
mobiles delatas in locum, ut ibi permaneant. vid. PEREZ in *l. f. C. ubi in rem act. n. 2.* et CUIACIUS *in parat. C. ubi de hered.* putat hoc non aliter verum, quam ſi reus conventus 10
ibi quoque inveniatur, contrarium tamen indiſtincte verius eſt *per l. 24. §. ult. l. 38. de iudic.* vid. STEPHANI *1. de iurisd. 31. n. 16.* OBRECHT *lib. 2. c. 13. n. 8.* qui etiam hanc opinionem propter ſummam aequitatem in Germania receptam docent, quia ratio, quod in his actionibus res ſpectetur, nec perſona, niſi propter rem, ubique procedat. Et ſic ex hactenus dictis videre licuit, non aliter 11
forum rei ſitae obtinere, niſi de rebus ipſis per ſe agatur, vel ratione poſſeſſionis, vel iuris in re alterius, iudicio petitorio ſive actione reali. *l. 38. de iudic.* Concur- 12
rere vero itidem hoc forum cum foro domicilii, non eſt quod dubitetur: in quo ſi fuerit actio inſtituta, et reus condemnatus, res vero, de qua agitur, alibi ſit ſita, iudex rei ſitae requiritur, ut ſententiam in loco domicilii

ſatam exequatur, et in poſſeſſionem mittat. *l. 15. §. 1. de*
13 *re iud.* Quemadmodum etiam ratione hereditatis petitionis in loco domicilii inſtituendae pronunciaſſe meminit Dominos Anteceſſores Academiae Iuliae DN. HAHNIVS *ad Weſenbecium tit. de iudic.* Georg *Ranzouen* D. 11. Iun. A. 1600. verbis; *Ob wol Hans Leve der in Holſtein gebohren, und 3. Meilen von Dantzig auſſerhalb des Raths daſelbſten iurisdiction entleibet, einen groſſen Theil ſeiner Baarſchafften und beweglichen Güter bey Moritz von Pewitz daſelbſten cuſtodiae cauſa und in depoſito gelaſſen und niedergeſetzet, daß dennoch ſeins Hans Levens Perſohn domicilii, locorum immobilium etc. und ſeiner Beſchaffenheit nach der Rath zu Dantzig des Streits über die Verlaſſenſchafft iudex competens nicht ſey noch ſich in dieſem Fall davor erklären möge, ſondern dieſe Sache auff dem Lande woſelbſt Hans Leve ſeel. tempore mortis ſein domicilium gehabt, müſſe angeſtellt und außgeführt werden, V.R.W.*

14 Simile plane huic foro rei ſitae iuxta mores hodiernos eſt ob debitum aliquod impetratum Arreſtum, tribuens ius pignoris, ideo impetrato ob debitum aliquod et ſubſiſtente Arreſto, inſtar actionis in rem in loco, quo res arreſtata eſt, tanquam in foro rei ſitae lis peragatur. DN. CARPZOV *lib. 2. reſp. 31.* DN. MAEVIVS *tr. de Arreſt. c. 15. et ſeqq.* DN. STRVVE *Ex. IX. §. 54.*

CAP. VI.

De Foro continentiae cauſarum.

Aph. 1.

Ultimo denique forum ſortitur Reus ratione continentiae cauſarum, quae coram uno eodemque iudice tractantur, cum alias ſub diverſis iudicibus tractandae fuiſſent. *l. 10. C. de iudic. l. 1. 2. de quib. reb. ad*

Digitized by Google

ad eund. iud. eat. Continentes enim et connexae cauſae
dicuntur, ob quam una ſine altera plene et liquido co-
gnoſci nequit, quod ipſum tribus modis contingere
poſſe docet GOEDDEVS *c.* 1. *n.* 29. MATTH. STEPHANI 1. *de iu-*
riſd. 32. *n.* 14. HACKELMANNVS *diſp. ad ff. ult. p.* 2. θ. 11. Et 1) 3
quidem ob cognatam facti iurisque cognitionem, ſi ni-
mirum cognatae ſunt actiones, ut una alterius ſit prae-
paratoria. 2) Ob praeiudicium, ſi una alteri principali
praeiudicium afferat. 3) Ob generalitatem et univerſa- 4
litatem actionis et cauſae, quae facit, ut rei diverſi fori
coram uno omnium ſuperiore recte conveniantur, vel
res diverſae, diverſis iudicibus ſubiectae, petantur vid.
HILLIGER *ad Donellum c.* 18. *l.* 17. Et quidem quod harum 5
cauſarum originem concernit, ſunt eae ſeparatae, quo-
ad uſum vero procedendi, modum probandi, medium
perveniendi ad dominii certitudinem, eiusque deciſio-
nem connexas habent partes. GOEDDEVS *de ſequeſt. c.* 1.
n. 53. Erat olim haec coniunctio cauſarum connexarum 6
neceſſitatis: vid. PETR. FRIDERVS *de proc. extra. L.* 3. *c.* 2.
n. 3. quoad uſum vero et mores hodiernos in arbitrio
actoris eſt poſitum, utrum eas coniungere, an diſtin-
guere velit, Reus tamen exceptionem continentiae ante 7
litis conteſtationem opponere poteſt. GAILIVS 1. *obſ.* 32.
n. 13. MYNSINGER 1. *obſ.* 97. Et haec de Foro rei commu-
ni dicta ſufficiant.

CAP. VII.

De foro privilegiato.

Aph. 1.

PRaeter forum commune eſt et aliud, quod voca-
tur privilegiatum, quod datum eſt reo vel ratio-
ne cauſarum, vel ratione conditionis perſonarum.
Priori modo locus eſt foro privilegiato in cauſis ſpiri-

Digitized by Google

tualibus et eccleſiaſticis, coram iudice eccleſiaſtico ex-
2 pediundis *c. 3. x. de iudic.* DN. CARPZOVIVS *reſp. 86.* quibus annumerantur 2) matrimoniales, *c. 16. X. de offic. et poteſt. deleg.* PETER. FRIDERVS *de proceſſ. extraord. lib. 1. c. 10.* 3) Iuris Patronatus, 4) beneficiorum, redituum et bonorum Eccleſiaſticorum. 5) Cauſae divortii et ſeparationis, nec non ſtupri, fornicationis, alimentationis ſpuriorum, ſepulturae, et quae ſunt aliae, ad iurisdictionem eccleſiaſticam ſpectantes. MARANTIVS *in ſpec. p. 4. diſt. 13.* VMMIVS *Diſp. ad proc. 4. θ. 13.* DN. CARPZOV. *def. eccleſ. lib. 2. per tot.*
3 DN. NICOLAI *Proc. Iudic p. 1. c. 19. n. 40.* Ratione vero cauſarum ſecularium ſingulare forum habent 1) cauſae feudales, de quibus Dominus feudi vel Pares curiae cognoſcunt, *II. f. 55. §. pen.* PAVRMEISTER *l. 2. de iurisp. c. 9. n. 84.* vid. latius hac de materia GEORG. NICOLAI *in proc. iudic.*
4 *c. 19. n. 41.* 2) Cauſae ſtatus, *t. t. C. ubi cauſ. ſtat.* 3) cauſae fiſcales, *t. t. C. ubi cauſ. Fiſc.* in quibus ſcilicet agitur de bonis Fiſco delatis, vel de poena pecuniaria Fiſco inferenda, vel de eo quod Fiſco debetur ex contractu, de quibus olim Rationalis aut Procurator Caeſaris cognoſcebat. *l. 2. C. ubi cauſ. Fiſc.* PEREZ *ad. d. t. n. 2.* DN. HAHNIVS *ad*
5 *Weſenbecium tit. de iudic. n. 16.* Hodie vero cauſae Fiſci imperialis in prima Inſtantia immediate coram Camera imperiali tractantur. *Ordinat. Cameralis p. 2. l. 20. §. ſ.* GAILIVS *lib. 1. obſ. 1. n. 25.* VMMIVS *diſput. ad proc. 4. θ. 14 n. 76.* Limnaeus *de Iur. publ. lib. IX. c. 2. n. 125.* Et haec de foro
6 privilegiato, ratione conditionis cauſarum. Ratione conditionis perſonarum aeſtimatur illud vel ex perſona Actoris, vel Rei. Ex perſona Actoris, ſcilicet pupilli, viduae, vel alius miſerabilis conditionis perſonae, ſingulare forum competit, quod illae reum ſtatim coram iudice ſupremo convenire poſſint, praeprimis ſi rem habeant cum potente adverſario, implorare poſſunt iudicium Principis, ut Reus ibi reſpondeat, et ſic forum Actoris ſequi
7 cogatur. *l. un. C. qu. Imper. inter pupill.* Et quidem per pupillos,

pillos, iuxta *l. 239. d. V. S.* intelliguntur ii, qui orphani ſimul et impuberes, licet tutorem habeant. vid. DONELLVM *lib.* 17. *c. 20.* Pro vidua autem etiam illam accipi debere, 8
quae virum quidem habeat, ſed inutilem, captum videlicet ab hoſtibus, proſcriptum, et ad triremes damnatum, MENOCHIVS *c. 66. n. 9.* COVARRVVIAS *pr. qu. c. 7. n. 2.* vel etiam diutius abſentem, cum in his caſibus eadem ſit ratio, quod marito deſtituta, a quo defendatur, iniuriis magis ſit expoſita vid. HILLIGER *ad Donellum lib.* 17. *c. 20.* Reſpectu ve- 9
ro Rei ſingulare forum competit 1. Clericis, qui coram iudice eccleſiaſtico conveniendi: *auth. ſtatuimus C. de Epiſc. et Cler.* DN. CARPZOVIVS *Iuriſp. Conſiſtor. lib. 2. def. 2.* HILLIGER *ad Donellum lib. 17. c. 20.* quomodo autem hoc privilegium fori Clericis conceſſum ceſſet, de eo videri poteſt latius GEORG. NICOLAI *in proc. iudic. c. 19. n. 28.*
Eſt etiam 2. ſtudioſis forum ſpeciale, Rector Academiae, 10
quod et ad Profeſſores et totam eorum familiam extenditur. *auth. habita C. ne fil. pro patr.* DN. CARPZOVIVS *2. reſp. 32.* Magnif. DN. RICHTER *in comment ad d. auth.* 3. Militi- 11
bus, quibus ſuus attributus iudex, Magiſter ſcilicet militum *l. pen. C. de iuriſd.* Atque hi etiam in delictis, non omnibus quidem, ſed levioribus et militaribus remittendi ad ſuos duces. *l. 3. pr. de re milit. l. 6. C. de iuriſd. l. 2. C. de offic. mag. milit.* 4. Senatoribus aliisque viris Illu- 12
ſtribus, ſingularia ſua fora habentibus, *l. 1. C. ubi ſenat. vel Clariſſ. conv.* Denique huc etiam 5. optime referuntur pri- 13
vilegiatae ſtatuum primae Inſtantiae, quae Auſtregae vocantur. vid. PETR. FRIDERVS *de proc. extraord. lib. 1. c. 16.* GAILIVS *1. obſ. 1.* LIMNAEVS in I. Publ. *lib.* IX. *c. 5.* Sed haec 14
omnia hac vice latius tractare temporis et inſtituti mei ratio non permittit, ſed ad eos, qui de iis ſcripſerunt, provoco et lectorem benevolum remitto, hic vero ſubſiſto, et ſoli Deo pro omnibus in me collatis beneficiis tribuo laudem et gloriam in ſempiterna ſecula.

)*.*(

Digitized by Google

Digitized by Google

STRAVCHIANORVM
SIVE
OPVSCVLORVM
IVRIDICO - HISTORICO - PHILOLOGICORVM

IOANNIS STRAVCHII
ICTI CELEBERRIMI

PARS QVARTA

I. DE AVSTREGIS.

II. DE ANNATIS. *Ad Inſtr. Pac. Weſtph. Art. V. §. 5. verſ. ſi quid annat.*

III. DE IVRIS NATVRALIS ET CIVILIS CONVENIENTIA.

IV. DE IVRE TENEBRARVM.

CVRA ET CVM PRAEFATIONE

D. CAROL. GOTTLIEB KNORRII
IVRIVM PROF. PVBL. ORDINAR. IN ACADEMIA FRIDERICIANA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM,
Im Durchgange des neuen Rath-Hauſes neben der Poſt.
CIↃ IↃ CC XXVIII.

Digitized by Google

L. S.

QUo conſilio V. C. CONRADVS FRIDERICVS REINHARDVS euulgare coeperit eximii ICti IOANNIS STRAVCHII Opuſcula, in elegantisſima praefatione *de Commentatoribus in Taciti Germaniam*, quam Parti I. opuſculorum praemiſit, copioſe expoſuit. Sed quod praeclare exorſus eſt Vir Doctiſſimus, morte praeuentus, perficere non potuit. Qua de cauſſa petiit a me vir honeſtisſimus, qui ſumtus facit, vt, quae ſuperſunt celeberrimi STRAVCHII opuſcula rariora, mea prodirent cura. Et intereſt omnino rei litterariae, vt, vno comprehenſa volumine, denuo producantur in lucem, ne ſcripta tam limata variaque eruditione referta (a)

(a) Quod elogium iis iure meritoque tribuit Vir illuſtris NICOLAVS

Digitized by Google

vel fruſtra impoſterum quaererent in tabernis Iurium ſtudioſi, vel iniuria temporum plane perirent.

Quanta vero ſit Strauchiani nominis fama nemo, niſi hoſpes in re litteraria, ignorat. Facile enim STRAVCHIVS ſuae aetatis ICtis palmam praeripuit, tantumque inter eos caput extulit,

quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Non etenim vulgarem tritamque is ſecutus eſt viam; ſed accuratisſima methodo tradidit vniuerſa, probe gnarus, *leges ſcire non eſſe verba tenere, ſed vim & poteſtatem* (b). Quapropter origines, cauſſas, fata Romanarum legum ſollicite indagauit atque omnia ex ipſis antiquitatum penetralibus eruit, ita, vt multa detexerit aliis incognita, atque plura emendauerit ab interpretibus parum accurate tradita. Non autem in eo adquieſcendum eſſe facile animaduertit Vir eximius, cum *turpe ſit patricio ius in quo verſatur ignorare.* Hinc ad exponenda patria iura animum adpulit oſtenditque cum cura, quae ſit Romani Iuris in Germania auctoritas, et in quas denſisſimas inciderint tenebras Germaniae ICti, vltra Tribonianum vix ſapientes, dum, patria iura, non ſine inſigni dedecore, ſtrenue ignorantes, peregrinas leges ad ſtatum noſtrae reipublicae, cui tamen ſaepe non

HIERONYMVS GVNDLINGIVS in programmate, quod in honorem Celeberrimi REINHARDI conſcripſit nomine FRIDERICIANAE.

(b) l. 17. D. d. LL.

magis,

magis, quam puero Herculis cothurni, quadrant, adplicandas eſſe inepte putauerunt.

Sed quae eſt, quaeſo, huius ignorantiae cauſſa alia, quam quod gloſſatorum atque pragmaticorum, qui extra Germaniam vixerunt, volumina vel exſcripſerint, vel ab eorum opinionibus, cum tantam in foro auctoritatem ſint indepti, recedendum non eſſe abſone crediderint. Hinc horum tenebrionum auctoritate confiſi, nihil eſſe ſanum, nihil rectum, nihilque in ipſis obtinere rerum argumentis ſomniarunt, niſi quod BARTOLVS, BALDVS, IASON aliique tremendi ſaepe nominis ICti dixerunt. Et licet adhuc non deſint homines qui, in horum verba iurantes, flocci faciunt illa praeſidia, ſine quibus ad elegantiora eniti poteſt nemo, eaque theoreticarum nugarum traducant nomine, potiusque ad praxin, quam auream vocant, miſſis nugis, properandum eſſe clament; tamen merito rident eorum miſeram diligentiam cordatiores quibusque

finxit de meliore luto praecordia Titan.

Quid enim eſt Iurisprudentia? Ipſimet eam definiunt: *Habitum rite interpretandi leges & ad facta controuerſa adplicandi.* Sed num is rite interpretabitur leges, easque ad facta curate adplicabit, qui earum origines, cauſſas, rationes ſtrenue ignorat? Interim, experientia teſte, plerique hodie, vt PETRONII

Digitized by Google

TRONII verbis vtar, *tam cruda ſtudia in forum propellunt.* Et quid eſt hiſce graculis forenſibus aurea illa praxis? Nihil profecto, quam ars aere emungendi miſeros clientulos. Quod autem quam noxium ſit reipublicae, nemo, niſi qui in eodem ignorantiae piſtrino aetatem agit, ibit inficias. Hinc etiam iam olim teſte AEGIDIO MENAGIO (c), praeſtantisſimo ICto quique ſumma cum laude verſatus eſt in foro, Principis decreto & conſulto ſenatus ſtatutum fuit in Gallia: *ne quis inpoſterum ad Licentiatus gradum peruenire poſſit, niſi qui annum integrum in Academia celebri iuris ſtudio poſuerit, atque nemo, niſi qui quadriennium in foro verſatus, voce aut ſcripto iuuerit clientes, iudicum conſortio iungeretur.* Eo enim peruenerat in Gallia, vt exiguum iurisprudentiae ſtudio impenderent temporis ſpatium illi, quibus mox fortunae bonaque ciuium eſſent credenda. Quem peruerſum morem, poſtquam monuiſſet, CVIACIVM doluiſſe olim, quod vix triennium in Academiis tranſigerent iuris ſtudioſi, viuis coloribus ita depingit laudatisſimus MENAGIVS: *O tempora! o mores! Non triennium; non trimeſtre tempus; vix triduum ei* (ſcilicet iuris ſtudio) *impenditur. Citatis equis vno die vrbem Aureliam petunt iuris candidati, altero Licentiatus, quem vocant, ibi gradum ſumunt; tertio Iuriſconſulti Luteciam redeunt: vt, quod ioco olim de ſe Marcus Tullius, triduo ſe Iuriſconſultos profiteri ſerio velle videantur. Aduocati*

(c) Praefat. Amaenit. Iur. ciuil.

quarto

quarto die fiunt: quinto, venia aetatis a principe impetrata, iudices ſine legitimo examine facti, de fortunis, de vitis hominum iudicant. Igitur quid mirum? ſi vidit in Gallia aduocatum longe omnium in foro occupatiſſimum, magnam ſui fiduciam habentem, ceterorum comtemtu auctoritatem captantem, qui orationem Diui Marci, de qua frequens in libris iuris mentio, preces eſſe Sancti Marci putauit, & tamen, cum ne primoribus quidem labris iurisprudentiam attigiſſet, de iure reſpondit.

Verum enim vero nec hodie deſunt huic ſimiles, qui, dum magnam ſui fiduciam habent, multa inficeta deblaterant, quae

non ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes.

Quibus proinde vehementer commendandum eſſet, vt STRAVCHII aliorumque ICtorum humaniſſimorum operibus aliquamdiu impalleſcant & theoreticas, quas vocant hi tenebriones, nugas diſcant cum cura. Sic clientium fortunae & opes in tantum non amplius adducerentur diſcrimen, vt mox manus ad ſtipem porrigere neceſſe habeant. Sed, vt id faciant turgidi homunciones, magis optandum, quam ſperandum eſt, quippe ſimiles aegrotis, qui nihil magis, quam quod ipſis maxime conducit, faſtidiunt.

Ex hiſce, quae hucusque diſſerui, facile eſt ad intelligendum, quanto in pretio ſint habendi illi ICti,

ICti, qui STRAVCHII exemplo ad ſolida nituntur atque cauſſarum patrocinia non turpis lucri gratia ſuſcipiunt, ſed vt per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellant (d). Digni ſane, vt idem iis contingat, quod contigit olim MARSCHALLO doctiſſimo & experientiſſimo Aduocato in Senatu Pariſienſi (e). Qui ob breues quasdam, ſed eruditas rationes iuris, quas *ſaluationes* vocant, cum imperitus clientulus impar ſalarium offerret, honeſte renuit, dicens, ſe tantum id accepturum, quod ob id in caſum victoriae taxarentur. Cum autem clientulus victoriam obtinuiſſet, & in taxandis expenſis litis de hoc articulo ad ſenatum referretur; taxatae ſunt ei LX. librae Pariſienſes; habita ratione, non ad breuem, ſed ad doctam & reſolutoriam ſcripturam, modumque litis, & eminentem ſcientiam aduocati. Licet enim vultures illi togati multa male cohaerentia & inepta prorſus illinant chartæ, ad piper & thus mox damnandae; tamen ea iudex aequus & bonus longe alia, quam imperitus & ſtolida arrogantia inflatus cauſſidicus, aeſtimatione metitur. Vir e contra bonus & doctus, cuique clientis commoda curae ſunt cordique fructum bonae mentis, omnium iucundiſſimum, & proximum huic honeſtae exiſtimationis, cui probi & boni viri ſtudent, imo & operae ſuae multo vberiorem aliquando feret, quam forſitan a cliente tuliſſet. (f). Plura non addo. Vale B. L. mihique faue. Dab. in ACAD. FRIDER. D. V. Iulii cIↄ Iↄ CCXXIIX.

(d) IMPER. pr. Proem. I. (e) MENAG. l. c. C. XVIII.
(f) BRVMMER. ad L. Cinc. C. XI. n. 10.

IOAN-

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE
AVSTREGIS
SIVE
PRIVILEGIATIS SACRI ROM. IMP. PROCERVM INSTANTIIS

RESPONDENTE
HELVICO DIETERICH
VLMENSI
IENAE MDCLXXI.

PROOEMIVM.

IUdicia per Germaniam a multis retro ſeculis aliam atque aliam induiſſe faciem, mutationique vel maxime fuiſſe obnoxia, idque vel Pontificum Romanorum ſumma inſolentia, qui, quemadmodum aliis Imperii Iuribus, ita quoque Iuri dicundo inſidiari, et Reges Principesque ad ſuum tribunal rapere omni vi conati ſunt: vel etiam mutuo diſſidio Principum inter ſe: quo factum, ut, quod alias legibus in iudiciis decidi deberet, non niſi vi belloque, aut latrociniis diri-

Digitized by Google

meretur; ut ita res iudiciaria firmo talo in Germania ſtare nunquam potuerit. Prae aliis accuratiſſime deducit Vir omni laude maior CONRINGIVS in egregio ſuo tractatu, quem inſcripſit *de Iudiciis Imperii Germanici,* cuius compendium exhibet perſonatus MONZAMBANO *c. V. §. 14. ſeqq. de ſtatu Imper. Germ.* Hodie per Germaniam ordo rei iudiciariae longe certior et conſtantior per Dei gratiam ſe prodidit, variis hinc inde in S. R. I. bene conſtitutis Iudiciis; iisque vel univerſalibus, vel particularibus. Quae omnia et ſingula pluribus enumerare propoſiti noſtri cum non ſit, pauca ſaltem eaque celebriora paucis delibabimus. Eminent autem in univerſalibus Iudicium Camerale ſupremum, quod Spirae (quae ſedes perpetua *per R. I. de an. 1530. et O. C. p. 2. t. 34.*) colitur, conſtitutum a Maximiliano I. et ſtatibus Imperii, *vid. Illuſtris* STRAVCHIVS, Praeſes et Praeceptor, meus maxime venerandus, *in Diſſertation. Exoteric. Diſp. ult. §. 5.* eo tempore, quo in variata illa procedendi ratione (quam obtinuiſſe ex CONRINGII *laudat. tract.* diſcitur) creſcentibus litibus, appellationum ad Iudicium Caeſareum multitudo appareret; anno nimirum 1549. ult. Octobr. in Imperiali Wormatia. Ad pleniorem huius iudicii cognitionem facient Dn. BOECLERVS, Patronus meus magnus et Praeceptor optimus, *de Notitio S. R. I. lib. XIII. c. 2.* Dn. PAVRMEISTER *de Iuriſdict. lib. II. c. 6.* Dn. LIMNEVS *lib. IX. c. 2.* Dn. J. A. GERHARDVS *de ſupremis in Imperio Rom. iudiciis.* (2) Iudicium Aulicum Caeſareum, germ. *der Kayſerliche Reichs-Hofrath,* inſtitutum a Ferdinando I. an. 1549. auctum a Maximiliano II. an. 1596. plane novatum a Matthia I. an. 1614. quibusdam vero interpolatum a Ferdinando III. in renovata Iudicii Aulici Ordinatione, quam LIMNEVS *tom. V. addit. lib. IX. c. 4.* habet. Commendatione dignum exinde, quod 1) proceſſus in illo cito et ſine odioſis ambagibus expediri ſolent: et 2) quod res deliberata executioni non prius mandetur, quam S. Caeſareae Maieſtati oblata, quae demum conſilio ſecretiori, vulgo *dem geheimen Rath* (quod cum priori, Aulico ſcilicet confundi non debet, diſcrimen horum tradit LIMNEVS *lib. IX. c. 4.*) rationibus ſtatus et utilitatibus Imperii praevalentioribus probe trutinandam atque ponderandam communicat.

Plura

Plura de hoc ſuppeditant Dn. LIMNEVS *lib. IX. c. 4.* et Dn. I. A. GERHARDVS *in laudat. tract.* Inter particularia iudicia celebrantur (1) Iudicium antiquum illud Rothwilenſe, a quinque iam ſeculis, et quod excurrit, non ſine evidenti fructu effectuque durabile, (*vid.* Dn. BOECLERVS *de Notit. S. R. I. lib. XIII. c. 3.*) inſtitutum an. 1147. a Conrado III. Duce Sueviae, deinceps Imperatore, reſtrictum ad quatuor tantum Circulos, puta Suevicum, Franconicum, Auſtriacum et Rhenanum, ultra quos ſe non extendit eius Iurisdictio, *vid. Reformat. Maximil. II. part. II. tit. 5.* nec in hos omnes et ſingulos. Dn. PAVRMEISTER *de Iurisdict. lib. II. c. 6. n. 12.* Appellatur ab hoc ad Cameram, *R. A. de an. 1570. §. und nachdem uns fürkommen*, et a ſolo Caeſare dependet, *vid. Reformat. Maximil. II. p. II. tit. 1. und nachdem.* Hinc non facile patietur Caeſar illud aboleri, et propterea, cum de abolitione huius et in Tractatu Monaſterienſi *art. V. §. 20. ibi: denique cum etiam*, et in Comitiis Ratisbon. 1654. actum eſſet, ſed fruſtra, novum aliquod caput Capitulationi Ferdinandi IV. inſertum eſt, in quo obligabatur Ferdinandus IV. Iudicium hoc non abolere, ſed corrigere, uti refert *in diſcurſ. ad Notit. S. R. I. inſcr.* Dn. BOECLERVS. Reliqua, ſi quae in hoc Iudicio notabilia occurrunt, peti poſſunt ex ipſa *Ordinatione Iudicii Rothwilen.* quam omnium optime commentario illuſtravit P. M. WEHNERVS. Habet etiam de hoc PAVRMEISTER *lib. II. c. 7.* (2) Iudicium illud privilegiatum, quod vocant Auſtregarum. Gaudent hoc quidam ex immediatorum Imperii numero, per quod exempti ſunt a Camera, ut non ſtatim in prima inſtantia coram illa conveniri queant. Quod quidem in praeſentiarum, cum ad probandam induſtriam, quam, ingentibus meritis oboeratam, dulciſſima patria deſiderat, ſpecimen aliquod publicum edendum eſſet, tractandum paulo penitius mihi ſumpſi; diſquiſitione Academica forte non indignum, quippe cuius uſus perpetuo nunc in *Inſtrum. Pac. Caeſ. Svec. art. V. §. viſitatio Conſilii. SS. circa fin.* et imprimis in *Receſſ. Imp. de an. 1654. §. 98. et 162.* itemque *Capitulat. Leopoldi* de A. 1658. §. *auch ſollen. 18.* confirmatus, illiusque validus vigor cum in Camera Imperii §. *Benebens 105. verb. die erſte inſtantias.* Tum Iudicio Aulico Caeſa-

Digitized by Google

reo §. *168. ibi: Was den Churfürſten und Stände.* ut et in *R. H. O. tit. 2. §. Wir befehlen. ibi: privilegia der erſten inſtanz iura Auſtregarum etc. aller Gebühr nach ſorgſamlich in acht nehmen, und den Reichs-Ständen unberührt verbleiben laſſen,* fundatus. Quaecunque igitur in hac tam nobili materia forte tractanda nobis obvenerint, certis quibusdam cancellis, perſpicua, quantum quidem ingenii vires permittent, brevitate includam. Uſus autem ſum methodo in diſputationibus hactenus ſolenni et uſitatiſſima, ut nempe per generalia, definitionem ſcilicet et diviſionem progrederer ad ſpecialiora, quae ſunt cauſae et effectus, itemque contraria. Coepto Deus ex alto benedicat.

Diſpoſitio generalis

Definitio nominalis eſt vel Ethymologica,

I. Ipſius vocis Auſtregarum originem (quam primum recte inveſtigamus, *l. 1. de I. et I. l. 1. pr. depoſ. l. 1. et 2. de ſponſ.* WESEMBECIVS *ad pr. Inſt. de I. et I.*) Germanicam eſſe, terminationem vero latinam non unus, qui linguam utramque callet, negabit. Deducitur a communi, quod in loquendi uſu conſiſtit, verbo German. *Auſtragen.* SPEIDELIVS *voc. Auſträg.* Latinis ſignificat idem ac decidere, componere, definire. Emphaſin aliquam voci huic ineſſe demonſtrat M. STEPHANI *de Iurisdict. l. II. p. 1. c. 3. n. 2.*

Synonimica.

II. Dicuntur autem alias Auſtregae Privilegium primae Inſtantiae; privilegiatae Inſtantiae; Iudicium compromiſſorium; *vid.* Dn. SCHÜZIVS *Vol. II. I. P. diſp. III. de Auſtreg. th. 2. lit. g.* ſed hoc minus bene, fiunt enim compromiſſa libere. At Auſtregae habent in ſe iuris neceſſitatem, et in invitos exercentur: a Compromiſſariis non appellatur: appellatur autem ab Auſtregis. *Ordinat. Camer. P. II. tit. 2. §. darauf ſoll.* Errat igitur BVRGOLDENSIS, dum cauſam Palatinatus de Wildfangiis iudicio Auſtregarum agitatam autumat, quae tamen per arbitros compromiſſarios tractata et deciſa fuit, ut docent acta publica. Iudicium Ordinationis, Dn. LAMPADIVS *de Republ. Rom. Germ. P. III. c. 16. n. 82.*

III. Et ſumuntur varie, interdum pro ipſo iure et privilegio, quod Ordinibus illis per privilegiatas has inſtantias competit, quo facit *Ord. Cam. P. II. tit. 2.* ibi. *Austräge gegen einander haben,* non raro pro ipſis iudicibus, qui inſtantiis iſtis praeſidere

Digitized by Google

ſidere ſolent. Sic vulgo dicimus; *Die Sach iſt vor den Austrägen.* Sano vero ſenſu, quo nos quoque ſumimus, Auſtregae accipi ſolent pro inſtantiis primis privilegiatis.

IV. Quas nos ita definimus, vel potius deſcribimus. Auſtregae ſunt Iudicia, in quibus certorum Ordinum et immediatorum Nobilium Imperii res controverſae in prima inſtantia ſecundum praeſcriptam Imperii legem vel privilegia diventilantur et diiudicantur. **Definitio realis.**

V. Et dividimus in legales, quae ipſa lege publica certis tantum Ordinibus in *Ord. Cam. P. II. t. 2. ſeqq. an. 1495.* primum conceſſae, et in Receſſibus Imperii variis an. 1521. 1548. 1555. maioris valoris ergo repetitae, auctae atque confirmatae, quae Germanico idiomate veniunt *die Reichs-Austräge*, (de quibus etiam haec noſtra erit diſſertatio) et non legales, quae vel conſuetudine, vel conventione, vel praeſcriptione, vel ſpeciali aliquo privilegio Caeſareo introductae ſunt, et rurſus ſunt vel conventionales, vulgo *gewillkührte*, quas diverſae familiae inter ſe conſtituunt. Exemplo nobis ſunt regnum Bohemiae et domus Saxoniae: item domus Saxonica, Brandenburgica et Haſſiaca. Dn. SCHVBHARDVS *de Auſtreg. c. 8. n. 3. ſeq.* Quo referimus etiam Auſtregas, quas habent ex civitatibus imperialibus nonnullae: (e. g. *Ulma*, patria mea cariſſima, quae iudices in prima inſtantia agnoſcit *Memmingen, Gemund und Biberach.* ARGENTORATVM, quae iudices habet *Baſel, Worms, und Ulm.* NORIMBERGA agnoſcit *Windsheim und Weiſſenburg am Nordtgaw.* RATISBONA nominat *Augſpurg, Nürnberg und Ulm.* ESLINGA Iudices laudat *Ulm, Reutlingen und Heilbron.* DINCKELSPÜLVM iudicem ſortitur Praefectum civitatis, *den Stadt-Amman*, qui cum quatuor Senatoribus ex civitatibus *Nördlingen, Rotenburg an der Tauber, Schwäbiſchen Hall, und Schwäbiſchen Wärth* cognoſcit, quarum plures recenſent Dn. SCHVBHARDVS *c. 8. n. 15.* REINCKINGIVS *de Reg. S. et E. lib. II. d. 2. n. 16.* SCHWANMANNVS *lib. I. c. 7. n. 3.*) Vel ſtatutariae, vulgo *Stamm-Austräge*, quae inter eandem familiam manent, cuiusmodi dantur bene multae. Sic ſuas habet familia Palatina, ſuas Saxonica, ſuas Haſſiaca, quae hodie adeo ſunt uſitatae, ut praeter has nullam fere familiam vel do- **Diviſio.**

 mum,

Digitized by Google

mum, quae non ſuas certas atque definitas Auſtregas ſequatur, dari, quinimo etiam apud nobiles ſaepius tales obſervari teſtetur Dn. SCHVBHARDVS *d. c. 8. n. 11.*

Doctorum circa originem opiniones.

VI. Circa originem harum inveſtigandam Doctores multum diſputant. AVTHOR *der Donawertiſchen Information part. ſuae 1. et 2.* pluribus in locis, et, quo cum facit RÜMELINVS *diſſert. ad A. B. 1. part. 7. coroll. 1.* originem Auſtregarum primaevae Germaniae conſuetudini adſcribit. Frid. Lenzius incertum eſſe dicit, an conſuetudo, quod veriſimile, an privilegium originem illis dederit; utut autem hoc ſit, ſufficere nobis ait, quod ex iure ſcripto inſtantiae iſtae obſerventur, *th. 8. c. 3.* Nobiliſſ. Doctor CONRINGIVS *in d. tr.* Perſonatus MONZAMBANO, *§. 19. c. 5. cit. l.* BVRGOLDENSIS *in diſcurſ. ad Inſtr. Pac. 19. §. 3.* quanquam propter defectum hiſtoriae illorum temporum originem harum incertam reddunt, probabiliter tamen illam referunt in tempora Friderici II. ſeculi XIII. quo interregnum illud magnum extitit. Diſſent. Dn. SCHVBHARDVS *c. 2.* Dn. LIMNEVS *c. 5. l. 9.* Dn. SCHÜTZIVS *cit. diſp. de Auſtreg. 3. th. 4. l. b. Alii.*

VII. Nos omnino aſſentimur Dn. CONRINGIO, et haec arbitria uſui originem debere aſſerimus, qui interregni temporibus, et poſt interregnum, usque ad Maximilianum invaluit, cum quod interregni tempore nulla omnino iudicia erant, tum quod poſt illud tanta Imperatorum fuit imbecillitas, ut non ſine cauſa Principes ab eorum iudicio cauſas ſuas ſuſpendere noluerint. Facit apprime exemplum, quod illuſtris BOECLERVS *in Notitia Imperii lib. XIII. c. 5.* adducit, de Archi-Epiſcopo Trevirenſi et Lotharingiae Duce. Quem uſum cum nec tuto, nec e re aboleri poſſe Maximilianus iudicaret, certam ei formam dedit, et ſanctione ſua roboravit. Adeoque nihili eſt diſtinctio inter Auſtregas legales et conventionales, ratione quidem originis, cum utrarumque origo conventiones ſint et pacta, nec a Maximiliano originem, ſed ex parte confirmationem habent. Ex quo vero Maximiliani conſtitutione uſus Auſtregarum confirmatus fuit, diſtinctio in legales et non legales coepit.

VIII. Et

VIII. Et abſurdum eſt, ſi de rei origine in genere quaeris, diverſarum ſpecierum originem loco reſponſionis obtrudere. Maximilianus igitur, poſtquam quarundam Auſtregarum uſum confirmaſſet, confirmatarum a ſe auctor dicitur. Quo pertinet, quod Carolus V. Imperator primam Auſtregarum conceſſionem eidem adſcribit in privilegio Noribergenſibus, Auſtregas concernente, tradito, cuius meminit WEHNERVS *in Quaeſt. Cameral. c. 7.* Ex quo refert Dn. SCHVTZ his verbis: *Darauf den weyland den allerdurchlauchtigſten Fürſten Kayſer Maximilian unſern lieben Herrn und Anherrn Höchſtlöblicher Gedächtnuß in an. 1495. und durch Uns, auch unſere und des Reichs Churfürſten, Fürſten, und anderer Stände des H. Reichs im 1521. Iahr zu Worms Vorſehung gethan, und verabſchiedet, welcher maſſen, und vor wem Churfürſten, Fürſten, Graven, Freyen und andere, uns, und dem Heil. Röm. Reich ohne Mittel unterworffen in erſter inſtanz beklagt werden etc.*

IX. Nec moramur IACOBVM BLVMIVM *in Proceſſ. Cam. tit. 27. n. 11.* ubi ait: conſuetudinem eſſe facti, et probari debere. At hanc non eſſe probatam a RÜMELINO et aliis. Quaſi in iudicio contradictorio de origine Auſtregarum ſit nobis diſceptatio, ubi conſuetudinem aſſerenti incumbat probatio. Alia ratio eſt doctrinae publicae, quae fidem lectori facere poteſt, etiam eruditis coniecturis et probabilibus, ſeu ἐνδόξοις ἐπὶ χειρήμασι.

X. Sed pergimus ad materiam, et primo quidem ſubiectivam; de obiectiva agetur deinceps. Subiectum igitur Auſtregarum ſunt tres illae, quae quodvis aliud iudicium conſtituunt perſonae, Iudex, actor et reus: Quatenus quidem habiles, quos *Ordinatio Camerae* (utpote caput et fundamentum huius Iudicii) *P. II. t. 2 3. 4. et 5.* requirit, inveniuntur; harum enim ſi una defecerit, iudicium eſt nullum, et non attenditur, *c. forus. X. de V. S.* Materia ſubiectiua ſunt

XI. De reo dicemus primum. Qui ſi habilitatem ſuam rite probare velit, debet eſſe 1) immediate Imperio ſubiectus, et 2) neminem niſi Imperatorem agnoſcere ſuperiorem vel Iudicem. Isque vel eſt primi vel ſecundi ordinis. Praeterimus ſtudio diviſionem illam in tres Status uſitatiſſimam, reſpectu Reus,

ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet ad hoc privilegium, ut appareat ſpecialitatis ratio: competit enim beneficium hoc non omnibus Statibus, et excluduntur Civitates Imperiales; nec vero omnibus non Statibus denegatur, et includuntur nobiles Imperii immediati. *vid. Ord. Cam. P. II. t. 5.* In primo ordine comprehenduntur Electores et Principes, ſeculares et eccleſiaſtici; item Principali dignitate illuſtres, itidem vel ſeculares vel eccleſiaſtici, ut Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Magiſter Ordinis Teutonici, *der hohe teutſche Meiſter*, Abbates, Abbatiſſae. Qui omnes et ſinguli [eccleſiaſtici tamen, quod notandum, non qua tales, ſed qua ſunt Principes ſeu Status Imperii, et regali dignitate inveſtiti] Auſtregis in prima inſtantia fruuntur, et quidem contra quosvis cuiuscunque conditionis actores, per expreſſum textum in *Ord. Cam. P. II. t. 4. §. fin. ibi: Und ſollen ſolche Austräge der Prälaten, Graven, Herren, Ritterſchafft und Städte, allermaſſen wie die obgeſetzt, auch mit den Burgern und Bauren, und andern Unterthanen gegen den Furſten und Furſtmäſſigen ſtadt haben.* Secundum ordinem conſtituunt Praelati. Quid de Capitulo, ſede vacante? Gaudebit Auſtregis, quia ſede vacante quoad iurisdictionem et imperium Capitulum Praelatum repraeſentat, *c. 1. et 2. X. ne ſede vac. c. cum olim. c. his quae. X. de Maior. et Obed.* Commendatarii provinciales, *Land Commenthur der Balleyen*, Comites, non tamen Landſaſſii (qualis eſt Comes ab Hardek, *qui ſub domo Auſtriaca, Comes ab Hoheſtein, qui ſub domo Brandenburgica,*) ſed Status: Barones, Nobiles Imperii immediati. vid. *Ord. Cam. P. II. t. 5. §. Wie und vor welchen Richter, Prälaten etc.* Fruuntur autem, quod ſciendum, hi ex ſecundo ordine, modo et forma cum primi ordinis perſonis inaequali, non enim, niſi vel a primi vel ſui ordinis perſonis conventi, iſthoc gaudent, ſi vero ab immediatis, aut mediatis aliis citantur, iudicio ſe ſiſtunt Camerae vel Aulae Imperatoris. *vid.* FRIDERVS *de Proceſſ. lib. I. c. 18. n. 3. et ſeq.*

§. XII. Praedictos autem primi et ſecundi ordinis iudicii huius privilegiati reos non ſolos facimus, ſed horum quoque fratres, et reſpective liberos, uxores et viduas. Et fratres quidem, tum quod Ordinatio generaliter loquitur; *wo Chur-Furſten,*

Digitized by Google

ſten, Fürſten, Fürſtmäſſige Prälaten etc. einander zu recht fördern ſollen; tum quia privilegium hoc non patrimoniale, ſed perſonale eſt, ut recte cenſet P. FRIDERUS *lib. I. c. 9. in fin.* Liberos, ſexus utriusque, exinde, quod conditionem patris ſui in conſequendis honoribus, dignitatibus et familia ſequantur. *l. 19. ff. de ſtat. homin. l. 9. et 10. ff. de ſenator. l. 1. ff. de municip. l. 22. et 36. (de Decur.* Mulieres, iisdem quippe privilegiis cum maritis hæ condecorantur, *l. 2. C. de epiſt. & Cler.* et illarum forum ex maritorum perſona ſtatuendum. *l. mulieres, ult. C. de Incol. l. mulieres C. 13. de dignit. l. 3. C. de privil. ſchol.* Viduas, quamdiu ſcilicet in viduitate perſiſtunt; hoc enim tempore mariti demortui dignitatem atque forum retinent, *l. filii 22. §. vidua 2. ff. ad municip.* et in prioribus nuptiis perſiſtere cenſetur *Nov. 22. §. 1.* ſed ſatis de reo.

§. XIII. Actorem nunc conſiderabimus, qui, uti alias quoque ſequi tenetur forum rei, *l. 2. C. de Iurisd. et for. compet. l. 5. C. eod. l. 3. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hered. l. 3. C. ubi cauſ. ſtat.* ita et in hoc iudicio. Et plane nihil refert, (inprimis quoad reum ex primo ordine) cuiuscunque conditionis ſeu ſtatus fuerit actor, ſive immediatus, ſive mediatus, ſive quicunque alius, per cit. text: *Und ſollen ſolche Austräge der Prälaten etc.* ſive etiam peregrinus: licet de hoc Doctores nondum convenerint. Reum vero ex ſecundo ordine perſequitur non niſi aeque privilegiatus, uti ſupra dictum eſt. **Actor**

§. XIV. In iudice, utpote tertiam perſonam iudicii Auſtregalis conſtituente, ut brevibus nos expediamus, et generalia tantum notemus, conſiderandum venit, quod ſit *vel perſona publica,* ex ſe et ſua natura et dignitate talis dicta, *vel privata,* quae non ex ſe, ſed Dominorum ſuorum perſona aeſtimatur, quales ſunt Conſiliarii Electorum ac Principum, qui deſumuntur ex nobilibus et doctis, in quibus ſingularis eruditio et peritia in iudicando omnino requiritur. *Vid R. I. de an. 1570. §. Damit aber die Unterthanen nicht recht loſsgelaſſen wurden, ſoll ein ieder ſein unter, oder Hoffgericht mit verſtändigen Urtheilern beſetzt behalten, auff daſs daſelbſt den Parteyen zu Recht und Billigkeit verholffen werden möge.* Officiales, vulgo *Amtleute Pfleger,* **Iudex.**

ger, *Voigt*, qui literis etiam exculti eſſe debent: multum tamen de horum imperitia huius ſeculi conqueſtus eſt, allegatus a SCHÜTZIO, KELLERUS *in tract. de Offic. Iur. Pol. lib. II. c. 1. ſ. 232.* vel Vaſalli vid. *Ord. Cam. P. II. t. 4.* ibi: *Wo aber der Churfürſt, Fürſt oder Fürſtmäſſige nicht ſo viel Räthe in ſeiner Hofhaltung hätte, ſo ſoll der Kläger aus den beklagten Amtleuten, Voigten, Pflegern und Lehenmann des Adels die übrige* Summa *ergäntzen und erſetzen.*

Materia obiectiva ſunt cauſae civiles.

§. XV. Sed pergimus ad materiam obiectivam, quae ſunt cauſae in hoc iudicio diſceptari ſolitae. Sunt autem potiſſimum civiles, non tantum perſonales, ſed etiam reales, non modo quoad proprietatem, ſed etiam quoad poſſeſſionem: ita tamen ut in actoris relinquatur arbitrio, reum aut coram his noſtris, aut rei ſitae iudice conveniendi. RODINGIUS *Pandect. Camer. lib. I. tit. 4. num 5.* VULTEIUS *ad l. 1. ubi ſenat. num. 20.* SCHWANMANNUS *de Proceſſ. lib. I. c. 6. num. 7.* non obſtantibus, quae a DONELLO XVII. *comment. c. 17.* (cui aſſentitur HILLIGER *ibid.*) prolixe diſputantur, quibus erudite ſatisfecit VULTEIUS *l. 1. C. ubi in rem act.* Innuit hoc etiam generalis noſtrae Ordinationis locutio *tit. 4. Wann ein Stand den andern mit Recht beklagen wolte, warum oder was Urſache das wäre.*

An etiam feudales?

§. XVI. Cognitio de feudis, quam maioribus, quam minoribus huc non pertinet. Vid. ROSENTHAL *de feudis c. 12. concluſ. 1. num. 27.* Neque obſtat huic generalitas textus in *Ord. Cam. P. II. t. 4.* ſub ea enim cauſae feudales, ſingulare quippe iudicium feudale, itemque ſingularem iudicem habentes, comprehendi nequeunt, vid. Magnif. STRUVIUS *in ſyntagm. Iur. Feud. c. 16. th. 5. in fin.* de his enim ſolus Imperator vel Rex Rom. iudicat. Vid. *Ord. Cam. P. II. t. 7.* VULTEIUS hic, referente SCHUBHARDO *c. 5. num. 110.* Imperatorem, ſi lis fuerit de feudo regali, iudicem competentem facit, ſi vero de non regali controverſia moveatur, tunc immediate ad Auſtregas pertinere contendit: verum paucos, praeter LENTZIUM, nactus eſt adſtipulatores. Hoc tamen verum eſt, ſi in cauſis feudalibus lis aliqua non propter ipſum feudum oriatur, ſed aliam qualitatem, puta mere civilem, attingat, ad Auſtregas optime remitti poſſe.

Digitized by Google

poſſe. Idem ſentiunt SCHVBHARDVS *d. c. n. 137.* DN. SCHÜTZIVS *th. 13. l. b.*

§. XVII Cauſas criminales, quas nonnulli ex Doctoribus, et in his DN. LIMNEVS huc trahunt, nos excludimus, cognoſcunt enim Auſtregae de iis tantum, in quibus appellatio fieri poteſt ad Cameram. Dn. SCHVBHARDVS *c. 5. num. 30.* Iam vero hae criminales, *Peinliche Sachen, die Leibſtraffe auf ihnen tragen*, neque in prima, neque in ſecunda inſtantia in camera locum habent. *Ord. Cam. P. II. t. 28. §. Nachdem.* Ergo et in hoc tractari non poſſunt, ſed ſolus Imperator de iſtis iudicat. Concedunt hoc nobis non omnes, ſed utuntur diſtinctione quadam Doctores (quam SCHÜTZIVS quoque amplectitur) inter delinquentem in ſuo, et delinquentem in alieno territorio. Prioris iudicem Imperatorem quidem largiuntur, poſterioris autem Dominum iſtius loci, in quo delictum perpetratum eſt, Iudicem faciunt, provocantes ad praxin et obſervantiam. Sed quam miſere? quis enim neſcit, a facto ad ius nimis licentioſam et pernicioſam interdum collectionem viri? cum non quid fiat, aut factum ſit, ſed quid fieri debeat, attentendum, *l. ſed licet. 12. de offic. praeſ.* neque exemplis, ſed legibus iudicandum ſit, *l. nemo iudex. 14. C. de ſentent.* Quinimo cognitiones hae, *So nun eines Fürſten-Recht, Ehr, Leib und Lebenſchafft zu thun,* dudum Imperatori ceſſerunt. vid DN. SCHVBHARDVS *num. 53. c. IX.* Dubium itaque nobis reſtat nullum, quo minus Imperator delinquentem in quocunque ſolo punire poſſit. An Criminales?

XVIII. De matrimonialibus, an ſub hoc iudicium cadant? non inepte quaeritur: ſunt enim ex Doctoribus, qui ſtrenue affirmant. Prae aliis tamen circa quaeſtionem hanc occupatus eſt ZIEGLERVS *ad praxin Calvolae §. Auſtregae concluſ. 2. ſeq. ſ.* et probat *ex tit. 4. P. II. Ord. Cam.* verbis (*warum oder was Urſachen das wäre*) univerſalibus et ſimplicibus, iisque geminatis, et a Principe ſummo profectis, quae comprehendere ait ſub ſe ſingulas ſpecies, et proinde etiam cauſas matrimoniales. Verum reſpondet ad haec et alia illius argumenta SCHVBHARDVS *num. 90. et 98. c. V.* concedendo huic, verbis generaliter An Matrimoniales?

poſitis

Digitized by Google

poſitis et repetitis magnam quidem ineſſe vim, haec tamen verba determinate intelligenda, et ſecundum concedentis voluntatem et poteſtatem (quae duo neceſſario in omni conceſſione requiruntur) examinanda dicit, et ſic apparere, cum Imperatori nulla Iurisdictio in cauſis matrimonialibus fuerit tum temporis, quo Auſtregae datae ſunt, propter Pontificum Romanorum uſurpationem, eam quoque per verba illa univerſalia atque repetita in Iudices Auſtregarum, quia ipſe non habuit, transferre nec voluiſſe, nec potuiſſe. SCHVBHARDVS *cit. l. et n.* Quaeſiti vero, quo tandem pertinerent hae cauſae matrimoniales? iudicium noſtrum ſuſpendimus.

Forma eſt vel eſſentialis, §. XIX. Sed ad formam, quae iterum duplex eſt, vel eſſentialis vel accidentalis. Forma eſſentialis Auſtregarum conſiſtit in ipſa Iurisdictione, quam iudices exercent. Utrum autem illa ſit ordinaria, vel delegata? maxime controvertitur. Nos delegatam eam eſſe ſtatuimus, et argumentum, quod diſſentientes in praecipuis habent, non moramur, quod nimirum a lege delata eſt, ut ex conſtitutione Imperii per *Ord. Cam. P. II. t. 2. 3. et 4.* probari videtur, omnis autem iurisdictio a lege delata ſit habenda ordinaria. BENDERVS *de reviſ. concl. 4.* Non admodum ſtringit, quid enim? annon legati Proconſulis mandata eſt Iurisdictio? *l. 4. §. 6. ff. de Offic Proconſ. et ſeq.* et tamen a lege eſt, legatique propria. *l. 13. ff. eod. tit.* Magnificus Dn. PRAESES *Diſſert. Iuſtinian. XX. aphor. 15.* Nec obſtat, quod Principes cauſas ſuas plerumque conſiliariis ſuis mandent, iurisdictionem autem alii mandare is ſolus poſſit, qui eam habet iure ſuo, neque alieno beneficio. *arg. l. more maiorum ff. de Iurisd.* Nam conſiliariorum iſthaec expeditio mere inſtrumentalis eſt, Principe per hos, tanquam organo ſuo, iudicante, adeoque non eſt proprie dicta mandata iurisdictio, ſed modo miniſterialis, Principis velut nervis, mobilis adminiſtratio. Idcirco a conſiliariis delegatis non ad Principes mandantes, ſed ad Cameram appellatur. *Ord. Cam. P. II. t. 6.* Hinc etiam eſt, quod ſi Auſtregales recuſari poſſint, ut factum docet in cauſa Marchionum Badenſium contra Baronem de *Fleckenſtein* MYNSINGER *cent.*

IL

Digitized by Google

II. obſ. 52. quod ſecundum ius civile non liceret, ſi ordinariam iurisdictionem haberent.

XX. Forma accidentalis eſt ipſe modus et forma procedendi, quemadmodum nobis deſcribitur *P. II. t. 4. et 5.* et talis eſt. Vel conveniuntur primi ordinis inter ſe, vel ab aliis. **vel accidentalis.**

XXI. Si conveniuntur inter ſe; Actor reo querelam ac poſtulata ſua in ſcriptis mittit, ius ac iudicium flagitans; reus intra quatuor ſeptimanas IV. potientes rerum Principes, ſacri profanique ordinis binos, diverſarum familiarum, nominat; actor unum deligit, delectum reo intra tantundem temporis domum per literas denunciat. *Ord. Cam. P. II. t. 2.* Hunc ita electum ambo XIV. dierum ſpacio ſuſcipiendae cognitionis citandarumque partium cauſa interpellant; rogatus, velut delegatus Caeſaris, vigore huius legis litem definiendam ſuſcipit, diem locumque iudicii litigantibus denunciat, cauſam cum conſiliariis non ſuſpectis cognoſcit, et ex iure definit. Vtrique tam actori quam reo, appellatione permiſſa.

XXII. Sed numquid electus ab actore Evangelicae religionis addicto, iudicium debebit pro dimidia parte Evangelicos Aſſeſſores, pro altera Catholicos adhibere? Quod affirmandum videtur, quia vigore *Inſtrumenti Pacis* paritas religionis tam in Iudicio Aulico quam Camera, nec non in omnibus commiſſionibus Caeſareis et deputationibus ſtabilita eſt: at Auſtregae ſunt Caeſareae Commiſſiones.

XXIII. Quod ſi reus quicquam horum praetermiſerit, recta in Camera conveniri poteſt. Quod ita tamen accipiendum eſt, ut in arbitrio actoris ſit, utrum reum de novo ſuper Auſtregis requirere velit, an Camerae iurisdictionem ſubire malit, excepta cauſa ſpolii ſimplicis, per textum *Ord. Cam. t. 8. §. wo ſich denn et ſeq.* Si vero electus Princeps ante finem iudicii vita functus fuerit, ex antea ſimul nominatis quem actor optaverit, ſuccedit. *Ord. Cam. P. II. t. 2. toto.* Sin autem Princeps electus index, iudicis officium ſubire nolit, mandatum ſine clauſula in Camera decerni ſolet, uti praeiudicio quodam docet P. FRIDERVS *de proceſſ. lib. 1. c. 19. n. 10.*

Digitized by Google

XXIV. Quod ſi autem hae primi ordinis perſonae a ſecundi ordinis perſonis conveniuntur; hodie cuivis ex octo ſequentibus unum modum ſeu viam eligere licet, quem Princeps conventus praeciſe admittere tenetur. Quorum primus modus eſt: ut coram novem conſiliariis ad minimum quinque nobiles numerentur, qui conſiliarii intra annum et diem litem definire tenentur, *Ord. Cam. P. II. t. 4. pr. et §. 1. iuncto §. erſtlich etc.* vel de aſſenſu partium acta ad univerſitatem vel Academiam pro concipienda ſententia, quam ſuo nomine poſtea pronuncient, mittunt, R. I. *de an. 1570. §. in unſer Kammer-Gericht etc.* Secundus eſt; ut ex praedictis novem conſiliariis actor 7. vel 5. ſolos, quos voluerit, iudices exoptet, qui iuxta praeſcriptum modum litem definiant, eisque, ſicut et primo modo, reus Princeps ſumptus ſuppeditare tenetur §. *Zum andern.* Tertius: ut reus Princeps tres Principes nominet, ex quibus, quem vult actor, iudicem eligit, quo negotium iuxta ordinem terminet. § *Zum dritten. eod. tit.* Quo caſu, ſi actores nobiles ſeu privati tantum fuerint, haec nominatio nec familiarum diverſitati, nec duodenorum milliarium intercapedini adſtringitur. *Deputations-Abſchied de anno 1600. §. Und nach dem etc.* Quartus modus eſt: ut actor Commiſſarium a Caeſare, ad minimum tamen ex Praelatorum, praecipue vel Comitum ordine impetret. §. *Zum vierdten ibid.* Unde neque Baro, neque nobilis commiſſarii munere fungi poteſt. Quintus eſt: ut actor viros bonos, totidemque reus conſiliarios nominet, ex illis poſtea reus duos, ex his actor tres ſeligat, qui quinque iudicium inter partes exerceant. §. *Zum fünfften. d. t.* Sextus: ut actor duos viros bonos, reus duos conſiliarios nominet, et coram iis quatuor lis peragatur. Quibus diſſentientibus, neque conſenſu partium ſuperiorem eligentibus, Praeſidem Caeſar non ſuſpectum praeficit, qui vel alterutram ſententiam amplectitur, vel ſuam peculiarem profert; et hoc caſu nominati nominantis, Praeſes autem communi ſumptu exhibetur. §. *Zum ſechſten. h. t.* Septimus: ut ex conſiliariis omnibus rei (exceptis uno vel altero, ſi quos reſervare velit) Princeps actor quinque eximat

imat, vel ſi tot conſiliarii non adeſſent, ex officialibus, vaſallis aut nobilibus ſuppleantur, qui cauſam examinent, atque ceſſante reconventione diiudicent. §. *Zum ſiebenden. d. t. 4.* Octavus et ultimus eſt: ut reus conſiliarios novem, et inter hos nobiles ad minimum ſiſtat, coram quibus ſcripta utrinque quatuor, nec plura, intervallo quatuor ſeptimanarum (vel ſi ob loci diſtantiam termini iuſto anguſtiores fuerint, actori petenti a reo quotannis diebus quatuordecim amplientur) gemina proferantur, tertiis cauſae merita plene diſcutiantur, quartis novi nihil aſpergatur, ſed concludatur, nec, quicquid novi irrepſerit, attendatur, teſtes per Commiſſarium utrinque comprobatum examinentur, vel examinatorem quisque ſuum cum ſcriba ſimul edat, ſcripta bina, alterum probatorium, alterum exceptionis, ab utravis parte intra quatuor hebdomadas, a teſtium ac documentorum publicatione, exhibeantur, ac tum cauſa pro concluſa habeatur. §. *Zum achten. h. t.* Et hi modi non ſolum (iuxta §. *ult. d. t. 4. Und ſollen ſolche Austräge etc.*) locum obtinent, quando ſecundus ordo convenit primum, verum etiam quando privati, cuiuscunque ordinis aut dignitatis, cum primo ordine litigare velint.

XXV. Cum vero primus et octavus modus fere in unum convenire videantur, quaeritur de differentiae ratione. In primo enim actor reum coram novem conſiliariis rei convenit, aeque ut in octavo. Sic tertius atque ſeptimus videntur nil quicquam differre. Sed primus tamen ab octavo ſic differre videtur, quod in illo reus de conſiliariis requiſitus proponitur: in octavo ipſe non requiſitus conſiliarios ſiſtat: in tertio ex nominatis a reo actor eligit: in ſeptimo actor ex non nominatis rei ipſe eligit.

XXVI. Et haec de primi ordinis perſonis. Sequitur nunc, ut de ſecundi ordinis perſonis videamus. Qui ſi conveniuntur, vel id ſit a primi ordinis, vel ſui ordinis perſonis. Si enim a tertio ordine, puta civitatibus imperialibus, aut privatis aliis conveniuntur, forum immediatum competens Camera eſt. GAILIVS *I. O. n. 17.*

§. XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Si a primi ordinis perſonis illuſtres nobileſque Imperii immediati rei poſtulentur; actores Principes ſui ordinis non ſuſpectum intra duodecimum lapidem et reo vicinum obtinent, ac coram eo ex ordinationis forma procedunt: *Ord. Cam. P. II. t. 3.* Vel tres Principes viros, neutri addictos, ultra duodecim milliaria a ſe non remotos, nominari a reo petunt, eorumque unum in iudicem exoptant. *Ord. d. l.*

XXIIX. Si a ſui ordinis perſonis conveniuntur, hoc nomine requiſitus reus tres Principes actori ultra duodecimum lapidem non diſſitos nominet, ex quibus actor unum deligat, vel, ſi reus malit, iudicem delegatum a Caeſare obtinet. *Ord. Cam. P. II. t. 5.*

Finis. XXIX. Progredimur ad finem. Introductæ autem ſunt Auſtregæ, ut Electores, Principes, ac reliqui immediati beneficio appellationis, ſeu ſecundæ inſtantiæ gaudere queant, nec melioris ſint conditionis cives mediati et ſubditi, quam ipſi ſtatus et domini eorum. Perſpiciens enim ſacratiſſimus Imperator Maximilianus I. inferiores quosvis plures una inſtantias habere, quibus iura ſua vicibus iteratis urgere, ac forte fortuna omiſſa de novo proferre ac deducere poſſint, *l. 6. C. de Appell. l. 4. C. de temp. et repar. appell.* iis vero Electores, Principes, reliquosque immediate Imperio ſubiectos hactenus deſtitutos, illorumque cauſas, ut plurimum graviſſimas, uno iudicio terminari conſueviſſe, aequum iudicavit, ſi praedicti Electores, Principes etc. non minus quam mediate Imperio ſubiecti beneficio appellationis gauderent, ne ſcilicet inferioribus deterioris eſſent conditionis: id quod etiam verba ſequentia ſupra memorati privilegii Carolini ſatis clare innuunt. *Darmit ſie zum wenigſten zwo Inſtantz, und ihnen die Gutthat und Hülff der appellation alſo wohl als denienigen, ſo dem Reich nicht ohne Mittel unterworffen, vorbehalten und unbenommen bleibe.* Hinc etiam fit, ut a quocunque tribunali datur provocatio, illud Auſtregas non teneatur obſervare. Verbi gratia a Iudicio Rothwilenſi ad Cameram vel Aulam Caeſaream datur provocatio: Igitur hoc iudicium non teneri ad obſervantiam Auſtregarum recte concludit SCHYBHARDUS *c. 2. n. 87.*

§. XXX.

Digitized by Google

§. XXX. Effectus Auſtregarum ſunt varii; primarius tamen hic eſt, ut per hoc ſiſtatur iurisdictio Camerae atque AulaeCaeſareae utcunque hic diſſentiat Nobiliſſimus PAVRMEISTER *de jurisdict. lib II. c. 4. n. 39, ſeqq.* Afferit enim hoc ipſum rubrica *t. 2. P. II. Ord. Cam.* idemque teſtatur Decretum Rudolphi II. Imperatoris, Praeſidi Conſilii Aulici *d. 1. Iul. an. 1596.* inſinuatum, quod ita ſonat: *Die Käyſerliche Majeſtät könte neben andern nicht ſehen, warum und zu was Ende es fürträglich und gut were, daß ohne ſondere Noth und Urſachen, die in Reichs-Abſchieden und Ordnungen begriffene inſtantien überſchritten, und dem Cammer-Gericht labefactirt wurden, hingegen Ihrer Majeſtät Käyſerlicher Regierung ſchwere Behelligung aufwachſen möchten.* Ne vero quis de Camera ſolum hic locutum fuiſſe Imperatorem dicat, ille legat velim Matthiae I. renovatam *Reichs-Hoffraths-Ordnung, an. 1614. in Aug.* promulgatam, apud LIMNEVM *de Auſtreg. c. 5.* Hic quaeri poteſt, an aula Caeſarea cumulative concurrat cum Auſtregis, vel, ut clarius dicam, an in caſu, quo Auſtregae locum habent, praevenire eas aula Caeſarea queat? quod negamus, moti Inſtrumento pacis *art. 5. §. viſitatio verſ. coetera ubi ſtatuitur non minus in aulico iudicio quam Camera Auſtregas ſervandas eſſe.* Iam Camera non concurrit cum Auſtregis. Adde *Capitulationem Leopoldi art. 18.*

§. XXXI. Appellatur ab hoc iudicio ad Cameram, ſi nimirum ſumma appellabilis ſit, iuxta *Ord. Cam, P. II. t. 2. §. 2. Doch ſoll keiner Parthey die appellation für das Käyſerliche Cammer-Gericht benommen oder abgeſtrickt ſeyn*; adde *§. 2. und dieweil. tit. 28. P. ead.*

§. XXXII. Reconventio locum etiam in hoc iudicio ſibi vindicat per verba *fin. §. So dann etc.* Nimirum agitur aut coram novem conſiliariis, a Principe reo conſtitutis, aut ab actore electis, et tunc reconventio ceſſat: *Ord. Cam. P. II. t. 4. §. Dieſelbe etc.* aut agitur coram aliis Auſtregarum iudiciis ex aliquo reliquorum modorum; et tunc reconventio locum habet, *per d. §. So dann. circa finem.* Ita non poteſt conventus coram Auſtregis actorem ſuper feudis, v. g. regalibus, reconvenire. Quod enim ad Auſtregas non pertinet directo, pro-

pter

Digitized by Google

pter defectum poteſtatis, id neque per conſequentiam et in directo eo trahi poteſt.

§. XXXIII. Sic quoque prorogatio admittitur, etiamſi iurisdictio delegata ſit, BOCERVS *de Iurisd. c. 7. n. 20. ſeq.* cum *l. 1. ff. de iudic.* in genere iurisdictio prorogari dicatur; at generalis diſpoſitio ſingulas ſpecies ſub ſe contineat, nec ad certos caſus ſe reſtringi patiatur.

Contraria. §. XXXIV. Supereſt ut, qua ratione locum non habent, ultimo diſpiciamus. Ceſſant igitur Auſtregae vel ratione perſonarum, actoris ſcilicet et rei, vel rerum. Deficit igitur hoc iudicium ratione actoris, tam propter concurrentiam alterius, qui ad obſervantiam Auſtregarum non tenetur, quo in caſu Camera adeunda eſt; quam ex ſua ipſius perſona, videlicet quando convenit aliquem in alio quam Auſtregarum iudicio, et in eodem ab eo reconvenitur. Ille enim, qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, ſi ibi agat, cogitur actionem expectare, *l. qui non cogitur ff. de Iud. 22.* Pariter ſicut in actore, ita etiam reo Auſtregae quieſcunt, quando ſcilicet indignum ſe reddit privilegio, ut quando commiſit aliquid, cuius cauſa in bannum Imperiale incidit, *arg. l. 5. ff. de publ. Iud.* GAILIVS *I. obſ. 1. n. 38.* MYNSINGERVS *cent. 1. obſ. 90.* vel quando non paret formae in ordinatione praeſcriptae, quo caſu cauſam directo ad Cameram Imperii deduci textus eſt *in §. und ſollen. fin. P. II. Ord. Cam. tit. 2.*

§. XXXV. Etiam renunciatio contrariatur Auſtregarum iudicio. Licet vero huic privilegio primae inſtantiae renunciare reo, in ſui nempe praeiudicium: Non vero in praeiudicium actoris, per ea, quae notat DECIVS *ad l. 29. C. de pact.* Unde ſi actor privilegiatum in Camera convenit, poteſt reus privilegio primae inſtantiae renunciare: non vero poteſt, ſi coram Auſtregis conveniatur. Ratione utriusque eae ceſſant, quando conventionales vel arbitrarias Auſtregas inter ſe habent; hae namque illis praeferendae ſunt, *P. II. Ord. Cam. t. 2. in pr. ibi: welche ſonderliche gewillkuhrte Rechtliche Austräge gegen einander haben, deren ſollen ſie ſich laut derſelben gegen einander gebrauchen. Dann die gemeine Reichs-Austräge ſecundum*

re-

reſcriptum Rudolphi II. ad Electorem Palatinum d. 28. Iun. an. 1578. in cauſa *Georg Hanſſen, Pfaltzgraven,* contra *Chur-Pfaltz* et *conſortes, die ſondere Erbeinigung und Verträgen, ſo die Stände unter einander haben, nicht aufheben.* vid. P. FRIDERVM *de proceſſu lib. I. c. 19. n. 2.*

§. XXXVI. Cauſae, in quibus Iudicium hoc non attenditur, ſunt cauſae fractae pacis religioſae, *R. A. de an.* 1555. §. *Wir befehlen.* profanae *P. II. Ord. Cam. t. 9. et ſeq.* pignorationis, *d. P. II. t. 22.* arreſtorum *R. A. de anno 1570.* §. *wann dann auch die* arreſta litigioſa poſſeſſionis *P. II. Ord. Cam. t. 21. l.* diffamari *P. II. Ord. Cam. t. 25.* Fiſcales *P. II. Ord. Cam. t. 20.* relaxationis iuramenti ad effectum agendi, *P. II. Ord. Cam. t. 24.* denegatae vel protractae iuſtitiae *Ord. Cam. P. II. t. 26.* violati privilegii Caeſarei, et aliae, de quibus GAILIVS, FRIDERVS, SCHWANMAN, NYNSINGER, aliique ſuis locis plenius tractarunt. Meum nunc eſt, apud B. L. deprecari errores, quos agnoſco plurimos, qui ſic rogatus pro ſua humanitate facile veniam dabit, in primis ſi cogitaverit, neque quovis tempore, neque ab omnibus omnia expectanda eſſe *l. 6. ff. §. 3. de offic. Proconſ.* Tibi vero, ſumme Deus, ex quo et per quem omnia, *l. 5. §. 1. C. de SS. Trinit. et fid. Cathol.* cum quo incepi, et quo propitio haec pertractata ſunt, *§. 3. Inſt. Proem.* devotas et immortales ago gratias, exhibiturus laudes, quas mens mea concipere, et lingua proferre poteſt maximas, *l. 1. pr. C. de Offic. Praef. Praet. Afr.* quod non ſolum meis praeeſſe ſtudiis adhuc, ſed et benigne manum mentemque in conſcribenda hac diſſertatiuncula dirigere volueris. Gratia mihi porro Spiritus Sancti adſis, et ſtudiis meis ita benedicas, ut laetus illorum ſit

FINIS.

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE
ANNATIS
AD INSTRVM. PACIS CAESAREO-SVECIC.
Art. V. §. 5. verſ. ſi quid Annat.

RESPONDENTE

IOHANNE PAPE

LVNEBVRGENSI

IENAE MDCLXXIII.

PROOEMIVM.

Ex quo demum piorum primae Eccleſiae hominum in ius abire coepit munificentia; varios quoque bona Eccleſiae acquirendi modos introduxit Pontificum, quae ob religionem ſemper fuit maxima, autoritas. Ut miratio animum ſubeat, quam fere incredibile ſucceſſu temporis auri pondus ex opulentiſſimis cuiusque regni gazis Romam ſit exportatum, ſiquidem nihil intermiſſum, quod vel ad opes corradendas, vel augendas divitias ulla facere ratione potuit, in tantum, ut nemo ſe devotum ſatis aeſtimaret, qui in ſacri ordinis emolumentum, ſi non patrimonium deſtinaret totum; ſaltem maximam eius partem inſumeret. Huius rei ut documenta quaedam demus, quis eſt qui neſcit, quam lucroſum Gregorii M. circa Purgatorium fuerit inventum? ſomnio enim huic cum primum vulgus opinionis errore acceſſiſſet, oblationes quoque pro animabus ibi morantibus ſunt inventae, quibus iam vel mica religionis erat, omnia profundere malebant potius, quam in tanto miſeriarum barathro cruciari ſemper. Nec dici poteſt, quanti immanes manarint reditus ex indulgentiarum Bullis: argumento enim iocus eſſe poteſt Caeſaris Borgiae, Alexandri VI. Pontificis, filii, qui cum aliquando centena amplius aureorum millia aleae luſu perdidis-

didiſſet, *Germaniae ſe perdidiſſe peccata* dicere haut fuit veritus; quin ipſum exinde Campegienſe palatium Bononiae per iocum *Peccata Germanorum* denominatum. Vix cuiquam ignotus quoque erit Denarius, quem vocant, Petri, ſingulis annis ex unaquaque domo pendi ſolitus, poſtquam Ina et Adelvvolfus, occidentalium Saxonum in Britannia Reges, Romano Pontifici regnum ſuum fecere vectigale. Quantum et quam inſigne lucrum ex inſtitutis Iubilaeis camerae Apoſtolicae ceſſerit, vel ex eo videre eſt, quod Alexander VI. ex unico iubilaeo trecenta coronatorum millia coegerit. Et haec ratio fuit praecipua, quare iubilaeum a centum ad quinquaginta annos contraxerit Clemens VI. a quinquaginta ad triginta tres Urbanus VI, inde ad viginti quinque Sixtus IV. Prolixus nimis forem, ſi et Pallio (quod recens electi Epiſcopi, ad conſequenda, quae ordinis ſunt, redimere coguntur) annexos reditus uberrimos hic referre eſſet animus. Succenturiata ſunt ipſa ipſorum S. S. R. Imperii Statuum gravamina, Maximiliano I. Imperatori propoſita, quae expreſſe loquuntur, in vita unius hominis ſepties viginti quinque florenorum millia ex ſolo Archiepiſcopatu Moguntinenſi pro redemtione pallii et confirmatione Archiepiſcopi Romam perveniſſe. Silentii quoque conopeo involvam montes, quos vocant Pietatis, aliaque genera καπηλικῆς a Curia inventa, ſcilicet pro confirmationibus, praeventionibus, commendationibus, diſpenſationibus aetatis, ordinis, irregularitatis etc. pro gratiis, item expectativis, beneficiis vacaturis, emtionibus non viſitanti, permutationibus beneficiorum, pro toleramus, ſive tolerantiis concubinarum, quae et alia plura in taxa cancellariae Apoſtolicae deſcribuntur. Qui modi omnes etſi ſatis ſint opimi, longo tamen poſt ſe intervallo eosdem relinquit Annatarum inſtitutio, uti ex praeſenti diſcurſu apparebit, quem ad uſum exercitii Academici hac vice exhibere conſtitui. Iure equidem merito audaciam meam temperare debuiſſem, qui tale quid meditandum ſuſcepi, cui humeri mei ferendo vix ſunt ſufficientes; ſed potius his derelinquendum, qui maioribus publicarum rerum incrementis ſunt ornati. Aſt cum in difficilioribus et tentare

tare ſaltim ſit iucundum, et etiam ſit aliquid, prodire tenus, ſi non datur ultra; faciliorem quoque veniam iuveniles hi conatus a Benevolo Lectore ſibi promittunt. Interim divinum illud numen ſupplex venerabor, velit laboris mei principium eſſe, medium ac terminus.

CAPVT I.
SECTIO I.
Originem Annatarum inquirens.

§. I.

PRimam Annatarum inſtitutionem et originem indagare cupienti, idem fere uſu venit, quod his, qui circa originem illuſtriſſimi Electorum ordinis deſudant. Diverſos enim indiverſas abire videmus ſententias interque eas tutiorem alii putant, quae rem ad Ottonis III. et Pontificis, Gregorii V. tempora refert. Quod cum exinde ſtare non poſſit, quod diu poſt Ottonem mos eligendi vetus fuerit in uſu, ut nempe omnes Imperii Principes ad electionem Regis Romanorum convocarentur; alii ad conſuetudinem recurrunt tacitoque Imperii conſenſui, interveniente temporis diuturnitate, rem adſcribunt, praeſertim cum et hoc ipſum ex *A. B. Caroli IV. c.* 1. non minus, quam ex *c. Venerab. X. De Elect. Conſtit.* conſtet. Vid. illuſtr. Dn. PRAESES, Patronus et Promotor meus nunquam ſine honoris titulo nominandus, *Diſſ. Exoter. II. th.* 1. RVMELINVS *ad A. B. Diſſ. V. th.* 19. *lit. a.*

§. II. Similem iam, ut dixi, in modum ſeſe res habet cum Annatarum inventione, nam et hic variae ſeſe offerunt Autorum opiniones, ut incertum adeo ſit, cuinam maxime calculus adiiciendus. PLATINA Bonifacium IX. harum autorem facere videtur, dum in eius vita p. m. 274. haec habet: *Bonifacius Annatarum uſum beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit, hac conditione, ut qui beneficium conſequeretur, dimidium annui proventus Fiſco Apoſtolico perſolveret.* Dubius tamen adhuc eſt, dum addit: *Sunt tamen qui hoc inventum Iohanni XXII.* (qui aliis eſt XXI.) *adſcribant.* Sed quo minus ſententiae eius aſſen-

ſum

ſum praebeamus, facit Concilium Vienneſe, anno 1310. ſub Clemente V. habitum, quod easdem iam tum recipit, ut teſtatur TH. CAMPEGIVS *de Annat.* §. 1. vel ut ZABARELLA vult, eas in Concilio hoc fuiſſe ſublatas, et mediam decimam Annatis ſubſtitutam, vti et Pius V. aſſerit, *Annatas in recognitionem dominii univerſalis introductas eſſe antiquiſſimas, lib. 7. Decret. de Annat. c. 7.* Siquidem et Alexandri IV. tempore propter Annatarum reſervationes fuiſſe reclamatum, ex Cardinali Hoſtienſi *ad c. 15. X. de offic. iud. ord.* colligere eſt.

§. III. DIONYSIVS GOTHOFREDVS ad Iuſtiniani, Imperatoris noſtri, tempora recurrit, et Annatarum originem *ex Nov. 123. c. 16.* probare conatur, *pr. ibi: Unius anni emolumenta non tranſcendentem.* Sed non in Oriente primam harum inſtitutionem quaerendam, pluribus ex PALLADIO *dial. de vita Chryſoſt.* demonſtrat πολυμαθέϛατ@ Dn. STRAVCHIVS *Exoter. Diſſert. V. θ. 17.* Convenerunt enim ex Aſia, Scythia, Thracia, aliisque terrae partibus aliquot Metropolitae Conſtantinopolin ad Ioh. Chryſoſtomum (qui ſeculo IV. vixit) ibique facta Synodo, oblatus fuit libellus adverſus Antonium Epheſinum, accuſationes aliquot continens, inter alias et hanc: quod pro lege ac decreto haberet, ordinationes Epiſcoporum vendere pro modo redituum. *Vid.* M. A. DE DOMINIS *de Rep. Eccleſ. lib. IX. c. 9. n. 66.*

§. IV. Sunt porro, qui putant, a Promotis ſponte initio eſſe ſolutas Annatas, idque poſtea in ſcriptis redactum, obligationem induxiſſe, ſicut plerumque fieri aſſolet, ut quae ab initio ſunt voluntatis, ex poſt facto fiant neceſſitatis *arg. l. 5. 6. de oblig. et Act.* quod enim ſemel placuit, amblius diſplicere nequit. *c. 21. de R. I. in 6to.* Ut adeo hoc ipſo ad antiquiſſimam aliquam conſuetudinem inclinent, quae apud Chriſtianos pariter ac Gentiles ſenſim inveteravit. Nam allegatus CAMPEGIVS *th. 5.* affirmat, Aegyptios primum, deinde omnium Gentium Sacerdotes exinde factos fuiſſe locupletes, quod inferiores in in greſſu Sacerdotii mediam partem redituum ſummo Sacerdoti miniſtraverint.

§. V.

Digitized by Google

§. V. Quicquid tandem huius rei ſit, hoc tamen conſtat, tempore Bonifacii IX. nullam adhuc fuiſſe perpetuam aliquam et univerſalem Annatarum legem, ſiquidem ipſe Papa ſola bellorum contra infideles occaſione eas indixit. M. A. DE DOMINIS *l. c. §. 63.* Poſtea tamen, maxime tempore Pii II. et Innocentii IIX, certae conſtitutiones hac de re editae, quae legis vigorem obtinuerunt, et iuri Pontificio adiectae ſunt. *Vid. tit. de Annat. 7. Decret.*

SECTIO II.

Definitiones et Diviſionem Proponens.

§. I.

Methodi ne laeſae arguamur rei, antequam pedem porro moveamus, praemittenda quaedam duximus, quae facere poſſunt tum ad nominis explicationem, tum rei enodationem.

§. II. Nominis explicatio ſiſtit (1) Etymologiam. Res ipſa licet non adeo nova, ipſa tamen vox Annatarum, quae huic generi redituum indita, Claſſicis ignota. Etſi natales ſuos ex Latio velit deducere, a voce nempe ANNVO, non quidem quod anniverſarium ſit vectigal, aut annuus aliquis canon, ſingulis annis recurrens; ſed quod ſit unius, et quidem primi anni LIMNEVS *ad Capitulat. Caroli V. p. 230.* DVARENVS *de Sacr. Eccleſ. miniſter. lib. VI. c. 3.*

§. III. Etymologiam excipit Homonymia. Ubi diſtinguendae erunt Annatae noſtrae a Decimis decimarum, quas Levitae in veteri teſtamento dare cogebantur ſummo Sacerdoti, Aaroni *Num. XIIX. 26.* Licet enim cognationem quandam invicem prae ſe ferant, et exinde commoti nonnulli originem Annatarum ex iure divino adſtruere conentur: ex eo tamen differunt, quod hae ſemel tantum a novo Epiſcopo ſolvantur; decimarum vero decimae ſingulis annis, aut etiam ſaepius offerri debuerint.

§. IV. Subſequitur Synonymia. Non adeo frequens haec circa materiam noſtram occurrit, ne tamen diſſertationi quid deſit, quorundam hic mentionem faciemus. Vocantur enim

Digitized by Google

enim et *Annuum, Vacantiarum reditus*, interdum etiam *medii fructus*, ſcilicet quia in Concilio Viennenſi loco Annatarum media decima, id eſt, vigeſima fructuum pars ſuper beneficia fuit indicta.

§. V. Definitione nominali aliquo modo declarata, properamus ad rei deſcriptionem, ANNATAE ſunt cenſus canonicus, vi cuius is, qui recens in demortui locum ſucceſſit Epiſcopus, aut quivis alius Praelatus Pontifici R. fructus integros unius anni ex eo Sacerdotio perſolvere tenetur. SLEIDANVS *comment. de Statu Relig. lib. IV. p. m. 82.* LIMNAEVS *ad Capitulat. Caroli V. l. c.*

§. VI. Diviſionem nobis ſuppeditat BESOLDVS *theſauro pract. voc. Annatae*, diſtinguens cum BAPT. COSTOM. *de Remed. ſubſid. c. 114.* inter Annatas profanas et eccleſiaſticas; ſed cum haec diſtinctio potius ſit homonymica, quam vera diviſio, nos circa hanc non morabimur, et hic de eccleſiaſticis, non autem profanis ſermo noſter erit.

CAPVT II.

SECTIO I.

Cauſam Annatarum efficientem examinans.

§. I.

CAuſarum cum aliae ſint externae, aliae internae exter nas primum, conſiſtentes in efficiente et finali, ſumus conſideraturi. Et quidem quod ad efficientem, conſtituit eam Papa Romanus, quippe qui Annatarum indictionem pro autoritate et potentia, qua hodie pollet, ſumma, ſibi propriam vindicat, eamque in orbe Chriſtiano ipſo facto exercet: Etſi iure merito hoc ius cuilibet, penes quem eſt τὸ κύριον in Republica ſit derelinquendum. Si enim ius circa ſacra et religionem, ut principale, tanquam pars κυρίȣ πολιτεύματος a poteſtate civili dependet, prout late hoc deducit *Magnif. Dn.* PRAESES *Diſſ. Exot. V. th. 1.* quare acceſſorium eius, puta ius Epiſcopos et eccleſiae miniſtros conſtituendi, deque ipſorum reditibus pro neceſſitate vectigal exigendi, ſummae poteſtati

 dene-

denegaremus, maxime, cum Papalis illa dominatio et poteſtas ſola poſſeſſione tantum, variis machinationibus quaeſita, innitatur.

§. II. Simulac enim aevi devotionem in ſuperſtitionem abire, ſeque ipſos ob autoritatem plurimum valere videbant Pontifices; elatius ſe gerere, resque appetere maiores, ut plerumque ſolent res ſecundae, quae cum benigniori homines arrident oculo, ſuperbiae faſtu tumidos efficiunt. Etenim id ſaltim animos verſabat, quo iure omni Regum nexu ſoluti magnae Italiae parti regia poteſtate dominarentur. Quod etſi ante Pipinum, Francorum Regem, effectui dare non potuerunt, impetrarunt tamen a filio eius, Carolo M. qui Leoni IV, Pontifici, ob impoſitam occidentalis Imperii coronam ad ἀντίδωρα ſe obligatum putans, huius poteſtatis fundamenta iaci paſſus fuit. Hic enim, Imperator factus, non tantum, quae Pipini, parentis benignitate poſſidere inceperant, confirmavit, ſed et de novo poſſidenda adiecit. *vid. cl. Dn.* CONRINGIVM *de Rom. Imp. Germ. c. 7.*

§. III. Caroli exemplum ſecuti et alii Imperatores, et Principes, munificentiae exceſſu ditiones, divitiis refertiſſimas, ordini eccleſiaſtico conſecrarunt. Inſignis praeprimis eſt donatio Mathildis, Comitiſſae Italiae, (etſi de veritate huius rei adhuc incerti ſint quam plurimi, *vid, celeb. Dn.* CONRINGIVM *de Finib. Imp. c. 10. m.*) hac enim Romani Pontifices Reges fere potentia exaequarunt. Quo factum, ut pluribus inhiandi ipſis anſa ſit ſuppeditata. Scilicet, quam meditabantur, Monarchiae reſiſtebat adhuc penes Imperatores exiſtens collatio bonorum eccleſiaſticorum, qua niſi manibus ipſorum ſubtracta, nihil eorum, quae conſtituerant, fore ratum facile odorabantur; hinc eo omnis opera, quo et hoc effectui dare poſſent. Nec conatui defuit ſucceſſus. Quod ipſum ſatis nos edocet fatalis ille regiae maieſtatis caſus in Henrico IV, quem Gregorius VII. regno ſpoliatum eo redegit, ut, ſi ad regni maieſtatem pervenire iterum contenderet, iureiurando caveret, ſe in omnibus Pontificis dicto morem geſſurum. Continuata haec in filium eius, Henricum V, in tantum ſunt, ut non ſolum canonicam in omnibus eccleſiis fieri electionem

con

Digitized by Google

conceſſerit, ſed et omnia ſacrorum iura Calixto II. anno 1122. apud Vangiones reſignaverit. LAMPADIVS *de Rep. R. G. Part. II. §. 11.*

§. IV. Quo magis iam res voto reſpondebat, eo maioris inſolentiae ſigna. Huc namque dementiae perveniebant Pontifices, ut in Caeſarem Regesque alios iurisdictionem ſibi arrogarent, quid? quod plenariam in univerſam eccleſiam affectarent poteſtatem. Ut adeo, cum maiora, quam capere poterant, ſpirarent, ferre amplius aequo animo eorum ſuperbiam non potuerint praecelſa orbis capita, minime conveniens maieſtati putantes, tantis Paparum inſultibus obſecundare. Vidimus id in Philippo Pulchro, Rege Galliae, qui cum a Bonifacio IIX. ſuperbas admodum ob collationes beneficiorum accepiſſet literas, tale reſponſum dedit: *Philippus D. G. Rex Francorum, Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice ſalutem modicam ſeu nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, Eccleſiarum et praebendarum collationem ad nos iure regio pertinere, et collationes a nobis hactenus factas et in poſterum faciendas fore validas, et illarum vigore poſſeſſores contra omnes viriliter tueri, ſecus credentes fatuos et dementes reputamus.* Utramque Epiſtolam exhibet GOLDASTVS *tom. III. Conſtit. Imper. p. 407.* Simile quid fere Woldemarus, Daniae Rex, literis ſummi Pontificis reſcripſit: *Notum tibi facimus, vitam nos habere a Deo, nobilitatem a parentibus, regnum a ſubditis, fidem ab eccleſia R. quam ſi nobis invides, remittimus per praeſentes.* SPRENGER *Inſtit. I. P. lib. 1. c. 4. p. 17.* Rotunda quoque eſt Graecorum reſponſio ad Iohannem XXII, plenitudinem poteſtatis in univerſam eccleſiam ſibi arrogantem: *Potentiam tuam ſummam circa tuos ſubditos firmiter credimus, ſuperbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus, avaritiam ſatiare non valemus, diabolus tecum, dominus nobiſcum.* PHILIPPVS MORNAEVS. *in myſter. iniquit. p. 421.* LANSIVS *in Orat. cont. Ital. p. m. 788.*

§. V. Circumciſa quidem hoc modo Pontificum fuit poteſtas, ſed radicata nimis evelli non potuit, quin ſenſim iterum adulta, ad priorem ſtatum ſe recepit, adeoque Curia

Digitized by Google

qua vi, qua fraude, uti in aliis, ita et circa Annatarum exactionem liberam obtinuit diſpoſitionem, ſicut hoc fuſius ex annalium monumentis conſtat.

SECTIO II.

Cauſam Annatarum finalem exhibens.

§. I.

CAuſa Annatarum finalis ſatis ab initio erat ſpecioſa: reſervari enim debebant contra Turcas, Saracenos, aliosque reipublicae chriſtianae hoſtes, quo, ſi caſus et neceſſitas urgerent, paratus eſſet theſaurus, unde belli ſumtus aliaque neceſſaria poſſent depromi. Ad quam reſpiciens Maximilianus, Imperator, cum Statibus in comitiis Auguſtanis decrevit, propter bellum Turcicum mittendam eſſe legationem ad Pontificem, Alexandrum VI, ut Rempublicam ope conſilioque iuvaret, et Annatas Nationis Germanicae, hac potiſſimum de cauſa conceſſas olim, in hunc uſum contribueret. *R. I. de anno 1500. tit. Wie man mit dem Pabſt handeln ſoll. 43.* SLEIDANVS *l. IV. Comment. de ſtatu relig. p. 82.* Hinc inter querelas Statuum in Comitiis Norimbergenſibus anno 1522. et haec: *Daß die Annaten zu nichts anders, denn zu Wiederſtand des Türcken gebraucht werden ſolten, welches aber nicht geſchehen.* HORTLEDER *Von Urſachen des Teutſchen Krieges l. 1. c. 1. n. 25.* Confirmant hoc ipſum literae Caroli V. ad Hadrianum VI. ſcriptae in dictis Comitiis anno 1523. verbis: *cum meminiſſent* (Status) *Annatas ab origine ea maxime ratione conceſſas eſſe, ut huiusmodi pecuniis Chriſti fidei hoſtes arcerentur: nunc autem ipſi Turcae Germaniae inhient, aequm eſſe, ut huiusmodi Annatae in Germania retineri, et illic in hunc uſum converti debeant.* Idem in epiſtola ad Clementem VII. repetiit Carolus IOSVA ARNDIVS *in Lexico antiquit. eccles. lit. A. voc. Annat.*

§. II. Acceſſit deinde ſpecialis ratio et titulus; expeditio ſcilicet in terram ſanctam ad recuperandam Hieroſolymam, religionisque ſocios e Turcarum ſervitute liberandos. Communi nomine hoc *Paſſagium* appellatur, ut ex oratione

quam

quam iuſſu Friderici III, Imperatoris, ad Nicolaum V, Pontificem, habuit AENEAS SYLVIVS, (Epiſcopus tum Senenſis, poſtea Pontifex, Pius II.) apparet, quam integram nobis exhibuit, notisque illuſtrauit *B. Dn.* BOECLERVS, idque *p. 25.* ita deſcribit, quod ſit *expeditio militaris numeroſa, cum chriſtiani Principes, quibus belligerendi ius eſt, ſociata ope in chriſtiani nominis hoſtes, pro Chriſti gloria, defenſione eccleſiae et conſequendo iure arma mouent.*

§. III. Vnde patet, Paſſagium hoc indicendi ſimul et dirigendi ius ſeculari potius poteſtati, eique, qui ius gladii habet, competere, Pontificum vero munus non aliud, quam conſulendi, exhortandi, rogandique hac in re eſſe poſſe. Vti tamen omnia, ita et hoc ius ſub praetextu religionis ad ſe traxerunt, ſicut ſemper ipſis ſolenne fuit, conatibus ſuis religionem, ſuperſtitione fermentatam, affingere, quo animos hominum ad ea, quæ meditabantur conficienda, facilius flectere poſſent, probe ponderantes, quod *nulla res multitudinem efficacius regat, quam ſuperſtitio, alioquin impotens, ſæua, mutabilis, ubi ſemel religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus pareat.* CVRTIVS *lib. IV. c. 10.* Fuitque hoc philtrum, quo Reges olim et Principes ſubiectos ſibi populos dementarunt; poſt ipſi Principes hoc glaucomate decepti, Paſſagia non ſolum Pontificum arbitrio reliquerunt, ſed et imperare eadem ſibi fuerunt paſſi.

§. IV. Quatuor autem praecipue expeditiones in terram ſanctam ab Hiſtoricis conſignatas reperimus. Prima tempore Henrici IV. anno 1095. inſtituta, ubi milites, ſe expeditioni offerentes, loco teſſerae militaris ſignum S. Crucis, e purpureo panno confectae, ſuper ſcapulam dextram veſtimentis praetulerunt. Altera ſuaſu Eugenii III, Pontificis, anno 1147. a Conrado III, Imperatore, et Ludouico VII, Francorum rege; tertia anno 1189. a Friderico Barbaroſſa, Philippo Auguſto Francorum, Richardo I. Anglorum Regibus; ultima a Friderico II, Imperatore, anno 1228. expedita, cum qua ſimul totalis bello ſacro impoſitus eſt finis. vid. HELMOLDI *Chronicon. Slavor. cum not.* BANGERTI, CLVVERVS *hiſtor. vniuerſ.* HORNIVS *in orbe Imper. aliique.*

§. V. Ceſſante hac ratione cauſa, tanquam effectus ceſſare etiam debuiſſent Annatae, ut deputati Concilii Baſileenſis ad

 Papam

Digitized by Google

Papam Eugenium IV. queritantur; M. A. DE DOMINIS *l. c.* ſed ſicut uſu recept umhactenus eſt apud Principes, ut, quæ ſub diſcriminis articulo extraordinaria ratione ſoluuntur a ciuibus, poſtea perpetua eſſe velint, et (TACITVS *lib. II. Hiſtoriar.*) *quae grauia et intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace maneant plerumque:* ita et Pontificibus conſuetudo fuit ſolennis, Annatas, ut temporarias, pro ſola belli neceſſitate, ceſſante licet hac, nihilo tamen ſecius exigere. Etſi nec unquam in hunc uſum pecunia haec fuit adhibita, uti hoc inter alia Ordines et Status in comitiis Imperii, an. 1522. Norimbergae habitis, nuncio Apoſtolico Franciſco Cheregato, obiecere: *Weil Pæbſtl. Heiligkeit ſelbſt wiſſen, daß die Annaten gemeldter Bewilligung nach Pæbſtl. Heiligkeit Vorfahren wider den Türcken nicht gebraucht, das gebe Urſach etc.* HORTLEDER *von Urſachen des Teutſchen Krieges L. 1. c. 1. n. 25.* Sed ſtipendii loco indulgentia peccatorum propoſita, BARONIVS *ad a. 1095.* quaſi omnes, qui nomen dederant, plenariam peccatorum remiſſionem mereri et conſequi poſſent.

CAPVT III.

SECTIO II.

Cauſam annatarum materialem oſtendens.

§. I.

Inter cauſas internas primum ſibi vendicat locum materia, quae cum duplicis ſit generis, alia proprie ſic dicta, alia per analogiam talis, poſterior noſtræ conſiderationis erit. Et ſunt materia ſiue ſubiectum Annatarum non tantum Archiepiſcopatus, quorum numerus ad tria millia accedit, Cardinalis IACOBATIVS *de Concil. l. V. art. 7. num. 13.* ſed et omnes Praelaturae, Abbatiae, et alia minora Beneficia, electiua dicta, quorum reditus annui non excedunt viginti quatuor ducatos, imo quae et duodecim ducatorum ſunt, ex conſtitutione Pontificis Leonis; a ſingulis penſiones certas camera pontificia ſolui voluit, ut innuit querela Statuum apud HORTLEDERVM *de C. B. G. l. 1. c. 47. n. 45.*

§. II.

Digitized by Google

§. II. Quanta iam auri vis ex hac collectione ſit confecta, vix eſt, ut dici poſſit. Sexcentos equidem alios habet modos curia Romana, quibus orbis gazas expilare novit, (cuius rei in prooemio mentionem fecimus, praeterea et ſingularis exſtat liber, cui titulus: *Taxa cancellariae Apoſtolicae cum notabilibus iuxta ſtylum hodiernum curiae Rom. vol. XV. tractat. iuris*) neque tamen ullus ex his inexplebili Pontificum auaritiae ſatisfacit aeque ac hoc Annatarum vectigal. Galli exemplo ſuo rem comprobant. Graue olim ipſis erat, cum Iulius Caeſar deuictis tributi nomine annuum imperaret ſeſtertium quadringenties, quod noſtrati pecuniae reſpondet ad X. tonnas auri. EVTROPIVS *breuiar. hiſtor. l. VI. ad A. V. C. 694.* Grauius aſt multo fuit, tantundem fere curiae Romanae pendere, cui tamen ne ſubiecti quidem unquam fuerant. Tempore enim Martini V. ex Gallia Romam delata fuere nouies millena millia coronatorum Gallicorum, uti hoc videre eſt ex *Sylua locorum communium, a Legato Archiepiſcopi Magdeburg. ſub exitum concilii Baſil. edita.* Quin ipſa Curia Pariſienſis id confirmat in *Defenſione pro libertate Eccleſiae Gallicae aduerſus Rom. Aulam Ludouico XI. oblata*, (quam, in latinum ſermonem conuerſam, tractatui de *Sacris Eccleſiae Miniſter.* annexit FRANC. DVARENVS, ICtus) ex cuius *art. 72.* apparet, ſub Pontifice Pio II. in regno Galliae plus quam viginti Archiepiſcopatus et Epiſcopatus vacaſſe, ex quibus pro annuo illo vectigali centum et viginti millia depenſa. Abbatias, ad ſexaginta et eo amplius, itidem ſummam centum et viginti millium aureorum confeciſſe. Eodem tempore et Prioratus, Decanatus, Praepoſituras, Praeceptorias et alias dignitates plus quam ducentas vacaſſe, quarum ſumma centum et millium aureorum. Porro in hoc ipſo regno ad minimum centum millia Paroeciarum numerari, nec ullam tamen fuiſſe, in quam non eo tempore gratia expectatiua conceſſa, ſolutis pro unaquaque viginti quinque aureis, ſumma eſt vicies quinquies centorum millium aureorum.

§. III. Hinc factum, ut Regnum hoc alias opulentiſſimum auro in tantum fuerit exhauſtum, ut ad vſum plebis Gallicae pecuniam aeream pro argentea cudi oportuerit, quo de itidem

que-

Digitized by Google

queritur Curia Pariſienſis, *in alleg. poſtulat. art. 71. Nulla enim,* ait, *ante hac apud nummulariorum pontem erat menſa, quae non magnopere frequentabatur ab iis, qui pro auro minutiorem monetam expoſcebant. Nunc vero arte Romana ſic exſuctum eſt aurum ex popularium loculis, ut aerea tantum minutaque moneta nobis ſit relicta nummulariis pontem dicatum iam puerilium puparum fictores incolant.*

§. IV. Haud aliam, quam Galli experiebantur, polliceri ſibi poterant Germani fortunam, ſiquidem et in eos quadrare debebat tritum illud; *Curia Romana non paſcit ouem ſine lana.* ALBERICVS DE ROSATE *in dict. verb. Roma.* In tantum enim ab hac exactione non erant immunes, ut etiam de minimis beneficiis annatas ſoluere habuerint neceſſe, vt §. 1. vidimus. Et numerat DVRVS DE PASCALO *in Aulic. Polit. Reg. 558.* quinquaginta duos in Germania Epiſcopatus, Abbatias 63. Praepoſituras 170. ex quibus omnibus Pontifici Romano ſuae redundarunt Annatae, et Summam olim confecere 2034518. florenorum, omiſſis quam plurimis Abbatiis et praepoſituris, quarum vectigal ignorabatur. Conf. HORTLEDERVM *lib. 1. c. 1.* ubi catalogum Annatarum ſimul exhibet. Legendus quoque MARTINVS MEIER, *Cancellarius Moguntinus in Epiſt. Gratulat. ad Aen. Syluium.* Sicco iam pede praetereo alia regna et prouincias, quae itidem maiorem quam pro opinione hominum ſummam contulerunt. Vid. CAR. MOLINAEVS *Comment. ad SCta Franciae n. 164.*

SECTIO II.

Formam annatarum producens.

§. I.

CONſideranda adhuc reſtat Forma, quae conſiſtit in ipſa exactione et ſoluendi modo. Exactio abſque dilatione ſaepius et ſine miſericordia etiam ab Epiſcopis intra paucos annos mortuis eſt inſtituta, interdum etiam ultra debitum extortum, prout arbitrium diſponentis hoc loco auctas, illo duplicatas voluit Annatas. Vid. GOLDASTVS *tom. 1. Conſt. Imper. p. 120.* Quae licentia eo creuit, ut, licet plus ſimplici vice bene-

Digitized by Google

beneficiorum aliquod in anno vacare contigerit, pro qualibet tamen tituli mutatione a nouis ſucceſſoribus ſuas exegerit Annatas Pontifex. BVSCHIVS *de bon eccleſ. p.* 216.

§. II. Solui autem debebat de eccleſiis cathedralibus a die habitae poſſeſſionis pacificae dimidia pars infra annum, et altera pars intra annum ſequentem. De reliquis dignitatibus perſonalibus, officiis et beneficiis intra annum fiebat ſolutio. SPRENGER *inſtit I. P. lib. II. c. 4.* Aliter autem ſe res habebat cum monaſteriis, Prioratibus, et Beneficiis unitis, de quibus *Tit. 13. lib. 1. 7. Decret.* Quia enim ratione horum nulla ſpes alicuius vacationis amplius relinquebatur, haud parum detrimenti exinde camera et officiales Sedis Apoſtolicae coeperunt perſentiſcere, hinc noviſſime per Iulii III. et Pii V. conſtitutionem introductum, ut de huiusmodi beneficiis decimo quinto quoque anno Annatae ſolvantur. *c. 4. et 7. de Annat. 7. Decret.* MORNAEVS *in hiſtor. papat. p. 562.*

§. III. Et ſtricte nimis ſolutionis terminus obſervabatur, graviſſima in eos poena propoſita, qui pro Annatis obſtricti intra praefixos terminos Camerae Apoſtolicae aut proventuum collectoribus non ſatisfecerant. Scilicet ipſo facto non ſolum in ſententiam excommunicationis incidebant, ſed etiam beneficiis ſuis, pro quibus ſe in Camera obligarant, omnino privabantur, ut *all. 7. Decret. de Annat. c. 1. et 3.* videre eſt. Quin et Succeſſor obligatione hac adſtringebatur, ſi praedefunctus ob nimis exhauſtam pecunia regionem Annatas ſolvere non potuerat, denegata ipſi interim confirmatione, ſine qua ea, quae ordinis ſunt, exercere nequeunt Epiſcopi, *c. transmiſſ. 15. X. de Elect. et El. pot.* Quo factum, ut univerſam ſaepius provinciam haec penſio devoraverit, adeo, ut, collectis pro Epiſcopis eleemoſynis, his nihil niſi titulus, honor et officii onus remanſerit SPRENGER *Rom. Nov. l. 5. c. 3.*

CAPVT IV.
SECTIO I.
Annatas ſeneſcentes et concordatis temperatas docens.

§. I.

RES ſic in cacumine poſita, ruinam minitari videbatur. Indignum enim non minus quam intolerabile putabant Nationes chriſtianae, ex proprio ſanguine et viſceribus tantos pecuniarum acervos Romam mittere, qui mox in luſtris, ganeis et heluationibus Paparum, Cardinaliumque conſumebantur. Id proinde conſilii erat, quo papale hoc iugum plane excuterent, annatarumque exactiones abrogarent. Fecit hoc Eccleſia Gallicana. Carolus enim VI. cum Senatu Pariſienſi anno 1406 Annatis penitus renunciavit, adſtantibus Papae advocatis et oratoribus, ut, teſtatur *SCtum Franciae contra abuſus Paparum*, quod exhibet CAROL. MOLINAEVS *ad edictum Henr. II. cont. parv. datas.* Quibus rationibus motus, vide GOTHOFREDUM *ad Nov. 123. c. 16. lit. K.*

§. II. Inſecutum tunc *Baſileenſe concilium*, quod *Seſſ. 21.* decreuit: vt nihil penitus exigatur ratione literarum, bullae, annatarum etc. Acceſſere eiusdem ſynodi Patrum epiſtolae ad Pontificem Eugenium IV. quae authores erant grauiſſimae, ut et ipſe huic de abolendis Annatis decreto ſubſcribat, et vectigalia remittat. Sed Eugenius (*ſatis proſpiciens, niſi ea decreta delerentur, omnino fore, ut paulatim coactis in ordinem R. Pontificibus, quorum erat iam inuidioſa poteſtas, maiorem ſibi libertatem vindicaret Eccleſia,* verba ſunt FRANC. DVARENI *de ſacroſanct. Eccl. min. lib. V. c. 11.*) non modo non approbauit concilium, ſed et vi ac violentia eiusdem conſtitutiones turbauit atque conculcauit, conciliabulum illud appellans, quod contra voluntatem Pontificis eſſet indictum, cum tamen ex ipſo iure canonico, *c. ſi duo diſt. 79. c. ſi Papa diſt. 40. c. Anaſtaſius, diſt. 19. c. ſicut ſancti. diſt. 16.* ſatis compertum habeat, ſe concilio ſubeſſe, adeoque contra Papam ſynodum poſſe congregari, uti et hoc ipſi Pontificii

ficii Dd. affirmant, praeſertim Cardinalis IACOBATVS *de Conſil. lib. IV. ſect. 2. n. 10. ſeqq.* Atteſtantur id exempla Pontificum, qui ſponte ſe concilio ſubiecerunt, purgando innocentiam de criminibus obiectis. D. GEORG. SELDEN, *Caroli V. Ferdin. I. et Maximil. II. Conſiliarius, in ſeinem Bedencken an Käyſer* Ferdinand, *etc. p. 23.* Ut taceam appellationes, iteratis vicibus a Pontifice ad concilium factas, qua de re omnino legendus ſaepe citatus *Dn.* STRAVCHIVS ICtus etiam ſine titulo laudatiſſimus, *Diſſ. Exot. II X. th. 18. ſeqq.*

§. III. Ut ut iam bruta ſua fulmina Eugenius contra ſynodi decreta emiſerit, tantum tamen abfuit, ut moverint Chriſtianiſſimum Regem, Carolum VII, ut potius eo lubentius concilio, id ab eo contendente, eadem in regno ſuo tuenda ſuſceperit, conſtitutione hac de re anno 1438. edita, quam *Sanctionem pragmaticam* vulgo vocant. DVARENVS *l. c.* Idem jus ſibi vindicavit Anglia, ubi Annatarum exactio in ſolis tantum Archiepiſcopatibus fuit conceſſa. PLATINA *in vita Bonif. IX.* Et cum Eduardus V. de abuſu circa Annatas tollendo fruſtra Clementem V, ſollicitaſſet; easdem quoque in poſterum extra regnum transferri, Praelatis etiam, ne Romam ordinandi peterent, prohibuit. PHILIPP. MORNAEVS *in Myſter. iniquit. ſive Hiſtor. Papatus p. 406.* Quod ipſum etiam deinde ratum habuit Richardus II, qui decreto cavit, ne quis beneficium a Romano Pontifice impetraret, ſecus qui faceret, extra Regis fidem et tutelam cenſeretur. CLVVERVS *hiſtor. univerſ. p. m. 471.* Rex Catholicus etſi non in totum hoc vectigal abrogaverit, neque tamen adeo late extendi paſſus eſt, cum in quibusdam regnis nihil ſit datum. BVSCHIVS *de bon. Eccleſ. p. 218.* Similia auſus eſt Poloniae Rex, Sigismundus, qui Ordinum Regni poſtulatis ſatisfaciendo, tale decretum tulit: *Mittemus ad S. Patrem Papam, petitum Annatas, ut ne eas de Regno efferri permittamus, ſed ut remaneant pro defenſione Reipublicae in Regno, quod ſi id impetrare non poſſumus, iam extunc renunciare illi debemus, easdem nos neque daturos eſſe, neque efferri ulla ratione permiſſuros* CASP. KLOCKIVS de *Aerar. lib. 1. c. 83. n. 54.*

§. IV. Solis fere Germanis, quo fato neſcio, ſequior adhuc manſit ſors, nec deſtinata effectui dare potuerunt unquam. Scriptum quidem in Concilio Conſtantienſi compoſitum (alias *Aviſamenta Conſtantienſia* vocant) quo exactiones, reſeruationes, gratias exſpectatiuas, aliaque abrogari voluerunt. GOLDASTVS *tom. 1. Conſt. Imper. p. 391. Excell. Polyhiſtor.* CONRINGIVS *de conſtit. Epiſc. Germ. th. 64.* nihil tamen obtinere potuerunt, usque donec calamitatis aliquod ſolatium praebuerint Pacta a Friderico III, Imperatore, cum legato ſedis Apoſtolicae nomine Nicolai V. anno 1447. inita, in quibus inter alia ſummatim eſt expoſitum, quidnam ratione Annatarum Pontifici ſit expectandum, ſcilicet tributum hoc eatenus eſt acciſum, ut nec nimiae Annatae, eccleſiamque grauantes, nec de minoribus beneficiis, quae valorem viginti quatuor florenorum auri non excedunt, nec de his, quae conferuntur vigore gratiarum, exſpectatiuarum, aut ex cauſa permutationis, nec, ſi pluries beneficium hoc intra annum vacauerit, plus quam ſemel ſoluantur. GOLDASTVS *tom. 1. pag. 408.* Confirmavit haec *Conſtitutio* CLEMENTIS VII. *Decret. de Annat. c. 2.*

§. V. Appellantur haec pacta alias Concordata R. I. *de ann. 1500.* tit. *Wie man mit dem Pabſt etc.* item Concordata Principum. *Capit. Leop.* §. 19. Vulgo etiam Concordata Nationis Germanicae cum Sede Apoſtolica. GOLDASTVS *inter Stat. et reſcript. Imp. p. 207.* Quae tamen falſo toti nationi imputari, quod cum conſenſu paucorum Principum eccleſiaſticorum ſint compoſita, ex CASP. HEDIONE docent *Illuſtris Dn.* PRAESES *Diſſert. Exot. IV. th. 21.* LIMNAEVS *ad Capitul. Caroli V. p. 224.* Accedit, quod etiam multae in Germania eccleſiae noluerint acceptare haec Concordata, propterea quia ampliora adhuc habuerunt privilegia, uti Herbipolenſis, Bambergenſis et aliae. Nec etiam in ditionibus Belgicis unquam fuere recepta, niſi a Traiectenſi et Nivellenſi Eccleſia. PAVL. CHRISTIANAEVS *vol. 1. deciſ. 358. n. 13. ſeqq.* Sed poſtea uſu et conſuetudine invaluere, ut pro approbatis haberentur. Siquidem non ſolum Cameracenſibus a Carolo V. anno 1554. praeceptum, ut eadem ſervent. GOLDASTVS *Conſtit. tom. 1. p. 411.* Sed et Ferdinandus I. in

Ordina-

Digitized by Google

Ordinatione Imper. Conſilii Aulici anno 1559. expreſſe voluit, ut cum caeteris Imperii legibus Concordata Germanicae Nationis in menſa ante oculos conſiliariorum poſita eſſent, quo eorum melius recordarentur. LEHMANNVS *de pace religioſa lib. 1. c. 37.*

§. VI. Etſi iam Concordatis hiſce in multis circumſcriptae videbantur Annatae, magna tamen inter haec et pragmaticam Regis Galliae ſanctionem intercapedo, et vix ac ne vix mores producere legem in poteſtatem poterant. Hinc occaſionem optabant Principes, qua tot penſionibus defatigati iugum in totum demi poſſet; quam et commodam ſibi obveniſſe putabant anno 1455. audita morte Nicolai V. perſuadere proinde annitebantur Imperatori, ne Pontificis Romani amplius iuſſionibus morem gereret, ſiquidem Germanis longe peior eſſet conditio, quam Gallis vel Italis, quorum ſervi, ni res immutaretur, omnino forent dicendi. Provocabant inſuper ad Gallicam nationem, quae non fruſtra habuiſſet regreſſum ad Regem ſuum, ſed ab eo defenſa, pragmatica Sanctione pro libertate populi confecta. Germanis non eadem fortuna, cum ad Imperatorem recurrentes ab eo deſerantur, decretisque priventur. Parum abſuit, quin his moviſſent Imperatorem, niſi Aeneae Sylvii autoritas interceſſiſſet, cui ſatius viſum, cum Pontifice ſentire, quam eorum cupiditatibus obtemperare, quorum mentes non ratione, ſed appetitu et cupiditate ducuntur. Plura habet PLATINA *in vita Pii II. p. m. 322.*

§. VII. Spreta hoc modo Principum poſtulatione, grauaminibus Comitia iterum ſunt repleta, inter quae praecipua centum illa grauamina, anno 1522. Norimbergae Carolo V. et pontificio Oratori, Franciſco Cheregato, aduerſus ſedem Romanam a S. S. Imperii Principibus propoſita, quae articulum ſpecialem de Annatarum abuſu continent. Et licet exinde peculiari conſtitutione ſupra dicta Concordata Clemens V. et Gregorius XIII. rurſum confirmauerint: *Dn.* CONRING. *de conſtit. Epiſc. th. 65.* attamen quid profecerint, hactenus in propatulo fuit, quippe in omnibus Imperatorum et regis capitulationibus hac de re actum. *vid. Capitulat. Caroli V. §. 16. Ferdinandi I.*

 §. 15.

§. 15. *Rudolphi II.* §. 15. *Matthiae* §. 17. *Ferdin. II.* §. 15. *Ferdin. III.* §. 18. *Ferdin. IV.* §. 16. Siquidem et in nouiſſima capitulatione adhuc Imperator Leopoldus promiſit: *daß Er wolle darob und daran ſeyn, daß die Concordata Principum gehalten und gehandhabet werden, iedoch was vor Beſchwerung darinn gefunden, daß dieſelbe vermœge deſſhalben gehabter Handlung zu Augſpurg in dem 1530. Iahr bey gehaltenem Reichs-Tage abgeſchafft, und hinfürter dergleichen ohne Bewilligung der Chur-Fürſten nicht zugelaſſen werde.* vid. *Capitulat. Leopoldi* §. *und als über und wider Concordata Princ.* 19.

SECTIO II.

Proteſtantium exemtionem circa annatarum ſolutionem pertractans.

§. I.

Serum nimis in exſpectatione Imperatorum fuiſſet auxilium, ni Megalandri noſtri, Lutheri, reformatio Statuum quorundam conatibus praetuliſſet facem. Eius enim doctrinae cum excelſa Germaniae capita ſubſcripſiſſent, plena turbarum omnia, quae ſopiri aliter vix poterant, quam ut Imperii Statibus ſecundum Auguſtanae Confeſſionis formulam conſtituendi circa ſacra poteſtas in ditionibus ſuis concederetur. LAMPADIVS *de R. R. G. Part. III. c. 11.* Quod factum conſtat per transactionem, Paſſavii anno 1552. initam, et hanc anno 1555. inſecutam Pacem religioſam, ubi iurisdictio Pontificum eſt ſuſpenſa R. I. de anno 1555. §. *Damit aber obberührter* ibi: *Biß zu endlicher chriſtlicher Vergleichung der Religion die geiſtl.* Iurisd. *ruhen, eingeſtellt und ſuſpendiret ſeyn und bleiben etc.* Et ſuſpenſa prius iurisdictione, valor quoque exactionum Pontificiarum vti omnium, ita circa Annatas apud Proteſtantes exſpirauit. Quibus et poſtmodum proteſtando contradixerunt; ſicut et LEHMANNVS *de pace relig. lib. II. c. 70.* teſtatur, quod in replica, Ratisbonae anno 1598. Catholicis oppoſita, ſe iis non teneri contenderint.

§. II.

Digitized by Google

§. II. Hae conditiones Pacis, cum abſque conſenſu Pontificis erant factae, occaſionem quaeſtioni debere: *An Pontificis conſenſus circa validitatem huius actus fuerit neceſſarius, adeo ut, eo deficiente, ipſum quoque pacificatorium negotium ſit irritum?* In affirmativam videbatur deſcendere Pontifex, Paulus IV, qui aegerrime ferebat, quod Ferdinandus I, Romanorum Rex, ſe non conſentiente pacis arbitria ſucepiſſet; eiusque rapagula ut conuelleret, modis omnibus per Cardinalem Ottonem allaborabat, ne quicquam putans poſſe Imperatorem circa eccleſiaſtica diſponere citra Pontificis aſſenſum. Praeterea et obiiciebat ſacramentum, quo ſe deuouerat Imperator ad defendendam eccleſiam ſedemque Romanam in omnibus utilitatibus; cum tamen pace hac plurimum autoritatis eſſet detractum Pontifici. Vide PETR. SYRING. *de pace Relig. th. 16.* RVMELINVS *ad A. B. part. III. diſſ. 1. Cor. 1.* Sed haec tanti non ſunt, ut pacis religioſae firmitati reſiſtere valeant. Non enim Imperator, aut Princeps alius, purus laicus eſt, ſed veluti unctus domini magnam cum ſacerdotio habet cognationem atque affinitatem, ut adeo ipſi non tantum competat eccleſiae inſpectio, ſed et de religione cognitio. Quin imo, Chriſtianos olim Principes Pontificis vices ſuſtinuiſſe, & pontificialem veſtem a pontificum collegio accepiſſe, ex BALSAMONE teſtatur GOLDASTVS *praef. tom. III. Conſtit. Imper.* ubi inſimul addit, inde uſu fuiſſe receptum, ut Imperator Aquisgrani poſt conſecrationem et praeſtitum iuramentum, alba veſtitus, in album Canonicorum S. Petri reciperetur. Quod ipſum latius deducit, & contra IAC. GOTHOFREDVM defendit *Excell.* BOSIVS *in diſſert. de Pontificatu Max. Rom. Imperat. c. 3. th 3. et 4. ſeqq.* Nec minus perfidiae hic contraxit Imperator, cum haec pacificatio non ad deſtruendam ſedem Romanorum ſit inita, ſed pro libertate conſcientiae; quo quilibet tranquillus eſſe, & carere omni perturbatione animi poſſet.

§. III. Sit hoc licet, non tantum eſt ut reſpiciant amplius Auguſtanae confeſſionis ſocii ad transactionem illam Paſſauienſem, aut ad leges comitiorum, cum maioribus gaudeant immunitatibus per ſalutarem iſtam Germaniae Pacem, anno 1648. d. 24. Octobris Monaſterii & Oſnabrugi poſt diuturna molimina et dif-

Digitized by Google

& difficultates grauiſſimas cum uniuerſi orbis Europæi applauſu initam, & a partium, quarum intererat, Plenipotentiariis magno animorum conſenſu confirmatam; qua mediante in totum a Pontificis & ſedis Romanae poteſtate ſunt excluſi, adeo, ut neque Concordata, neque Annatae, neque aliae reſeruationes ipſos amplius obligent, ſicut diſerte patet ex *Inſtrumento Pacis Caeſareo-Sueuico art. V. §. 5. verſ. Si quid Annatarum, iurium Pallii etc. in bonis Statuum Auguſtanae Confeſſionis eccleſiaſticis immediatis a quocunque, quandocunque aut quomodocunque praetendatur, id validitate et exſecutione a brachio ſeculari impertienda careat.*

§. IV. Nec & hanc partem ſua non manebat offenſa. E re enim curiae Romanae non fore facile praeſagiebant purpurata Pontificis ſatellitia, cum tot adeo pinguia ventri viderent ſubduci patrimonia; variis proinde hinc et hinc editis praeiudiciis theologicis id allaborabant, quo pacem hanc, tanquam eccleſiae Romanae maxime noxiam, impedirent, et Proteſtantibus datam rurſus extorquerent. Ipſe quoque Innocentius X. per nuncium ſuum, Fabium Chiſium, nihil non egit, ne pax in Imperio noſtro coaleſceret, maxime autem Bulla ſua, quae anno 1651. ex typographia camerae Apoſtolicae prodiit, paci huic uim atque autoritatem detrahere omnem eſt annifus. Sed irritus quoque & hic fuit conatus Papae, non enim attentis crudis eius atque brutis fulminibus in publicam ac perpetuam Imperii legem utrumque pacis pactum eſt receptum. Cui firmi adhuc hodie innituntur Proteſtantes, in tantum, ut & Sereniſſimi Duces Lüneburgenſes in Epiſcopatu Oſnabrugenſi alternative cum catholico ſuccedentes huius iuris ſint participes. Et opponat ſe Papa, ut modo velit, nobis in Imperatoris fide & Imperii comitiis ſatis poſt DEVM praeſidii, quousque iuri locus. Vid. HORNBECK *in diſp. ad Bull. Innocent. X.*

§. V. Quanquam adhuc hodie in nonnullis Proteſtantium locis Annatae uſu ſint receptae; in quas tamen nihil iuris ſibi Romana curia arrogare valet, ſed diſpoſitioni cuiuslibet loci magiſtratus relinquuntur liberae, ita tamen ut nullum niſi pium habeant uſum. Id quod in patria mea obſeruatum maxime meminiſ-

mini-

Digitized by Google

mini. Etenim, ſi quando praeſentatus de beneficio aliquo eccleſiaſtico debet inveſtiri, ipſi ab adminiſtratore Praepoſiturae, his conditionibus inueſtitur: confertur, ut primi anni reditus ad pios vſus, &, vti vocant, ad Ciſtam remittantur, & ſequenti demum anno vsque ad tempus habilitatis huius beneficii reditibus frui potis ſit.

CAPVT V.

SECTIO I.

Annatarum exactionem Simoniam eſſe affirmans.

§. I.

Nolumus hac vice diuagari & curioſi eſſe circa quaeſtionem: *An in Papam R. cadat Simonia?* cum id vel ſola Iohannis XXIII. depoſitio, in concilio Conſtantienſi facta, abunde ſatis comprobet; teſtis quoque ſit Gregorius VI. qui propter ſolam Simoniam ſi non ipſo facto depoſitus, coactus tamen, ut propter crimen hoc pontificatu ſe abdicaret. A. DE DOMINIS *l. c. th. 72.* Sed id ſaltem praeſenti capite tractare animus eſt: *Num Annatae noſtrae ſimoniaci quid ſapiant, adeoque licite exigi nequeant?*

§. II. Equidem ſi rem ipſam, in ſe relictam, eiusque finem attendamus, non adeo facile ad affirmatiuam inclinare posſumus: reſeruari enim debebant ad reprimendos eccleſiae hoſtes, eiusque membra a ſeruitute Turcarum liberanda. Hoc quia pro omnium utilitate ſuſcipiebatur, iuſtum quoque erat, ut partem ſumtuum in ſe reciperent eccleſiaſtici, adeoque proventibus ſuis bellum ſubleuarent. Quod ipſum adhuc in viridi viget obſeruantia in Gallia. Quando enim Rex bellum parat, omnes clericorum & monachorum ordines tributi loco decimas omnium redituum ad ſuſtinenda belli onera conferre tenentur. Sunt enim Annatae, ut alia beneficia, non ius ſpirituale principaliter & in ſe, ſed potius temporale percipiendi fructus, licet ſpirituale dicatur propter connexitatem, quam habet ad ſpirituale, prout ex DAV. MAVDEN docet *Magnif. Dn.*

STRVVE *diſſert. criminal. XII. th. 15.* Si iam ſeparatim ut fructus, excluſo ſacerdotio, peterentur, non magis Simoniae crimen hic Papa incurreret, quam miniſter eccleſiae, a confitente honorarii loco quid accipiens, namque id non accipit, ut abſolutionis pretium, ſed in ſignum gratitudinis auditorum. BONACINVS *de Simonia qu. 6. punct. 2.* Siue enim confeſſus, quid offerat, ſiue non, neque tamen ipſi denegatur abſolutio, aut a Sacramentorum vſu remouetur.

§. III. Longe autem aliud de Annatis hactenus locuta eſt experientia. Non enim iam ipſi fructus, ſed pecunia pro Annatis in ipſa ſacri officii collatione petuntur, ita ut officium hoc ſacrum non poſſit haberi, niſi praeceſſerit pecuniaria ſolutio; qui iam ingentes hoſce ſumtus anticipata ſolutione & dignitatis emtione ſuſtinere nequit, ad Epiſcopatum non euehitur. Tantum ergo abeſt, ut Pontifex ab hac Simoniae labe ſit immunis, ut potius eo grauius in hoc crimen incidat, quanto gradu altiori ab aliis diſtat. Peccat enim in utramque tam conuentionalis quam realis Simoniae ſpeciem, eo ipſo, dum Epiſcopatum petentem emere prius iubet reditus Epiſcopatui annexos, ut ſoluta pecunia accipiat Epiſcopatum; in cuius deinde poſtulata petitor conſentit, adeoque conuentionem ipſa ſolutio inſequitur. Apparet hinc, diſtinguendam eſſe maxime rem ipſam ab exigendi modo, ut non tam ipſa Annatarum exactio, quam modus exigendi damnet, ſiquidem hac ratione hoc inter res ſpiritualibus conſequenter annexas referri poſſit; iam autem conſtat, non ſolum rerum ſpiritualium, ſed & ſpiritualibus annexarum venditionem ſub Simoniae definitionem cadere.

SECTIO II.

Argumenta in contrarium delibans.

§. I.

Hiſce pro fundamento poſitis, faciliori via ad pontificiorum caſtra transeuntibus occurrere poſſumus, etſi variis adhuc fundamentis, quo caput ſuum hoc crimine eximant, rem deſudent excuſare, ſummam Pontificis poteſtatem et do-

et dominium in res eccclesiaſticas obiicientes, qui praeter hoc, quod poſſit ſupra ius diſpenſare, *c. propoſ. 7. X. de conceſſ. praebend.* etiam de rebus eccleſiae eiusque reditibus tanquam ſupremus dominus diſponere, ſicque uti infinitis modis aliis, ita et per Annatas eosdem licite imminuere valeat. Verum etſi prius quoad ius poſitum ſuo modo concedamus, ſecus tamen erit de iure divino, adeoque ſi in ea committit, quae ideo prohibita ſunt, quia ſimoniaca, ſcilicet quando pecuniam accipit pro conceſſione Beneficii, in quo ineſt ordinis executio; aut Epiſcopatum, accepta pecunia, confert, in quo ordo eſt utique tenetur Papa, labemque Simoniae incurrit GREG. THOLOSANVS *Synt. iur. civ. lib. XXXIII. c. 13. n. 43.* Contrariatur enim effato Salvatoris: *Gratis accepiſtis, gratis date. Matth. X, 8.* Deinde nec bona eccleſiae Pontificis ſunt, ut domini univerſalis, ſed ut adminiſtratoris; in quantum autem hic ab illo diſtet, nemini non notum erit.

§. II. Iuſtitiam porro huius exactionis ex ipſo iure divino probare contendunt, locum adducentes ex *Num. XIIX, 25. et 28.* vbi verba Dei ad Moſen: *Praecipe Levitis, cum acceperitis a filiis Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, et date eas Aroni Sacerdoti.* Hinc aequitati collacteum exiſtimant, ſi quando et ſummo Pontifici primi anni fructus a novis Epiſcopis offerantur, maxime cum Annatae in locum decimarum ſint inventae. Verum enim vero lex haec de decimis uti ſoli populo Iudaico fuit lata; ita nec Epiſcopos noſtros hodie obligare poteſt, nec etiam intentio divina alios, praeter Iſraelitas adſtringere hac lege voluit. *Dn.* ZIEGLERVS *ad Grotium de I. B. et P. l. II. c. 1. §. 14.* Praeterea decimae a Levitis ſunt oblatae ad ſuſtentationem ſummi Pontificis, cui proprii quid habere erat prohibitum, ut ex *alleg. cap. v. 20.* apparet: longe autem alia ratio eſt cum hodiernis Pontificibus; hi quippe integra regna et principatus poſſident, quae non tantum abundantiam et copiam omnium rerum, quas natura deſiderat, ſed et quae pompa mundana requirit, plena cumulataque ſuppeditant,

§. III. Refugii loco etiam diſtinguunt inter ipſum officium ſeu poteſtatem ſpiritualem, et beneficium ſeu ius accipiendi reditus temporales; ut non tam officium, quam fructus et beneficium exponantur venum. Cui rei optimum praebet reſponſum ipſe PASCHALIS, Papa, *in c. ſi quis obiecerit. 7. c. 1. qu. 3. Si quis obiecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quae ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur. Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat, ſicut nec anima in corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Officium enim et beneficium arctiſſimo nexu cohaerent, adeo ut ad officium promoto ſtatim ipſo iure ſuſtentatio debeatur.

§. IV. Ulterius urgent, quod non ſola pecuniae datio ſit incuſanda, ſed quo animo detur, quave mente recipiatur, animadvertendum. Quaſi intentio bona poſſit malum ex ſuo genere corrigere, et furtum intentione faciendae eleemoſynae eſſet licitum, nec furtum dicendum, *argumento l. 54. §. 1. ff. de furt.* HARPHECHT *ad §. 1. Inſt. de obligat. quae ex delict. naſc. n. 25.* Plura videri poſſunt apud TH. CAMPEGIUM *Tract. An Papa labem ſimoniae incurrere poſſit. brev. tr. de Annatis* M. A. DE DOMINIS *de republ. eccleſ.* DUARENUS *de SS. eccleſ. miniſter.* GUIDO REDOANUS *Simonia.* IOH. CARAFFA *de Simonia aliosque.*

Haec ſunt, quae potui; potui quae Chriſte dediſti,
Improba fac melius, ſi vales, Invidia.

AUCTARIUM.

1. Princeps Elector filio ſuo impuberi quoad provincias hereditarias, ab Electoratu diſtinctas, praeter tutorem in A. B. denominatum alios quoque dare poteſt.

2. Summus Princeps non habet dominium aliquod eminens in bona ſubditorum.

3. Ius naturale et divinum ſunt diverſa.

4. Senatus poſt legem Regiam adhuc potuit ius dicere.

5. Periurium iure civili non ſimpliciter impunitum dimittitur, ſed id tantum, quod ex calore quodam commiſſum; quod ſi dolus intervenerit, extraordinarie punitur.

6. Iu-

Digitized by Google

6. *Iuramentum officialibus et iudicibus in Nov. IIX. praeſcriptum non venit improbandum.*

7. *Legatum ſub conditione religionis pontificiae amplectendae relictum, neglecta conditione, peti non poteſt.*

8. *Pactis dotalibus per ſubſequens teſtamentum derogatur.*

9. *In Societate ſervatur proportio arithmetica.*

10. *Ius venandi neque eſt ſervitus realis, neque perſonalis, neque pactum perſonale, ſed Principi competit iure ſuperioritatis; ſubditis ex conceſſione et privilegio.*

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE

IVRIS NATVRALIS ET CIVILIS CONVENIENTIA.

RESPONDENTE

IOA. CHRISTOPHORO BOLTZ.

INSTERB. PRVSSO.

IENAE MDCLXXV.

Th. I.

Trita quidem a me tamen haud ſine reprehenſione negligenda quaeſtio *an ſit aliquod IVS NATVRAE vel CIVILE?* Echineis eſt, quo minus prima ſtatim fronte graviſſimi huius *argumenti* pondera exponere queam; in qua enodanda, opinionis *negativae*, utut *falſae* non dicam *impiae* Patronos, tum veteres, tum recentiores, longa enumerare ſerie ſuperſedebo, nec rationes eorum plusquam Vatiniano odio perſequendas et mere ficulneas ex GROTII *proleg. d. I. B. et P.* CL. Domino PVFFENDORFFIO, *de I. N. et G.* HOBBESIO *in tract. d. Cive* conglomeratas hic fuſe exequar, quoniam miſeri homunciones dupondio notiſſimam diſtinctionem *Iuris Naturalis* et *Civilis* ignorantes, nullum quod Naturae De-

An ſit Ius Naturae et Civile?

Negativae impugnatio.

rae Decreto conſtitutum eſt ius agnoſcunt, ſed iuſtum omne et aequum a ſola hominum opinione, quam adeo potentem eſſe in rebus humanis, ut nacta ſemel conſuetudinem in mores abeat ac diuturnitate temporis vim Naturae obtineat, fluxiſſe contendunt, partim ſeducti variis *honeſti* ſignificationibus nullum *honeſti* et *turpis* diſcrimen in *Natura*, ſed in *legibus* atque *moribus* eorumque *prohibitione* latere magno conatu defendunt, obque hanc cauſam ICtum cum Iuriſperito confundentes nullam Iuris ſcientiam Iurisconſultis largiuntur, ſed eos demum, qui iura et inſtituta municipalia et actionem iudiciorumque formulas memoria tenent, qui in medio verſantur foro inque turba litigioſa conſeneſcunt, quique victoriam cauſae ſtillicidiorum foraminis vel de glande legenda conſequuntur magnorum ICtorum nomine venire et magna cum opinione *Iuris ſcientiae* Iudiciis ſive Iudicum Tribunalibus imperitare poſſe, putant; Sed parcendum eorum famae, non tamen erroribus patrocinandum eſſe veritas ſuadere videtur, quae carcinomata huius ſeculi et tenebras Cimmerias (in quibus tenebriones haerentes ſolis radios inſtar veſpertilionum nequaquam ferunt) in deciſione huius controverſiae ceu baſin non agnoſcit, ſed plus ultra! ad ſanctiſſimos eius fontes recurrendum eſſe iubet.

Affirmativae approbatio.

II. Fons vero ipſa eſt *Natura*, quae ita *hominem* formavit, ut citra ſocialem vitam ſervari nequeat, quod *appetitus* ſocialis et *neceſſitas* conſervandae ſpeciei, indigentiae, aliorumque incommodorum non modo docent, ſed luculenter quoque hunc appetitum tum ad *ſocietatem ſimplicem*, tum ad *compoſitam* ſeu *civilem* inditum eſſe probant, qua de cauſa animum ei huic appetitui etiam inſervientium inſevit *notionum* capacem, ut illi indoli, quae vitae hominum prae brutis peculiariter aſſignata cernitur actiones ſuas attemperet, quarum actionum norma ſeu *notiones* communes eſſe videntur ſummae: *Bonum eſt committendum, malum eſt omittendum, tum erga Deum, tum erga ſe, tum erga Proximum*, unde illud *Naturam Naturantem cole* et *quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris* fluere, Nemo, niſi qui vim Naturae inferre velit, inficiabitur; ex *his* praeter-

praeterea vi rectae rationis per diſcurſum vel maiorem vel minorem caetera deducuntur omnia, quae ipſum *Ius Naturae* ceu *medium* aliquod *finem* (qui in ſocietate Naturali conſtituenda et conſervanda conſiſtit) introducens, introductumque ceu *vinculum* conſervans conſtituunt, hunc autem *finem* ſicut citra dictum *Ius Naturae* obtinere haud licet, ſic quoque nulla civilis ſocietas et ſalus ſine *Lege* ſeu *Iure Civili*, quod eſt anima Reipublicae, ſperari poteſt, quia *Ius Naturae* ad illa quidem ſufficit, quae ex mera ratione fluunt naturali, non vero eorum exhaurit naturam quae determinationem aliquam a civili cauſa vel voluntate humana conſequuntur.

III, Ut igitur *quid* utrumque *ſit breviſſime* expediam: Ulpianus in *l.1.§.3.* dicit, *Naturae Ius* nobis cum brutis eſſe *commune*, quae *opinio* Cleanthis Philoſophi animum longe ante Ulpianum imbuit et Imp. Iuſtiniano *in pr. I. d. I. N. G. et C.* nec non ICtis Orientalis Imperii *Baſilic.* L. II. *Conſtant.* Harmenop. Prochir. L. I. T. 1. perplacuit, quatenus hoc ius in genere omnium animalium, etiam brutorum actus regit, non tantum *negative*, ut in iis nihil turpe ſit, ſed etiam *directive* ut principium *directivum*: quod praeclare Illuſtris et Magnificus Dominus PRAESES, Mecaenas ac Patronus ad aram usque deveneranndus *in Ex. I. theſ. 4. d. Nat. Iurispr. et Stat. Hom.* evicit, quocum inter *acutiſſimos Philoſophos* celeberrimus Dominus THOMASIUS, Fautor meus honoratiſſimus admirandum quoddam neceſſitatis et libertatis temperamentum in aſpectabilium corporum natura *in praefat. Phyſ.* agnoſcens, convenit, cum enim, *ait*, ea intellectu praedita non ſint, quicquid agunt, ſiquidem ipſa in ſe reſpicias, neceſſario quodam Naturae *impetu* agunt: rurſus, cum certum exploratumque ſit, impetum illum, ſi pulcherrimum *actionum ordinem*, et *finium optabilem eventum* reſpicias, neutiquam caecum eſſe, ſed a quodam ſapientiſſimo *principio* proficiſci, neceſſario ſequitur, ſubeſſe aliquod Naturae agens liberum, quod illi figuram ſuam veluti ſculpſerit, momenta appenderit, exercitium diſpoſuerit: haud ſecus atque in *horologio*, licet ipſum aliter moveri, quam rotarum ſtructura ponderumque gravitas permittit, nequeat, illa tamen horarum

Quid non ſit?

rarum ordinata et exquiſita ſignificatio prodit ingenium atque deliberationem artificis. Eſt ergo natura ipſa quidem neceſſarium agens, ſed hanc illi neceſſitatem liberrima cauſarum omnium *Deus* impoſuit, in cuius mente lex aeterna eſt *principium activum*, dirigens aeque *brutorum* et *rationalium* actus, non tamen *utrosque* eodem modo, verum brutorum per modum inclinationis naturalis, impoſita neceſſitate parendi citra cognitionem et iudicium, ad conſervationem ſpecierum, tanquam ſocietatis, et quaſi in reſpectu ad alterum, praecipue autem ad finem ultimum, quo modo etiam homo qua animal conſideratus regeretur, eiusque iuris capax foret, illius autem, quod naturalis conſtituit ratio, expers eſſet; prout enim *homo* male definitur per *animal rationale*, quia in ea *definitione* ponitur differentia, quae alterius cuiusdam generis eſt differentia, nempe *animae* quae in rationalem ſenſitivam et vegetativam dividi ſolet, et animal neque continet neque ab animali continetur, ſic quoque rationis ius homini non ut homini, ſed ut animali tribuere prorſus inconveniens foret, quare multi ſuo abundantes ſenſu *maiorem*, ſed neſcio an *ſubtilem* an vero *ineptam* magis ut *cautelam* adhibeant, ne quoad communem cum vegetabilibus facultatem, quatenus homo creſcit et nutritur, ad brutorum ſimilitudinem etiam Plantis aliquod tribuatur ius, diſtinguunt: inter ius *commune* et *proprium*, item inter I. N. animale καταχρηςικῶς ſeu *abuſive improprie* vel *materialiter* acceptum, cui *Rationale proprie* et *formaliter* dictum contradiſtinguitur, et doctrinae ergo retinetur.

Quid ſit? IV. Quia *homo* animans quidem eſt, ſed *eximium* multoque diſtans a caeteris omnibus, quam caeterorum *genera* inter ſe diſtant, propterea non omnes eius actiones ad brutorum, quae natura prona et ventri obedientia finxit, accedent naturam, ſed quaedam ſuam perfectionem in conformitate convenientiave cum primo conſequentur *Intellectu*, quia non corpore tantum et ſenſibus, ſed ex animae facultate rationali ita conſtat, ut ſi illud additum non fuiſſet *Intelligentia*, ſin haec deeſſet *bellua* foret; Nunc vero utraque Natura, miro *Naturae Naturantis* artificio adeo combinata eſt, ut nec *Intelligentia* ſit nec

Digitized by Google

ſit nec *Bellua*, ſed homo principiis naturalibus boni et aequi praeceptis rectae rationis dotatus his ad finem *rationis*, illis ad finem *Naturae* dirigatur et utriſque ad actum *naturalem rationalem* formetur.

V. Nec tamen operatio per rationem hominum propria facta tollit operationem per inclinationem caeterorum animalium, cum utraque ad eundem Naturae finem et eundem Iuſtitiae naturalis ſcopum, licet diverſo operandi modo, tendat, quo facere videtur levis quidem, non tamen omni utilitate deſtituta et imprimis allegatae *Exerc. 1. th. 3.* Illuſtris ac Magnif. Domini PRAESIDIS haud contraria diſt. Iuris Naturalis *gubernantis* et *gubernati* hoc brutis impoſita neceſſitate parendi attribuitur, quoniam eius moderamen non brutorum eſt, ſed Dei gubernantis per modum inclinationis naturalis citra iudicium et cognitionem, illud hominibus aſſignatur, quoniam illi ratione Duce, per modum obligationis ſalva ſubiecti dirigendi libertate obſequendi omnia quae Iuris Naturalis ſunt expediunt, quod GROTIVS *L. I. c. 1. §. 10. d. I. B. et P.* definit eſſe *dictatum rectae rationis iudicans actui ex eius convenientia aut diſconvenientia cum ipſa Natura rationali ſociali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab authore Naturae Deo hunc actum aut vetari aut praecipi.*

VI. Ambigeret hic quis, an *Rationis* an vero etiam *Ratiocinationis* ſit dictatum? quia magna diverſitatis occurrit ratio, nam illa continet concluſiones morales ita neceſſarias, ut etiam nulla humanae neceſſitatis vel utilitatis ſuppoſitione facta facillime atque evidenter ſequantur ex principiis Naturae humanae, haec autem concluſiones ex utilitate vel neceſſitate complectitur prout ex utilitate natae conventiones, ex conventionibus pacta et contractus, ex pactis et contractibus obligationes, ex obligationibus petitiones et defenſiones ſeu Actiones et Exceptiones; et ex neceſſitate non abſoluta ſed conſequentiae orta ſunt bella, e bellis capitivitates, e captivitatibus ſervitutes, e ſervitutibus manumiſſiones, e manumiſſionibus Ius Patronatus, quae ſi quis ex fonte iudicare velit, Iuri Naturali ex hypotheſi tali per plures moratiores gentes

An idem Ius Naturae ex ὑποθέσει

Digitized by Google

exculto aſſignabit, hinc non incongrue ex certa hypotheſi ratiocinationis dictatum praecipiens vel prohibens nec GROTIO refragante huc referri poteſt, qui *in all.* §. *ait.* I. N. non de iis tantum agere quae citra voluntatem humanam exiſtunt, ſed de multis etiam quae voluntatis humanae actum conſequuntur.

Quid praecipienti contradiſtinguatur?

VII. Huic *Iuris Naturae* tum *ſimpliciter* tum ex *hypotheſi affirmative* vel *negative* praecipienti ſolet *I. N.* permittens contradiſtingui, cuius variae traduntur *acceptationes*, tum ob defectum fori humani ſeu conticentiam legis, tum ob impunitatem, vel quia pudori multa relinquuntur, quibus ſignificationibus in medio relictis, de illo *quod Ius omnino licite agendi dat* hic agam, quo etiam haud incongrue referri poteſt omne id quod *rectum* et officia humanitatis ſuadet, non debita quidem ſed licita, imo licitis praeſtantiora, ut merito laudabilium nomine veniant, nec ad ſolius *iuſtitiae*, ſed aliarum quoque *virtutum* materiam pertineant, quae ex nullo *iure ſtricto* aut *neceſſitate morali* fluunt, ſed ex *aptitudine* et *recta ratione* debentur, a qua ſententia nec ARISTOTELES, inter iuſtum et honeſtum *L. I. C. 1. Eth. Nic.* diſcrimen agnoſcens, alienus eſſe videtur. GROTIVS haec officia *gratiae* et *miſericordiae* ceu *I. N. ſpeciem* conſtituit et exequitur, PVFFENDORFF vero eadem prorſus negligit, an recte? aliorum iudicium eſto. Ego enim in refutandis aut vellicandis authoribus eorumque terminis (in quibus fingendis quoad imputativitatem, ſtatum ubificativum et quandificativum dictus Autor lauream videtur eſſe conſecutus) nullas mihi ſumam partes, ſed in iis referendis ſalvo aliorum de aliis eorumque argumentis iudicio meas tantum ſubiiciam rationes; in praeſenti autem themate probando me non ad ſacrum fontem, e quo alias facilior I. N. peti poteſt probatio, recurrere, (antequam ulterius progrediar) albo teneor notare lapillo, quia hoc ius magnam humani generis ſocietatem reſpicit, cuius Ethnici pariter ut nos membra ſunt, quamobrem ad principium quoddam non *revelatae* proprium, ſed *natae* quoque *rationis* commune, erit confugiendum.

IIX. Sed

Digitized by Google

IIX. Sed quid *de primis Naturae notionibus ſe ſuaque diligere* cum Brutis *communibus*, deque I. N. in ſenſu VLPIANI accepto dicendum erit? anne id prorſus removetur? Nequaquam, ſed et illud ſuo non deſtituitur uſu, ratio enim hæc *prima naturae* in eum format habitum, ut hominum eſſe videantur et hominum propria, ut ab illis initiis et appetitu ſenſitivo naturae animalis, comparatione quadam inſtituta, et gradibus ad convenientiam illam Naturae rationalis procedatur, *hoc modo argumentando*: Huic non repugnant *prima naturae*, nec *ratio* ei obicem ponit, ſed potius illum *inſtinctum* probat, determinat, praecipit, et reſpectu ſocialis naturae (quae in apibus talis ut naturae non rationali conveniens ſit) temperat *Ergo* non iniuſtum eſt, ſi ſaltem ad qualitatem moralem iuſti, iniuſtique per dictamen rationis determinetur, bene tamen monet GROTIVS *L. I. C. 1. rationem* nobis chariorem eſſe, quia per *illam* ad *has* devenimus, quod ARISTOTELES DE VIRTVTE *L. II. M. m. C. 7.* haud obſcure illuſtrat dum ait: *Ad honeſtum namque impulſum oportet quendam naſci irrationalem, qui producatur atque ita poſtremo rationem eſſe diſcernentem atque conſtituentem: quod ſane viderit quispiam ex pueris et rationis expertibus animantibus, in his namque ſine ratione perturbationum impulſus exoriuntur primo ad honeſtum mox poſterior adveniens ratio et conſtituens honeſta agere exhortatur, ſed non ſi a ratione ad honeſtum ceperit, principium, perturbationes conſentientes comitantur, ſaepenumero reluctantur* ſecundum vulgare: *Video meliora proboque deteriora ſequor.* **An prima Naturae removenda.**

IX. Haec *ratio* et *ratiocinatio* humana *commune* quoddam omnibus gentibus ius aequum et bonum conſtituit, ſingulare autem huic aut illi civitati non contulit; nec conferre potuit; ideoque illud ſingulis ex neceſſitate conſiderandum, et ratione particularis boni Civium conſtituendum reliquit, confuſionem tamen evitare monuit, hinc plura pro arbitrio ſummae poteſtatis, pro communi Reipubl. utilitate, et pro evidenti neceſſitate, Superioris placito diſponenda dedit, quae, antequam poſita, I. N. non excludebat, licita tamen vel illicita poſt illam demum *addendo* vel *detrahendo* aliquid Iuri Communi, **Quid I. C. et unde?**

 muni,

Digitized by Google

muni, Iuris Civilis fecit *l. 6. ff. d. I et I.* Ab hoc enim *fonte* fluxit *Ius Civile*, quod obſequio parentibus debito, honeſtati, fideique humanae modum aliquem adiecit, certosque Civiles effectus addidit. Derivandum igitur I. C. ceu a ſcaturigine, *Ratione videlicet naturali*, ut ius ſit, derivandum ſcilicet vel per Concluſionem ſpecialem ex generali et naturali propoſitione deductam, ſeu per ſpecialem determinationem ſeu accommodationem principii generalis boni et aequi, ſive praecepti rectae rationis, quemadmodum enim concluſio aliunde ſuum firmamentum non accipit quam a praemiſſis, ſic quoque I. C. aliunde ſuum *eſſe* ſeu *Iuſtitiam* quam a *Recta ratione* non conſequitur, ita tamen, ut determinatione vel accommodatione novam *formam* accipiens, novam Iuris conſtituat ſpeciem, et novam quaſi formam *extrinſecam* praeter *intrinſecam*, quae et actu in genere continetur et omnes iurium ſpecies informat, obtinere *vulgo* putetur, nec enim forma *externa internam* abſumit, quia *haec* aeterna eſt, *illa* autem propter locorum diſparem rationem, temporum intervalla, diverſos hominum mores, ſtudia, affectus, motus, aliarumque rerum et circumſtantiarum diverſitatem *inſtar Maeandri* variat.

In quonam convenientia I. C. et I. N. conſiſtat in genere?

X. Hisce praeſuppoſitis convenientiae *Iuris Naturalis* et *Civilis* in genere quaedam praemittenda ſunt, circa quae occurrit quaeſtio excutienda *in quonam conſiſtat* dicta *convenientia?* Ego *miſſa antitheſi* non parum *in th. VI.* diſtinctionem abſolute et ex hypotheſi dicti I. N. *praeceptivi et permiſſivi* propoſitam huc facere exiſtimo, quare breviſſimis meam ſic explico mentem: *Ius Civile* cum *iure naturali praeceptivo et prohibitivo* per omnia convenit, adeo ut nulla ratione vetitum praecipere, vel praeceptum vetare queat, quia hae actiones ante humanum imperium moraliter definitae ſunt, vel ut *debitae*, vel ut *illicitae*, quarum illae moraliter *neceſſariae*, hae moraliter *impoſſibiles*, propterea quoad *intrinſecam* malitiam aut bonitatem nullam a I. C. admittunt emendationem, hinc *non male dicitur* hoc dictatum rationis *in puncto* conſiſtere, a quo ſi quis vel minimum abeat, ad vitium deflectat, ſicut autem in naturalibus, cauſae inferiores a ſuperioribus dependentes, contra

Digitized by Google

contra ſuperiorum efficaciam, vim agendi non habent, ſic ſummae Maieſtati, Leges ſe ſuperiores, impugnare, nequaquam eſt conceſſum. Sed anne idem de *I. N. Permiſſivo* dicendum erit? Nequaquam, circa illud magis ſe poteſt exſerere Facultas ἀρχιτεκτονική, quanquam et hic, pro obiecti diverſitate, vel *affirmative* tantum, vel etiam plane *negative*: *affirmative* haec facultas fere eodem tantum, quo circa primam ſpeciem ſe habet modo, liberius vero in diſpoſitione *negativa* agit, quoniam non in neceſſitate aut impoſſibilitate morali conſiſtit, ſed liberius habet ſpatium, ut ſine turpitudine fieri et laudabiliter committi vel omitti poſſit, ſemper tamen aliquod fundamentum in I. N. retinet I. C. licet quoad adiuncta, quoad modum obligandi civilem, quoad formam externam, quoad accidentalia et quoad exiſtentiam aliquid proprii habeat, quod ex variis I. C. ſpeciebus apparet, inter quas ius Civile Ebraeorum accuratiſſime ex principiis rectae rationis determinatum, adque populi iſtius ſingularem conditionem et ſtatum accommodatum mihi videtur eminere, quod et eundem quem Ius Naturae habuit authorem, de quo alias SELDENVS et EPISCOPIVS *ex ordine Remonſtrantium*. Ab Ebraeis Graecos ſuas leges mutuatos eſſe, earumque ſcientiam Platonem ſibi comparaſſe haud ſunt de faece Vulgi, qui id aſſerunt, quod et de Ariſtotele teſtatur diſcipulus eius Clearchus, ſe vidiſſe Iudaeum quendam quocum verſatus eſt apud CLEMENT. ALEX *Strom. I.* et EVSEB. *de praeparat. Evang. L. IX. C. 6.* Romani denuo has leges a Graecis Romam tranſtulerunt *l. 2. §. 4. ff. d. O. I.* quas ita adauxerunt, ut adhuc hodie Ius Civile Romanum iuſtiſſima rectae rationis praecepta continens venerationem etiam ab invitis extorqueat: et quamvis quaevis regio ſua peculiaria ſtatuta vel iura obtineat, attamen eadem paſſim ex hoc iure petita ſunt, vel aliquam interpretationem aut ſupplementum quoddam accipiunt, quod per ſingula territoria, ſi ARTHVRVS DVCK in duobus libris *de Uſu et Authoritate I. C. R. in Dominiis Principum Chriſtianorum* hunc conatum non praevertiſſet, prolixe docere poſſem, an vero hic author *L. II. C. 2. §. 15. 18. p. 173. 175. I. C. R.* Leges Imperii eſſe, quas Principibus et Civitatibus

Ius. C. Ebraeorum (margin)

I. C. Graecorum. (margin)

I. C. Romanorum. (margin)

Digitized by Google

tatibus Germaniae non liceat mutare, recte dicat? et an *C. X. p. 432.* de ſeptentrionalium legibus, armis et duellis verum ſit iudicium? quaſi vero Anglis prae aliis quid finxerit circa praecordia Titan! alii examinent, ego interim qua poſſum brevitate in tribus tantum theſibus loca, licet non omnem, aliqualem tamen, admittentia uſum, indicabo.

Finis utilitas in Pruſſia, XI. Ut autem a natali ſolo ordiar, in Pruſſia Ius Provinciale anno 1620. editum plurima Iuri Civili debere manifeſtum eſt, quanquam, ut in caſibus in iure non deciſis provinciali vel receſſibus noſtris (prout quaeſtio moveri poſſet de Clericis Eccleſiae Graecae non unitae ſubque Patriarchae obedientia exiſtentibus, an illi in Pruſſia pariter ut in Ruſſia iure Clericorum gaudeant? an vero pro haereticis habendi et ab omnibus officiis repellendi ſint? an vero in eiusmodi caſibus:) ſtandum ſit deciſioni Iuris Civilis? ex Confirmatione glorioſiſſimi Electoris Sigismundi beatae memoriae non apparet, Patronos tamen cauſarum in dubiarum deductione controverſiarum, ſemper in applicatione iuris ad factum, leges I. C. cum ſanctione Iuris Prutenici, quae ex illius viſceribus plerumque petita eſt, coniungere, nemini non obvium eſt, et quin ſummum Tribunal authentica non organica tantum leges interpretandi facultate gaudens, ſuaque decreta nomine Sereniſſimi Electoris Brand. Friderici Wilhelmi, quem ceu immortale praeſentis ſeculi Deus Divinum Numen diu adhuc ſervet! promulgans caſus non expreſſos ex aequitate naturali vel Iure Civili decidere poſſit, nullus dubito. **Polonia;** Hanc aequitatem non poſthabito Iure Civili in Polonia et praecipue in Maſovia obſervari, atque *hoc fine* in Academia Cracovienſi legum et canonum Profeſſores conſtitutos eſſe obiter annotavi. **Suecia.** De Suecis ARTHVRVS DVCK, *ait,* ſe exactam legum formam ne quidem praeſumere poſſe, verum Iura in Suecico idiomate expreſſa et LOCCENII Viri *Iuris Suecici peritiſſimi Tractatus de convenientia Iuris Civilis et Suecici* hanc praeſumtionem elidunt. **Germania.** An vero de Germanis dubitare licet? Sereniſſimi enim Electores Saxoniae, contra ſanctiones I. C. iuri Saxonico adverſas, promulgatas, ſolenniter proteſtati ſunt *Bruſſ. in l. admonendi*

nendi n. 876. ff. de iurei. SCHNEIDW. *ad I. Tit. de hered. ab Inteſt. §. tertia concluſio.* quod dubium cuivis *incomparabiles ICti* qui in Dicaſteriis Aulicis et Curiis iudicant, facile eximent SICHARD. *in l. ab. uno n. 1. C. quom. et quand. iud.* a quorum ſententiis nec alii facile recedunt iudices, nec a vincinorum territoriorum Principibus Iuris Civilis aequitas (authoritate remota) aliena eſſe videtur, quia eam pariter Brunſuicenſes, Lunaeburgenſes, Bremenſes, Pomerani et Megapolenſes ſectantur COTHMAN. *Conſ. 223.* IDEM *Reſp. 21. n. 167.* ANT. COLER. *de. Iur. Imp. Ger.* AVRVMAE *Diſcurſ. III. ad A. B.* SALAS. *d. Legib. quaeſt. 98. diſp. 7. ſ. 8.* Pruckm. *§. ſoluta poteſtas c. 3. n. 125.* BART. et ZAS. *ad l. om. pop. ff. d. I. et I.* GAIL. *L. I. Obſ. 18. n. 2. Auth. Navig. C. de Furt.* Nec de Aſſeſſoribus Camerae negligendum eſt, eos non aliter admitti, quam ſi Leges Romanas et Canones in aliqua Academia didiciſſe et docuiſſe conſtet, ut cauſas in conſtitutionibus non expreſſas *ex iure Romano* vi iuramenti decidere queant ORD. CAM. IMP. *Tit. 39.* CHRISTINAE *deciſ. d. vol.* 2. PAVRMEIST. *L. II. de iuriſd. Imp. Rom. C. 5. n. 42.* GAIL. *L. I. Obſ. 36. n. 14.* MATTH. STEPH. *de iuriſd. L. II. P. I. C. 7. n. 236.*

XII. Hunc praeterea I. C. uſum nec in aliis Chriſticolarum Regnis excluſum quis ſentiet, nec enim in Callia C. 7. *ex Salica* aut ius *Albinagii* (gallice *le droict. d. Aubeine*) ſufficit, ſed ob ſterilitatem harum legum ad I. C. ſaepiſſime recurrendum eſt CIRON. *ad c. ſup. ſpecul. n. 5. et L. V. Obſ. Iur. Can. c. 6. et 7:* MOLINAE *n. 106. Tit. des fiefs.* BARO *in Conſt. ad ſen. omn. pop. et de re benef. L. I. T. 3.* TERRIEN. *du droict. Tit 64.* GIRARD. *des offic. L. I. II.* DELOMM. *de iur. Regal. L. I. c. 16.* COQV. *in praefat. ad conſuet. Nivern.* quod clarius adhuc conſuetudines a BARNABA BRISSONIO componendae docuiſſent CHARON. *in reſp. du droict. Fran. Lib. I. C. 25.* CHOPPIN. *de com. Gall. Conſuet. P. I. §. 4. num. 5.* ROVILLARD. *relieſ. forens. tit. puiſſance paternell. ex chron. vet.* De Codice in linguam gallicam translato FREHER in *edit. iur. Graec. Rom. in epiſt. ad Rud. 2. Imp.* eundemque CVIACIVS ſaepe laudat *L. XVI. Obſ. C. 24. et in praef. ad L. XI C.* Idem datur in Burgundia lege ſilente refugium CHASSANAEVS *in conſuetud: Burg.* In Italiae Dominiis Romae in cauſis civilibus obſer- Gallia. Italia.

Digitized by Google

obſervatur *Stat. Urb. Rom. c. 42.* quod et Rota Romana ſequitur CARD. SERAPH. *dec. 487. et deciſ. 889.* THEOD. RVBR. *in ſingul. de interp. ſtatut. ex Rot. Rom. l. 6. n. 8.* Idem iure municipali deficiente Bononiae obtinet STAT. BONON. *L. VI.* et ibi ANNIBAL. MONTENS. *v. Ius Civile.* Anconae ANT. de AMATIS. *Rotae Genuenſis Lucenſis et Provinciae Marchiae auditor. Deciſ. Rot. March. 59. num. 4.* et in erectione Tribunalis Rotae Marchiae Anconitanae ex conſtitutione *Sixti Quinti* illius Rotae auditores I. U. D. admittendi ſunt STEPH. GRAT. *in Deciſ. Roth. March. in Bull. Sixt Quint.* Par veneratio Venetiis inque Academia Patavina BOLOGNET. *in addit. ad* IOH. ANAN. *Conſ. 53.* ANGEL. MATTHEAC. *de via et rat. iur. C. 36.* DECIAN. *in apolog. adverſ. Alciat. C. 9.* IACOB. MENOCHIVS. FRANC. CARD. MANTICA et ANT. PERBG. *Conſ. 63. n. 5. Vol. 1.* nec non in magno Ducatu Florentiae CASTRENS. *Conſ. 171. Lib. 1.* TVSCH. *concl. 344. v. Princ. Franc. 98. n. 12.* Lucana in Civitate ſeu Rep Lucenſi TVSCH. *Concl. 445. v. Lucana Civitas.* MAGON. *Deciſ. Lucenſ. 91. n. 10. et deciſ. 6. n. 5.* CORNARRON. *deciſ. Lucenſ. 236. n. 8.* Mediolani STATVT MEDIOL. *C. 414. ſtat. med. rubr. de poteſtate c. 6.* BALD. *Conſ. 77. L. V.* TVSCH. *Concl. 167. v. Med. Civ. Genuae* FLAMIN. CHARTOR. *Deciſ. Rot. Gen. III. n. 16. et deciſ. 1. Rot. Gen. cauſ. execut. n. 2.* Viget et in Ducatu Mantuae ALEX. *Conſ. I. L. 2.* AVVTI *in deſcript. Duc. Mant. §. gouvernement.* BVRSAT. MANTVAN. *Conſ. 199. n. 41. L. 2.* Ferrariae DECIANVS *Reſp. 56. Vol. 5.* BERTARROL. *Conſ. 190. n. 3. et Conſ. 205. n. 6.* et Sabaudiae ST. SABAVD. *n. 3.* AVVTI *in deſcript. Parm. §. gouvernement.* In Dominiis vero Ducis Urbini id ſingulare eſt, quod Advocati ſolum leges Iuſtinianaeas et ex Doctoribus *Accurſium, Bartolum, Baldum, Azonem, Alexandrum Caſtrenſem et Iaſonem,* in criminalibus autem tantum *Angelum de Maleficiis* coram Senatu allegare poſſint AVVTI *in deſcr. Duc. Urb. §. gouvern.* Siculis inſuper et Neapolitanis quoque id ius commune eſſe teſtantur AFFLICT. *ad Conſtit. purit. n. 1.* MARAN. *Conſ. 27. n. 7.* ANT. SVRG. *L. 1. de Neap. illuſtrata C. 17. n. 10.* GASP. de LE *Conſ. 77. n. 17.* inter conſil. div. FAB. *de* ANN. *Conſ. n. 10.* PAVL. BALEARON. ad *lib. feud. in praelud. q. 3.*

XIII.

Digitized by Google

XIII. Nec Hiſpanorum gravitas ab aequitate dicti I. C. aliena eſt. BVRG. *in Par. in relect. ad l. 1.* TAVR. *num. 548. et 590.* OLIBAN. *in Comm. d. Acto P. I. Lib. 3. C. 2. num. 8.* GOMEZ. *ad reg. 8.* CASTELLA SOTO. MAYOR. *L. I. quotid. controv. C. 1. n. 52.* PINELL. *in rep. Rubr. C. d. Bon. mat. p. 2. n. 12.* hinc Leges Romanae ſaepe Ius commune dicuntur in *Legibus Part. et Ordinam. et Legib. Madriti anno MDII. editis.* Eque illo in Catalonia in caſibus non deciſis deciſio petitur. OLIBAN. *in Com. d. Act. P. I. L. 3. C. 2. n. 9.* CELS. HVGO *Conſ. 51. n. 10.* Navarrae. MARTINEZ *de* OLANO *in concord. antin. iur. com. et Hiſp. in praefat. n. 8. et 9.* RECEPILAS *de las leyes de Navarr. L. I. T. 3.* ARMENDARIZ *in addit. ad. l. Navarr.* Luſitaniae ORDIN. REG. *L. II. T. 5. L. T. 64. in pr.* VALASCH. in prax. partit *C. 13. n. 8.* SVAREZ *de Leg. Lib III. de legib. hum.* IOH. MASCARD. *Lib. III. concl. 1138. n. 2.* FRAGOS. *de* REGIM Reſp. Chriſt. *P. I. L. 4. Diſp. 10. §. 3. num. 187.* CONNIMBR. *d. iur. ſucc. in Regn. Portug. q. 4. a. 3. n. 18.* et quanti Ius Caeſareum fecerint Hiſpani eorum ſcripta quae ad illud proſtant celeberrima, et inter illa *Antonii, Auguſtini, Didaci Covarruviae, Martini Navarri, Ferdinandi Vasquii, utriusque Garciae Burgenſis de Paz, I. Guttierrez Ludovici Molinae, Eman. Suarez. et Alfonſi Azvedi* abunde probant. Apud Batavos iam dudum quoque exſeruit vigorem ſuum PAVL. MERVLA *in ſynopſ. prax, civ. in Provinc. Holland. Zeland et Weſt-Friez. Lib. I. T. 4. c. 1.* Qua ratione autem id ipſum uſu fori et Scholae in Anglia, Hibernia et Scotia receptum ſit? praelaudatus *Dominus* ARTHVRVS DVCK in rebus et iure Anglicano verſatiſſimus *L. II. C. 8. et 9.* docet, quanquam ibidem, ululas cum cygnis certare ac in declivi hac aetate imperitos Tabelliones ſeu Amanuenſes cum iuris civilis ſacerdotibus contendere, ceu malum aliquod ſubiiciat omem, quo tamen me, quoad hanc indignationem, non remitto, ſed ſaltem quoad Academiae Oxonienſis et Curiarum iura lectionem meretur. An leges Daniae et Hungariae ex hoc puriſſimo fonte manarint? videri poteſt GEORG. LORICH. *in addit. ad conſil. poſter. n. 92.* STEPH. *de* Werb. *in op. trip. iur. Hung. P. II. T. 6.* An in Islandiam penetrarit? tractat ANGRIM. ION. tract. *d. Island.* In Bohemiae iura, Germaniae iuribus conformia, anxie non inquiram MYNSING. *Cent. V. Obſ. 96.* GAIL.

Hiſpania. Belgia. Anglia. Dania. Hungaria. Islandia. Bohemia.

96. GAIL. *L. I. Obſ. 36.* SPEIDEL. *verb. Böheimb.* Nec Chriſtianos ſolum hanc divini humanique iuris ſcientiam venerari quis putet, quiaeam ne quidem Turcis deeſſe teſtis eſt BVSBEQVIVS, ut adeo ex dictis ſatis ſuperque conſtet, Ius Civile Iuſtinianaeum, extincto etiam Romano Imperio, adhuc in Romano-Germanico aliisque Regnis et aliis Dominiis, ad quae nunquam Romana pervenerunt arma, nec hodienum omni deſtitui utilitate, ob quam utilitatem et aequitatem cum nullum alias Ius Civile apud exteras ſe ita commendarit gentes, hinc miſſis aliis Rerump. ſpecialibus iuribus ad decantatiſſimum et κατ᾽ ἐξοχὴν Civile dictum Ius Romanum *§. 2. i. d. I. N. G. et C.* deſcendam, eiusque convenientiam cum Iure Naturae tum praecipiente tum permittente in ſpecie notabo.

An Turcis innotuerit.

Eminentia I. C. R. prae aliis I. C. ſpeciebus.

In Convenientia I. N. a. p. et C. occurrit in ſpecie. 1. Religio ex I. N.

XIV. Occurrit igitur in Iure Naturae *affirmative praecipiente*, cui *Ius Civile* brachium quaſi extrinſecum praebet. 1. RELIGIO. Hanc apud Ethnicos triplex Theologiae genus, Mythicum Phyſicum: (ex parte etiam hyeroglyphicam ſcribendi rationem Aegyptiis haud incognitam, de qua CLEM. ALEXANDR. *L. VI. Strom. et Porphyr. L IV.* περὶ ἀποχ: ſignans:) et politicum, quod eam quaſi optime determinabat, et ceu vinculum Societates conſtringebat, ne metu Divini Numinis contra ius fasque machinarentur, quod docet CICERO *in Orat. de haruſp. Reſponſ.* inquiens: *pietate atque* RELIGIONE, *hacque una ſapientia, quod Deorum immortalium Numine omnia regi gubernarique perſpeximus, omnes gentes Nationesque ſuperavimus*: hanc vero Religionem conciliat ſibi Ratio tum ex machinae huius vaſtiſſimae contemplatione, corporumque ea comprehenſorum magnitudine, varietate, pulchritudine, artificio, tum ex inveſtigatione finium, qui et in abiectiſſimis deprehendi poſſunt corporibus, et elegantiſſimo nexu ita inter ſe compliicati ſunt, ut ſcalam Nobis, qua in Deum aſcendamus, ordinatiſſimam praebeant, res enim aliquas productas eſſe oſtendunt ſenſus, hae vero productae Nos ad aliquid non productum deducunt, hinc GROTIVS *L. II. C. 20. §. 45.* pronunciatis quatuor communes omnium aetatum de Religione notiones niti exiſtimat α. Deum eſſe unum. β. Deum his aliquid ſublimius

mius eſſe quae videntur. γ. Deum curare res humanas, aequiſſimisve diiudicare arbitriis δ. Deum eſſe Opificem rerum omnium extra ſe, ex his *contemplativis*, *activas* elicit *has*: Deum honorandum, amandum, colendum eſſe, quas *notiones* ſi quis indubium vocet, eum non λόγῳ ſed ξρόχῳ non argumentis ſed fuſte edomandum eſſe docet ARISTOTELES *Top. 9. Top. 4.* et *Metaph. 5.* Hanc Religionem Pomponius qui ſub Impp. Marco et Commodo vixit et Ulpianus qui ſub Antonio Caracalla floruit in *l. 2. d. l. et l. et l. 8. §. d. Cond. inſt.* detegunt, et praeter hanc ex *naturali* rationis *lumine* manifeſtam a *Deo Doctore* (quo Ethnici carentes turpiſſime errarunt) manifeſtatam, eiusque rite inſtituendae modum revelatum Chriſtiani Imperatores confirmantes, varias Conſtitutiones partim praecipuum *caput* verum ſc. et intemeratum de *Summa Trinitate* ſenſum, myſteria et alia capita fidei Catholicae reſpicientes, partim Haereticorum, Manichaeorum, Sanctum Baptiſma iterantium Iudaeorum vel Coelicolarum falſum cultum concernentes, ediderunt. Qua ratione autem hodie Ius Religionis veluti Regale aliquod Superioritati territoriali inhaereat videri poteſt INSTR. PAC. GERM. *Artic. V.* LAMPAD. *de Rep. Ger. P. III. C. 11. et ſeqq.* ALEX. IRVINVS *de Iur. Regn. C. 6. et ſeqq.* TABOR *de. Regim. Imp. circ. ſacr.* D. HVGO *Diſſ. d. Stat. Reg. Germ.* D. MYLER. *de Princip. Imp. C. 82. et ſeqq.* BVRGOLD. *Not. rer. imp. P. I. et II.*

Convenit I. G.

XV. 2. CONIVNCTIONEM VIRI ET MVLIERIS inſtinctus naturalis rationi commendavit. Ratio eandem ne circa primordia rerum ſpecies interiret, neceſſariam eſſe dictitavit, fidemque in brutorum coniunctionibus ceſſantem adiecit, qua ſe foemina, praevio conſenſu de poteſtate corporis ſui, ad finem coniugii conſequendum, in maritum transferenda, obſtringit et promittit, Maritum ceu caput ob infirmitatem et inaequalitatem ſexus in familiae adminiculis comparandis ceu authorem ſecuturam fore *Ariſt. Oecon. 3.* Huic rationi adverſatur mos *Aegyptiorum*, nec non apud *Cannares* HEROD. *in Euterp. C. 35. Io. L. X. C. 10.* Secus de Romanis praecipuam Civium numerum augendi curam agentibus dicendum,

2. Coniunctio Viri et Mulieris ex I. N.

 qui in-

Digitized by Google

qui inter alia huic coniunctioni praemia et poenas certas LL. a Papio Mutilo et Quinto Poppaeo Secundo C. I. Caeſ. Octavio Auguſto COSS. latis in ſeqq. decem capitibus praefixerunt. 1. de maritandis Ordinibus 2. Inutiles procreandis Liberis in totum Nuptias contrahere prohibentur 3. Tempus Nuptiarum contrahendarum definitum & arctatum 4. Poenae Nuptiarum contra hanc Legem contractarum. 5. Privilegia Nuptiarum contrahendarum. 6. Privilegia et praemia parentum ſeu liberos habentium. 7. Impedimenta Nuptiarum & liberorum ſuſcipiendorum remota. 8. Divortiis modus impoſitus. Poenae Caelibatus et Orbitatis. 10. Patronatus iura in bonis Libertorum pro numero liberorum; quarum Legum adhuc in Iure Ciuili licet legere veſtigia, quaedam vero abrogata ſunt, ut inter alia prohibitio ne mulier 50. annorum ſexagenario nuberet olim ſub Claudio abolita eſt SVET. *Claud. C. XXXII.* quam ab aliis repoſitam denuo antiquavit Iuſtinianus *l. 27. C. de Nupt.*

Convenit I. C. Sed e diverticulo in viam! Convenit cum hac coniunctione I. N. *Ius Ciuile* in eo, ut marem pro capite agnoſcat familiae, omnem ipſi concedendo poteſtatem in ea, nec obſtat ius trium liberorum conſequendum a muliere *l. 135. ff. d. V. S.* haecque conuenientia tum in conſtituta tum in conſtituenda coniunctione quoad coëundi potentiam & conſentiendi facultatem apparet, adeo ut vitium aliquod in principia conſenſus, cognitionem ſcil. (quale eſt, *error* & *dolus* circa ſubſtantiale, vel appetitum (quale *violentia*) cadens, reddat matrimonium nullum *l. 12. C. d. Nupt. l. 134. d. V. O.* quem effectum deductio in domum neglecta non producit *l. 66. d. Don. int. Vir. et Vx.* Reliqua quae circa parentum conſenſum *l. 2. 3. 16. §. 1. ff. d. Rit. Nupt.* diſponunt, ut in eius defectu nullae reddantur Nuptiae *§. 12. I. d. Nupt.* nec concubitu ceu per magis vitioſum aliquod hic actus I. C. nullus confirmetur *l. 11. ff. de Stat. Hom.* et de contrahentibus ut Cives Romani ſint *pr. I. de Nupt.* et cognationem, rationemque ciuilem obſervent. *l. 15. ff. d. Sponſ. l. 23. 38. 44. 57. ff. de R. N. l. 3. C. de N.* a Iure ſaltem Civili ſunt adiecta, hinc quaedam *Auth. ſed. Nou. iur. C. de Nupt.* in deſuetudinem abierunt, quaedam vero ad matrimonii exiſtentiam faciunt.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Poſt Deum 3. REVERENTIA ET OBEDIENTIA Parentibus debetur, a quibus liberi per traducem ſuam originem et lucis nacti ſunt uſuram, hinc tam patri ceu generationis principio quam matri cui ante partum tanquam portio viſcerum *l. 1. §. 1. ff. d. Ventr. inſpic.* oneroſi, in partu doloroſi, et poſt partum laborioſi ſunt, eam denegare aequitas prohibere videtur, quia iam in ipſa natura aliquis debitum perſolvendi inſtinctus latet, ut, quod acceptum, reddatur, quod ex ciconiis patet, quarum ſoboles ſenibus volare invalidis per omnes prope ſic dixerim terras mariaque volitans, victum parentibus quaerit undique et itineris moleſtias ſola pietatis ſolatur conſcientia, quem inſtinctum ratio informans honorem et obſequium gratiae rependendae officio non infinitum quidem, attamen ſui generis, iis exhibendum praecipit, inde Hierocli dicti θεοὶ ἐπίγειοι. PHILONI ad Decalog. *conſpicui Dii qui ingenitum Deum imitantur vitam dando* et PLATONI de Legib. XI. *Deorum ſimulacra.* Ius Civile approbat hoc obſequium, et reverentiam utrique parentum communem detegit *l. 6. ff. d. in ius voc. l. 5. C. d. P. P. l. 5. §. 2. ff. de agnoſc. vel al. lib.* quanquam etiam multa excluſa matre ex civili ratione ad patriam tantum reſtringat poteſtatem *§. 1. I. per qu. perſ. cu. acq. l. 11. ff. d. lib. et poſth. l. ult. C. d. P. P. l. 2. ff. d. R. N.* quae reſtrictio in liberis e vago concubitu natis ob incertum patrem ceſſat. *l. 3. ff. de his qu. ſui vel al. iur. l. 23. 24. ff. d. ſtat. hom.*

5. **Reverentia in Parentes ex I. N.**

Convenit I. C.

XVII. Quia vero hoc debitum honoris atque gratitudinis in parentes ex adventitiis oritur obligationibus, hinc naſcitur 4. CVRA INFANTIAE AC TENERAE AETATIS, qua omiſſa vel infante ſine neceſſitate alicuius miſericordiae, quam exponens non habet, expoſito, vel educatione turpiter neglecta, hoc debitum expirat, nullamque obligationem nulla huiusmodi antegreſſa beneficia involvunt, nudum enim illum generandi actum imputare ſoboli parentes nequeunt, quippe in quo tales parentes vix aliud quam voluptatem quaerunt; nec mater magnis, in geſtatione ac partu, moleſtiis exhauſtis beneficium dediſſe videri poteſt, ſi propterea in lucem protulit ut abiiciat, aut neglecta educatione foedos pa-

4. **Cura tenerae aetatis ex I. N.**

Digitized by Google

patiatur contrahere mores, illi igitur parentes gratiae rependendae officium remittunt, qui illud acerbitate iniuriarum delere nituntur, quod ne quidem bruta faciunt, ſed refert Imperator educationem ad exempla I. N. animalis, et videri poteſt de cura columbarum, quae iam abſumpta, quaſi naturae quadam violentia denuo evomunt inque alimentum pullorum convertunt, PORHPHYR. *de non eſ. An. III.* Quod vero in brutis animantibus quoad procreationem, educationem et conſervationem inſtinctus naturalis operatur, id recta ratio ſocialis ad amoliendum ſpeciei interitum, non modo approbat GROT. *L. II. C. 7. §. 4.* quia fruſtra natura nobis oſtenderet partus ſuos, ſi denegatione alimentorum iisdem nos privaret, ſed praecipit praeterea, ut is alieno iudicio regatur, qui ſe ipſum, in aliena mentis indiga aetate, regere nequit, quare PLVTARCHVS ait: *ideo Naturam collocaſſe mammas in ſuperiori corporis foeminei parte et quaſi in mediis amplexibus, ut doceret infantem tenere et molliter tractandum eſſe,* indeque communes I. C. loquendi

Convenit I. C.

formulas ſequentes: *naturalem ſtimulum* parentes ad liberorum educationem *hortari*, omnia eis *ex voto parare in l. un. §. 5. taceat C. d. Rei Ux: Act. in ex ſtip. Act. transf.* alimonia negantes *necare l. 4. ff. d. agnoſc. vel. al. lib.* convenientiam cum iure naturali luculenter demonſtrare exiſtimo, quod et evidentius SCtum Plancianum probat, quod etiam poſt divortium partus agnoſcere et alere cogit *l. 3. §. 1. ff. d. Agn. vel. al. lib.* imo proſpicit eis ius civile decedentibus quoque parentibus de tutoribus, qui rebus et moribus pupilli hoc fine praeponuntur, ut pupilli, non ſua, commoda promoveant latenter *l. 12. §. cum tutor. l. 58. pr. l. 54. ff. d. admin. et peric. tut.* qui de damno reſarciendo tenentur *l. 1. pr. d. tut. rat. diſtrah.* propterea variae etiam prodierunt actiones, quae pupillo indemnitatem praeſtant, prout actio tutelae *l. 1. all. pr. d. tut. rat. diſtr.* actio ex ſtipulatu adverſus tutores et fideiuſſores *l. 11. ff. Rem pup. ſalv. for.* et ſubſidiaria in factum adverſus magiſtratus, qui vel plane ſatisdationem non exegerunt, vel non idoneam exegerunt; *§. 2. I. de ſatisd. l. 1. et ſeqq. C. d. mag. conv.* ſique finita tutela ulterius adminiſtraverit actio N. G. competit *l. 13. d. tut. rat.*

Digitized by Google

rat. diſtr. datur et actio protutelae directa contra protutorem *l. 1. de e. qu. p. tut.* nec non contra falſum tutorem *l. 7. de e. qu. falſ. tu. Aut. geſt.* et denique utilis actio contra eum qui interrogatus tutorem ſe eſſe reſpondit, reſponſoque ſuo in aliquam actionem adoleſcentem induxit *l. 12. ff. eod.*

XIIX. 5. OBLIGATIO EX BENEFICIO ne alterum dati poeniteat, eiusque conditio deterior fiat, qui fiducia humanitatis prior benefecit, quod fit quando beneficium accipiens neque id ſibi gratum eſſe danti ſignificat, & occaſionem paria faciendi negligit vel plumbeas pro gratia rependit iras, & ne quidem brutorum animantium agit imitatorem, de quibus PHILONIS verba ad Decalog. ita ſe habent: *Beneficio vicem rependere illa edocta norunt, canes domus defenſores ſunt, quia et pro heris moriuntur, ſi quod ſubito periculum eos contigerit, ut canum illi qui greges comitantur praecedere pecora ſolent, depugnantes ad mortem usque ut paſtores illaeſos praeſtent. Nonne, inter faeda faediſſimum eſt in referenda gratia vinci hominem a cane mitiſſimum animal a ferociſſimo?* Quod ergo natura ita animantibus impreſſit; id ratio naturalis ad ſocietatis humanae conſeruationem reſpiciens praecipit, quia odioſa & deteſtabilis ingratitudo omnia inter homines gratiae conciliandae initia tollit quod SENECA *L. IV. de Benef. C. 18.* manifeſtius reddit, *nam*, inquit, *quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos quid ſumus? praeda animalium victimae ac viliſſimus et facillimus ſanguis, hominem imbecillitas cingit, eique ut validiſſimus ſit duas res natura dedit rationem et ſocietatem.* Cum hoc rationis praecepto Ius Civile licet non ita efficaciter quoad civilem producendum effectum convenit, hucque obligationes ad ἀντίδωρα, nec non id, quod fieri honeſtum, quamquam non vere debitum, refert *l. ſed etſi 25. §. 11. d. Pet. Her. l. 54. §. 1. ff. d. Furt.* BALD. *ad l. ſi pecun. C. d. cond. ob cauſ. et in l. ex imperf. C. d. teſtam. l. ſi poenae ff. d. cond. indeb. l. 1. C. ad L. Falc. alleg.* et quanquam has obligationes non firmet actionibus, poena tamen eas munit, quod docet *l. 1. 2. 3. fin. C. d. lib. et lib. cor. §. 2. I. d. Don. l. ult. C. de Rev. Don.*

5. obligatio ex beneficio ex I. N.

Convenit I. C.

XIX.

6. Fides pacto-rum ex I. N.

XIX. *6.* FIDES PROMISSORVM FOEDERVM, ET PACTORVM, quando voluntas ſe ipſam pro futuro tempore determinat, cum ſigno ſufficiente ad indicandam perſeuerandi neceſſitatem, quae in promittente talem conſtituit obligationem, ut fidem ſequens, exſolutionem fidei urgere queat, alias enim ſocietas citra eiusmodi conventionem et modum obligandi coli et conſervari non poſſet, cuius conventionis violatio maximam irritandi inque diſcordiam coniiciendi homines cauſam ſuggerit, quae ex illuſione fidei pacto expreſſae aliorum conditionem deteriorem reddente oritur, idque in iis manifeſtiſſimum eſt, in quibus alteruter contrahentium ſeu paciſcentium, illud, de quo conventum eſt, ut eius partem, praeſtitit, nec minus detrimentum in iis, ubi ex neutra parte aliquid praeſtitum eſt, accedit, ſi id ſaltim, de quo conuentum, non impleatur, nam et illud iuſtam conquirendi rationem ſuppeditat, ſi rationes alterius fidei ſuperſtructae altero fallente convellantur aut ludibrio praeter meritum exponantur PVFF. *L. III. C. 4. ſ. 6.7.d.I.N. et G.* et *in Elem.Iur.Vn. L. I. Def. 12.* §.15. quamobrem argumentationi ex ſententia CONNANI petitae de ceſſante pactorum ſervandorum neceſſitate haud incongrue reſpondebant Gedanenſes Opalinsky, ſe non Nobilis, ſed Ruſtici Maſovienſis audire vocem; omniumque maxime et praecipue, tum publice, tum privatim, Romanos fidem coluiſſe eamque ſemper ſanctam habendo e parva origine ad tantae amplitudinis inſtar emicuiſſe teſtatur SEXT. CAECIL. ſic Roma Conſules clariſſimos Viros hoſtibus confirmandae fidei publicae cauſa dedit, ſic clientem in fidem acceptum ſenatus cariorem habuit quam propinquos, tuendumque contra cognatos cenſuit, neque peius ullum facinus exiſtimatum eſt, quam ſi cui probaretur clientem deriſui habuiſſe, et fidem hanc non modo in officiorum vicibus, ſed in negotiorum quoque contractibus ſanxerunt, ubi ad determinationem voluntatis accedit ſignum volendi ius proprium alteri conferens, quod ſignum via ſolet eſſe vel ad *alienationem rei*, vel ad *alienationem particulae noſtrae libertatis*, iſthuc promiſſa *dandi*, huc promiſſa *faciendi* pertinent.

XX. Ius

Digitized by Google

Convenit Ius Civile in pactis et contractibus μονοπλεύρεις.

XX. Ius civile hec praeceptum non tantum *in l. 1. pr. d. Pact. §. 41. I. d. A. R. l. 1. pr. ff. d. pec. conſt. et l. 84. cum amplius §. 1. d. R. I.* detegit, ſed eidem quoque actionibus, quibus vita communis indiget, adſiſtit, ut quem pudor naturalis deſeruit, illum, ad adimplendum promiſſum *Rei* vel *facti*, rigor Legum adigat, hac enim ipſa de cauſa Romani pleraſque conventiones, quibus alias ex I. N. vis obligandi inerat, ſuis quoque Legibus muniverunt, & quia non ſatis paci proſpectum videbatur haec vniuſcuiuſque ſaltem conſcientiae relinquere, ex illis paciſcentibus certas dederunt actiones, ut is qui debitum ex irreverentia I. N. non praeſtaret, ad inviolabile commerciorum ius & quietam Civium Societatem conſervandam, vi & imperio Magiſtratus emendetur, hinc variae tum *Reales* tum *Perſonales* actiones introductæ ſunt, hinc deſcendit Condictio Certi ex omni cauſa, exque omni obligatione, ex qua certum petitur *l. 9. pr.* & Vtilis ex *l. 13. ff. d. R. C.* actio ex iureiurando *l. 9. §. 1. ff. de iurei. Vol. vel nec vel iud.* actiones ex promutuo cauſa *dat. cauſ. non ſec.* caeteraeque *Condictiones*; hinc naſcitur ex Contractibus *μονοπλεύρεις* actio ex Stipulatu *l. 10. d. V. O.* & Condictio chirographaria *I. de Lit. Oblig.* quae ſemper exceptione in *l. 8. 14. C. d. non num. pec.* propoſita tollitur *l. 5. in f. ff. d. Dol. mal. et met. Except.* Hinc ex Contractibus *διπλεύρεις* quorum haec Natura eſt, ut ambo contrahentes ſibi invicem ad quid praeſtandum aeque principaliter obligentur, ut ſe utrinque directa actione convenire poſſint, & quidem in ſpecie ex Contractu empti venditi oritur actio Empti quae datur emptori adverſus Venditorem, ut rem ſi exſtet praeciſe tradat *§. 2. I. d. Don. l. 11. §. 1. §. 2. ff. d. Act. Empt. lib. 68. §. 2. in f. ff. d. Contrah. Empt. l. 6. C. d. Reſc. Vend.* et Venditi, competens Venditori adverſus Emptorem, ut pretium uſuras et ſumptus in rem utiliter b. f. factos conſequatur *l. 13. §. 19. §. 22. l. 47. ff. d. Act. Empt. l. 5. l. pen. C. eod. l. 2. C. d. Vſur. l. 16. §. 1. ff. eod.* quos ſi quis poſt traditionem impendit actione N. G. repetit *l. 2. ff. d. N. G.* Datur praeterea re evicta actio ex empto *l. 16. l. 74. §. 1. d. Evict.* etſi mancipia vel iumenta vendita actio Aedilitia redhibitoria *l. 36.* Aeſtimatoria ſeu quanti minoris *l. 18. pr.* actio in factum *l. 31. §. 17.*

Convenit in contractibus διπλεύρεις actiones directas utrinque producentibus.

actio Aedilitia in Patrem vel Dominum de peculio *l. 23. §. 4. d. Aedil. Edict.* Ex contractu locati conducti actio locati contra Conductorem, ut mercedem praeſtet, finito uſu rem reſtituat, & ſi *culpa* reſtituere deſiit, *quanti res eſt*, vel *intereſt*, ſi *dolo* quanti *in litem iuratum* condemnetur, *l. 34. ff. d. R. I. l. 68. d. R. V. l. 17. §. 1. l. 9. §. 3. l. 11. §. 1. et 2. l. 43. l. 54. pr. §. 1. l. 55. §. f. l. 57. ff. Loc. Cond. l. 3. l. 17. C. eod. l. 32. §. 2. ff. d. Vſur.* Ex emphyteuſi datur actio emphyteuticaria *arg. l. 7. §. 1. ff. de Pact.* qua uterque contrahentium conſequitur id, quod ex pacto vel natura contractus praeſtandum *§. 3. I. h. t. l. 2. pr. C. de Iur. Emphyt.* Ex contractu ſocietatis oritur actio pro ſocio utrinque directa §. 2. *I. de poen. tem. litig.* ad id quod alter praeſtare tenetur *l. 17. pr. ff. pro Soc.*

Convenit cum contractibus διπλέυρεις actiones contrarias producentibus.

XXI. Hinc ex Contractibus *διπλέυρεις*, quorum natura ita ſe habet, ut unus principaliter, qui aliquid accepit, vel aliquod praeſtandum in ſe ſuſcepit, alter vero ex accidenti ſeu ſecundario ex concurrente quadam naturali aequitate obligetur, et quidem in ſpecie ex contractu mandati naſcitur actio directa mandanti vel cuius intereſt competens, de quavis culpa dolo & quod mandati nomine ad aliquem pervenit *l. 6. pr. §. 4. l. 8. §. 6. l. 16. l. 22. §. 1. §. ult. l. 13. l. 16. l. 21. C. h. t. l. 23. d. R. I. §. 2. I. d. poen. tem. litig. l. 6. §. 5. ff. d. his qui infam. not. l. 10. §. 2. et 8. l. 20. pr. ff. h. t. l. 45. §. 4. ff. d. proc.* et contraria competens mandatario ad recuperandum id quod ei ex cauſa mandati abeſt *l. 10. §. 9. l. 12. §. 7. l. 45. §. 4. Mand. l. 12. §. 9. l. 26. §. 6. et 7. ff. eod. l. 1. C. h. t. l. 61. §. 5. ff. d. Furt.* etiamſi caſu aliquo impeditus mandatum implere non potuit *l. 56. §. f. ff. et l. 4. C. h. t.* Ex contractu pignoris oritur actio pignoratitia directa debitori et contraria creditori competens *l. 33. l. 40. §. f. de Pign. Act. l. 11. C. eod. §. f. I. quib. mod. re contrah. Oblig. l. 1. §. f. l. 36. d. t.* quo facit actio ſerviana de rebus coloni §. 7. *I. d. Act.* et quaſi ſerviana *l. 1. C. Com. d. Leg. l. 4. pr. ff. d. pact. l. 4. pr. in qu. cauſ. pign. tac. c.* nec non hypothecaria de praetorio pignore §. *6. I. d. Act. l. f. C. d. Praet. Pign.* Ex contractu commodati actio commodati directa adverſus commodatarium *l. 2. §. 17. Commod. l. 3. §. 1. l. 5. §. 2. eod. l. 75. ff. d. R. I. §. 2. I. qu. mod. re contrah. Obl. l. 23. ff. d. R. I.*

Digitized by Google

d. R. I. et contraria adverſus commodantem *l. 17. §. 3. l. 21. l. 18. §. 3. §. 2. l. 18. §. f. h. t. l. 15. §. ult. ff. d. Furt.* Ex contractu depoſiti actio depoſiti directa *l 1. §. 6. §. f. l. 7. pr. l. 32. Depoſiti l. 23. ff. d. R. I. §. 3. qu. mod. re contrah. Obl.* et contraria *pr. l. 8. l. 12. pr. et l. 23. ff. h. t.* huc refertur actio ſequeſtri directa & contraria *l. 12. §. 2. d. t.*

XXII. Cum vero omnes fere *dictae Actiones* ex *expreſſis* naſcantur *conventionibus*, dubitare quis poſſet, an *Ius Civile* quoad fidem ſervandam, ita etiam *quaſi Conventionibus* adſiſtat, ut efficacem obligationem & Actionem producant: Sed hoc dubium tutela, de qua *dictum* eſt, & aliae quaſi contractuum ſpecies tollunt, nam ex communione rerum actio communi dividundo *l. 28. ff. Comm. Div.* et actio finium regundorum naſcitur *l. 1. ff. Fin. Regund. l. 15. §. 16. ff. Fam. Eriſc.* Ex communione hereditatis, actio familiae erciſcundae *l. 2. ff. Famil. Eriſc.* Ex aditione hereditatis actio ex teſtamento *§. 5. I. d. Obl. qu. ex qu. Contr.* Ex indebiti ſolutione condictio indebiti *§. 6. I. d. t. l. 11. et t. 1. ff. et* C. *d. Cond. Indeb.* Ex negotiis geſtis actio N. G. directa *l. 20. C. d. N. G. l. 2. l. 6. §. 9. l. 8. §. 1. ff. eod.* et contraria *§ 1. I. h. t. l. 2. in f. l. 19. §. f. eod. l. 22. l. 45. ff. d. t.* Sed anne Ius civile illas Conventiones, quibus proprium nomen non dedit, negligit? nequaquam, tum enim cum deficiunt vulgaria atque uſitata actionum nomina *praeſcriptis verbis* agendum eſt, et ceſſantibus iudiciis proditis et vulgaribus cum proprium nomen invenire non poſſumus, deſcendit Ius Civile ad eas actiones quae in *factum* appellantur *l. 2. l. 1. ff. d. praeſcript. verb. et in fact. Act.* An vero promiſſum illud, cui factum aliquod turpe accedit, facto patrato ſervandum ſit? disquirit GROTIUS *L. II. C. 11. §. 9.* et affirmative decidit, contrariam ſententiam defendit PUFFENDORFF. *L. III. c. 7. d. I. N. G.* Ego tamen, diſtincto duplici actu, pro GROTIO pronunciari poſſe, nullus dubito.

[Margin: Convenit cum quaſi contractibus.]

[Margin: Convenit cum contractibus innominatis.]

XXIII. IMPERII VENERATIO, quae ad ordinem Societatis, quam natura non niſi ordinatam appetit, pertinet, res vere naturalis, ſine qua nec coniugalis, nec patria ſocietas, nedum alia maior, aut perfectior ſubſiſteret, unde ex Platone CICERO *L. III. d. LL. C. 1.* *Nibil* inquit, *tam aptum eſt ad*

[Margin: 7. Imperii veneratio ex I. N.]

 Ius

Ius conditionemque Naturae, quam imperium, ſine quo nec domus ulla, nec Civitas, nec Gens, nec hominum univerſum genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus ſtare poteſt. Nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria terraeque hominum vita iuſſis ſupremae Legis obtemperat, quia Lege naturali ſancitum eſt, ut ibi ſit ordo imperandi et parendi, ubicunque eſt Societas, cum enim duo tantum eſſent, foemina Viro parere iuſſa eſt; liberorum in parentes obſequium, parentum in liberos imperium, & ubi ſunt, qui parentibus et liberis comparari poſſunt, ibi ſit imperium et obſequium neceſſe eſt, quare ARIST. L. *II. Eth. 7.* Naturam, hominem ſocialem, finxiſſe *ait* ut qualicunque ſaltem, ſi non perfectae ſe ſocietati iungat, tutelae et indigentiae cauſa, hinc diverſi ſexus ſocietas, familias, et inde Reſp. et imperia conſtituit, quae corpora ut in naturalibus ſine anima ſeu formali principio haud duratura ſunt, ni loco eius deligerentur ſubiecta regentia, quae ipſa quoque ceſſante *veneratione*, haud diuturnam retinerent poteſtatem, ſi enim ſine *illa*, imperfectior ſocietas ſubſiſtere nequit, praecipue *eadem* in perfectiori *ciuili* ſcil. ſocietate neceſſaria erit, hanc autem coniugali imperfectiorem eſſe, ad Protoplaſtorum, extra civilem quidem, praeſumptive tamen praeſenti perfectiorem, recurrentes ſtatum, haud evincunt, quia haec oppoſitio ex diverſo fluit genere ex lumine nempe S. S. manifeſtato, quod Ariſtoteli incognitum fuit. alia autem deciſio ex ratione nata, alia ex ratione revelata petitur, ac proinde haec controverſia de perſeverantia integritatis primaeuae, an adſiſtentia Spiritus Sancti peculiaris neceſſaria ſit? an naturalis? an vero ſupernaturalis? Theologorum potius quam ratiocinantium redolet cathedras, hinc eadem miſſa ad civilem redeo vitam, in qua regimen aliquod et obſequium requiri dixi, quod in Civitate nihil ſupergreditur, et in certo caetu Dei cuncta gubernantis vices refert, cuius eminentia nihil ſanctius, faſtigio nihil auguſtius, et dignitate nihil ſuperius in ſublunaribus habetur, et ideo, non impeditur, non ſuſpenditur ullo humano arbitrio aut vi cogente, niſi per arma aut ſcelus, ut veriſſime Ariſtoteles *l. 3. polit. 6.* inquit: *ubique in civitate eſt ſumma poteſtas:* quae tamen, obſervatis

vatis

Digitized by Google

vatis cautionibus, a Grotio *L. I. C. 3. §. 10. et ſeqq. d. I. B. et P.* propoſitis, intelligenda ſunt, nihil enim imperitae multitudini facilius imponit, quam externa ſpecies, qua homines plerumque tantum duci *ait* MACHIAV. *Lib. d. Princip. C. 18.*

XXIV. Si enim ius vagum reſiſtendi obtineret, et reverentia exularet, inter initia eſſet ſumma poteſtas extincta, quare haec promiſcua obnitendi facultas inhibita eſt a civitate, cui in ſingulos et ſingulorum bona quatenus id civitatis fini recte convenit, maius aliquod ius naſcitur, ut circa illa maieſtatis ſtatim ſe exſerat imperium, illud tamen, quod Iure Naturali repugnat, non obligat ad parendum ſeu agendum, ſed obligat tantum ad vi non reſiſtendum, cum defenſio in parem, non ſuperiorem, licita ſit, quia humanum imperium obligat ad omne quod iniuſtum non eſt, a reſiſtendo autem abſtinere nequaquam eſt iniuſtum, quam ob cauſam contra imperium agere, vim vi reprimere, de actionibus ſummae maieſtatis iudicare aut quocunque modo arma ſumere aut contra eam quid moliri prohibitum eſt, quod optime notat VALENTINIANVS, qui ſollicitatus a militibus ut Imperii conſortem ſibi adſciſceret reſpondit: *Veſtrum fuit milites, cum Imperator nullus eſſet mihi tradere imperii huius habenas eas ex quo adeptus ſum, de caetero non veſtrum ſed meum eſt diſpicere quid Reip. expediat.* Et Regis VITIGIS apud CASSIODORVM idem innuere videntur verba, quae ſic ſe habent: *alteri ſubdi non poſſumus, quia iudices non habemus.* Digna ſunt hac de re verba Grotiana ut *ex pr. Tract. de mari Libero* huc transſcribantur, *hoc intereſt*, inquit ibidem, *quod ſicut Magiſtratus minores de vulgo iudicant, Maieſtas de Magiſtratibus, ita ei omnium aliorum delicta cognoſcenda et punienda mandavit Rex univerſi, Regum excipit ſibi. Is autem quanquam extremam animadverſionem ſibi reſervat, tardam, occultam, inevitabilem, nihilominus tamen duos a ſe iudices delegat, qui rebus humanis interſint, quos nocentium feliciſſimus non effugit, conſcientiam cuique ſuam et famam ſeu exiſtimationem alienam. Haec tribunalia illis patent, quibus alia praecluſa ſunt, ad haec infirmi provocant, in his vincuntur, qui vincunt viribus, qui licentiae modum non ſtatuunt, qui vili putant conſtare quod humano emitur ſanguine,*

guine, qui iniurias iniuriis defendunt, quorum manifeſta facinora neceſſe eſt et conſentiente bonorum iudicio damnari et ſui ipſorum animi ſententia non abſolvi. Dominus FELDEN *in annot. ad* GR. *C. III. p. 66.* Imperantibus ita quidvis licere, ut irritum reddi vel fieri nequeat, ex hac ratione impugnat, quia ius aliquod intercedit, hinc agnoſcit quidem Regi multa condonanda imo inſtar patris ex mente ARIST. L. *VIII. et IX. Eth.* colendum eſſe, ſed ſi precibus a malo propoſito amoveri nequit, tum *ait* dubium non eſt, quin vis adhiberi poſſit, mihi autem id maxime dubium reliquit, quia ratio *eius medium terminum* ad ſubditos (quibus iuris experiundi facultas conceditur) et iudicia reſtringendum eſſe iubet, qualia iudicia de Regibus ſummam et plenam poteſtatem habentibus nulla in hac Vniverſitatis machina dantur: nec *philoſophicae argutiae* a Patre ad Regem concludentes, ob diſparitatem rationis, quae in hoc vertitur, quod Pater, praevia cauſae cognitione, non a filio ſed a iudice facta, de abuſu vel exceſſu P. P. eadem excidat, mihi ſatisfaciunt, quis enim eſt in foro Soli de Exceſſu Regum iudex? anni Subditi? quorum etiam bonorum aures ad vocem tributi obſurdeſcunt? Bene exequitur hoc argumentum SAMVEL BOCHARTVS *in epiſtola anno 1650. ad Sacellanum Magnae Britanniae Regis Morleyum ſcripta ubi ad trium quaeſtionum praecipuam: an reſiſtere liceat Regibus reſpondet?* GVILIELMVS BARCLAIVS *adverſus Monarchomachos* ab ipſo GROTIO L. *II.* C. 1. §. 7. 10. 11. laudatur. Sorbonna Pariſienſis *condemnato ſua cenſura Becano tyrannicidas impune in capita Regum provocante laudabiliter et cordate ſe geſſit.* Ballarminus ſtylum ſtrinxit *in libro de ſumma poteſtate Pontificis*, qui liber *anno 1610.* Parlamenti Lutetiani placito damnatus eſt teſte GRAMONDO *L. II.*

XXV. Haec origo eſt intricatiſſimae controverſiae quae hoc ſeculo praeclariſſimorum exercuit ingenia: anne Princeps Legibus ſit ſolutus? Circa quam varii varias et inutiles nectunt diſtinctiones, diſtinguentes, inter vim Legum coactivam et directivam, inter Monarchiam et Monocratiam, inter Monarcham ut Monarcham vel certo modo talem, inter videri et eſſe Legibus ſolutum; Ego vero pro diverſitate ſubiecti, quod alias multi confundunt, reſpondeo *α. Principem ſimpliciter* conſidera-

ſideratum teneri Leges, ut hominem, obſervare Naturales, quia hae a Deo, Natura, et communi omnium Gentium moratiorum conſenſu fluxerunt approbative, Leges autem civiles ita demum, ſi ſe iuramento vel, ut fieri ſolet hodie, Aſſecuratione obligavit, ſecus ſi eisdem ſe non ſubmiſit, tum enim de modeſtia, non neceſſitate tenetur. β *circa Principem Iuſtinianum* diſtinguo inter Maieſtatem quae ſoluta eſt, et officium eius quod adſtrictum eſt *l. 4. C. de LL.* γ *quoad Principem ſeu Imperatorem modernum Romano-Germanici Imperii* exiſtimo eum ad Leges Imperii fundamentales obligari, an vero perrupto Reip. vinculo deponi queat? ceu ſpinoſam et periculoſam controverſiam non decido, videri tamen de ea poteſt LAMPAD. *P. III. C. 2. §. 10.* in quam ſententiam egregie diſſeruit ARNISAEVS *in tribus libris de Maieſtate inviolabili.* LIMN. *d. I. P. L. II. C. 2. c. 11.* CARPZOV. *d. Leg. Reg. Germ. §. XIV. Sect. 5. et 6.* PIETER. *ad A. B. p. 43.* STAMLER *d. Reſerv. Imp. §. 17. et ſeqq.* In genere tamen eiusmodi media violenta, ut maxime odioſa, non probo, nec facile eo progrediendum, ſed potius patientia quam in fauſtis his utendum eſt medelis, et prout ſterilitas nimii imbres et caetera naturae mala, ita luxus etiam imperantium tolerari, et inviolabilis eorum perſona ſemper pro ſancta haberi debet, ut adeo recte adiiciatur a Domino FELDEN, *ut maleficos eos punire ſumma impium eſſe.* Quo fine HENNINGES ad Regis Angliae caedem reſpiciens indignabundus gravem in reliquos adhibet populos invectivam, qui Regis horrendo more occiſi exemplum reſciverunt, nec de vindicta I. N. violati cogitarunt, potuiſſet tamen ab irritandis hisce crabronibus abſtinere, cum MILTONII *argumentis*, ex legibus Angliae fundamentalibus petitis, ne quidem SALMASIVM ſuis rationibus propoſitis ex Iure Naturae vago in theſi diſcurrentem, nec omnia ad hypotheſin applicantem ſufficienter ſatisfeciſſe, multorum ſapientum iudicio recte dubitetur. Vltimo inquiro loco: an haec veneratio maieſtatis in civilibus tantum, an vero in ſacris quoque obtineat? et an exemptio quaedam ſacrorum a ſumma detur poteſtate? GROTIVS *in Tract. de Iur. Summ. Poteſt. circa Sacra* nullam exemptionem admittit, ſi quid enim eſſet eximendum impe-

Convenit I. C.

Digitized by Google

imperio, tum id ipſum aut nulli imperio humano ſubiectum, aut alterius quam ſummae poteſtatis imperio ſuppoſitum eſſe ſequitur, prius non eſt probabile, manifeſtam quippe in rebus humanis ſtatueret ἀνάταϛασίαν, cuius Deus non eſt author, qui omnia tam naturalia quam moralia certo quodam ordine diſpoſuit, poſterius abſurdum, ſi enim ſummae poteſtati ſubducta alterius poteſtati ſubiiciantur, tum in uno populo duas efficiemus ſummas poteſtates, quod ipſius ſummitatis naturae repugnat, iſtamque ſummorum multiplicationem ratione effectus excludit vis Imperii, quae in obligatione et coactione conſiſtit, ſi autem plures eſſent imperantes, plura etiam eſſent imperata diverſa, imo ſaepe plane adverſa, inde contraria etiam et naturae rerum repugnans obligatio et coactio circa idem naſceretur, quod inconveniens ſaepiſſime in iis locis, per quae invidenda Pontificis ſe diffundit authoritas, emergit, obque hanc per Hiſpaniam, Galliam et Poloniam, diffuſam Pontificis poteſtatem circa ſacra, dictorum Regnorum Reges (ut ut aliis illi monarchice imperare videantur,) veram tamen maieſtatem non habere; facillime in conflictu defendam.

8. Defenſio abſolute in ſe ſpectata ex I. N.

XXVI. 8. DEFENSIO ABSOLVTE IN SE SPECTATA, cum corpus impetitur vi praeſente, cum periculo vitae non aliter vitabili, quando enim I. N. *Neminem laedendum eſſe* praecipit, tum alterius non tantum prohibet, ſed etiam a nobis devolvendam laeſionem et periculum vitae amoliendum eſſe iniungit, licet hic videantur duo praecepta Iuris concurrere, quoniam Naturae praeceptum eſt, *Neminem laedes ſeu occides*, Naturae itidem praeceptum eſt, *Defendes te ipſum*, hos duos canones, ſi ſeparatim inſpicias, ambo erunt immutabiles, ſi coniungantur et collidantur, maior vincit minorem et praeceptum momentoſius, illud ſcil. *Te defendes* chariate a ſe ipſa incipiente minus momentoſo praevalebit de non occidendo, quod ſubordinatam proximi conſervationem intendit, quae conſervatio erga illum ceſſat, qui ſe ipſum, deſtruendo ſocietatem, inſociabilem reddit, qui nequidem iniquum iudicare poteſt, ſi in ſua perſona id Ius exerceri patitur, quod in alterius perſona iuſtum eſſe credebat; Dominus FELDEN hanc de-

defenſionem iuſtam eſſe ex libertate naturali probat, quia liber id omne quod habet, ut ſuum et non ut alterius habet, et E. nihil in alterius gratiam temere agere, aut pati tenetur et reſarciendum vel corrigendum eſſe putat, ſi quid ab altero patiatur in vitae autem diſcrimine plusquam ſervile eſt *inquit* pati ſibi vitam adimi, quia factum hoc *in tranſeunti* corrigi nequit *explendo:* Quam Feldenii rationem ut concurrentem admittere, ſed Grotio (in eo ac ſi ex communibus cum brutis notionibus tantum argumentetur) falſam mentem affingentem, indeque falſo de iuſtitia ſubſumentem, ferre nedum approbare queo, nollem tamen eum virgula cenſoria notare, vereor ne verba GROTII *L. II. C. 1. §. 3.* eundem notent, quae *periculi vitae non aliter vitabilis* mentionem faciunt, unde colligitur, illum non de natura irrationali diſcrimen hoc ignorante, ſed de natura a ratione moderatrice informata loqui. Ius Civile convenit cum hoc praecepto rationis ex natura animali et rationali deſcendente *l. 3. ff. d. I. et I.* cum *hac reſtrictione* ne defenſionis ratio ad offenſionem ultra periculi depulſionem extendatur, ſed moderamen inculpatae Tutelae laborante adhuc maleficio obſervetur *l. 4. pr. Ad L. Aq. t. t. C. quand. lic. un. ſin. iud. l. 3. §. eum igitur de vi et vi arm. l. 2. §. 3. C. eod.* In quonam hoc moderamen conſiſtat? praeter inſignes diſtinctiones et notabilia requiſita arbitrio et definitione prudentis viri opus eſſe exiſtimo, quia in moralibus pariter ut in naturalibus punctum non invenitur ſine aliqua latitudine, et infinita varietas rerum circumſtantiarumve ad eiusmodi actiones concurrentium exque iis emergentium difficilem reddit diiudicationem, qua de re ICtorum, Theologorum moralium et Philoſophorum ſententias in unum locum congeſtas videre licet *apud* FER. VASQUIUM *Controv. Illuſtr. Lib. II. C. 18.* *Defenſionem autem pudicitiae, iniuriaeque vel damni declinationem* cum interfectione alterius de Iure Naturae permittente licitam, non praeceptam eſſe, conceſſerim. Licet enim mens caſta eſſe poſſit, nemo tamen alicui ſuis membris vim inferendi, vel in corpore ſuo libidinem explendi facultatem concedere tenetur. Idem de alapa infligenda dixerim, quia ſecundum communem opinionem,

Convenit I. C.

Defenſio pudicitiae & famae ex I. N. permittente.

 homi-

hominem adoleſcentem pariter in aeſtimatione laedit, laeſamque famam ita comitatur, prout virginis corpus pudicitia erepta defloratio perpetuo ceu lepra infectum ſequi ac adhaerere ſolet. Hinc de Iure Civili ſtuprum mere violentum ſtupratam non infamat *l. 13. §. 7. l. 39. pr. ad L. Iul. de Adult. coerc. l. 20. C. eod l. 1. §. 6. de Poſtul.* MANZ. *d. Teſtam. valid. et inval. T. X. Q. 21. n. 8.* quos textus ita etiam accipit M. BERL. *P. V. Concl. 41. n. 66.* ubi de facultate ſertum vel aliud virginitatis ſignum in capite geſtandi, ob id non denegata ex FRANC. PFEIL. *Conſ. 147. cent. 2. in f.* hoc reſponſum refert: *Dieſem allem nach halte ich es dafür, daß die Magd ſo von den beyden Buben mit Gewalt ins Korn genothzüchtiget und beraubet iſt, nicht weniger, dann ob ſolches nicht geſchehen, in jungfræulichem Schmuck und mit dem Krantze offenbahrlich gehen und nicht als eine geſchwæchte Dirne oder Hure, mit dem Schleyer gedeckt werden mœge V. R. W.* Cui tamen aſſertioni non omnimodo ſubſcribendum erit, quia ſalva animi virginitate corporis virginitas corrumpi poteſt, cuius mitra talis non poena ſed ſignum eſt, et propterea eadem etiam honeſtae utuntur matronae et viduae citra ignominiam ullam CARPZ. *prax. crim. Q. 75. n. 80. et ſeq. n. 83.* in contrarium pronuntiare *Lipſienſes* docet DN. MEV. *ad Ius Lubec.*

Convenit I. C.

XXVII. 9. SANCTITAS LEGATORVM, quae praecipue admiſſo aditu ſeu colloquio, ceu per tacitam vel quaſi conventionem de inviolabilitate initam, I. N. praecepta eſſe videtur. An vero potius haec Sanctitas ex I. G. voluntario: (quod ut non Ens, vel ut Philoſophi Chymaeram Blictri et alias nugas concipiunt, conſidero:) originem traxerit? diſpiciendum eſt. GROTIVS L. *II. c. 18.* hoc aſſerens ſtatuit, alios ſentire vim duntaxat iniuſtam a Legatorum corporibus arceri, alios ſtatuere, ita demum iis vim inferri poſſe quatenus I. G. ab eis laeſum fuerit, alios reſtringere ad ea, quae contra ſtatum et dignitatem eius ad quem miſſi ſunt, alios putare Reges conſulendos aut gentes quarum nihil intereſt, en habes Ius Gentium Voluntarium? tandem etiam mittit illud et ita concludit: Conſenſum Gentium ex ſolis Gentium exemplis evinci non poſſe, quia in utramque partem ſatis multa occurrunt, ſed recurrendum

9. Sanctitas Legatorum ex I. N.

Digitized by Google

dum eſſe *ait* tum ad iudicium ſapientum, tum etiam ad conie-ſturas, iudicium vero ſapientum in naturali potiſſimum ratione fundatur, et quidem ea, quatenus hic duplex aliqua utilitas concurrere videtur, altera ex poena, altera ex impunitate ſubnaſcens, ex hac oritur ſecuritas Legatorum, ex illa autem periculum, quod in lubrico collocaret Legatorum ſalutem, ſi actuum ſuorum rationem alii reddere tenerentur, quam a quo mittuntur, dum quandoque diverſa ſaepe & adverſa ſunt conſilia eorum, qui Legatos mittunt, unde ſemper Legatus alicuius facti, quod criminis acciperet ſpeciem incuſari poſſet, propptereaque Legatorum, quanquam Sociali Naturae maxime conveniens, et praecipue inter belligerantes ob gravamina exponenda, pactorum deliberationem et foedera pacis contrahenda, ſumme neceſſarius, nullus daretur uſus: praetereave fides, poſt admiſſionem tacite data, laederetur, quae inſtar quaſi contractus eſt, quo Legati ſuam Salutem credunt ei ad quem miſſi ſunt, alter vero ſecuritatem pollicetur, ſive expreſſe, ſive tacite, cuius utilitas praeponderat utilitati ex poena. Ius Civile approbat hanc ſanctitatem et Legato hoſtium pulſo Ius Gentium violari ſtatuit *l. 17. ff. de Legat.* 10. POENAE MERITUM. Poenam non licuiſſe exigere in libertate naturali multi affirmant, inter quos et PVFFENDORFF occurrit, ſed GROTIVS in contrariam videtur inclinare ſententiam, quia is qui peccat, in eo ſtatu eſt, ut puniri poſſit, licet non eo, quo imperii ac Maieſtatis vi ſe exſerente, modo, cum et quibusdam delictis, non ratio tantum, ſed ipſi ſenſus indignentur, nec ante Gentes vel ante Civitates liberos tenerae aetatis alienoque iudicio regendos in adſuefactione vitiorum a parentibus et grandioribus natu caſtigatos, aut monitis emendatos eſſe vix probabile eſt, quae (non obſtante longe alia et PVFFENDORFFII *L. IIX. C. 3.* argumentatione adverſa) ex ſententia Platonis primum poenarum gradum conſtituunt, unde dicitur errantis poenam eſſe doceri, quod vero illas poenas in aliorum terrorem conſtitutas attinet, eas ex certa hypotheſi I. N. praeceptivi eſſe haud inficiabor.

Convenit I. C.

Poenae meritum ex I. N.

§. XVIII. Haſque poenarum ſpecies iure Evangelii improbatas eſſe, quod PVFFENDORFF, HENNINGES et FELDENVS GROTIO ex *L. II. c. 20.* §. *10.* affingunt, nulla videtur elici poſſe ratione, hanc autem gravior excipit quaeſtio de irrogatione poenarum, an eadem ad iuſtitiam expletricem vel attributricem ſpectet? Dnus FELDEN GROTII ſententiam p. 396. in *annot.* ſequens ad illam refert, quia vero ipſum figmentum proportionis tantum, non vero fontem conventionum et delictorum eius refutatio attingit, hinc contrariae potius ſententiae adhaerere placet, quae huic argumento includi poteſt: Omne debitum ex aptitudine ortum refertur ad iuſtitiam aſſignatricem, ſed O. poena eſt debitum ex aptitudine ortum Ergo. Alius enim fons eſt coventionum ex iure ſtricto naſcentium circa quem iuſtitia expletrix ſuo fungitur officio, alius fons virtutum et vitiorum ex aptitudine deſcendentium circa quam aſſignatrix verſatur, unde patet *mai. prop.* luce ſua radiare, et ex variis inſtantiis ulterius inclareſcet, ſic qui ob eruditionem aliarumque virtutum habitum, aptitudinem a Rege officium petendi habet, ex hac aptitudine Rex ſtricte et praeciſe ei hanc vel illam dignitatem aſſignare tamen non tenetur, licet ob iniuſtam denegationem peccet in illam iuſtitiam, quae circa illam verſatur, ſcil. attributricem, ſic etiam quoad miſericordiae et gratiae officia, nec non quoad odii ex ingratitudine vel maleficio naſcens meritum, tum in publicis, tum in privatis idem obtinet. *Minor probatur*, tum quia *α* ipſum infirmum aptitudinis occurrit vinculum, quod eſt meritum poenae, de quo quaeritur an alter ius puniendi habeat? alter vero aptus vel dignus ſit poena vel ſupplicio? tum quia *β* hic debitor non poteſt adeo ſtricte ad poenam infligendam compelli, prout in iure ſtricto actor ad perſequendum ſuum ius agit et debitor dare vel facere aliquid praeciſe compellitur, hic autem licet, Reo vel facinoroſo debitum ex ceſſante fine vel etiam pro placito, Imperanti remittere, vel exaſperare, vel prorſus etiam condonare ex connexione finium, aut ſi alii ex oppoſito occurrentes fines, clementiam ſuadeant, et licet in poenae merito non infligendo in *dictam* Iuſtitiam incurrat, attamen ex illa cogi nequit, quae coactio in obligationibus ex altero Iuris fonte

Convenit I. C.

fonte deſcendentibus nequaquam ceſſat, et quis non ſentit ἀκυρολογίαν? ſi debitor conventus diceret: Ego remitto tibi factum vel rem debitam. Ius Civile cum merito convenit tum Civilis poenae *§. 12. §. 18. I. d. Act. l. 26. l. 33. d. O. A.* tum criminalis *l. 131. §. 1. ff. d. V. S. l. Sententia C. d. Fidei. l. 28. ff. d. poen. l. 8. §. 4. d. poen. l. 2. §. 1. d. Publ. iud. l. 1. C. d. Fideiuſſ. l. 14. d. rel. et interd. l. 7. ff. d. poen. l. 3. C. de ſerv. fug. n. 134. c. 13.* tum etiam in remiſſione ſeu impunitate concedenda quo facit *l. 7. C. d. prec. Imp. off.* Haecque fuerunt praecepta I. N. affirmativa, nunc ad NEGATIVA ſeu prohibitiones progredior, ad quas refertur.

Inter praecepta Iuris Naturalis negativa. I. Crimen Laeſae Maieſtatis Divinae ex I. N.

XXIX. 1. CRIMEN LAESAE MAIESTATIS DIVINAE quod potiſſimum in blaſphemia, abiuratione et periurio conſiſtit, dum Deum in teſtem et vindicem invocantes fallunt. Is enim qui ex lumine rationis naturam naturantem ob immenſam potentiam, ſapientiam et providentiam eſſe colendam, ſuſpiciendam et adorandam agnoſcit, peccat contra I. N. ſi illum directe iniuria afficiat, imo etiam indirecte ſi per falſos Deos peieretur, quod docent veteres illae iurandi formulae *Tu Iupiter ita illam ferito, ut ego hunc porcum* LIV. *L. II.* et alibi Deos precatus ita ſe mactarent, quemadmodum ipſe agnum mactaſſet *L. XXI.* Sic apud POLYBIUM et FESTUM: *ſi ſciens fallo ita me Dieſpiter eiiciat, ut ego hunc lapidem,* quia ſub falſis notis generali intentione *Numen* intuetur, hinc *verum Numen id* in ſuam interpretatur iniuriam GROT. *L. II. C. 13* ſecus tamen ſi ex *errore,* quo nihil magis conſenſui adverſatur, fluant, error autem non eſt, ſi quis alterius intentionem ſciens diverſum quid ab hac intentione concipere velit, quare verſus OVIDII:

Quae iurat mens eſt, nil coniuravimus illa.

Et mox *Non Ego iurvai legi iurantia verba.*

nec non illud ex EVRIPIDE deſumptum

Iuravi lingua mente iuravi nihil.

Convenit I. C.

ſi ita crude accipiantur, vix vitio carebunt nec obligationem excludent, quia obligatio a iuramento eſt inſeparabilis et eius effectus neceſſarius. Ius Civile fidem iuramentorum non tantum approbat, ſed eius contemptum ceu Deum habentem ul-

 torem,

torem ſumme averſatur *l. 2. l. 1. l. 3. l. 8. C. d. R. C. l. 13. ff. d. iurei. ſ. v. ſ. n. ſ. i. l. 64. pr. d. iudic. l. 11. ſ. d. in lit. iur.* Magiae poena eſt gladius *l. 5. C. d. Malef. et Math.* et blaſphemiae ultimum a Iuſtiniano conſtitutum eſt ſupplicium *N. 77.* An vero iuramentum promiſſioni metu extortae ob vitium in latrone conſiſtens ſit obligatorium? GROT. *L. II. C. 14. §. 3.* affirmat, PUFFENDORFF. *d. I. N. et G. L. IV. C. 2. §. 9.* negat, tum quia vitium eſt in homine cui promittitur, tum quia iuramentum non obtinet vim voti, tum quia nec Numinis honor laeditur vel minuitur reſpectu eius, qui nullum Numen agnoſcit, et denique conſilium praebet conſcientiae ſuae conſulturo, ut is in pias potius cauſas promiſſum eroget, quam latroni fidem ſervet; ſed dictae rationes, non videntur, ratione a Grotio allata, praegnantiores eſſe, quae in eo vertitur, quod obligatio non cum ſolo homine, ſed etiam cum Deo intercedat.

2. Atheiſmus ex I. N.

XXX. 2. ATHEISMUS Hic tum ob Divini Numinis cultum et Religionem I. N. praeceptam prohibetur, tum ob conſervationem ſocialis naturae nequaquam toleratur. Atheus enim qui nullam providentiam divinam imo nullum Deum ſtatuit, deſtruere etiam naturam naturatam videtur, quia cum eiusmodi homine nullum foedus, nulla fides, nullum humani conſortii vinculum ſoli naturali pudori ac conſcientiae relictum contrahi poteſt, ut puta qui nullum internum tortorem, nullum facinorum vindicem ſibi conſciorum extimeſcit, nullamque divinam Nemeſin exhorreſcit: an vero ſubtilis ingenii nota ſit illa diſtinctio: qua dicitur Atheus a Deo, in cuius non conſenſit imperium, puniri, non ut ſubditum, ſed ut hoſtem, aliorum cenſurae relinquo, quaſi vero Creatoris imperium e conſenſu miſerae abiectaeque glebae, eque beneplacito alterius productae Creaturae pendeat? nec eo deficiente ob male ſanum et helleboro dignum ſyncipüt poteſtas poena afficiendi, ſed quaſi cum pare bellum tantum incundi facultas detur? idem bello, in quo muri cum leone aut elephanti cum atomis depugnandum foret, ne quidem ullo eſſet conforme modo, quis enim bellum ſine cauſa externa et interna concipere poteſt? Sed mitto indigna examine, difficiliori, ſe offerren-

te

Digitized by Google

te inquiſitione; an violatio Sabbati Atheiſmum ſapiat? GROTIO in peculiari tractatu *de Sabbato et L. II. C. 20. §. 45. 2. d. I. B. et P.* affirmativa placet, cui inſervit quoque in comporabilis eius diſcurſus, *de Veritate Religionis*; quia Sabbati violatio ex inſtituto continebat abnegationem mundi a Deo creati. Ius Civile Atheiſmum ut execrabilem omnino deteſtari, tum ex Imperatoris Iuſtiniani confeſſione aſſerentis: dari Deum, cuius divina Providentia mundi Elementa proceſſerunt totius, eorumque diſpoſitio vaſtum in orbem terrarum producta eſt *pr. d. concept. digeſt. ad Tribon. nec non in conf. ff. et C. ut et l. 1. et 2. C. d. vet. iur. En,* tum ex ſaepe iterata nominis Divini Numinis praemiſſione in Nomotheſia *l. 1. C. d. off. praef. Afr. N. 17.* et *alibi* manifeſte apparet. Convenit I. C:

XXXI. 3. INCESTVS, SODOMIA et PECCATVM CONTRA NATVRAM, de his ratio in promtu eſt, de inceſtu vero GROTIVS *L. II. C. 5. §. 12. et 13.* variis excuſſis rationibus concludit; quemque experiendo experturum fore, quam difficilis ſit inquiſitio, nec PLATONIS in *4. d. LL.* propoſitas rationes ſufficere ſubiicit BORCHOLT. *ad t. 10. i.* ſed pudorem potius naturalem hic inſpiciendum eſſe ſuadet uterque quem facilius detegere nequeo, quam ſi ab animali occipiens in rationali ſubſiſtam natura, quia ex inſito quodam horrore eiusmodi averſatur congreſſus natura animalis, quae hunc errorem quibusdam etiam brutis indidit, cuius rei camelus cooperta matre cognita camelarium occidens, et equus matri admiſſus delapſo operimento praerupta petens nec non alius reclinato capite genitalia ſibi amputans, vivum praebet exemplum, et plura recenſet HIER. RORARIVS *in opuſculo quod animalia bruta melius homine ratione utantur.* Hanc quibusdam tantum animalibus brutis inſitam averſationem, ſenſibili naturae humanae univerſae ceu inſciam quandam huius commixtionis natura inſevit fugam, cui horrori deinde ratio accedens ceu vetitos hosce coitus damnat, et honeſti maxime atque verecundiae amantiſſima *a* prohibet in linea recta in infinitum matrimonium, ne partes, quas verecundas voluit et rectas, ab illis, quorum maximus pudor ſit, promiſcue detegantur, abomina-

3. Inceſtus, Sodomia & peccatum contra naturam ex I. N.

minabilis enim eſt actus maculare uterum in quo natura aliquem honeſte formavit, infantis quem inſtar repetere prout impoſſibile naturaliter, ſic mariti iure, filio repetere moraliter turpe erit: quoad puellam perinde quoque interdicitur, ne id ſemen, unde ipſa prodiit, ut alios progeneret, recipiat. β In linea collaterali, qui e latere ſe proxime ac calenti velut ſanguine tangunt, et ita abhorrent a commixtione cum fratribus et ſororibus, ut ne quidem libidine ulla unquam titillemur, aut cogitatione eius ſollicitemur, quam natura ipſa quemvis ſentire interdictam niſi quem Furiae agitent! praeclare diſſerit SIMPLIC. *in Enchirid. Epiſt.* RITTERSH. *in ad T. d. Nupt.* Haſce commixtiones I. N. inceſtum involvere negat SALMASIVS et PVFENDORFF. *L. VI. C. I. §. 34. d. I. N. et G.* quia non eſt veriſimile, Deum eiusmodi cauſam procuraſſe ut vis in ſpecie humana propaganda alio deficiente medio Naturae inſerretur, cum tamen nulla neceſſitas Deum ſubigeret, unum tantum par hominum creare. Sed ad hanc damnabilem curioſitatem inquirendi et reprehendendi creationis cauſas convolare nollem, et quidem in quibus ratio manifeſta eſt, nam Deus voluit, ut ex uno homine et una ſtirpe totum et univerſum genus humanum originem duceret, ſique cognationem aliquam conſtitueret *l. 3. D. d. I. et I.* Nam ſi duo vel tria paria creata fuiſſent, tum bella cum ipſo mundo coepiſſent, et mundus inter initia mundi eſſet extinctus, nec hiſce connubiis videtur vis, initio mundi, illata naturae, quia non ex prava libidine et contrariis naturae ſtimulis irritati, coitus amplexi ſunt illicitos, ſed ex certa circumſtantia ob amorem univerſi, ne ſpecies humana interiret, pro licitis recte habentur matrimoniis, quae hac circumſtantia ſublata illicita ſunt et inceſtum I. N. conſtituunt.

Convenit I. C.

XXXII. Cum hac prohibitione I. N. convenit I. C. pariterve matrimonium in linea recta in infinitum prohibet *§. 1. i. d. Nupt. l. 53. ff. d. R. N.* ſive deſcendentes legitimi et iuſti ſive ſpurii et vulgo quaeſiti ſint *l. 54. ff. d. t.* ſive naturales ſive adoptivi *l. 14. l. 55. d. t. l. f. eodem.* In linea transverſa inter fratres et ſorores et eas perſonas, quae parentum liberorum-

ve

ve locum obtinent §. *2. 3. 5. i. d. Nupt. l. 17. §. 2. ff. d. R. N. l. 4. l. 6. et Auth. ſeq. C. d. inceſt. et inut. nupt.* quomodo autem ab illo ſcelere abhorreat, ubi ſexus perdidit locum, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaeritur, nec videtur, vide *l. 31. C. ad* L. *Iul. d. Adult.* §. *4. I. d. I. P.* 4. VIOLATIONEM THORI ALIENI fides matrimonii excludit, coniunctionem enim maris et foeminae tantum, natura prolis certae, nec ex quolibet vago concubitu promiſcuae, voluit, coniugibus interim corporis uſum conceſſit, et contra alios inviolabilem cuſtodiam iniunxit, haec cuſtodia laeſa reddit coniunctionem moraliter turpem, tum quia non licet fidem matrimonii fallere, tum quoque quia ob prolis ex vago concubitu natae incertitudinem, ſanguinisque confuſionem in Rempublicam, familiam, ſtatus et dignitatis ordinem plurima irrepunt incommoda.

4. **Violatio thori alieni ex I. N.**

XXXIII. De quaeſtus cauſa commiſſo adulterio BACHOVIVS Ariſtotelis mentem ad *Tit.* 1. *I. d. I. et I.* explicat *aſſerentis:* illum non peccare, quia pro opera mercedem accipit, nec meretricem alterius libidinem pro mercede explentem, aliter, quam in Iuſtitiam particularem, peccare, libidinis autem cauſa matrimonii foedus ſolventem, in univerſalem Iuſtitiam iniuſtum eſſe. In ſenſu tamen iuridico, quoad civiles effectus, utrumque convenit, quoniam utrumque ſanctiſſimum nuptiarum vinculum disrumpit, et prout cuculus ova ſua excludenda currucae imponit nido et perdices aliena ſibi ſupponunt, ſic hoc in maleficio falſus et ſuppoſititius partus familiae mariti intruditur, eoque gravius hoc crimen (dum non extra corpus, ut reliqua, committitur, ſed ipſum corpus maculat) cenſeri exiſtimat MYNSING. a FRVNDECK *in Com. ad* §. *4. I. t. d. P. I.* Quamobrem ad exaggerandam eius gravitatem Macrinum *authore* IVLIO CAPITOLINO milites hoſpitis ſui ancillis corruptis duobus mirae magnitudinis bobus ſubito exenteratis incluſiſſe et quidem capitibus exſertis, ut ſecum colloqui poſſent; imo Aurelianum referente FLAVIO VOPISCO ad militis pedes, ob commiſſum cum hoſpitis ſui uxore adulterium, duarum arborum inflexa capita deligaſſe, ut ſubito iis dimiſſis ſciſſus ille

 utrin-

Convenit I. C. utrinque penderet, refert BORCH. *in Com. ad d. §. I.* Convenit cum hac prohibitione Ius Civile, quod non tantum matrimonium violari ſed et ſpem eius impediri vetat *l. 6. §. 1. ff. d. Adult.* in mulieribus *l. 34. l. 13. §. 3. eod. l. 101. d. V. S. l. 22. l. 29. C. d. Adult. §. 4. I. d. P. I.* quae poena in mulieribus mitigata eſt a Iuſtiniano *Auth.* Sed hodie *C. ad. L. I. d. Adult. N. 134. c. 10.* poſt Iuſtinianum conſtitutum eſt ut adultero Viro et Vxori naſus abſcinderetur *l. f.* ad dict. Tit. C. et N. Leon. 32.*

5. Homicidium ex I. N. XXXIV. 5. HOMICIDIVM, cuius ſpecies eſt, *Parricidium,* quod merito aſperrimo ſupplico vindicandum, dum viperina indole praeditus vitam eripit vitae ſuae authori, quae crimina non tantum turbant, ſed quam maxime etiam ſocialem naturam deſtruunt, ut propterea naturalis ratio eadem quoque ad conſervandum genus humanum graviſſimis poenis (:tum ut iuſtitiae ſatisfiat et alii formidine earum deterreantur:) vindicanda eſſe dictitat. Sanguis enim ſanguinem elicit, quia nullam vim graviorem deteſtabilioremque quis reperiet, quam eam, quae ſanguinem humanum effundit, caedibusque et luctu graſſatur et rempubl. civibus orbat DAMH. *in Tract. c. 67.* WESENB. *parat. in L. libros ff. cum notis* BACH. *et* HERMETIS *et obſerv. Theoretico practica* HENRICI HAHNII *ad L. Corn. d. Sic.* Vt adeo inepte quidam adhuc dubitent: an de I. N. haec poena usque ad mortis ſupplicium extendi queat? quia non iniquum eſt, ut, quantum quisque fecit mali, tantundem patiatur, et recte quemque de alieno cogitantem, iuſtiſſima patiendi vice ſuo excipere ſupplicio, probat Seneca. Qua naturali aequitate inductus, Cain homicidii ſibi conſcius, ſibi ipſi de mortis merito ſententiam ferebat, et neque incongrue ob impunitatem huius criminis in foro ſoli ſaepe conceſſam, in foro poli aliquod iudicium futurum, ex ſolo lumine rationis, colligi, quidam ſequenti modo concludunt: Si Deus, tum Ens quoque eſt in omni Virtute perfectum, ſi in omni Virtute, tum in iuſtitia quoque, ſi in hac, tum enormia crimina in hisce iudiciis occulta vel occultata in alio puniet iudicio. Quomodo ergo in Bello homicidium erit licitum? Reſp. praeſuppoſita cauſa belli iuſtifica, non ſuaſoria, de qua, bonus Civis,

pro

Digitized by Google

pro Principis ſui actionibus praeſumens, theoretice dubitare, practice autem certus eſſe poteſt, multos ſiquidem iniuſtitiae cauſae latere poteſt, prout inter privatos multi bona fide litigare ſolent GROT. *L. II. C. Vlt. §. 4. d. I. B. et P.* Cum prohibitione homicidii convenit I. C. ita ut eam poena L. Corn. de Sicariis muniat *t. t. ff. et C. ad. L. Corn. d. Sic. §. 5. I. d. P. I.* Circa poenam vero Parricidii mire variatum eſt. Nam initio poena erat, ut parricida virgis ſanguineis verberatus culeo inſueretur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera et ſimia *l. 9. ff. ad L. Pomp.* Huius poenae primum *exemplum* rex Tarquinius in M. Tullium Duumvirum, ob librum civilium Sacrorum, ſuae cuſtodiae commiſſum, divulgatum, Sabinoque Petronio deſcribendum datum, ſtatuit. Deinde L. XII. Tab. inſertum hiſce verbis: QVI PARENTEM NECASIT, CAPVT OBNVBITO COLEOQVE INSVTVS IN PROFLVENTEM MERGITOR. Poſtea L. Pompei. eadem coepit eſſe, quae L. Corn. de Sic. poena eſt *arg. l. 1. ad L. Pomp. d. parr. l. 2. §. 32. ff. d. O. I.* donec omiſſa virgarum ſanguinearum mentione antiqua fuerit poena *l. un. C. d. his qu. lib. vel par. occid.* quam et Iuſtinianus approbavit *§. 6. i. d. P. I.* et in foro Saxonico adhuc viget excepta ſimia, cuius loco felis ſubſtituitur, quod *ad l. un. C. d. his qu. Par. vel. Lib. occid.* IOHANNES BRVNNEM. *in Comm.* adiicit, adde de *crimine et poena parricidii* THOMAM MEZTGERVM *Conſ. crim. 6. et de crimine et poena infanticidii* SIGISM. WITTVM. *Conſ. Crim. 4.* Ratio ob quam haec animalia in poenam adhibita ſunt, quoad viperam ex PLIN. *L. X. C. 62.* petitur, quod viperae mas caput in os inſerat, quod illa voluptatis dulcedine abrodit, tertio die intra uterum catulos excludit, deinde ſingulis diebus ſingulos parit viginti fere numero, caeterae itaque tarditatis impatientes perrumpunt latera occiſa parente. Ratione ſimiae itidem ex PLIN. *L. IX. C. 26.* dicunt: eam geſtantem catulos in domo manſuefactos omnibus monſtrare, contrectandos praebere, ſicque oblectando necare, quod canem et gallum attinet, BACHOVIVS nullam *ait* dari rationem, an quia matrem et prolem inceſtant? ſed hoc etiam reliquis dicit eſſe commune animalibus

Convenit L. C.

6. Dolus ex I.N. XXXV. 6. DOLVS IN ACTV POSITIVO *ſive in verbis ſive in rebus* conſiſtat, Iure Naturae prohibitus eſt. Cum enim Lex Naturae pacem quantum commode fieri poteſt ſervari, aut ruptam ſarciri iubeat media quoque ſine quibus hic finis obtineri nequit, iubere, et contraria prohibere intelligitur, alias in pacem coire aut pacem conſervare citra diffidentiae et doli ſuſpicionem impoſſibile eſt, circa pacem idcirco tum componendam, tum retinendam, de dolo vitando et veritate adhibenda obligatio quaedam tacite ineunda eſt: in quonam vero dolus tum in ſermone tum in facto conſiſtat? I. N. Interpp. non conveniunt, plurimi *dolum in ſermone* in externi ſigni, ad indicanda animi ſenſa ſufficientis, et mentis diſcrepantia, verbo: in adempta vi iudicatrice, eſſe, ſibi perſuaſum habent, ſed hac ratione medicus in utilitatem veletudinarii, orator in ſolamen moerore confecti, Princeps in ſalutem populi falſas adhibens orationes dolum in ſermone committeret? quod tamen nequaquam affirmandum eſt, placet idcirco potius ex ARISTOTELIS ſententia *L. I. Polit.* ita argumentari: Natura homini ad ſocietatem ineundam et retinendam varia media, inter alia, haud viliſſima, ſermonem dedit, quo, ſi ut medio utetur, licitus erit, nec ullus in eum cadet dolus, ſi vero eum in quendam huic medio adverſum adhibebit uſum, illicitus, et dolus in actu poſitivo committitur e. g. ſi infanti in platea erranti aliam adhuc falſo monſtrarem viam, eumque maiori implicarem errori, quamvis vis ei iudicatrix deſit, et GROTIVS *L. III. C. 1. §. 12.* ob libertatem iudicii deficientem eis iniuriam fieri perneget. Idem iudicium *de dolo in re ſeu facto* conſiſtente eſto, veluti ſi praedones religionis vel exequiarum funebrium praetextu, veſtitu induti monaſtico ſub cuculis ſicas occultantes, depraedandi animo urbem ingrederentur Pontificiorum, vel ſi nauta aliquis de fide non ſuſpectus, hoſtes ſub mercibus latentes, ad occupandum propugnaculum, clam eo transveheret; utriusque igitur huius doli prohibitioni includuntur corruptiones, oppugnationes et ſollicitationes ad perfidiam execrabilem, quae hominem homini inſociabilem, Deo autem inviſum reddunt. Cum hac pro-

Convenit I. C. hibitio-

hibitione convenit I. C. quod pariter omnem machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam interdicit *t. t. ff. et C. d. dolo malo t. t. ff. d. dol. mal. et met. exc. l. 36. d. V. O. l. 5. C. d. inut. ſtip. l. 5. C. d. reſci. vend. §. 31. praeterea i. d. act. t. t. ff. ad L. Cornel. d. Falſ. l. un. C. d. mut. nom. inſign. l. 2. C. d. falſ. mon.*

XXXVI. 7. TYRANNIS ſicut veneratio maieſtatis ex I. N. praecipiente derivatur, ſic animus hoſtilis regis in excidium, interitum, everſionemve totius populi, tendens ex I. N. prohibente exulare debet, nec eiusmodi animus *ait* GROTIVS vir tranquillitatis publicae amantiſſimus *L. l. C. 4. §. 11.* de rege mentis compote praeſumi poteſt, hunc tamen animum perdendi tum praeſumi poſſe ſtatuit, ſi rex aliquis pluribus imperet populis qui unius in populi gratiam alterum velit perditum, ut colonias ibi faciat; quod ſi hoc etiam fiat, ulterius adhuc *diſtinguendum* eſſe *exiſtimo:* an id ex cauſa *poenali?* an vero ex *odio tyrannico* fiat? ex *hac*, non *illa* cauſa, ceu in publicos totius populi profeſſos hoſtes quilibet homo *miles* eſt, cum voluntas *ſervandi* et *perdendi* ſimul ſtare nequeant. Ius Civile nihil quidem hic expreſſe decidit, argumento tamen variorum iuris textuum nec non ex *l. 2. quand. lic. un. ſin.* haec convenientia elici poteſt. 8. CRIMEN LAESAE MAIESTATIS HVMANAE. Quo enim modo I. N. imperantibus Tyrannidem interdicit, eo quoque a ſubditis omnem violationem removet, et ubique eius ſecuritas ceu multorum patens odiis tot ſeveriſſimis ſanctionibus, legibus et ſuppliciis munitur. Eſt enim populus ex eorum corporum genere, quod ex diſtantibus conſtat, unique ſubiectum eſt, quod habet ἕξιν μίαν ſeu unum ſpiritum, is autem ſpiritus ſeu ἕξις in populo eſt vitae civilis conſociatio plena atque perfecta, cuius prima productio eſt ſummum imperium, vinculum per quod Reſp. cohaeret, ſpiritus vitalis quem tot millia trahunt *Sen. L. I. de Clem. C. 4.* GROT. *C. II. C. 9. §. 3. d. I. B. et P.* hoc vinculum ergo inviolabile eſſe, nemo, cui mica ſalis ineſt, inficiabitur. Ius Civile adeo firmat hanc prohibitionem, tantamque huius criminis atrocitatem agnoſcit, ut memoria defuncti damnetur, bona fiſco

[Margin: 7. Tyrannis ex I. N. — Convenit I. C. — 8. Crimen Laeſae Maieſt. humanae ex I. N. — Convenit I. C.]

na fiſco addicantur, heredes, in quibus paterni facinoris ſemina quaſi propagata cenſentur, eiusmodi graviſſima poena afficiantur, ut perpetua egeſtate ſordentibus, vita ſupplicium ſit, mors vero ſolatium, *l. 5. l. 6. l. pen. l. ult. C. ad L. Iul. Mai. l. 34. et ult. ff. h. t. l. 20. d. accuſ. l. 10. §. 1. d. quaeſt. l. 1. D. d. cadav. pun.* Remiſſior tamen poena eſt in iis factis quae ad imminutionem maieſtatis ſpectant. *l. 2. C. d. priv. carc. l. 2. C. d. falſ. mon. l. un. C. ſi qu. Imp. maled.*

9. **Furtum ex I. N.** XXXVII. 9: FVRTVM Dominio ſiquidem iure Naturae quoad uſurpationem I. G. vero (ex aliorum mente) quoad poſſeſſionem, vel I. N. materialiter I. G. autem formaliter et magis explicite introducto, Ius Naturae nefas eſſe dicit, alterius rem Domino invito eripere, vel eius uſum intervertere, quam in rem ICtus furtum naturali iure prohibitum eſſe ait *l. 1. D. d. furt.* **Convenit I. C.** *Quod I. C.* non tantum approbat *§. 1. i. d. o. q. e. d. o.* ſed diſtinguit quoque delicta naturalem turpitudinem habentia a delictis civili laborantibus infamia *l. 42. d. V. S.* ANTH. MATTH. *ad L. II. in verb. qu. furt. ff. d. his qu. inf. not.* Quam naturalem turpitudinem male ALCIATVS impugnare nititur, eandem ad ius poſitivum referens, cui nequaquam adminiculatur GELL. *L. XI. N. A. C. 18.* qui apud Spartanos et Aegyptios furta impunita fuiſſe recenſet, tum quia non derogant I. N. unius gentis barbara inſtituta, tum etiam quia nec Spartani nec Aegyptii ſimpliciter approbarunt furta, ſed eadem reſtricto ſaltem aliquo modo permiſere. Et ipſe GELLIVS teſtatur de Spartanis eadem ob exercendam et acuendam militarem induſtriam fuiſſe conceſſa, nec omnibus, ſed tantum iunioribus teſte XENOPH. *in deſcript. Reip. Spart.* De Aegyptiis autem ſcribit DIOD. SICVLVS *L. 1. P. 2.* Legem eis fuiſſe, ut qui furari vellet, nomen ſuum profiteretur apud Archifurem et quaſi praefectum furum, ad quem res furto ablatae afferendae erant, quae Dominis detracta quarta parte reddebantur, et quia legiſlator hanc naturalem prohibitionem optime ſibi perſpectam habens, in Rempubl. vitio pravae diſpoſitionis introducere non potuit, hinc de ratione et modo ſollicitus fuit, ut domini paſſi exiguum damnum quaſi in poenam negligentiae res

ſuas

Digitized by Google

ſuas recuperarent, ac proinde has gentes furta approbaſſe nequaquam apparet. Quamobrem etiam I. C. aliarum civitatum huic prohibitioni certas adiecit poenas. Nam Athenienſes ex legibus Draconis capitali fures afficiebant ſupplicio, quae poena ceu nimis acerba a Solone mitigata et in mulctam pecuniariam dupli, etiam in furto manifeſto, transfuſa eſt. Decemviri alteram nimis rigoroſam alteram vero nimis remiſſam animadvertentes diſtinxerunt: diurnum furtum a non manifeſto, ac de utroque ſic in L. XII. Tabb. conſtituerunt: *Si luci furtum faxit, ſim aliquis endo ipſo capſit verberator, illique cum furtum factum eſcit, adicitor. Servus virgis caeſus ſaxo deicitor. Impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.* SI ADORAT FVRTO QVOD NEC MANIFESTVM ESCIT *duplione decernito.* Praetoribus tamen et haec poena manifeſti furti ſeverior viſa eſt in libero homine, hinc eandem commutarunt in poenam quadrupli §. *5. i. d. o. q. e. d. n.* Naſcitur et condictio furtiva ex furto *l. 3. ff. d. cond. furt.* nec non poena extraordinaria *Auth. ſed. Nov. iur. C. d. ſerv. fug. N. 134, c. ult.* Haecque de iure utroque affirmative et negative praecipiente dicta ſint, circa quod Ius Civile nullam, praeter adſiſtendi, detegendi, confirmandique poteſtatem habet. Iam ad permittens progredior, a quo ob liberius ſpatium tam Iur. Civ. tum moribus etiam noſtris (quos obiter interſpergam) citra aequitatis laeſionem reſiſtere et adſiſtere licebit. Sit igitur in I. N. permittente

In Iure Naturae permittente occurrit

XXXVIII. 1. PATRIA POTESTAS. Reverentiam paternam et debitum de alendis liberis I. N. praeceptum et per conſequens neque a I. C. mutatum ex th. 18. apparet, cui immutabilitati neque reſtrictio alimentorum ad legitimos, excluſis inceſtuoſis eque vago natis concubitu hic obſtat, nam illos nec natura agnoſcit, horum vero pater incertus eſt, ſicut Ariſtippus ſcorto dicenti ſe ex ipſo gravidam eſſe reſpondit; non magis eam hoc affirmare poſſe, quam poſſet, ſin per ſenticetum tranſiviſſet, deſignare ſpinam certam, quae ipſam pupugiſſet. Convenit factum Diogenis Cynici illud, quendam e ſcorto natum, cum in circumſtantes lapidem immittere vellet monentis, ne

1\. Patria Poteſtas ex I. N.

tis, ne

tis, ne forte patrem feriret, videret, ob prolis idcirco parentumque incertitudinem nullum debitum alendi aſſignans parentibus. I. N. a iure Civili non mutatum eſt, nec mutari potuit. Hanc vero patriam poteſtatem ceu ex I. N. permiſſivo fluentem ſaepiſſime Ius Civile modo extendit, modo coarctavit. Ratio diverſitatis in promptu eſt, quia haec non ſicut reverentia paterna praecipitur, ſed ſaltem ceu I. N. praecipienti non repugnans liberos vendere, oppignorare, perque eos aliquid acquirere permittitur, hinc Leges Romanae antiquae confiſae amori et affectui parentum ſine exceptione liberos parentibus ſubiectos eſſe voluerunt et venundandi, et, ſi vellent, interficiendi impune ius dederunt. Cum vero hac poteſtate multi abuterentur, quia vincula caritatis concordium, apud infenſos incitamenta irarum erant, hinc dies et conſuetudo humanior ſub Impp. illam acerbitatem impietatis nomine damnarunt et cum patres, non domini liberorum dicantur, in pietate potius quam atrocitate hanc poteſtatem conſiſtere iudicarunt SIMPLICIVS *ad Epicteti Enchiridium* DION. HALICARN: *L. II. Antiq. Rom.* BORCH. *adt. i. d. P. P. l. 1. C. d. infant. expoſ. N. 153. t. t. C. d. P. P. l. 1. l. 2. C. d. patr. qu. filios diſtrax. l. 6. §. 3. C. d. bon. qu. lib.* et dicitur poteſtas familiae et ſacra patris *l. ult. C. d. inoffic. Teſtam. l. 8. C. d. curat. fur. l. 11. C. d. don. l. 20. C. d. Nupt.*

2. Poteſtas Dominica ex I. N.

2. POTESTAS DOMINICA. Primaevo naturae ſtatu ſervi nulli fuerunt, quamobrem contra naturae intentionem ſervitutes introductas eſſe in iure paſſim occurrit, quia nullum ſibi vindicat locum priusquam quis pacto vel delicto ſua libertate excidit. Iure Naturae enim non repugnante quivis pacto libertatem ſuam in alium transſcribere poteſt, imo prolem etiam hoc modo ut ſervilem alicui addicere haud iniquum eſt, ſi dominus pro perpetuis operis perpetua alimenta promittat, nam tum perpetua illa obligatio compenſatur perpetua alimentorum certitudine, quam ſaepe non habent qui diurnas locant operas. Ex delicto in naturali ſtatu, non aliter, quam per modum belli captus in poteſtatem capientis conſentiendo tranſit, qui ob vitam perpetuo donatam perpetuo libertatem tum ſui ipſius tum liberorum (qui circa hunc con-

ſenſum

ſenſum ob parentum interfectionem haud eſſent nati) in alium transferre videtur. Qualis autem et quanta poteſtas dominis natura approbante tribuenda ſit? haud vilior videtur eſſe alga quaeſtio, in qua diluenda primum amoliendi ſunt, qui ius vitae et necis eidem ineſſe contendunt. Sive enim extra civilem ſocietatem, ſive in ea dominium conſiderem, id ius tamen dominis denegandum eſſe extra dubitationis aleam poſitum eſſe nemo negabit. Concipiat enim ſibi quis aliquem herum (extra civitatem) ſegregem, illi tamen ex recta ratione hoc ius tribuere non poterit, ſed tale intelligitur exercendum eſſe, quale in naturam congenerem excluſis uſibus homine indignis convenit, quod multo minus in bene conſtitutis civitatibus hero concedendum, et non niſi vicaria poteſtate, eaque legiſlatione civili expreſſa, id, quod ſummi imperii proprium erat, ſubordinato tribuendum erit.

XXXIX. Ius Civile hos duos Poteſtatis Dominicae acquirendae modos approbare et alios ex civili ratione ceſſante abrogare videtur *§. 4. I. d. I. perſon. l. 14. ff. d. poen. l. 6. §. 1. ff. d. Agnoſc. et alend. lib. l. 21. pr. qu. met. cauſ. l. 8. §. 4. ff. d. poen.* qui modus ſublatus per *N. 22. c. 8.* TVLDEN *ad l. un. C. d. SC. Claud. toll.* Hiſce modis conſtituto dominio dominis magnam vicaria poteſtate in ſervos initio conceſſit facultatem, haec vero laxa licentia Reipubl. Romanae tot homicidia et nefanda crimina peperit, quae nemo quis ſine horrore et ſtupore apud LIPS. *L. II. Saturnal.* leget. Quoties enim a privatis ultra centum theatro gladiatores exhibiti? et quot myriades mutuis ſe, populo oblectando, vulneribus ita conficientes truculento ſane ſpectaculo abſumptae ſint ſilentii iam involvam ſipario, ſed Vedium Pollionem, Civem Romanum genere libertinum murenas in piſcina ſua carne ſervorum alentem inſtar omnium hic nominaſſe ſufficiet, et ne quis reos gravium criminum iis obieciſſe putet, puerum enim qui caſu vas criſtallinum fregit, occidi iuſſit DION. CASSIVS. *L. LIV. Hiſtor.* vid BACH. *Comm. ad T. I. de his qui ſui vel al. Iur.* Hic dominicae poteſtatis abuſus enormis movit Maieſtatem Romanam, vt ad eam denuo, unde fluxerat, rediret ſcaturiginem, caſtigatione mo-

Convenit I. C.

 dica

dica dominis privatis relicta §. *1. et 2. I. et l. 1. §. 1. §. 2. ff. de his qui ſui vel al. Iur. l. 1. §. 2. Ad L. Corn. d. Sic. l. un. C. d. Emend. Serv.* Sic conſtitutae ſervitutes diſſolvebantur manumiſſionum modis tum publicis tum privatis §. *1. §. f. Inſt. d. Libert. l. un. C. d. Lat. Lib. tollend. t. t. ff. et C. d. man. vind. t. t. C. d. Man. in Eccleſ.* Ex hac manumiſſione naſcebatur libertinitas quae ſalvo patronatus iure in ingenuitatem converſa eſt *N. 78. iunct. Auth. C. d. Iur. Aur. ann. et nat. reſt.* Iura haec ſervitutum et manumiſſionum chriſtianis ſunt incognita, quia quaſi membra ſunt *ait* NYNSING. A FRYNDECK unius civitatis. Quare in bellis etiam capti, ob naturalem poſtliminio reuerſam libertatem, non detruduntur in ſervitutem, ſed tamdiu detinentur donec λύτρον vulgo *die* rantion perſolutum, aut ſub iuratoria cautione vel fide iuramenti illud promiſſum fuerit. In bellis autem contra Saracenos, Turcas et Tartaros ſervitutum iura adhuc exercentur *R. A. Anno 1526. 1527. 1557. §. und mag. ibi. in ſeine tyranniſche Gewalt und Dienſtbarkeit zu zwingen.* ALBERIC. GENTIL. *L. I. C. 9. p. 10. in m. d. I. B.* MOLINA *L. I. Diſp. 117. n. 4. T. 1. diſp. 33. n. 2.* STAMM. *d. iur. perſ. L. I. C. 3. n. 15. C. 4.*

3. **Dominium ex I. N.**

XL. 3 DOMINIVM TERRAE et *earum* rerum, quarum nullus datur uſus ſine abuſu inque applicatione corporali conſiſtunt, quae ipſa alios omnes a facultate habendi excludit ſive ſponte naſcantur, ſive ſudore et labore humano parentur, quarum omnium dominium homini non per conventionem aut diviſionem, ſed ex naturali addicitur ratione. Quocunque enim quis modo hominem prodiiſſe ſibi fingat, ex eius tamen ſe conſervandi efflorescente appetitu, imo ex ipſa natura nihil fruſtra, ſed ob certum finem producente omnia dominium et uſum fructuum ſponte naſcentium ei competere colliget, hocque evidentius fructus induſtriales comprobant. Cum ipſis enim primordiis hos alteri eripere, ex arvis excultis alium eiicere, ex tuguriolo, quod neceſſitas cum ipſo mundo, ob coeli iniurias depellendas, exſtruendum docuit, contexentem expellere, vel veſtem ob frigus ſeu inclementiam aeris ſuſtinendam conficienti adimere, naturalis ratio iam ante originem vel exiſtentiam ullius pagi, vici, urbis, vel gentis pro-

tis prohibuit, ne ſe ſocordiae aut malitiae mancipans alterius induſtria quaeſitis fructibus ſolari queat. Vnde ergo ante conventionis vel diviſionis (a gentibus conſcriptas) tabulas huiusmodi prohibitio? Vnde illud ante gentes, aque gentibus introductum dominium, *ne concupiſcas, ne furtum facias, neminem laedas* interdictum manavit? GROTIVS *L. II. C. 2. §. 2. d. I. B. et P.* egregie ſane proprietatis exordium Deo tribuendum eſſe docet, qui eam generi humano in res huius univerſae inferioris naturae ſtatim a mundo condito, atque iterum mundo poſt diluvium reparato, contuliſſe ibidem dicitur. Vt adeo merito quis miretur praelaudatum authorem, qua ratione ſolida hac argumentatione neglecta, ad ſomnia poetarum de ſeculo ſaturnino, ſtatum communionis et cauſas, ob quas ab hac communione et quibus modis receſſum eſt, dilabatur? Quam de communione controverſiam PVFFENDORFFII *L. IV. C. 4. d.* Origine dominii de I. N. et G. propoſita diſtinctio: *communionis negativae et poſitivae* penitus non abſolvit. Praeclare tamen Illuſtris et Magnificus Dominus PRAESES, Mecaenas omni obſervantiae atque honoris cultu proſequendus in incomparabili Diſſertatione de Imperio Maris *c. I. th. 9.* in cauſam huius de communione natae opinionis inquirit, hancque ex LACTANTII capite 5. *de iuſtitia* tradit, cuius verba haec ſunt: *Cum Deus communem omnibus terram dediſſet, ut communem degerent vitam, non ut furens et rabida avaritia ſibi omnia vindicaret, nec ulli deeſſet quod omnibus naſceretur. Quod Poetae dictum ita accipi oportet, non ut exiſtimemus nihil tum fuiſſe privati, ſed more Poetico figuratum, ut intelligamus tam liberales fuiſſe homines, ut natas ſibi fruges non includerent, nec ſolis abſconditis incubarent, ſed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent: nec mirum cum promptuaria iuſtorum benigne paterent omnibus, nec avaritia intercipiens beneficia divina, famem ſitimque vulgo faceret, ſed omnes aequaliter abundarent, cum habentes non habentibus large copioſeque donarent.*

XLI. Dominium Iuris Civilis naſcitur ex poſſeſſione, poſſeſſio ex titulo, tituli autem ſunt vel I. G. vel I. C. Ex Iure Gentium tres traduntur *a* Apprehenſio, cuius ſpecies Oc- **Dominium ex I. C.**

 cupatio

Digitized by Google

cupatio et Traditio. 1. *Species* ſeu Occupatio eſt vel rei aniamtae vel inanimatae huiusque vel ſub terra vel ſupra terram §. *12.* §. *13.* §. *14.* §. *15. I. d. R. D. et A. R. D. l. 51.* §. *1. ff. eod. l. 5.* §. *1. ff. d. Captiv. et Poſtlim.* §. *18. I. d. t. l. un. C. de Theſaur. X. l. 31. ff. d. A. R. D. l. 10. l. 48. d. Uſufr. l. 30.* §. *f. d. V. S. l. f. C. d. paſc. publ. et priv. l. 3.* §. *f. de Reb. eor. qui ſub. tut. l. 3. C. d. metallar. et metall. procur. metall. XI. l. 7.* §. *13. ff. Sol. matr. l. 1. quod cui. Un. nom. l. 5.* §. *1. de Reb. eor.* Circa hanc primam apprehenſionis ſpeciem hodiernis moribus tanta emendatio, correctio et mutatio inducta eſt, qualis circa ullum alias apparebit titulum. Nam quoad res animatas venationes propriae ſunt factae ſummarum poteſtatum adque regalia relatae noſtro idiomate vocantur bannum ferinum *Wildbann* et dividitur in ſuperius *die hohe Iagt*, ac inferius *des kleinen oder mindern Wildprähts oder minder Weidwerck*. Quanquam Principes hanc libertatem naturalem bene meritis ex certo quodam privilegio reſtituere ſoleant, attamen circumſcriptum id ipſum eſt *reſervatione banni ſuperiorũ doch behalten wir uns vor die hohe Iagt ſchwartz und roth Wildpräth loco*, ne globo vulneratam, *wenn es ſchweiſt* perſequatur, vel *inſtrumentis nach Füchß und Haſen zu baiſen und zu lauſen*, vel etiam tempore et alio modo. Hac ratione quoque Ius piſcandi concedunt, et ſaepe tantum quando *ſoboleſcunt, wenn ſie leichen, et nocturno tempore, bey Liecht zu krebſen und zu fiſchen mit Cleppen, Handwaten, Stacknetzen, Hamen, Wurff-Angeln, Reuſern, Säcken etc.* Belgae capturam balaenarum quotannis elocant, ſic etiam retium iactus vendi ſolent, ubi halecia relictis latebris loco aeſtiva tempore verno quaerentia, retibus circumdata, et in unum coarctata tanta capiuntur multitudine ut piſcatores non ſecus ac in terra deſuper ambulare poſſint, inque nubibus per plura milliaria, ſcintillantibus, conſpiciantur GESN *hiſt. an. L. IV.* de piſcium et aquatilium animantium natura. Praeterea quoad res inanimatas ſupra terram Ius fructuum ſponte naſcentium, graminis, ſylvarum et ligni caedendi Iure Foreſtae imminutum eſſe teſtatur SICHARD *Conſ. V. n. 3. p. 5.* BRVNO *Conſil. 127. verſ. ſed quia.* DECIAN. *conſ. 123. n. 27.* MEICHSN. *P. 2. deciſ. 4. n. 7.* KILLING. *de iur. venand.* Quoad res inanima-

animatas ſub terra auri et argenti fodinas privatorum dominio exemerunt, et ſalinas quoque ſuas fecerunt, ſive ſale ex aquis ſalſis, ſicut in Hallenſi civitate coquantur, ſive ex montibus ſicut in Polonia in variis locis et imprimis urbe Wilitzky lapidicinarum more caedantur, *l. 11.* C. *d. Vect. et Com.* quo modo in Pruſſia lectio ſuccini prohibita ſit videri poteſt IVS PROV. PRVSSIAE *Lib. III. Tit. 1. Art. 3. §. 3. in fin.*

XLII. Quo vero Iure Principes hunc I. G. titulum eripuerint? Doctores inter ſe non conveniunt, dum alii I. N. hic laedi exiſtimant, alii vero praeſcriptione, alii occupatione, alii ſervitute conſtituta, alii aliis hoc ius fundamentis niti arbitrantur. Sed quid opus eſt, operoſe in re clara nugas nectere? Quis enim negaret principis officium et poteſtatem circa naturalia non ſimpliciter ſed pro certo rerum ſtatu, quae emendationis obiectum ſunt, eousque ſe extendere? Ne hanc naturalem libertatem lex civilis circumſcribere, id quod naturaliter licebat vetare, eiusque dominium naturaliter acquirendum vi ſua antevertere queat; quod probe Illuſtris et Magnificus Dominus PRAESES in aurea praedicta Diſſertatione annotavit, dum C. *8.* §. *5.* Principes hoc iure *optimo maximo imperii* facere potuiſſe aſſerit. Et ſapientiſſime Germaniae populi (cum Regibus ad ſuſtinendam dignitatem ſuam bona quaedam aſſignanda forent) exiſtimaverunt, ab illis incipiendum, quae ſine damno cuiusquam tribui poſſent GROT. *L. II.* C. *8.* §. *5.* Ne tamen eruendo rationes pro affirmativa praeter modum a Iure Civili abeam, unde digreſſus ſum redeo, et excuſſa prima apprehenſionis ſpecie ſe offert 2. Traditio, ſive illa vera ſeu ficta, ſeu longae manus, ſeu ſymbolica ſit *l. 2.* C. *d. acq. et ret. poſſ. l. pen.* §. *1. et ult. ff. d. don. int. vir. et ux. l. 18. §. 2. d. A. R. P. l. 9. §. 6. d. A. R. D. l. 74. d.* Contrah. *Empt.*

XLIII. Occupationem excipit. β Acceſſio cuius ſpecies naturales beneficio rei noſtrae *§. 19. I. d. A. R. D. l. 5. §. 2. d. R. V. l. 7. §. 1. d. A. R. D. l. pen. §. 1. l. 7. §. 5. eod.* beneficio rei alienae, *l. 25. §. 1. l. 28. ff. de Vſur. l. 25 pr. eod. l. 48. pr. ff. d. A. R. D.* proponuntur, induſtriales peti poſſunt ex *§. 26. §. 30. §. 33. I. d. A. R. D. l. 7. §. 13. eod. l. 9. §. 2. d. damn. inf. l. 9. pr. h. t. l. 9. §. 2. eod.*

 l. 23. §.

Digitized by Google

l.23. §.*3.7.* eſt Specificatio aridorum vel liquidorum §.*25. I. h. t.* §.*29. eod. l.4. ff. d. R. V. l.5.* §.*1. eod.* An autem tres dicti tituli eo quo a Triboniano accepti modo ſint Iuris Gentium? examinat GROTIVS *L. II. C.8.* inque negativam ibi inclinant. *Iuris Gentium titulos* ſequuntur *Iuris Civilis, partim* ſingulares *l.1.3.4. ff. d. Vſu cap. l.7. C. d. praeſcr. long. temp. t.t. ff. d. Don. tribus libris ff. Leg. et Fideic.* quorum dominium ſed non poſſeſſio a morte teſtatoris in Legatarium tranſit *l.80. ff. d. Leg. II. l.64. ff. in f. d. Furt. arg. l.13. ff. qu. met. cauſ. l.7. ff. ad L. Iul. d. vi priv.* §.*2. I. d.* Leg. *l.1.* C. *Comm. d.* Leg. §.*5. I. d. Obl. qu. ex qs. contr. partim* Vniverſales §.*f. I. per qu. perſ. c. acqu. l.1.* §.*7. d. Succ. Ed. l.2.* §.*1. qu. Ord. in Bon. poſſeſſ. ſerv. l.3.* §.*8. d. Bon. Poſſ.* §.*3. I. eod. l.3.* §.*8. d.* Carb. *Ed. et t.t. eod. t.t. d. Ventr. nom. in poſſ. mitt. l.6.* §.*ult. l.8. pr. ff. d. inoff. Teſt. l.7.* §.*15. Quib. ex cauſ. in poſſ. e. t.t. I. d. Adquiſ. per Adr. et t.t. De eo cui libert. cauſ. bon. addicuntur.*

4. Imperium Maris ex I. N. XLIV. 4. IMPERIVM MARIS quod indigentia et neceſſitas ſublevanda introduxit, quia et mare ex parte huic indigentiae humanae aliquatenus mederi poteſt, nec quicquam hic obſtare videtur, quo minus illius uſus quoscunque poteſt ſibi vindicet homo, poſtquam is ut terreſtre animal in alieno elemento verſari didicit PVFF. *in Elem. I. V. Def. 5.* §.*7. et L IV. c.5.* §.*7. ſeqq. d. I. N. et G.* de cuius interiori aliena territoria interfluente aque Oceano tanquam parte homogenea diſtante non controvertitur ratione aptitudinis recipiendi dominium, quo iure Reſpubl. Veneta mare Adriaticum quod vocari ſolet *Golfo di Venetia* occupavit, ut quibuscunque navigationem iuſtis de cauſis interdicere poſſit. SELD. *d. M. C. S.* L. *I. c.16.* In cuius dominii ſignum quotannis ipſo Feſto Aſcenſionis Domini ritu ſolenni Dux navi *Bucentauro* purpura et auro ornato vectus, comitante Senatu annulum e puppi in ſubiectum pelagus proiicit his verbis: *Deſponſamus Te mare in ſignum veri et perpetui dominii et imperii.* Sed quid dicendum erit de parte exteriori et Oceano quem Deus terris circumfudit? Nec eius inexhauſtam abundantiam vel ſufficientiam imperio repugnare exiſtimo, ſed colligitur inde potius quia tantum, quantum aliorum uſibus ſufficit, ſupereſt, hinc per partes quoad termi-

terminos (quales ſunt ſcopuli, brevia, adverſa invicem promontoria, inſulae hinc inde ſparſae e quibus linearum rigores verſurae ſeu flexus angulorum coſtae gammae ſumi poſſunt) citra alicuius iniuriam occupatio fieri et in proprium inſtar fluminum deſcribi poteſt, quae proprietate populi, ratione autem partium communi uſui obnoxia ſunt. Quod ipſum actus imperii marini proprii hodie ita comprobant, ut omnis dubitandi ratio merito abſit, ubique enim hoc ius ſibi tribuunt, ut liceat inquirere in naves unde veniant? quo tendant? et ſimilia? imo velorum ſubmiſſio, angariae navium, ius ſtapulae, nec non geranii, et vectigal pro tranſitu, imperium maris luculenter evincunt. Hic vectigalium iniquitatem quidam accuſant, quibus núllam ſubeſſe animadverto, ſed aequiſſimum eſſe putarim, ſi Reſp. in commodum navigantium magnos ſumptus faciens in retributionem aliquid exigat, exiguus ſiquidem navigiorum daretur uſus, ſi Reſpublicae, de impedimento navigationis cavendo, portus ſi naturales non ſunt arte exſtruendo, vaſcula eminentia in quibus ignis alitur, lucernas penſiles (quae apud Gedanenſes conſpicuae) erigendo, ſtipites coronatos ponendo, corbes impoſitas in ſummitate *Baken*, palos introrſum implicatos *Kapen*. pharon exſtruendo *Luchten oder Blüſen* periculoſa loca (ſicut in Pruſſia *bey der Veſte Pillau*) tonnis notando onera et ſecuritatem navigationis tuendae non ſuſtinerent *t. t. d. Vect. et Com.*

XLV. Haec in I.C. ſatis clare proponuntur, et videri poteſt de communi uſu ſub diſpoſitionem Legis non cadente extraque patrimonium negative exiſtente *§. 1. et 5. I. d. A. R. D. l. 13. §. ult. ff. de Iniur. l. 14. g. de A. R. D. l. 13. ff. Com. praed.* in ditione tamen et publicum mare eſſe dicitur *l. 13. §. 7. de Iniur. l. 2. §. 2. et 5. ff. Ne qu. in fl. pu.* Hinc Romani ad retinendum hoc imperium claſſes perpetuas conſtituerunt, quibus excluderent hoſtium machinationes ſuiſque tranſitum et transvectionem neceſſariam concederent. Recenſentur autem claſſes potiſſimum quatuor: *Primae* maiores, duae *Praetoriae* dictae *Miſenenſis* et *Ravennas* ab Auguſto inſtitutae, minores fuerunt, altera in Gallia *Narbonenſi* colonia et portu *Foroiulienſi*. Deinde **Imperium maris ex I. C.**

Impe-

Imperatorem quoque Traianum in mari Rubro claſſem conſtituiſſe fuſius et ſolidius, quam in una hoc graviſſimum argumentum theſi demonſtrari poteſt, docet et exequitur ex acutiſſimis rationibus et probatiſſimis quibusque authoribus Illuſtris et Magnificus Dominus PRAESES in nobiliſſima praedicta Diſſertatione *c. 4.5.6.* aliosve ibidem huius imperii retinendi modos explicat *l. un.* C. *d. Claſſ. XI.* 5. ACTVS VTILITATIS INNOXIAE intelliguntur ex I. N. permiſſi, ſi ne ullum vel minimum, ipſo *innoxiae* nomine excluſum, accreſcat damnum, nec hosce proprio auſu vindicare, ſed a poſſeſſore petere ac impetrare licebit. Hinc tranſitum ſibi ferro aperire omnino iniuſtum eſt, quia territorii proprietatem habenti nemo Ius diſponendi circa vias publicas quae pars territorii ſunt, denegabit. Peti ergo a ſumma poteſtate tranſitus ſumme neceſſarius debet, qui intra innoxiam utilitatem ſubſiſtens, ad communem hominum obligationem de officiis humanitatis exercendis, neceſſitateque ſublevanda, concedendus. Si vero non via regia ire, ſed ad poſſesſiones privatas deflectere, contra confoederatos, ſocios, vel amicos arma parare velint, impediendus eſt, ut communi etiam Iure prohibeantur arenae, quod Illuſtris et Magnificus Dominus PRAESES in toties allegata praeclariſſima Diſſertatione *c. 8. th. 3.* pluribus rationibus confirmat, et Lectorem ulterius ad LVD. MOLINAM *de I. et I. tract. 2. diſp. 105.* nec non ad ALBERIC. GENTIL. *de I. B.* L. *II. C. 22. p. 438.* remittit: Convenit Cl. PVFFENDORFF. *in El. def. 5. §. 6. et all.* L. *d. I. N. et G.*

5. **Actus utilitatis innoxiae.**

XLVI. 6. BELLVM quod praeſuppoſita cauſa iuſtificata ita I. N. permiſſum ſuſcipi poteſt, ut laxatam hominum ſocietatem et diſſolutionem pacis reparare intendat, ſaepe tamen ob iniuriarum ſecum trahens cumulum laudabiliter omitti poteſt, ſicut PLVTARCHVS in Numae vita ait: *poſtquam iuſte bellum ſuſcipi poſſe decreviſſent Feciales, conſultatum a Senatu, an ex uſu eſſet ſuſcipere.* PROCOPIVS Gothicorum II. Gothos ita ait Beliſario dixiſſe: *haec cum ita ſe habeant, officium erit utriusque Gentis Rectorum, ſubditorum ſibi ſalutem non proiicere propriae laudis ſtudio, ſed ea praeferre quae et iuſta ſunt et utilia non ipſis tantum, ſed et hoſtibus, quia non eſt homini homine prodige utendum.*

6. **Bellum ex I. N.**

Quod-

Quodnam vero bellum licitum, et quaenam cauſae iuſtificae ſint? remitto me cum Lectore ad *1. & 2. Librum* GROTII, *de I. B.* Id hic indicaſſe ſufficiat, quatuor dari fontes e quibus huiusmodi cauſae deriuantur. *1. Ut meum defendam. 2. ut ademptum recuperem. ut damnum reſarciatur. 4. ut delictum p:• iiatur.* Quod ultimum adhuc dubitandi rationes ſuppeditat, reliquae non *iuſtificarum* ſed *ſuaſoriarum* mihi veniunt nomine.

Bellum ex I. C.

Ius Civile belli civilis ſeu litis inſtituendae totidem agnoſcit cauſas, hinc concedit actiones aut ob iniuriam non factam *l. 7. ff. danin. inf. t. t. ff. d. Aq. & Aq. pluv. arc. & interdicta ne vis fiat, de quibus totus l. 43. ff. agit,* aut ob factam et tum vel ut reparetur *l. 28. l. 51. d. V. O. t. t. ff. ad* L. *Aqu.* et *de his qu. effud. l. deiec. t. t. I. d. Act.* vel ut puniatur *toto fere libro 47. et. 48. ff. nec non lib. IX. C.*

Prodromi Belli ex I. N.

Belli alias publici prodromi eſſe ſolent ἀνδρεληψία & ἐνεχυρασμὸς ſeu pignoratio inter populos diuerſos, quod *Ius Repreſſaliarum* BART. BALDVS vocant, quae maioris euidentiae cauſa propter Iuſtitiam denegatam a publica poteſtate ad vindictam privatam evitandam conceduntur. Quo in caſu non conſiderantur ſinguli cives ut ſinguli, ſed ut pars Reip. Iuſtitiam denegantis, quae cauſam ſuam fecit, cuius rei exemplum ſubiicit CVIAC. *ad l. un. C. ut Null. ex vic.*

ex I. C.

Hunc vero prodromum I. C. non agnoſcit, quare conſtitutum eſt eodem, ut nullus ex vicanis pro aliorum vicanorum debitis teneatur *l. un. C. ut Null. ex vic. XI. l. 4. Nullam d. Exec. et Exact. XII. n. 52. c. 1. N. 134. c. 1.*

7.
Defenſio bonorum cum caede ex I. N.

XLVII. Si igitur citra iuſtificam cauſam alteri quis aliquid eripere velit, ad reprimendos hoſce conatus permittit. 7. Ius Naturae DEFENSIONEM PVDICITIAE, EXISTIMATIONIS ET BONORVM etiam cum caede alterius, quia fruſtra Natura nobis haec bona dediſſet, ſin cuiusvis invaſori ſine ulla defenſione paterent, nec eadem cum interfectione alterius tueri conceſſum eſſet, ſin aliter perſequendo, vociferando vel cedendo iniuria evitari non poſſet, quod et ratio a Grotio hic propoſita inferre videtur, quia parans alterum iniuria afficere, alteri ius adverſus ſe dat in infinitum, quatenus eam aliter evitare nequit, tum quoad famae tum etiam quoad aliarum rerum defenſionem, et quae inter rem et vitam eſt in-

aequalitas ea favere innocentis et raptoris odio compenſatur, et eadem ratio in pudicitia quoque locum habebit, de qua in th. 27. in f. dictum. Hinc de I. C. eum qui pudicitiae aut vitae defenſionem alia ratione quam interfectione aggreſſoris avertere potuit & occidere tamen maluit ordinaria L. Corneliae poena non teneri haud inepte quosdam defendere mihi perſuaſerim. Haec vero defenſio ceſſat erga illum qui ſumma neceſſitate inductus alteri aliquod damnum infert, unde 8. oritur NECESSITAS ALIENA DESTRVENS, ad cataclyſmum enim, incendium, et violentam aquarum irruptionem evitandam vicini vallem, agrum, aedes ad res ſuas ſervandas deſtruere, Ius Ntaurae permiſit, nec inde iniuria fiet Domino a deſtruente, quia non intereſt, an manu hominis ſuo iure utentis? an flamma procubuerint? vel inundationibus aquarum perierint? Ius Civile magnum hoc imbecillitatis humanae patrocinium & duram omni lege ſuperiorem neceſſitatem detegit *l. 2. §. 2. in f. ad* L. *Rhod. l. 3. §. 7. de Incend. l. 49. §. 1. ff. ad* L. *Aqu.*

ex I. C.

8. Neceſſitas aliena deſtruens ex I. N. ex I. C.

XLVIII. 9. CONSENSVS PARENTVM IN DESPONSATIONIBVS PVBERVM, quem I. N. huic negotio totam gentem ſeu familiam concernenti accedere permiſit, quanquam in illa aetate quae filium *αὐτεξούσιον* reddit parentum imperiis non aliter quam quoad placendi ſtudium ſubſint, ut adeo hic conſenſus de neceſſitate non requiratur, ſed ex iure tantum permiſſivo deſcendat, quod Iuri Civili approbare & in neceſſitatem convertere licitum fuit, prout apparat ex *l. 13. §. 6. in f. Ad L. Iul. de Adult. l. 68. ff. de Iur. Dot. N. 115. c. 3.* FACHIN. 3. *Controv. 44.* BRONCH. *Cent. 3. Aſſert. 4. 10.* POLYGAMIA quam ut ultimam I. N. permiſſivi ſpeciem allegare volui. Convenit GROTIVS *L. II. C. 5. §. 9. et §. 15.* et PVFFENDORFF. L. *VI. C. 1. §. 16. 17. 18. 19.* Diſſentit DOMINVS FELDEN *in annot. ad Grot.* nec non BOECKLERVS L. *II. C. 5. p. 159. & ſeqq.* Ius Civile maris et *foeminae* non *foeminarum* coniunctionem ſuadens ac iniungens prorſus eam ignorat *§. f. i. d. P. P.* et ſolos monogamos in ſua Rep. tolerat *l. 1. l. 13. §. 1. de his qu. inf. not. l. 2. C. d. Inceſt. Nupt. l. 18. C. ad* L. *Iul. de Adult.*

9. Conſenſus parentum Nuptiis accedens ex I. N. ex I. C.

10. Polygamia ex I. N. I. C.

XLIX.

Digitized by Google

§. XLIX. Iam ad actiones I. N. non quidem praeceptas, attamen iis laudabiliores et praeſtantiores progrediendum eſſet, quae ex principiis hominis internis et officiis humanitatis ſeu pietatis erga Deum, ſemet ipſum et proximum naſcuntur, quoniam vero Ius Civile neque adſiſtendo neque reſiſtendo easdem liberrimo hominum arbitrio relinquit, tum ne omnia virtutum ſpecimina ex rigore legum et coactione quadam extrinſeca a civili poteſtate accedente eliciantur, tum quoque ne pigri ventres fruges conſumere nati hiſce adminiculis freti magis a labore avocentur, idcirco memoratas actiones ceu ab inſtituto meo alienas in medio relinquo, et tum quoad eas tum etiam quoad controverſias forum internum inſtruentes, nec non quoad mutationem I. N. ex Codice ſacro apparentem, me una iam cum B. L. ad immenſa et mirae magnitudinis volumina CORNELII a LAPIDE remitto in Comm. ad DEVT. *c. 1. v. 17.* NVM. *25. verſ. 13. 35. v. 33.* EXOD. *22. v. 23.* LEVIT. *18. 19. 20. v. 14.* LEVIT. *21. v. 9.* DEVT. *19. v. 13.* DEVT. *20. 21. v. 18. et ſeqq.* DEVT. *24. v. 1.* IVD. *11. verſ. 39.* IVD. *16. v. 28.* I. SAM. 21. 2. SAM *12. v. 13.* I. REG. *21. v. 29.* IOS. *7.* 2. SAM. *24.* HIOB. *1. v. 21.* &c. *38. 39.* IEREM. *15. v. 4.* et ad ROM. 13. hiſce addo PERRERIVM in Geneſin *c. 4. c. 9. v. 5. 6. 22. 25. c. 15. 17. 18. 20. 21. 38.* Ingentia haec laudatorum Authorum opera (quae inſtar omnium mihi allegare placuit) in interpretandis partim I. N. confirmantibus, partim imminuentibus exemplis, inque conciliationibus Conſcientiae foroque interno inſervientibus, nectendis, cuivis ſatisfacient, quae ſi exactius exequenda forent, peculiarem ſibi vindicarent diſcuſſionem, ego interim hic rivos claudo, et convenientiam I. N. & C. finio.

Humanitatis officia in foro ciuili actionem non pariunt.

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE
IVRE TENEBRARVM
RESPONDENTE
IO. GEORG. SIMON
HALENSI SAX.
IENAE MDCLXIIX.

CAPVT I.
De prooemio, deſcriptione, fundamento.

QVantas unicuique mortalium ſol, aureus ille mundi oculus afferat utilitates, tantum abeſt ut linguis praedicari, ut ne quidem ipſo vel dexterrimo mentis acumine aſſequi valeamus: coloris ſiquidem ſui divitiis orbem terrarum largiſſime beat, omnis, quod creſcit, arbuſti maturitatem liberaliſſime conciliat, radiisque fulgentiſſimis quasvis telluris obſcuritates ſufficientiſſime illuſtrat. Nec diverſae eiusdem bona im prae ſentiarum fuſius enumerare, nec prouti dignitas efflagitat, uberius conſiderare propoſuimus, quoniam praeſtantiſſimam illius dignitatem nunquam magis deſiderantur expetimus, quam cum defectus tam ſplendidae lucis nos obruit, uti & triſtiſſimus tenebrarum horror regiones noſtras circumſcribit. Tum demum etenim bonum amiſſum, nimis tamen ſero, conquerimur, malumque praeſens utique frivole execramur: tum demum diei iucunditatem extollimus, noctisque nigrorem averſamur. Aſt quoniam laudatiſſimus ille ſolis ſplendor nequaquam nobis tantum praeſto eſſe, ſed aliis etiam populis eadem ratione inſervire debeat; adeoque tenebras nobis quotidie ingruere neceſſum ſit, in quibus vel inviti nonnunquam officia noſtra adminiſtrare, aliaque ſubire negotia cogimur, idcirco non abs re me feciſſe adopinor, ſi hac vice ius tenebrarum, quantum temporis anguſtia concedet, paulo altius repetiero, eiusque uſum in diverſis

Legum

Legum materiis, quantum pagellae brevitas capiet, demonſtravero. Iova coepta ſecunda! De onomatologia vocabuli tenebrarum, quae inſimul etymologiam, homonymiam et ſynonymiam ſub ſe comprehendit, iam ſoliciti haud erimus, quin potius B. L. eandem diſcupientem ad Lexica lubenter remittimus. Rem ipſam aggredimur, deſcribimusque tenebras, quatenus in praeſenti diſſertatione accipiuntur, quod ſint cuiuslibet lucis defectus, ſive ille exiſtente apud nos ſole per corpus opacum cauſetur; ſiue ille ſole apud inferos conſtituto naturaliter nobis obveniat. Vtriusque conſiderationis fundamentum reperiri poteſt in iure noſtro, modo evolvantur *l. cum eo. 9. l. Si arborem 17. §. per contrarium 1. l eos qui. 40. ff. l. ſi in aedibus. 9. C. de Servitut. Vrb. Praed. l. Temporibus. §. de inſpiciendo. 10. de Ventr. Inſpic. l. hoc edictum. 6. §. Labeo. 1. de his qui effuder. l. itaque 4. §. lex. 1. ad Leg. Aquil. l. Furem. 9. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. ſi perfodiens. X. de Homicid.*

CAPVT II.

De magiſtratibus nocturnis, et in ſpecie de praefecto vigilum.

OMiſſo iam ulteriori, uberiorique fundamento primum magiſtratus conſideraturi ſumus, quos apud Romanos veſpertinis temporibus, et per conſequens multo magis noctu in publico eſſe inconveniens erat, *l. Neceſſarium. 2. §. et quia. 31. de Origin. Iur.* Reſtringit tamen hoc tempus *Gloſſ. ad l. c. lit. u.* ad horam usque nonam, ita ut ab ea demum, aeſtivis potiſſimum diebus inconvenientia praedicta locum mereatur: Hinc optime concordare videtur textus a multis alias pro obſtante habitus, quem comprehendit *Novell. 82. cap. 3.* utut *Gloſſ. ibid. et ad c. lib. 2. §. 31. de O. I.* inter magiſtratus ordinarios et delegatos a principe diſtinguere, deque his *cap. 3. nov. 82.* de illis vero *d. §. 31. de O. I.* intelligere malit. Alias quinque viri cis et ultra Tiberim conſtituti fuerunt, qui nocte vices magiſtratus gererent, *ſaep. cit. l. 2. §. 31. de O. I.* PETR. GREGOR. THOLOSAN. *Syntagm. Iur. Vniv. L. XLVII. C. 35. n. 10. et ſeqq.* Extraor-

Digitized by Google

traordinarium vero et improprie ſic dictum magiſtratum gerebat praefectus vigilum, *l. 2. §. et haec omnia. 33. de O. I. l. Adminiſtrantes. 41. §. idemque 1. de Excuſat. Tutor.* quem Imperator Auguſtus conſtituit, pluribus incendiis una die in urbe exortis, praepoſutque ſeptem cohortium tribunis, quorum unusquisque binas regiones dictae urbis tuebatur. Apud vetuſtiores enim incendiis arcendis triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicebantur: interveniebant nonnunquam et aediles, et tribuni plebis: erat autem familia publica circa muros et portam diſpoſita, unde, ſi opus eſſet, evocabatur, *vid. t. t. de Offic. Praefect. Vigil.* IOHANN. CALVIN. *Lexic. Iurid. h. v.* Caeterum officium huius viri ſpectabilis (quod nomen a Pandectarum compilatoribus in *pr. l. nam. ſalutem. 3. de Offic. Praefect. Vigil.* additum vult GVID. PANCIROL. *in Notit. Imp. Occid. C. VI. add.* DN. STRVV. *Syntagm. Iur. Civil. Ex IV. th. 26.* quamvis gloſſa, duplicem faciat Praefectum vigilum, unum Caeſaris Imperio inſtitutum ſpectabilemque, alium antiquo tempore excubiis praefectum, nondum ſibi collata dignitate per principem, adeoque minus ſpectabilem, *Gloſſ. ad l. 3. h. t.* IOHANN. ACCVRS. *Theſaur. Iurid. h. v.* HARING. SIFRID. *Expoſit. C. h. t.*) conſiſtebat in hoc, ut vigilaret per totam noctem, et coerraret calceatus cum hamis et dolabris, cognoſceretque de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus et receptatoribus, *d. l. 3. per tot.* IOHANN CORAS. *h. t. B.* BRISSON. *de Verb. Signif. h. v.* De capitalibus autem cauſis nihil ſua autoritate STATVERE poterat, ſed ſi quid eiusmodi eveniret, ad culmen poteſtatis praefecti urbi remittere cogebatur, *l. Praefecti. un. C. h. t. l. 3. ff. eod.* Nec obſtat *l. cum ſervus 15. de Condict. cauſ. dat.* Ad hanc equidem dicit AZO *in l. c.* potuiſſe eum cognoſcere, quoniam non fuerit publicum crimen, licet poenam capitis impoſitam habuerit. Alia eſt reſponſio *Gloſſ. ad d. l. 15. et* DN. HAHN. *Obſervat. ad* WESENBECK. *Parat. ff. de Off. Praef. Vig.* Praefectum vigilum ſumſiſſe ſibi hanc poteſtatem de facto, non de iure: Tertia ſolutio, quam et nos pro nunc amplectimur, profertur ab ipſo WESENBEC. *π. ad ff. de O. P.* VIG. *et* DN. GEORG. ADAM. STRVV. *h. t. Ex. IV. θ. 27.* id nimirum ipſi conceſſum fuiſſe ob

vili-

vilitatem perſonae ſervilis, quoniam veriſimile vix videtur, praefectum hunc tam proterve in Leges Romanas peccare voluiſſe, quippe quae non niſi nominatim merum imperium, quod in poteſtate gladii conſiſtebat, dederunt. Obiter etiam de hoc praefecto vigilum notatum dabimus, eius videlicet loco in Vrbe Conſtantinopolitana praetorem plebis ab imperatore Iuſtiniano fuiſſe creatum, eique ius gladii conceſſum in eos, qui nocte moechando, furando, vel alio modo deliquisſent, *Novell* 13. DN. STRVV. *l. c.* §. 28. IOHANN CALVIN. *Lexic. h. v.* quoniam hic magiſtratus vilioribus dari coeptus, ac cum eo fures et latrones conſpiraverant, PETR. GREGOR. THOLOSAN. *S. I. V. L. XLVII.* C. 35. *n.* 11. 12. GVID. PANCIROL. *in Notit. Imp. Orient.* C. *XXVII.* Hinc ad ultimum demum odioſo et tenebricoſo nomine Nycteparchus vocabatur, IVL. PAC. *Iſagog. ff. h. t. n. fin.* Inter magiſtratus porro nocturnos aliorum populorum eminent Areopagitae Athenienſium, qui cauſam capitalem obſcura nocte atque in tenebris examinarunt, ne forte aſpectus perſonae vel rei eiusmodi poſſet commovere affectus, qui iudicem a rectitudine iuſtitiae et aequitatis diſtraherent, FARNES. *in Simul. Reip. L. I. C.* 9. POLYD. RIP. *de Temp. noct. C. XCI. n.* 14.

CAPVT III.

De iudicio eiusque actibus.

Mores quod attinet magis receptos, iudicium de nocte non ſimpliciter, ſed ex partium conſenſu, et quandoque in caſu neceſſitatis urgentis exerceri poteſt, quemadmodam nec citationes, etiam edictales, horis nocturnis procedunt, vel inſinuari debent, imprimis ſi a iudice pro tribunali ſedente ſint impetrandae: hoc tamen neutiquam negabimus, poſſe actuarium tempore tenebrarum ad partis requiſitionem citationem deſcribere, nuncioque, ut tempore legitimo et iuridico eandem inſinuet, committere; imo nuncii relationem recipere, et ad acta iterum referre, *vid.* HEINRIC. CARDINAL. HOSTIENS. *ad c. conſuluit. X. de Offic. delegat* A SIN. *prax.* §. 6. *c.* 6. *requiſit.* 7. NICOL. DE TVDESCH. ABB. PANORMIT.

ad c. 11. Quoniam contra. X. de probat. MARC. ANTON. EVGEN. *L. 1. Conſ. 48. n. 35. et ſeqq.* Comparere autem de nocte, niſi urgenti ex cauſa ad certam noctis horam citatus, nemo cogitur; adeoque nec litem conteſtari, nec in cauſa procedere, niſi ipſemet itidem legem dixerit IOHANN. DE SELV. *Tract. de Benefic. Quaeſt. 17. pr. Part. 1.* PANORMITAN. *et* INNOCENT. *n. 5. ad d. c. conſuluit. X. de Off. Deleg.* Teſtes tamen reſpectu eorum, quae interdiu viderunt, absque partis citatione examinari poſſunt, ſed minime iurare. Hic autem nobis non obſtat RVTGER. RVLAND. *Tract. de Commiſſar. et Commiſſion. Camer. Imperial. P. II. L. 2. C. 13. n. 1. lit. a.* qui dicit, *Polyd. Rip. d. tr. C. 130. n. 5.* praeter neceſſitatem tempus diverſum inter teſtium examen et iuramentum effingere. Verum res clara eſt, cum examen teſtium etiam parte abſente ſemper validum ſit, *add. Ordinat. Proceſſ. Adminiſtr. Archi-Ep. Magdeb. c. 31. §. wann nun die Zeugen.* ſed iusiurandum, omiſſa citatione ad videndum iurari, infirmum maneat; iam vero citatio, uti ex ſupradictis conſtat, de nocte fieri nequeat. *add.* CARPZOV. *Proceſſ. T. XI. Art. 3.* Si vero pars adverſa ſua ſponte veniat, et iudex inſuper ſui copiam faciat, minime dubitandum eſt, teſtes, ſicuti examinari, ita et iurare nocte poſſe. Reliquos actus iudiciales ſcienter omitto, quum omnes fere, ſecundum hactenus tradita obſervata, ſeſe conforment ad iudicis vel ſumme neceſſariam, vel maxime voluntariam cognitionem. Pergo ad ſententiam, quae an noctu ferri poſſit a iudice, *Gloſſ. ad Novell. 82. cap. 3.* variat: mox enim diſtinguit inter iudicem ultro et ex neceſſitate pronunciantem: mox ſeipſam refutat *ibid. et in l. Non minorem. 20. C. de Tranſact. et in l. More. 8. ff. de Fer.* Sed iure canonico verior eſt negativa opinio, idque potiſſimum ob *c. conſuluit. 24. X. de Offic. et Poteſt. iudic. delegat.* SEBAST. VANT. *de Nullit. Proceſſ. d. nullit. ſent. et defect. iurisdict. ordinand. n. 132.* Interim quoque ſententiam nocturnam validam eſſe in foro mercatorum, ſi pars fuerit contumax, ad pias cauſas, ubi res eſt continuo peritura, ubi exſpirat iudicantis iurisdictio, ſi lata ſit de nocte propter multitudinem cauſarum, et partibus conſentientibus, innuit *ſaep. cit.* POLYDOR *Rip. C. CXXXIII. per tot.*

Digitized by Google

tot. ad quem uti et ad IACOB. MENOCH. *de Arbitr. iudic. Quaeſt. L. I. Q. 62.* benevolum lectorem remiſſum volumus, qui ibidem, cum nos theſes, non commentaria perampla conſcribere conſtituimus, numeroſum dubitantium & decidentium acervum oſtendet. Breviter ubi haec concurrunt: iudicis copia, partium conſenſus & aliquando inevitabilis neceſſitas, actus, qui alias communiter non geruntur, licite nocte geri queunt, ſic appellatio recte interponitur, & apoſtoli rite petuntur, (tum maxime ſi etiam ſententia noctu fuerit lata) ſic laudum legitime fertur, aeque ac arbitramentum hac obſervata regula haud iniuſte interponitur. DEC. *ad ſaep. cit. c. conſuluit. n. 33.* IOHANN. DE SELV. *Tract. de benefic. P. III. Q. 17. n. 2.* IACOB. MENOCH. *l. c. n. 3.*

CAPVT IV.
De ſervitutibus.

Quoniam hactenus iudicium in genere, cum praecipuis eiusdem requiſitis in medium produximus, haud indecenter ad quaedam ſpecialia iudiciorum iam perveniemus: praeprimis ſi conſideravimus ſervitutes vel quatenus illae tempore tenebrarum exerceri; vel quatenus per eas alteri tenebrae conſtitui poſſunt. Prius quod attinet, competere alicui poteſt horis nocturnis ſervitus itineris, item actus & viae per praedium alterius, ſed ita tamen, ut modus utendi arbitrio boni viri determinetur, quod etiam adhibendum venit, ſi habitans in eadem domo nocturno tempore egredi, ingredique paſſim et frequentius velit, maxime ſi non ſit hiems, ut citius tenebrae ingruunt, utut hoc neget CRVSIVS *c. VIII. n. 4.* nec ullum in mora poſitum periculum, quod fortaſſis proximo immineat; quoniam hoc pacto res magis vergit ad vexationem proximi, & ad diſturbandam quietem domeſticorum, quam ad commodum eius, cui ſervitus debetur. Aliud vero dicendum de ſervitute ſimpliciter conceſſa, quae nocte ubivis & indiſtincte exerceri nequit, imprimis ſi quis per fortalitia aut caſtella tranſire cuperet, licet etiam ſit confoederatus; vel incurſus latronum, aut repentina vis hoſtium pertimeſcenda eſſet. Fuſius de hiſce COEPOLL. *de Servitut. C. XXXIIX.* Porro ſi is, qui nocturnam

aquam habet, interdiu per conſtitutum ad amiſſionem tempus uſus fuerit, amiſit nocturnam ſervitutem, qua uſus non eſt, *l. Si communem 10. §. ſi is 1. Quemadm. ſervit. amitt.* Nec obſtat, quod non poſſit imputari negligentia ei, qui cum nocturnam aquam haberet, interdiu ea uſus eſt per tantum tempus, quanto alioquin potuiſſet amittere ſervitutem non utendo; nec inſuper negari queat, quin aqua uſus ſit. Verum ad haec reſpondet ANTON. FAB. *Rational. ad h. l.* omnino ei imputari poſſe, cur non ſit uſus aqua quam habuit, id eſt nocturna; ſed diurna, quam non habuit. Amiſit ergo ſecundum *pr. l. ſi quis 18. h. t.* eam quam habuit ſervitutem, neque potuit retinere aliam, quam non habuit. Ulterius inſtant adverſarii & allegant *l. cum conſtet. 5. §. inter duos 1. de Aqu. Quotid.* ſed reſpondetur, aliud iuris eſſe in uno, uti *l. 10. §. 1. Quemadm. Servitut. amitt.* aliud in pluribus, uti *l. §. 1 de Aqu. Quotid.* quilibet enim horum utitur pro alio eius voluntate: quoniam *arg. pr. l. uſu Q. Serv. amitt.* ipſe videtur uti, cum pro eius alius utitur, *add.* NICOL. DE PASSERIB. *Concil. LL. p. m. 201.* Atque tantum de prima parte huius capitis. Reſtat nunc in altera videndum, quomodo per ſervitutes alteri tenebrae conſtitui poſſunt, quod duplici ratione contingit, aedificando ſcilicet et deſtruendo: illud fit, cum lumina feneſtrarum a proximo confectarum contra aedificando obſtruimus, imo, licet aliquando paries communis ſit, prohibemus, *l. cum eo. 9. l. eos qui 40. ff. l. ſi in aedibus 9. C. de Servit. Urb. Praed.* hoc procedit, ſi forte *κατ᾽ ἀντανάκλασιν* i. e. per refractionem ſeu repercuſſionem radiorum ſolis ab aedificio obſtante noſtrum illuſtretur conclave, qua iam domo deſtructa vel depreſſa, radii ulterius reſilire nequeunt, adeoque camera antea dicta neceſſario obfuſcatur. DN. WEIGEL. *Geoſcop. Selenitar. P. I. C. 5. & 7.* DN. STRVV. *Syntagm. Iur. Civil. Ex. XIII. θ. 13. per l. ſi arborem. 17. §. interdum 2. de Servit. Urb. praedior.* quem §. tamen ANTON. FABER. *Rational. h. §.* ita intelligit, nimirum aliquando luminibus offici, ſi poſt deſtructionem ſol oculos nimio & importuno ſplendore perſtringat, uti ei contingeret, qui fixis oculis ſolem intueretur, atque ita coecitatem ſibi pararet: quem intellectum FABRO defendendum relinquimus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

De contractibus, nuptiis, choreis.

MIſſis ſervitutibus nunc ad alia ſpecialiora iudicia tranſitum facimus, & primo quidem ad contractus, quos fere omnes noctu celebrari poſſe ſtatuunt DD. *arg. l. non minorem. 20. C. de Transaction.* qui tamen extra neceſſitatis caſum, &, ſi tempus diurnum ad illos eo melius ineundos adfuerit, omni ſuſpicione non carent, FELIN. *ad c. conſuluit. n. 20. x. de offic. delegat.* Sic recte etiam noctu confici poteſt contractus mutui, depoſiti, commodati, pignoris tam conventionalis ſ. voluntarii, quam contentioſi, modo in poſteriori iudicis habeatur copia, aut periculum ſit in mora, *Gloſſ. &* BALD. *in l. More Romano VIII. n. 3. de Fer.* emtionis venditionis, locationis conductionis, ſtipulationis, niſi actus, cui ſtipulatio accedit, in ſe quoque ſuſpectus ſit, POLYDOR. RIP. *CXIV. n. 4.* eodem modo ſe habent & reliqui contractus, quos, brevitatis ſtudio ducti, cuique ex hiſce ſufficientiſſime, ut opinamur, prolatis, iudicandos tradimus. Ad manus ſecundo ſumemus materiam nuptiarum, ubi diſtincta animadvertenda veniunt, (1.) matrimonium omnino noctu contrahi poſſe, modo omnis abſit clandeſtinitas nociva. Hinc non videmus, quomodo obſtare poſſit ROLAND. a VALL. *Conſ. III. V. l. 3. n. 42.* cum hac ratione intellectus optime nobiſcum conſentiat. Praeterea (2.) ex ſuaſione, non autem ex praecepto *c. 33. ſponſus, diſtinct. 23.* prima nocte pro reverentia benedictionis ſacerdotalis in virginitate permanere debent ſponſus & ſponſa (3.) Lucra matrimonialia POLYDOR. RIPA *C. XXXV. n. 15. et C. XLI. n. 3.* diſtinguit, ut cedant tota marito, ſi acquiſita per operas diurnas ſint; uxori vero, ſi per nocturnas, niſi ratio obſequiorum vel de ſui natura, vel ex neceſſitate horas deſideret nocturnas. Rationem diſtinctionis praebet hanc, quia dici nequeat de tempore nocturno, illud viro eiusque obſequiis ſubtractum eſſe. Veruntamen aliud coniecturare poſſumus ex *arg. l. Quintus Mucius 51. de donat. int. vir. et uxor.* ubi acquiſita conſtante matrimonio mariti induſtria

 quaeſi-

Digitized by Google

quaeſita dicuntur, videturque hoc circa uxorem evitandi turpis quaeſtus gratia a Q. Mucio probari. His adde, quod mulier omnis vitae ſocia dicatur, adeoque eiusdem opera conſtante matrimonio, ſicuti et ipſum matrimonium, ad dies vel noctes tantum reſtringi nequeant. His adde (4.) choreas nocturnas tempore nuptiarum licitas. Nec obeſt, quod ſi coetus quilibet nocturno tempore condemnentur, imo LL. XII. Tabb. inhibiti fuerint, multo profecto magis choreae nocturnae abrogandae culpandaeque veniant, quae licet aliqua ex parte indifferentes actus dici poſſint, magis tamen ad malum ex corruptis moribus ac depravato ſeculo accedant. Sed reſpondetur, conventus nocturnos utique damnabiles eſſe, ſi vergant in detrimentum proximi, vel publicam ſalutem labefactare conentur, item ſi exerceantur ad provocandam libidinem, vel aliam impudicae protervitatis occaſionem praebeant: verum haec omnia in publicis nuptiarum laetitiis locum non merentur, cum ibidem choreae fiant animi exhilarandi gratia, ad expellendas anxietatum curas, inſimulque debitae intercedant circumſtantiae loci, perſonae, temporis et cauſſae, quibus omnino ea, quae forte ex accidentium depravatione eveniunt, negotium faceſſere non valent. Plura equidem dicenda eſſent de compotationibus nocturnis, epuliſque ad concubiam usque noctem ſaepiſſime protractis, quae et id genus alia in nuptiis apud quosdam licita, apud alios vero turpia habentur. Quemadmodum nec me fugit laudabilis ſane conſuetudo quorundam locorum, ubi ſub poena certa atque determinata ultra horam noctis decimam extendi non debent laetitia ac conventus nuptiales, conſtitutique ſunt certi ephori, qui ſigno dato omnem apparatum componi faciunt; ſed quoniam inſtituti mei non fuit, omnes in re qualibet circumſtantias, imprimis ſi noctem non ſpecialiter concernant, attendere, ideoque pro nunc reliqua depono.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

De teſtamento, transactione, arreſto, collatione beneficiorum, donatione, ſatisdatione, reſignatione, aliisque quae noctu expediri non poſſunt.

PRogredior ad alias actiones, quae nocte expediri poſſunt. Inter has autem (I.) numeramus transactionem, quae firma eſt, neque praetextu temporis tenebricoſi dirimenda: nullum ſiquidem tempus ſanae mentis maioris *25.* annis conſenſum repudiat, *l. Non minorem. 20. C. de Transaction.* Et hoc ad omnes contractus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, extendit FRANCISC. CVRT. *Iun. ad d. l. 20. num. 6.* Nec obſtat, ſententiam noctis tempore ferri non poſſe, SEBAST. VANT. *de Nullit. ſentent. ex defect. iuriſd. ordinand. n. 132.* IASON. *ad d. l. 20. n. 3.* SIGNOROL. *Conſ. LII.* FELIN. *in c. conſuluit n. 19. x. de offic. delegat.* iam vero transactionem vim definitivae ſententiae et rei iudicatae habere, per *l. cauſas 16. d. l. non minorem. 20. C. de Transact.* Diſtinguunt enim communiter, inter actus neceſſarios vel iudiciales, et voluntarios: in hiſce nihil referre dicunt, an *die*, vel *noctu* ſuſcipiantur, dummodo conſenſus utriusque contrahentis adſit, per *l. ſicut initio. 5. C. d. Oblig. et Action.* illi autem, praeprimis in iudice ordinario, habenteque praeſcriptum in reddendo iure certum locum et tempus, die geri et expediri debent, *vid.* DN. RICHTER. *tract. ad tit. C. de transaction. ad cit. l. non minorem. num. 17. et ſeqq.* (II.) Teſtamenti factionem, *l. ad teſtium. 22. §. poſſe etc. 6. qui teſtam. fac.* Rationem autem quare indiſtincte teſtamenta nocte confici poſſint, ſuppeditat POLYDOR. RIP. *Tract. de tempor. nocturn. C. CXIII. n. 9.* quoniam licet teſtamentum ſit de genere ſuſpectorum, quia tamen ſubeſt neceſſitas, nocturno tempore poteſt expediri. In teſtamentis autem conficiendis ſemper profecto adeſt neceſſitas, vel *realis*, veluti ſi mors realiter inſtet, vel *imaginaria*, quod quis ſe morti ſemper proximum animadvertat. Alias in hoc negotio ſibi ipſi vix conſtat *d.* POLYDOR. RIP. Nam in C. *CXLI. n. 30.* dicit, quod teſtamentum nocturno tempore

Digitized by Google

abſque urgente neceſſitate concinnari nec poſſit, nec debeat: cum tamen in *d. c. CXIII. n. 8.* teſtamenta nocturna indiſtincte admittat; ſimiliter in omni teſtamento neceſſitatem vel *realem*, vel *imaginariam* ſubeſſe *ibid. n.10. et C. CXLI. n.34.* ſtatuat, adeoque hoc praeſuppoſito procul dubio caſus impoſſibilitatem ſibi fingat. Teſtamentis addi poſſunt codicilli, argumento deſumto a maiori ad minus, et quia hi multo minorem, atque illa ſolennitatem deſiderant. (III.) Arreſti conceſſionem, praeprimis ſi debitor de fuga ſuſpectus ſit, vel metus interveniat praeventionis ab aliis creditoribus, BENEDICT. CARPZOV. *P. 1. C. 29. D.16. et Proceſſ. T.XXI. Art.3. §. 2. n. 10. et ſeqq. cum* PETR. PECK. *de Iur. Siſtend. C. IX. n. 2. et* DAN. MOLLER *L. III. Semeſtr. 44. n. 1.* (IV) aliorum beneficiorum collationem, de qua IACOB. MENOCHIVS *de Arbitrar. Iudic. Qq.* L. *II. Cent. 1. caſ. 48. num. 22.* (V) Donationem, imprimis ſi adſint atque conſentiant ii, quorum res privata alias per hanc, ſi facta non eſſet, augmentum accepiſſet. Nec quicquam facit BEROIVS *Conſil. LIX. n. 10. et ſeqv.* qui motus per *l. Donatio 25. et ibid. Gloſſ. C. de Donat. verb. occulte.* illam reiicit: cum tamen diſtinctio adhibenda veniat inter donationem clandeſtinam, ſive occulte vel doloſe celebratam; et nocturnam talem, ubi inſimul omnia reliqua firmae donationis requiſita adfuerunt: illam invalidam eſſe, hanc optime valere unicuique ad oculum pateſcet. (VI.) Satisdationem tam voluntariam, quam ſi iudex copiam ſui facit, contentioſam, *Gloſſ. et* BALD. *in* L. *More 8. de Fer.* Quo pacto etiam bonorum agnoſci poſſeſſionem poſſe dicimus, quae ad minimum ad purgandam moram ſufficit, ſi alias ſequenti die tempus ſtatutum exſpiraret. (VII.) Reſignationem beneficiorum, quae tamen, ſi reſignans adverſa laboret valetudine, omnis ſuſpicionis expers non eſt, PETR. GREGOR. THOLOSAN. *Syntagm. Iur. Vniverſ. L. XVII.* C. *17. n. 25.* Excluduntur tamen ab hiſce oblatio pecuniae, quae nocte fit, tanquam non probe facta, tum maxime ſi ſolidum non contineat, THOLOSAN. L. *XXVI. C. 23. n. 3.* Iurisdictio contentioſa POLYDOR. RIPA *C. CXXII. n. 1.* Renunciatio ſocietatis nolente conſocio, ſecus autem ſi ille conſentiat, MARC. ANTON. EVGEN. *Conſ. 48. n. 33. L. I.* Sic operarius certa mer-

mercede ad operandum conductus non tenetur invitus tenebrarum nocturnarum tempore operas praeſtare, DEC. *ad cap. conſuluit. 24. X. de offic. et poteſtat. iudic. delegat.* Reliquae actiones quae fortaſſis tenebrarum tempore expediri non poſſunt, ex comparatione cum operationibus nocturnis licitis cuique facillime patebunt.

CAPVT VII.

De fure, adulterio, effractoribusque.

POſitis negotiis civilibus delictorum materiam ad manus ſumemus. In his ſiquidem tenebrae iterum ſingularem circumſtantiam praebent, quoniam non raro poenam alias praefixam augent. Hinc vidimus furem nocturnum non ſemel atque iterum citra poenam occiſum, quandoquidem nemo ſcire exacte potuerit, furandine, an occidendi animo veniſſet. Adde, quod nec tuto & absque periculo perſonae ac rerum eum capi vel cognoſci integrum fuerit vid. *l. 4. §. ad leg. Aquil. l. 4. ibique Gloſſ. C. ad leg. Cornel. de Sicar. l. 9. ff. h. t. c. 3. X. de Homicid.* Vbi autem certum eſt, furem eiuscemodi rem parvi tantum momenti aufferre voluiſſe, neutiquam temere enecandus eſt, *arg. l. 52. §. 2. ad l. Aquil.* Quapropter non absque ratione IVL. CLAR. *L. V. Sentent. §. homicidium n. 47.* quatuor in occiſione furis nocturni requirit: (1.) ut illud fiat pro defenſione ſui ipſius, vel rerum ſuarum; minime vero, ſi fur absque rebus furtivis recedat. (2.) ut volens occidere furem nocturnum clamet. (3.) ut eum non cognoverit, nec habuerit teſtes, qui potuerint illum cognoſcere et contra eum ratione furti deponere. (4.) ut eum capere, vel res ſuas aliter recuperare non potuerit. Diverſum tamen dicendum eſt de fure diurno, qui niſi telo ſe defendat, occidi nequit, per *d. l. 4. §. 1. ad Leg. Aquil.* Sequitur adulterium, non minus commune, quam grave peccatum, in cuius conſideratione notandum, quod haud facilem taliſmodi patrati criminis contra ſe praeſumtionem faciat mulier, quae noctu viros in domum propriam admittit, PETR. DE ANCHARAN. *ad c. 8. de Reg. Iur. in 6.* etiamſi ſint clerici,

PANOR-

Digitized by Google

PANORMITAN. *in c. 1. non liceat X. de Cleric. non reſident.* IOSEPH. MASCARD. *de Probation. Concluſ. 985. n. 3. & ſeqq.* Verumtamen an haec admiſſio, aliis circumſtantiis non concurrentibus, ad torturam omnino ſufficiens ſit, prouti ſtatuit cum ROMAN. *conſ. 451. n.* 2. & aliis *Dd.* POLYDOR. RIP. *d. Tr. C. XXXVI. n. 14.* dubito, idque non immerito, cum indicia remota et generaliora, quale etiam haec in domum intromiſſio eſt, in hoc occulto delicto eadem facilitate, qua praeſumuntur, iterum elidi queant, nec plane quaeſtio poenalis absque praeſentiſſimis et maxime legitimis indiciis exerceri debeat, *l. 18. §. 1. de Quaeſtion.* GVID. de SVZAR. *Tract. de Indic. tortur. n. 28. ibique* LVDOV. BOLOGNIN. *in addit.* Quamvis ad poenam arbitrariam ex officio imponendam, et quandoque ad ſeparationem tori et menſae, imprimis ſi rixae accedant, iudicem commovere poſſint; non autem, ut inſimul uxor dotem amittat, quod volunt GRAT. *Conſil. 50. n. 1.* BERTAZ. *Conſil. crim. 20. n. 8.* Nulla enim cauſa perditionis hic reperitur, cum nec malitioſe virum deſeruerit, nec ipſum adulterium generaliter praeſumtum, pleniſſime, uti debuit, probatum fuerit. Sed quid ſi pernoctauerit mulier extra domum mariti, anne et tali ratione adulterium probatur commiſſum? Aſſerit hoc IOSEPH. MASC. *Concluſ. 60. n. 1. per l. 8. §. 3. C. de Repud.* Verum nos inſpecta lege invenimus nihil amplius, quam pernoctationem mulieris invito viro eſſe modum reſcindendi coniugium, non probandi adulterium. Caeterum nec tum quidem matrimonium annihilatur, ſi mulier e domo volente marito dimiſſa, vel ab ipſo vi expulſa apud cognatos vel etiam extraneos pernoctaverit. Similiter uxoratus pro lubitu abnoctare nequit, ſed nocturno tempore cum uxore ſua eſſe, ut ei debitum reddat, adigendus eſt, BART. *in l. 13. §. 1. de Ann. Legat.* Obiter adhuc in adulterio notandum eſt, noctem etiam et iuſtum dolorem factum aliquando relevare. Sic maritus hoc delictum noctu committentem cum uxore ſua in domo propria occidere poteſt, ſive nobilis ſit, ſive plebeius, adeo, ut vel nullam, vel extraordinariam ſaltem poenam incurrat, *arg. l. 4. C. ad Leg. Iul. de Adulter.* Hinc opus non

non habuiſſet CRVSIVS *Tr. de Noct. C. IV. n. 17.* in dubium vocare aſſertionem POLYD. RIP. *Tr. cit.* qui tamen non *C. XII.* ſed *C. XVII. n. 3.* et ipſam etiam CRVSII opinionem fovet. Verba ipſius ita ſe habent: *Sentio autem ego nocturnum tempus eſſe qualitatem aggravantem interdum et augentem actum, interdum illum alterantem atque immutantem etc.* Tertium delictum nobis ſuppeditant effractores nocturni, qui fuſtibus coeſi in metallum dari ſolent; diurni vero poſt fuſtium caſtigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi ſunt, *l. 2. de Effractor. et Expil.* Ii quoque *quarto* gravius puniuntur, qui ligna ſecuerint in alterius ſilva diebus feſtivis aut noctu, quam alio tempore: duplex ſiquidem ſcelus committunt, et *male agendo*, et *feſtos dies noctesque violando*, PETR. GREGOR. THOLOSAN. *Syntagm. Iur. Univerſ. L.* XXXVII. *C. 14. n. 10.*

CAPVT IIX.

De homicidio, agrorum depopulatoribus, violentia, conventibus, piſcatoribus.

NUnc quinto ad homicidium pervenimus, ubi ſi quis aggreſſorem etiam ex titulo furti occiderit, impune fert: quum ſemper in dubio ſimus, an aggrediens potius ad occidendum, quam ad faciendum furtum occurrerit, *c. 3. X. de Homicid.* Quid vero ſi nocte homicidium doloſum ſit commiſſum? ad hoc equidem dicit *Iaſ. in l. C. Vnd. Vi. n. 40,* quod in dubio adſcribi debeat vicinis illis, ad quorum oſtium repertum fuerit cadaver, imprimis ſi ſecundum BARTOL. *ad l. 22. de Quaeſtion. n. 5. et 6,* haec tria accedant, quod ſcilicet ſit vicinus famae improbatae, et ex frequenti uſu et converſatione notam domum habeat. Aſt nos, licet coniecturas haſce aliquando concurrentibus aliis indicium ad torturam facere non negemus, eas tamen, uti DD. *cum* BARTOL. *l. c.* volunt, plene probare neutiquam concedimus. Firmior probatio per teſtes futura erit, qui tamen ſimiliter non probant, ſi de viſu ſimpliciter deponant, ſive civiliter, ſive criminaliter agatur. Rationem

Digitized by Google

tionem IOSEPH. MASCARD *de Probation. Concl. 1115. n. 1.* reddit hanc, quia cum non dicant, quod luna luceret, vel lumen eſſet accenſum, contra naturam deponunt, & ideo a ſeipſis naturaliter reprobantur, imprimis ſi nimis ſenes ſint, CLAR. *Pract. crimin. §. fin. quaeſt. 21.* Idem dicendum de ſolo vocis auditu, non inſimul coniuncto viſu. Quare ut teſtium probatio rectiſſime procedat, requiritur, ut deponant, ſe vidiſſe delinquentem nocturno tempore, quia luna lucebat, aderatque lumen lucernae vel ignis, quo dignoſci poterat delinquens: item ſe cognoviſſe committentem de nocte homicidium ad vocem, quam haberent notam ex nimia forte familiaritate; ſe fuiſſe vicinos & valde propinquos malefico, cumque hac depoſitione alias certitudines et coniecturas concurrere, *add.* IOSEPH. MASCARD. *l. c.* Sed hoc teſtimonii genus ad ſocios criminis non extenſum volumus. Sextum crimen habemus in depopulatoribus agrorum, qui fruges aut vites noctu ſecant, cuius gratia puberes ex LL. XII. Tab. ſuſpendebantur, impuberes vero verberabantur, prouti ex PLIN. *L. 8.* C. *3.* et PETR. GREGOR. THOLOSAN. *Syntagm. Iur. Univerſ. L.* XXXVII. *T. de Action.* C. *7. n. 2.* deducit POLYDOR. RIP. C. CXLIX. Praeterea iure civili tanquam latrones puniuntur, *L. Arbor. furt. caeſ.* Tenentur etiam lege Aquilia et ad duplum, *l. 7. ſ. 2. §. 7. eod.* Item actione furti, et condictione, et ad exhibendum, *l. 8. §. 2 h. t.* Sed Iure Electorali Saxonico is, qui arbores fructiferas caecidit, vel alio modo inutiles reddidit, praeter aeſtimationem illarum pro unaquaque triginta ſolidos, hoc eſt duas ſexagenas antiquas mulctae nomine ſolvere tenetur, aut ſi in aere non habet, carceris poenam ſuſtinebit; adeo, ut etiam ratione huius delicti, ſi damnum dolo malo datum ſit, ad relegationem vel fuſtigationem progrediatur, *Conſtit. XXXVII. P. 4. verſ. da aber der zugefügte Schade etc.* Nunquam tamen talem reum ſuſpenſum fuiſſe, ſed virgis caeſum perpetuam ſuſtinuiſſe relegationem dicit CARPZOV. *Prax. Crimin. P. II. Q. 83. n. 24. et ſeqq. et ad dict. Conſtit. 3. n. 6.* His adiungendi, qui ſata depaſcunt, qui, ultra damni reſtitutionem, ad poenam arbitrariam, & quandoque ad 50. taleros tenentur, *Fürſtl. Magdeb.*

deb. Policey-Ordnung. C. 43. verſ. wäre aber derjenige. verb. oder das Vieh hætte einen bey Nacht. et verſ. fin. wird endlich. Porro ſeptimo violentia nocturno tempore illata poena mortis punitur, facitque ad eius probationem non parum, ſi vicini puellam eiulantem et clamantem exaudierint, et reus e domo acclamantis ſtupratae exire deprenſus ſit MASCARD. *de Probation. Concl. 1417. n. 26. et Concl. 23. per tot.* Octavo ad conventus nocturnos pergo, quos, cum raro non ſeditionum materiam poſt ſe traherent, punitos capitali ſupplicio refert. THOLOSAN. *l.c. L.* XXXV. *C. 6. n. 15.* Quin et hi, una cum ſacris nocturnis, ab omnibus fere gentibus tanquam ſuſpecti ſemper habiti ac proclamati fuerunt. BODIN. *L. III. de Republ. C. 7. cum* LIV. XXXIX. Poſſem et hic prolixus eſſe de nocturnis Lamiarum et veneficarum conventibus, deque iis quaeſtionem inſtituere, an reales ac veri ſint, an potius imaginarii ac illuſorii? ſed quoniam video, rem multum chartae abſumturam eſſe, ideoque B. L. remitto ad HERMANN. GOEHAVSEN. *Peric. Academ. P. III. Peric. 5. Quaeſt. 28.* item ad *Deciſ. trium Qq. uſufreqv. Quaeſt. 3.* ubi priora ingenue revocat. Nono ſermo erit de piſcatoribus, qui ſedulo cavere debent, ne oſtenſo lumine nocturno, quo alias piſces fallunt & in retia alliciunt, praeternavigantes nocturno tempore decipiant, quaſi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, et qui in eis ſunt, deducant. Si enim hoc ex culpa lata factum, tenentur ad damna et intereſſe, ſi ex dolo, et ut ſibi ſecuto naufragio execrandam praedam parent, tanquam raptores puniendi ſunt. *l. 10. ibique Gloſſ. de Incend. Ruin. Naufrag.* atque piratae, POLYDOR. RIP. *C.* XIII. XXVI.

CAPVT IX.
De larvis, libellis famoſis, circumambulatione armata, et quaſi delictis.

Reſtant adhuc quaedam dicenda de larvis, et habitu emento, in quo ſi mulier nocturno tempore deprehendatur, vel etiam vir, haud levem commiſſi criminis de

ſe ſuſpicionem auget. Imo meretricem quandam nocturno tempore in Civitate Luceriae virili habitu indutam a Regia Audientia Apuliae fuſtigari iuſſam exulaſſe ſcribit FRANCISC. VIV. *L. II. deciſ. 345. n. 10.* Libelli famoſi, qui frequentius nocturno tempore ab inhoneſtisſimis et procaciſſimis nebulonibus affigi conſueverunt, ſuccedunt, quos conſiderabimus tantum reſpectu poenarum, quem nobis exhibet *l. 5. §. 9. de Iniur. et famoſ. libell.* Si quis enim librum ad infamiam alicuius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, inteſtabilis ex lege eſſe iubetur, imo capitaliter punitur *l. un. C. de Famoſ. Libell.* Iure Canonico ſtatuta eſt fuſtigatio, ac interdum excommunicatio et relegatio, *c. 1. V. q. 1.* Iuxta Ordinationem Criminalem CAROLI V. *Art. CX.* autor famoſi libelli ea poena afficitur, quae alias ſtatuta eſt illi crimini, quod alteri imputat, BOCER. *ad l. un. C. de Famoſ. Libell.* quod etiam Iur. Saxon. obtinet, *Conſtit. Elect. P. IV. C. 44.* CARPZOV. *Prax. Crimin. P. II. Q. 98. n. 14. et ſeqq.* STRVV. EX. *69.* Vbi etiam videri poſſunt exceptiones, ſi videlicet verum crimen obiiciat, nomen exprimat, etc. et plerumque hodie mitius pronunciari tradit CARPZOV. *l. c.* De circumambulatione et geſtatione armorum nocturna multum ſolicitus non ero, cum manifeſtum ſit, in quibusdam locis eandem licitam, in quibusdam vero prohibitam eſſe, quapropter unusquisque pro locorum diverſitate ſedulo cavebit. Progredior ad quaſidelicta, ubi ſimiliter in edicto de his, qui effuderint aut deiecerint, animadvertimus, illud regulariter locum non habere nocte et tempore tenebrarum conſueto, ſed interdiu tantum, *l. 6. §. 1. de his qui effuder.* (quod ad crepuſculum diei extendit cum ROFFRED. et ALBERIC. *h. t. Gloſſ. ad l. c.* quoniam die facta iisdem videntur, quae ita facta eſſe dicuntur,) quamvis per *d. l. 6.* quibusdam locis etiam noctu iter fiat, adeoque impune ſemper pro fundamento innocentiae tenebrae allegari nequeant. Idem dicendum arbitramur, de Edicto *de his, qui poſitum vel ſuſpenſum habuerint.* Licet namque ibidem conſideretur non tantum res, quae poſita eſt ita, ut nocere poſſit; ſed etiam quae poſita eſt et nocuit

cuit ipſo actu, per *l. 5. §. 11. h. t.* attamen cum de nocte iter facienti, damnumque hoc pacto accipienti ob praeſumtionem, quod homines ordinarie tenebrarum tempore vias publicas non tranſeant ACCVRS *ad cit. l. 6. de his qui effud.* actio aliquando denegetur, rem per illud ſpatium poſitam vel ſuſpenſam non fuiſſe fingitur.

CAPVT X.

De tempore obſcuro, captura, tortura, executione.

Atque tantum de delictis, quae revera tempore nocturno committuntur. Non immerito autem quaeritur, ſi delictum commiſſum ſit tempore obſcuro, quando terminus noctis incipiat, et computari debeat? ALEXAND. *in l. More. 8. de de Fer. n. 5.* illud de nocte factum arbitratur, quod ante ſolis ortum eſt factum, cui opitulari poteſt *arg. l. 124. de Verb. ſignif.* aliis vero ſequens diſtinctio placet: aut ſtatutum expreſſe determinat, quando dicatur dies vel nox, et dicunt illud eſſe ſervandum, v. g. in quibusdam locis, quando pulſata eſt campana, *und was dann geſchicht, mag gerichtet werden, als das bey Nachtſlaffender Zeit geſchehen. In Krieges Zeiten ſaget man nach beſetzter Wache,* ARNOLD de REIGER. *Theſaur. Iur. verb.* NOX. *cum* ANGEL. *Tr. de malefic. ibique* AVGVSTIN. *in addit. verſ. de nocte ut mandatum etc.* aut vero expreſſe non determinat, et ſtandum eſſe dicunt arbitrio iudicis, qui conſiderabit, an eſſe tanta claritas vel obſcuritas, ut ſit attribuendum vel nocti, vel diei in dubio autem mitiorem partem eſſe ſequendam, *vid.* IVL. CLAR. *Sentent. L. V. §. final. Pract. Crimin. Quaeſt. 82. ſtatut. 9. n. 4. cum* IOHANN. ANDR. *in c. 3. X. de Homicid.* AFFLICT. *1. Conſtit. Regn. Rubr. 5. n. 9.* POLYDOR. RIP. *C. XC. n. 2.* NATTA *Conſ. 469.* Quidam et illud noctu fieri arbitrantur, quod in aurora fit, quando aer incipit clareſcere, BARTOL. *in l. 16. §. 5. de poen.* ALEXAND. *h. t.* FELIN. *in c. 24. X. de offic. et Poteſtat. Iudic. delegat. n. 5. Wehner. Obſerv. Pract. verb. Nacht.* Quos quilibet

 pro

pro lubitu, meque minime obſtante, ſequatur. Iam ad actus delictum commiſſum conſequentes. Vbi primus erit captura, quae ratione criminis quocunque nocturno tempore fieri poteſt, BALD. *in l. 10. C. de Fer.* (ſecus ratione debiti civilis, ſi debitor fideiuſſores inveniat, nec contumax, aut de fuga ſuſpectus ſit, RIP. *C. LXXI.* Qui etiam in carcerem tenebricoſum iniectus commiſſionem ocularem pro inſpiciendo mitigandoque petere poteſt, GAIL. *O. 26. n. 9.*) Secundus actus erit, ſi reus ſponte nihil confiteri velit, tortura. Hanc commodiſſime ſummo mane et quibusdam in locis tempore nocturno inſtitui manifeſtum eſt, quia hoc tempore digeſtio maxima ex parte perfecta eſt, ac reus ieiunus invenitur, nec adeo facile ſtomachus torquendo vertitur, et vomendo patitur, ut examinari non poſſit, FARINAE. *Prax. Crim. L. I. T. 5. Q. 38. n. 32.* HIPPOL. de MARSIL. *in l. 1. pr. de Quaeſtion. n. 29.* quamvis etiam cum CARPZOV. *Prax. Crimin. P. III. Quaeſt. 124. n. 7.* dici queat, hoc propterea fieri, ne per torturam et eiulationem rei aliis hominibus moleſtia creetur. Tertius actus erit executio et poena. Varia namque delicta apud varias gentes noctu fuiſſe punita, fides hiſtoriarum comprobat. Sic Lacedaemonii de mortis reo nunquam interdiu, ſed abſente ſole ſupplicium ſumebant ZWINGER. *Theatr. vit. human. vol. 28. Libr. 3.* Quod tamen POLYDOR. RIPA C. XCI. *n. 12* (qui FARNES. *Simulacr. Reip. Lib. I. c. 9.* adducit, refutatus ob id a I. A. CRVSIO C. *XVI. n. 4.*) de tortura ad eruendam veritatem, vel de ipſa condemnatione, non autem de condemnationis executione intelligere mavult. Similiter coniurationis Catilinariae convicti Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinus, Coeparius nocte in carcere tenebricoſo poenas proteruiae dederunt SALLVST. *Bell. Catilin. C. LV.* Et hoc etiamnum hodie, imprimis ſi periculum in mora, vel locus non ſatis tutus ſit, aut ſeditio metuenda, obſervari, experientia rerum magiſtra atteſtatur. Et haec de materia delictorum dixiſſe ſufficiat.

CAPVT

CAPVT XI.

De uſu luminum concluſione.

Ultimo et quaſi coronidis loco adiiciemus uſum trium luminarium,quem ſatis frequentem tenebrarum tempopore in iure noſtro deprehendimus, nec ulibi tam conſtans atque fere unanimis Doctorum confeſſio reperitur, utut plura aut pauciora adeſſe poſſe lumina nemini negemus cum CRVSIO *cit. Tract.* C. *VII. n.6.* Primo etenim illum videmus in materia ſuſcipiendi cuſtodiendique partus, quod ſi forte divortio facto mulier ſe praegnantem eſſe neget, maritus vero affirmet; vel mortuo viro uxor ſe gravidam eſſe fateatur, ſed alii heredes quorum intereſt partum non naſci dubitent. Tunc ſiquidem in hoc caſu, ſi mulier praegnantem ſe eſſe dicat, et his, ad quod ea res pertinebit, procuratorive eorum bis in menſe denunciandum curet, ut mittant ſi velint, quae ventrem inſpiciant, (mittantur autem mulieres liberae duntaxat quinque, hae omnes ſimul inſpiciant, dum ne qua eorum, quae inſpicit, invita muliere ventrem tangat) mulier in domo honeſtiſſimae foeminae, quam Praetor conſtituere vult, pariat? in conclavi, ubi mulier paritura erit, plures quam unus aditus non ſint; quin et multis aliis ſolennitatibus omiſſis, quas recenſet *l. 1. de inſpiciend. Ventr.* §. *10.* IVL. PAC. *et* MAG. HARYNGH. SIFRID. *Iſagog. h. t.* Praetor requirit, ut tempore nocturno tria lumina nec minus in eo conclavi ſit: ſcilicet quia tenebrae ad ſubiiciendum ut plurimum aptiores habentur. Et hoc edictum etiamnum hodie, ſi vidua praeſertim defuncti nobilis uterum ſe gerere fateatur, ob ſucceſſionis feudalis emolumentum utilitatem habere aſſerit STRVV. *Ex. XXX. th. 28.* HAHN. *Obſervat. ad* WESENB. *h. t.* Expoſcunt ſecundo *arg. d. l. 1.* §. *10.* tres candelas a notario tempore nocturno contractum aut inſtrumentum conficiente, ut ſcilicet evitare valeat poenam falſi, *arg. l. 29. C. de Teſtament.* WEHNER. *Obſerv. pract. verb. Nacht. Gloſſ. in cap. conſuluit. verb. odit lucem. X. de Offic. Delegat.* POLYDOR. RIPA. C. *CXLVII. n. 13. et* C. *CXIII. n. fin.* in materia teſtamentorum, codicillorum et aliarum ultimarum voluntatum,

Digitized by Google

tum, imprimis ſi metus falſitatis accedat, aut teſtator teſtibus ſit ignotus; ſecus tamen ſi ipſis optime notus, familiaris, ac nuncupative teſtetur, vel omnino ex aliis circumſtantiis omnis fraudis ſuſpicio purgata fuerit, DEC. *Conſ. 354. per tot.* FELIN. *in c. 24. X. de Offic. et poteſt. iudicſ. delegat.* IACOB. MENOCH. *de Praeſumt. L. IV. Praeſ. 12. n. 5. et Conſ. 288. n. 29.* in donatione mortis cauſſa POLYD. RIP. C. *CXLIII. n. 1.* in ferenda ſententia, BARTOL. *ad l. 20.* C. *de Tranſaction.* in procuratione ad renunciandum, quae noctu fit, THOLOSAN. *Syntagm.: L. XVII.* C. *17. n. 25.* Atque haec ſunt theſes, quas impraeſentiarum de materia tenebrarum conſcribere volui, imo temporis anguſtia circumſcriptus potui; Tuum erit B. L. ſerena haec accipere fronte ut et de iisdem non niſi probe ponderatis iudicare. Vale diu, favereque perge.

COROLLARIA.

An iudex propter iniuſtam capturam et incarcerationem, poſſit actione iniuriarum conveniri? Affirmatur. SCHROETER. *Reſolut. Difficill.* LL. *Codic. ad Tit.* C. *de Cuſtod. Reor.* Diſſent. CARPZOV. *Prax. Crimin. P. III. Q. 3. n. 67.*

Si nomen ſuum autor famoſi libelli ſubſcripſerit, an poena famoſi libelli teneatur? Negatur ex Obſervantia Iur. Saxon. CARZOV. *Prax. Crimin. P. II. Q. 97. n. 24.* Diſſent. *alias* BRUNNEMANN. *ad* L. *un.* C. *de Famoſ. libell.*

Actio Pauliana eſt actio non realis tantum et ſimpliciter, ſed perſonalis in rem ſcripta, LUDW. *Ex XVI. th. 2. lit. g.* Diſſent. BACHOV. *D. III. d. Action. th. 39.*

Provocationem ad extremum tribunal Chriſti, ſeu in Vallem Ioſaphat non recte probant ex dicto IOEL. *3. v. 1.*

F I N I S.

Digitized by Google

STRAVCHIANORVM
SIVE
OPVSCVLORVM
IVRIDICO-HISTORICO-PHILOLOGICORVM
IOANNIS STRAVCHII
ICTI CELEBERRIMI

PARS QVINTA.

I. DE MVNIMENTIS RETINENDAE POSSESSION. IMPER. IVRE BELLI ADQVISITORVM.
II. DE AEDILITIO EDICTO DISSERT. PRIOR.
III. DE AEDILITIO EDICTO DISSERT. POSTERIOR.
IV. DE ACTIS IVDICIALIBVS.

CVRA

D. CAR. GOTTLIEB KNORRII
P. P.

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM,
Im Durchgange des neuen Rath-Hauſes neben der Poſt.
CIↃ IↃ CCXXVIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO HISTORICO-POLITICO-IVRIDICA
DE
MVNIMENTIS RETINENDAE POSSESSIONIS IMPERIORVM IVRE BELLI ACQVISITORVM

TACITVS *L. IV. Hiſtor. C. LIII. n. 4.*

RESP.
IO. BIEDERMANN
VRATISLAVIENS.
IENAE CIↃ IↃCLVI.

CAPVT I.
Summa Imperia iure belli poſſe acquiri dominio abſoluto. Aequitas hac in re obſeruanda.

§. I.

VTi (*a*) in aliis agendi iuribus multa conſequuntur indirecte, extraque propoſitum ſunt agentis ad quæ per ſe ius non eſſet: Ita (*b*) belli inter duos populos inuicem ſibi publice decreti quidam interueniunt effectus qui e bello ex ſe & ſua natura non proueniunt.

a) THOM. *I. 2.* 73. *art. 8.* MOLINA *d. I. & I.* *Tr. II diſp.* 121.
b) *l.* 24. *d. captiv. l.* 118. *d. V. S.*

 §. 2.

§. 2. Hinc igitur hoſtem lædere poſſe non ſolum in propria perſona, verum etiam in eiusdem rebus tam mobilibus quam immobilibus, tam corporalibus quam incorporeis, (*a*) tam ſacris quam religioſis, omnibus ſanioribus placuit gentibus, ipſismet (*b*) hanc legem, hocque (*c*) belli ius, (*d*) fas armorum iusque hoſtium dicentibus.

a) *l. 36. d. religioſ. l. 4. de ſep. viol.*
b) CIC. *Verr. III.*
c) LIV. 26. 31. SVET. *in Ner.* 40. *l. 51 de A. R. D.*
d) TAC. *H. IV.* 58. 2.

§. 3. Quæ Læſio in tantum ſe extendit, vt etiam iure optimo dominium ſuper res in bello acquiſitas vt & perſonas in eo captas prætendat victor, velut (*a*) certi & omnium gentium conſenſu recepti iuris, quemuis in bello ſolenni victoriæ iure dominium fieri eorum quæ hoſtibus eripuit. Notiſſimum enim eſt etiam dupondiis in iure, quod (*b*) captus ab hoſtibus bello ſolenni publico, ſeruus hoſtium fiat, ab occiſione, [(*c*) quæ tamen Iure Gent. permiſſa] (*d*) ſeruatus, vt ex eorum cum ancillis noſtris contubernio vernæ naſcantur, atque (*e*) *vterus* talis nobis *ſervitio* maneat *ſubiectus*. Notum itidem quod res hoſtium ablata, (*f*) referantur inter dominii acquirendi modos: (*g*) Cum contra naturam non ſit eum ſpoliare, quem necare honeſtum eſt.

f) §. 17. *I. d. A. R. D. l. 5. §. vlt. l. 51. §. vlt. ff. eod. l. 1. §. 1. de A. Poſſ.* (*g*) CIC. *Off. III.*

a) HECTOR IOHANN MITHOB. *d. Controv. Sv. P. C. 3. p. m. 44.*
b) *d. l. 24. d. captiv. l. 7. d. A. R. D.*
c) TAC. *H. III.* 34. 4.
d) *L. 239. d. V. S. l. 4. §. 2. d. St Hom.*
e) TAC. *A. I,* 59, 8.

§. 4. Plane ſicut homines ſinguli, ita & integer populus iure belli acquiri poteſt, hincque in illos dominium Ius f. Imperantis, id quod probat LVDOVIC MOLINA (*a*): & quidem ſubiectione tali, quali perplacitum victori, cum (*b*) *LL. a Victoribus dicantur, accipiantur a victis.* Idem Romanis obiicit Minio in *orat. pro Antioch.* apud LIV. (*c*) *Cur Syracuſas atque in alias Siciliæ Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & ſecuribus mittitis? Nihil aliud profecto dicatis, quam armis ſuperatis, vos iis has LL. impoſuiſſe.*

a) *d. I. & I. Tr. II. Diſp.* 23. *n. vlt.*
b) CVRT. *IV.* 5.
c) *XXXV.* 16.

§. 5. Licet itaque tales populi intertrimenti quid patiantur, non minus tamen hoc æquo animo illis tolerandum venit, atque ſingulari alicui ſervo, ſi domino non bonis vendatur conditionibus. Cum enim Victori (*a*) *ſummæ imperii* atque τὸ κύριον in republ. iure belli obuenerit, eiusque (*b*) arbitrio LL. commiſſæ ſint, ab ipſoque (*c*) *ratio victoriæ non reddatur* (*d*) *quic-*

a) CORN. *N.* 2. 3. 5.
b) CVRT. *III.* 12.
c) TAC. *H. IV.* 14. 8.
d) LIV. *XXVI.* 31.

Digitized by Google

quicquid enim in hoſtibus facit, ius belli defendit, in poteſtate eius ſitum eſt, an regi velit populum ad ſuam regentis, vel populi deuicti vtilitatem,

§. 6. Suadet tamen æquitas, ſuadet humanitas, vt (*a*) *libido victoris* ius ſuum non (*b*) *ſervili exerceat ingenio*, etſi (*c*) *populus pauidus ſervitioque paratus ſit*, cum eius interſit (*d*) *quantum licuerit in devictos, ſi potius clementia, quam ſæuitia hoc maveli teſtatum:* ne vbi extrema omnia in oculis atque (*e*) *nulla alia via ſupereſt ſalutis* victi (*f*) *deſperatione in audaciam accingantur* (*g*) *induantque ſpiritus hoſtiles* (*h*) *Moneant ipſum utrinque fortunæ documenta* (*i*) *eſſe illis adhuc vires acres, vt deſperantibus*, atque (*k*) *ad iram potius quam in formidinem ſtimulari* & prius (*l*) *extrema paſſuros auſurosque*, quam libertatis pati iacturam, ſimulque cum illa (*m*) *nouiſſimum ſpiritum per ludibrium & contumelias effundere non per virtutem.* Grauiſſimi tales morſus, irritatæ neceſſitatis, atque (*n*) *mortiferi, vt ſolent eſſe morientium beſtiarum*, illa nempe facit (*o*) *vt ad deſperationem timidi & ignaui properent*, (*p*) *efficacior omni arte* (*q*) *& ante rationem.*

a) TAC. *H. III.* 66. 2.
b) ID. *H. IV.* 9. 7.
c) *H. IV.* 2. 3. *A. III.* 65. 3.
d) CVRT. *III.* 2.
e) POLYB. *VI.* 56. *f.*
f) TAC. *H. III.* 66. 8. (g) ID. *H. IV.* 57. 4.
h) *H. IV.* 74. 8.
i) *H. III.* 60. 4.
k) *H. II.* 44. 7.
l) *H. II.* 46. 2.
m) *H. III.* 66 9. n) FLOR *I.* 15. o) TAC. *H. II* 46. 4. CVRT. *V.* 4. *f.* p) CVRT. *IV.* 3. q) ID. *VII.* 7.

§. 7. (*a*) *Tempera* itaque *victoriæ* victor, (*b*) *vbi ſatis terrorem circumtuliſti* (*c*) *parcendo rurſus irritamenta pacis oſtenta*, poſt (*d*) *ſatis approbatam vim, da & lenitatis experimentum* (*e*) *Famam moderationis quære, poſtquam ſuperbiam expleuiſti.* (*f*) *Ea* enim *demum tuta potentia, quæ viribus ſuis imponit modum.* (*g*) *Ne, dum ad calcumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehendiſti, decidas.* Itaque (*h*) *illam ipſam fortunam, qua adſpirante res tam proſpere geſſiſti, veriaris.* (*i*) *Preſſis manibus eam tene, lubrica eſt, nec invita teneri poteſt. Impone felicitati tuæ frenos, facilius illam reges. Ex his quæ tribuit tibi, quam mutabilis ſit reputa.* (*k*) *Non permitte te fortunæ ne naturam dediſcas atque ea tuam naturam corrupat*, (*l*) *tuque a victoris inſignibus in devicti tranſeas habitum*, (*m*) *& ea memineris, propter quæ tui obliviſcaris.*

a) TAC. *H. III.* 31. 5. SAL. *Caſil. c.* 11. *f.*
b) *A. II.* 52. 13.
c) TAC. *Agr.* 20. 3.
d) *A. XV.* 24. 2.
e) *A. XV.* 15. 4.
f) VAL. MAX. *IV.* 1.
g) CVRT. *VII.* 8.
h) ID. 3.
i) ID. *VII.* 8.
k) ID. *III.* 2.
l) ID. *VI.* 6.
m) ID. *VII.* 8.

§. 8.

§. 8. Accedit hoc, quod (*a*) *facilius ſit quædam vincere quam tenere*, & (*b*) *difficilius conſeruare res quam parare, aut id efficere, vti ne quos nouos motus ſubditi excitent, quam eos ab initio integris adhuc rebus vtentes ſubigere.* Cum (*c*) *alienigenam dominum nemo pati velit.* (*d*) *Suis quiſque paret placidius, etiam cum is præeſt, qui magis timeri poteſt.* Sic Græci prætulerunt rigidum Perſei indigenæ imperium, miti Eumenis exteri apud LIV. *L.XLII.*

a) CVRT. *IV. f.* b) DIO CASS. *L. XLIV. p.* 296. *f.* c) CVRT. *VII.* 8. d) ID. *VI.* 3.

§. 9. Qua de cauſſa, ſummæ opus eſt, ne dicam extraordinariæ prudentiæ, victum ſub regimine populum quiete continere, atque iſtiusmodi reip. nauem maximis turbinibus & fluctibus fere obrutam in portu tranquillitatis ſuis conſiliis ſalvam collocare. (*a*) *Quibus hic plura quam vi perficiuntur.* (*b*) *Arma procul habeantur, aſtu res tales moliri & ratione* decet, (*c*) *impetu opus non eſt* in (*d*) *imperiis* talibus *precariis.* Cum (*e*) *viribus parentur prouinciæ, iure retineantur.* Erinaceum reperire per quam facile eſt, ad detinendum vero conſilio opus, vt nimirum manum ſic applices, vt demittat paulatim aculeatas ſuas ſetas quas dum ſurſum erigit, legioni militum ſariſſis vndique cinctæ ſimilis eſſe videtur. (*f*) *Magnæ* itaque *dubio procul virtutis eſt bene rem gerere vbi cœperis, læto fine, quod inſtitueris, terminare.* (g) *Firmanda impoſterum reſpubl. talis, non armis modo, neque aduerſum hoſtes, ſed quod multo maius bonis pacis artibus.* Parum omnino prodeſt muros quidem populorum capere, animos vero ciuium alienare. Nondum enim qui tenet regionem, (*h*) *tenet habenas animorum.*

a) TAC. *A. II.* 26. 4. b) *A. VI.* 32. 1. *H. III.* 60. 4. c) CVRT. *VIII.* 4. d) ID. *VI.* 3. e) FL. *IV.* ult. DIDAC. SAAV. FAXARDO *Symb. Pol.* 59. *p.* 472. f) POLYB. *II.* 12. *m.* g) SAL. Or. 1. h) TAC. *Or.* 31. 5. FLOR. *IV* 12. CVRT. *VI.* 3.

§. 10. Manſuete itaque nondum aſſueta frenis ſeruitutis, tumidæ inflatæque ceruices tractandæ. Tempore opus eſt dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetudo permulcet. Quid? creditis gentes alterius nomine & imperio aſſuetas, non ſacris, non moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohærentes, eodem prælio domitas eſſe quo victæ ſunt? (*a*) *Non eſt diuturna, poſſeſſio in quam gladio inducimur, beneficiorum gratia ſempiterna eſt. Si habere* regionem *occupatam non tranſire volumus cum his communicanda noſtra clementia. Horum fides demum ſtabile faciet & æternum imperium*

a) ID. *VIII.* 8.

rium, ita grauiſſime loquitur ALEX. M. *Enimuero factis honeſtis atque iuſtitia hoſtes vincere minor res non eſt, immo vero & conducibilior armis parta victoria.* (*b*) *Non enim credideris nullum populum aut hominem denique in ea conditione, cuius eum pœniteat: diutius, quam neceſſe ſit manſurum, viuet ſemper in pectoribus eorum, quicquid iſtuc præſens neceſſitas iniunxerit*, (*c*) & in tempore clamabunt, (*d*) *miſeram pacem vel bello bene mutari* (*e*) *pace ſuſpecta tutius eſſe bellum.* Docuit hoc ſatis ſuo exemplo Genua apud IACOB. ZEVECOT. (*f*)

b) POLYB. IV. 12. pr.
c) LIV. L. IX.
d) TAC. A. III. 44. 3.
e) H. IV. 49. 3.
f) Obſ. pol. in Flor. p. m. 309.

§. 11. Cauſſæ etenim quæ ad acquirendum concurrunt imperium non ſemper ad illud conſeruandum præſto ſunt. Quod ſi tamen ſemel in dominatu præſcriptum fuerit, ipſum tempus illum ſuſtentat. Quo fit, vt ſucceſſores facile interdum gubernent imperium, quod non niſi magna cum difficultate antecesſores erexere iamque ſubditi (*a*) *hunc rerum ſtatum non abnuentes, nouis ex rebus aucti tuta malint & præſentia; quam vetera & periculoſa*, (*b*) *quieta turbidis antehabere* (*c*) *præſentia dubiis & honeſtis anteponere* (*d*) *omiſſis præcipitibus tuta & ſalutaria capeſſere.*

a) TAC. I. 2. 3. & 4.
b) A. I. 58. 5
c) H. I. 28. 2
d) A. XV. 29. 1

CAP. II.

Romanorum in conſeruandis Prouinciis Iure belli acquiſitis Prudentia recenſetur.

§. 1.

AGedum iactam poſt aleam, intueamur omnium populorum exemplar (magno enim hic opus) felix Romanorum genus, (*a*) *Caput orbis terrarum* quomodo illi acquiſita iure belli firmiter ſub poteſtate retinuerint.

a) LIV. I. 16. & XXI. 30.

§. 2. Narrat Iuſtinus qui ante Ninum bella geſſerant, *l. 1.* non Imperium ſibi, ſed gloriam quæſiiſſe, & contentos victoria, abſtinuiſſe imperio. Sic Perſarum reges, victis regibus regnum relinquebant. Sic Cyrus Armenio, ſic Alexander Poro (*a*) atque laudat SENECA (*b*) *nihil ex Rege victo præter gloriam ſumere.*

a) CVRT. VIII circ. f.
b) CLEM. I. 21.

§. 3.

§. 3. Ad hoc antiquæ innocentiæ ſpeculum quam proxime accedit prudens Romanorum veterum modeſtia, (*a*) *nibil victis præter iniuriæ licentiam eripientibus. Conditor noſter Romulus* inquit CLAVDIVS Imperat. apud TAC. (*b*) *tantum ſapientia valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues habuerit.* Cuius præclarum inſtitutum, quod refert DION. HALICARN (*c*) ſecuti quam ſtudioſiſſime ſucceſſores reges, ſecuti etiam Coſſ. tanti imperii dedere cauſſam.

a) SAL. *bell. Iugurth.*
b) *A. XI.* 24. 7.
c) *II. p.* 124.

§. 4. Hoſtibus itaque victis, agrique & regionis parte mulctatis, in agris de eis captis, quo imperium ſtabilirent, nouas vrbes (colonias vocarunt) condebant, vel in antiquitus conditas, veteribus incolis exire iuſſis, nouos ex vrbe Romana ciues per IIIuiros Vuiros, Xuiros, ſpecialiter ad id creatos, eo deducebant, quotquot pro magnitudine agri capti colendi ſufficere poſſent.

§. 5. Opus in hiſce deductionibus Scto, vel Plebiſcito aliquo quorum vtrumque communi nomine comprehenſum, Lex Agraria appellata eſt. Cuius multa fuere capita. Lege ſis hac de re CAROL. SIGON. *de Antiquo Iure Ital.* (*a*)

a) *Libr. II. c.* 2. *p.* 173.

§. 6. Non dicemus iam de diuiſione coloniarum in Latinas & ciuium romanorum, quam agnoſcit etiam LIVIVS (*a*) paſſim: neque de eorundem iure atque ciuitatis ratione, vt & de eorundem numero atque deſignatione peculiari, quam exponit VELL. PATERCVL. (*b*) & accuratiſſime SIGON. (*c*) cum ONVPHR. PANVIN. *Deſc. Imp. Rom.* (*d*)

a) 39. 55. *L.* 2. 16. *f. L.* 29. 15. *L.* 34. 44. *l.* 37. 57.
b) *L. I. p.* 16. *ſqq.*
c) *d. l. C. III. ſeqq.*
d) *Libr. III p.* 380. *ſqq.*

§. 7. Ius Ciuitatis Romanæ victis impertitum fuiſſe iam tum audiuimus. Dabatur vero ciuitas aut ſingulis, aut vniuerſis. Hiſce ita ſi vel commigrarent Romam, aut in patria ſua i. e. municipio remanerent, quorum primi & ſecundi ciues romani, tertii proprio municipum nomine ſignati fuere.

§. 8. Hanc conſuetudinem Pop. Rom. poſt vrbem a Gallis captam in Remp. induxit, ſiquidem primi municipes fuere Cærites, quibus ob recepta bello gallico *ſacra Populi Rom. ac ſacerdotes, quodque beneficio eius populi non intermiſſus bonos*

LIV. *V.* 50.

DEUM

Digitized by Google

DEUM immortalium eſſet publice hoſpitium vt fieret SCtum a Camillo factum.

§. 9. Dicti municipales inde quod ius adepti eſſent cum Populo Rom. munera capiendi, recepti ſecundum ICtum in ciuitatem vt (*a*) *munera nobiſcum facerent*; quæ nihil aliud fuere quam officiorum ciuilium iura. (*b*)

§. 10. Quanquam autem omnibus municipibus ciuitas conceſſa erat, tamen pro diuerſitate iurium ciuitatis, quæ eodem modo non obtinebant, effectum neceſſe fuit, vt diſſimilitudo quædam inter eos intercederet. Quibusdam enim ciuitas ſine ſuffragio, quibusdam cum ſuffragio competebat. Et ſane non diffitendum, in iure ferendi ſuffragii potiſſimum elucere perfecti ciuis requiſita qualem definit Philoſophus (*a*) quod debeat eſſe ὁ μετέχων κρίσεως καὶ ἀρχῆς.

§. 11. Primum genus municipum tantum (*a*) muneris honorarii particeps fuit, honoris tantum cauſa in ciuitatem receptum, vt Cærites. (*b*) Ita Campanis equitibus quia cum Latinis rebellare noluiſſent, honoris cauſa civitas ſine ſuffragio data, vti refert LIV. Conf. de hiſce SIGON. *d. l.* (*c*)

§. 12. Duriſſima omnium Italiæ ciuitatum quas romani ſubegere conditio ac fortuna fuit Præfecturarum; quæ enim ciuitates iniquæ ingrataeuæ erga Pop. Rom. fuiſſent, atque fidem datam ſemel iterumque feſelliſſent, vbi in poteſtatem iterum adductæ, in Præfecturæ formulam referebantur. Prima Præfecturarum conſtituta fuit Collatia a Tarquinio rege, miſſo in illam filio Tarquinio Arunte, cum imperio, nullis rationibus reddendis obnoxio, teſte HALICARNASS. (*a*)

§. 13. Longe diuerſum ab Italiæ gubernatione regimen fuit exterarum regionum deuictarum. Senatus etenim Romanus, acceptis de regione in poteſtatem adducta ab imperatore, literis, ſecum de mulcta ac præmiis eorum qui victi eſſent, conſultauit, ac quid ſibi fieri placeret imperat. admonuit, X. aut V. Senatoribus legatis ad eum miſſis, vt ex eorum ſententia de hoſtibus eorumque regione ſtatueret. Quo accepto mandato, imperator aut ex præfinita ſenatus voluntate, aut de communi horum legatorum ſententia, victis gentibus aut ignouit, aut

in

a) *l. 1. ff. ad Munic.*
b) *t. t. ff. d. Mun & hom. t. t. C. d. Mun. patrim tt. ff. & C. d. Exc. Mun.*

a) *III. Pol. 1. & 2.*

a) GELL. *XVI. 13.*
b) ID. *d. l.*
c) *c. VII. p. 194.*

a) *l. III. 10. p. 159. pr.*

in formam redegit prouinciæ. Ignouiſſe dictus eſt cum reliquiſſet eos liberos, ſuis vti legibus ſuosque more patrio creare magiſtratus eos permittens. In prouinciæ formam redegit, quando immutatis legibus domeſticis vel etiam iis plane ademptis, ac Romanorum ſubſtitutis romano magiſtratui quotannis ab vrbe mittendo, parere iuberet. Neque enim tributi impoſitio ſola prouinciam efficiebat: id enim multis Italicis etiam factum, qui tamen leges ſuas ex parte & in totum retinuere.

§. 14. Accidit & hic vt in italicis regionibus deuictis, vt non eodem loco omnes fuerint habitæ, dum quæque pro ſuis erga rem romanam meritis leges accepere. Hinc aliæ ciuitates factæ vectigales aliæ plane immunes, aliæ ſeruitute [dictæ obhinc ſtipendiariæ] aliæ libertate (confœderatæ) affectæ ſunt. Vid. SIGON *d. l.* (*a*)

a) *L. I. c.* 1. *p.* 29.

§. 15. Hunc conficiendarum prouinciarum morem diu ignorauit Roma. Neque enim niſi ſubacta domitaque Italia poſt Ann. V.C.D. [(*a*) *adeo difficile erat dare Italiæ caput*] vlla fuit inſtituta prouincia: quo tempore Sicilia primum ſub (*b*) *tutela romanæ manſuetudinis acquieuit*, (*c*) *cupiditate eius exardente Italiæ populo* Italiæ *armis belloque iungenda & ad continentiam ſuam reuocanda.* Cauſam occupationis dedere Pœni *eodem tempore paribus vtrique votis ac viribus* cum Romanis *imperium orbis agitantes.* Occaſionem præbuit (*d*) *fœderata Ciuitas Meſſana.*

a) FLOR. *II.* 1.
b) CVRT. *IV.* 4. *f.*
c) FLOR. *II.* 2. POLYB. *I.* 10.
d) FLOR. *d. l.*

§. 16. Regebant autem ſingulas prouincias duo magiſtratus PRAESES & QVAESTOR cum ſuis adminiſtris, quæ forma regendi usque ad Impp. quam varie varia fuit. Breuiter: In primordio, ſenatus prouincias lege hac de re lata in poteſtate habebat, & quas prætorias, quas conſulares [rationem huius denominationis adducit SIGON *d. l.* (*a*)] eſſe vellet, ipſe quotannis pro iudicio ſuo ſtatuebat, ſorte inter prætores, comparatione inter Coſſ. dirimendas.

a) *L. II. C.* 1. *pr.*

17. Cum hoc modo poteſtatem accepiſſent præſides, demum lege curiata militare imperium accepere. (*a*) Ius enim deferendi imperium, ſuum populus eſſe voluit, vt & illius prorogationem, ob quam proprætores, procoſſ. dicti.

a) *vid.* IAC. GVTHER *de offic. Dom. Aug. L. I. C.* 41. *pr.*

§. 18

§. 18. Quanquam vero magiſtratibus & priuatis, tributis comitiis a populo prouinciæ fuerint commiſſæ: reſtituta tamen iterum ſenatui hæc poteſtas per C. Sempronium Grachum. [Huius L. Sempron. meminit SALVST (*a*) & CICERO (*b*)] manſitque hæc poteſtas ei integra vſque ad tempora fere Iul. Cæſ. Dixi fere, nam labaſcente iam vetere diſciplina atque ardeſcente in ciuitate ambitu, diſcrepans fuit neceſſe, temporum in mandandis prouinciis ratio, multoque vehementius poſt Cæſaris victoriam fluctuauit.

a) *bell. Iug.*
b) *pr. Dom in Clod.*

§. 19. Obtenta tali modo prouincia SCto, imperium in eam lege, exibant vel ſponte, vel SCto ea de re facto, paludamento induti, inſignibus, ornamentis, lictoribus ſecum ſumtis, neque prius poteſtas atque imperium exercebatur ab iis, donec prouinciam ingrediebantur.

§. 20. De priori præſidum officio, id quod conſiſtebat in iuris dicundi poteſtate, late tractat SIGON. *d. l.* (*a*) Alterum huius loci eſt. Per hoc enim victos & ſocios in fide continuerunt, exercitus terrorem, bellique minas ſi deficerent, oſtentantes. Qua de cauſſa paratus ſemper præſto fuit exercitus, aut nouiter conſcriptus, aut a deceſſore in prouincia relictus.

a) *L. II. c. 5. per tot.*

§. 21. Compreſſa tamen & hac in re præſidum poteſtas per L. Corneliam Maieſtatis & L. Iul. Repetund. ne aduerſus quoscunque vellent hoſtes, exercitus deduci poſſit; De ſociis itidem cautum fuit, apud quos, milites in ſtatiua tam hiberna quam æſtiua, collocari deberent.

§. 22. Alter prouincialium magiſtratuum QVAESTOR pecuniam curabat; quæ aut ex ærario depromta in vſus prouinciæ eſſet expendenda [attributa (*a*)] aut a prouincia exacta, in ærarium referenda ſ. vectigalis.

a) SIGON. *d. l. c. 8. per tot.*

§. 23. Mirum quantum hæcce mutata Auguſti tempore. Diuiſis enim inter Imperatorem & ſenatum prouinciis (*a*) [qua ſpecie & qua προφάσει eleganter exponit DIO CASS. (*b*)] ſenatus in ſuas prouincias mittebat procoſſ. hi rurſus legatos certos, publice ad id conſtitutos. (*c*)

a) SVET. *Aug.* 47.
b) *LVII. p. 576*
c) *t. t. ff. & C. de off. Procoſ. & Leg.*

§. 24. Procoſſ. contradiſtincti erant præſides ſ. legati cæſaris (*a*). Nomen enim præſidum ex eorum numero quæ dicuntur de vno ad vnum, ceu innuit VLPIANVS. (*b*) Dicebantur & prouinciæ rectores. (*c*) Eorum officium deſcribitur a prædicto ICto VLP. (*d*) vt & CALLISTRATO (*e*) MODESTINO (*f*) MARCIANO (*g*) elegantiſſime.

a) l. 1. & pen. ff. de off. præſ.
b) d. l. 1.
c) l. 2. 9. & 11. C. de off. Rect. Prov.

d) l. 13. de Off. Præſ. e) l. 19. ff. d. t. f) l. 18. eod. g) l. 15. eod.

§. 25. Fiſcalibus ſpeciatim cauſſis vt in veteri rep. quæſtor ſic ſub Impp. in prouinciis præfuit procurator cæſ. ſ. rationalis. (*a*) [quanquam diſtinctionem inter hoſce velint LIPSIVS & CASAVBONVS apud IACOB. GVTHERIVM (*b*)] primum ab Augusto in prouincias miſſus (*c*) vt quæ ad fiſcum principis pertinent exigeret, peteret, adminiſtraret, atque in publicum reditum colligeret. (*d*) De horum qualitate & officio exacte egit IACOB. GVTHER. *d. l.*

a) t. t. ff. de off. Proc. Cæſ.
b) d. tr. L. III. 6. 33. p. 695.
c) DIO. L. III. p. 579.

d) l. 47. §. 2. de iur. fiſc. l. vlt. de interrog.

§. 26. Nominatim in prouincia Ægypti tempore Augusti præfectus auguſtalis conſtitutus erat, ex equitibus electus (*a*) *Multitudo ſane hominum, vrbium ac agrorum ac mores eius gentis leues, tum copia annonæ & pecuniæ efficiebant, vt non modo committere prouinciam ſenatori nulli auderet, ſed & proficiſcendi in Ægyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui permiſiſſet, omnibus adimebat.* (*b*) Hocque inter alia Dominationis arcana refert TAC. (*c*) *Ita viſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſciuiam diſcordem & mobilem, inſciam legum ignaram magiſtratuum, domi retinere.* (*d*) Non igitur de nihilo erat quod Tiberius acerrime increpuit Germanicum (*e*) *quod contra inſtituta Auguſti Alexandriam* [in qua regenda præfecto auguſtali peculiarem adiunxit magiſtratum Auguſtus (*f*) *introiſſet.*

a) L. vn ff. de off. praf. Aug.
b) DIO L. LII. p. 528.
c) 2. A. LIX.
d) TAC. I. H. 11. 1.
e) A. II. 59. 3.
f) t. t. ff. & C. de off. iurid.

§. 27. Supereſſet hic longe vberrimus campus excurrendi in tempora inſequentium Impp. inſimulque nouam reip. diuiſionem ab Hadriano factam attingere: qua tamen facta tantum abeſt, vt nociuum fuerit Imperio Romano, vt nec prouincia vlla vel vi vel ſponte amiſſa, quæ non magno etiam cum fœnore fuerit recuperata. Sane poſtea Gallienum iniqua fata præ-

Digitized by Google

præpoſuere reipubl. vt fatalem Imperii Romani ruinam: ſub eo enim prouinciæ non amplius receptæ, potius amiſſæ. Nobis animo non ſedit hiſce immorari. De Conſtantini M. diuiſione tamen agemus ſeorſim.

CAP. III.
Fertur de Hiſce κρίσις.

§. 1.

CAuſſam ſtupendæ Romanorum magnitudinis atque potentiæ, etſi quidam iuſto eorundem imperio, quidam optimæ reip. formæ eiusdemque prudentiſſimis LL. alii defenſioni ſociorum, alii fortunæ Roman. propriæ, ſingulorum in indiuiduo virtuti alii, adſcribant: ego tamen præcipuam & pene vnicam tanti faſtigii cauſam fuiſſe ARMORVM STVDIVM, omniaque Reipub. decora, non ad ciuilis vitæ quietem, ſed gloriam & imperii augmentum introducendi iudico. Loquatur pro me orator eorundem CICERO: (*a*) *Virtus militaris Pop. Romano nomen, vbi æternam gloriam peperit, orbem terrarum parere huic imperio coegit.*

a) *pr. Marc*

§. 2. Prædictam imperii amplificationem quam maxime & vnice promotum iuere Romani, victos populos clementer habendo, iusque ciuitatis cum iis communicando. *Quid hodie eſſet imperium* inquit SENECA (*a*) *niſi ſalubris prouidentia victos permiſcuiſſet victoribus. Auctum romanum nomen communione iuris* fatetur VELL. PATERC. (*b*) & *hoſtibus in ciuitatem receptis* (*c*) Albanis (*d*), Sabinis & Latinis (*e*) aliisque, *transferendo Romam quod usquam egregium fuit, non modo ſinguli etiam viritim, ſed terræ gentesque in nomen Romanum coaluere* (*f*) & *in gentem maximam ex minima, ex obſcuriſſima, in clariſſimam euaſere* (*g*). Tetigit hanc rem CHRISTOPHOR COLERVS (*h*)

a) *II. de ira* 34.
b) *L. I p.* 16.
c) LIV. *l.* 33. *pr.* 4.
d) ID. *l.* 29. *pr.*
e) ID. *l.* 33. *pr.*
f) TAC. *A. XI.* 24. 2.
g) HALIC. *l.* 2.
h) *Diſſ. de Rat. Stat. in Nativ. Chr.*

§. 3. Sane nulla unquam reſpubl. ſinus ſuos ad nouos ciues recipiendos tam profuſe laxauit quam reſpubl. romana. Itaque par erat inſtituto tam prudenti fortuna, cum in imperium toto orbe ampliſſimum ſuccreuerit. Non ſolum autem ius ciuitatis promte elargiebantur, idque in gradu ſupremo, verum

FRANC. BACO *de* VERVLAM. *ſerm fid. C.* 29. *p. m.* 144.

verum etiam ius petitionis ſ. adipiſcendorum honorum. Hocque rurſus non ſingulis tantum perſonis, ſed totis familiis, immo ciuitatibus, nonnunquam integris communicatum nationibus. Sic Iul. Cæſar frementibus licet romanis in triumphum duxit, idem incuriam Gallos. Hinc natus Pasquinus:

SVET. *Caſ.* 80. *Galli bracas depoſuerunt, latum clauum ſumſerunt.*

Idem ius Claudius Imperat. conceſſit Galliæ Comatæ, quamuis *multus ea ſuper re variusque rumor & ſtudiis diuerſis apud principem certabatur, aſſeuerantium, non adeo ægram Italiam vt*
a) A.XI. 23.1. *ſenatum ſuppeditare vrbi ſuæ nequiret.* apud TAC. (*a*) Notatu
*b) H.IV.*74.5. digna ſunt verba quibus Treueros ac Lingonas ſeditioſos Cerialis apud EVND. (*b*) alloquitur. *Ipſi legionibus noſtris*, inquit, *præſidetis: ipſi has aliasque prouincias regitis. Nihil ſeperatum clauſumus.* Et in fine orationis: *Proinde pacem & vrbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite.*

§. 4. Certe æternitati romani imperii maxime fuiſſet conſultum, ſi homines deuicti non ad amorem eius imperii ſub quo degere coacti fuere, ineſcati fuiſſent. Via vero commo-
a) TAC. *H.IV.* diſſima alia fieri non potuit, quam dignitatum & honorum cum
74.3. ipſis communione, priuilegiorum æquali diſtributione; ut qui vni ſubſunt imperio, vna quoque eademque fruantur libertate, & penes illos *omnia in communi ſint ſita* (*a*) Incutit iſta iurium atque libertatis communio rudioribus ac immanſuetis
Miniſt. adhuc animis amorem imperii, vt qui ſe a nullo honorum gra-
Cardin RI- du excluſos vident facilius impoſito colla ſubdant jugo, ſem-
CHEL. *L.IV.c.* per auſpicia Imperii victoris eiusdemque titulos triumphales
22. *in pol. re-* ſequentes. Res non exigui momenti ad captivandos captivo-
min. *b)* TAC. *A. II.* rum iſtis humanitatis officiis animos atque ad redimendas in-
9.4. ſidioſa hac munificentia ſervitutis inductæ injurias & ignominias. Quo reſpectu generoſus Arminius honores & præmia fratri Flavio a Romanis collata irridet, vt *vilia ſervitii pretia.* (*b*)

§. 5. Neque metuendum hic vt fidem exuant tales, vi-
a) TAC. *A. XI.* ictoris populi *moribus, artibus, affinitatibus mixti* (*a*) *infecti ali-*
24.9. *monio, ſeruitio, cultu,* (*b*) *connubio ſociati. His enim patria eſt* (*c*)
b) A. XI 16.7. *qui hoc ſacro fœdere diſcrimen victi & victoris excludunt invete-*
c) H. IV. 65.5. *d)* CVRT. *X.* 3. *rando peregrinam novitatem.* (*d*) *Victores enim victosque nunquam*

quam ſolida fide coaleſcere (*e*) *fide & affectu teneri* (*f*) eius contrarium a plurimis ſeculis inter omnes homines vſu compertum eſt, ceu loquitur CYRIAC. THRASYMACHVS (*g*) *Tunc ſolida domi quies*; *& aduerſus externa floruimus*, inquit Imp. Claudius, (*h*) *cum Transpadani in Civitatem recepti, cum ſpecie deductarum per Orbem terræ legionum, additis prouincialium validiſſimis feſſo imperio ſubuentum eſt.* Et iterum: *Num pœnitet Balbos ex Hiſpania nec minus inſignes viros e Gallia Narbonenſi tranſiviſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt:* Immo virtute anteeunt: *ſimul novi homines e municipiis & coloniis atque etiam prouinciis, in ſenatum crebro aſſumti, domeſticam parſimoniam intulerunt* (*i*) Gracho origine Romano a Polonis antiquitus adoptato inque civitatem recepto optimi civis tribuitur titulus, inſtituta ab eo, atque in eo inchoata poſt regimen Palatinorum monarchia, ab ANDREA *de* PILCA CASTELLANO *Viſlicenſi in Perſpectiua Pol. Regn. Pol.* (*k*)

§. 6. *Vulgari tali modo inſignia patrum, decora magiſtratuum, cætu alienigenarum velut captivitate illato, quem vltra honorem reſiduis nobilium* (*a*) indigenarum? inquit ſenatus romanus ad imperat. Claudium. Verum recte reponit iis Imperat: *omnia quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuiſſe, poſſe & hoc inueteraſcere & quod hodie exemplis tuetur, inter exempla eſſe* (*b*). Nam *nova & recentia iura in vetuſtatem conſuetudine vertuntur* (*c*). Adjicit Imperator ſuum σκέμμα πολιτικόν: *Aurum & opes ſuas inferant potius quam ſeparati habeant.* (*d*) Quanquam adhuc occultior cauſa quæ imperatorem moverit, dari poſſit. N mirum ne ſenatus ex ſolis conſtaret romanis, ſed intereſſent etiam ſenatui natura principi obſequioſi, & tanto beneficii genere deuincti. Suaſit hoc etiam Cæſari SALVST. (*e*) Auguſto MECAENAS (*f*) Donec ex Conſtit. Imp. Antonini *in orbe romano qui ſunt, ciues romani effecti ſunt* (*g*) exindeque Romam communem noſtram patriam aſſerunt ICti (*h*).

Hæc eſt in gremium victos quæ ſola recepit,
humanumque genus communi nomine fovet
matris, non dominæ ritu: ciuesque vocavit
quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.

e) TAC. *H. II.* 7. 1.
f) *Agr.* 3. 3.
g) *de Inſt Arm. S. in P. circ. f.*
h) TAC. *A. XI.* 24. 4. & 5.
i) TAC. *A. III.* 55. 3.
k) *d. Lib. El. Idea c.* 2.

a) TAC. *A. XI.* 23. 3. & 4
b) ID. *A. XI.* 24. 10.
c) *A. IV.* 65. 6.
d) *A. XI.* 24. 9.
e) *Orat.* 2.
f) DIO. *l. LII. p.* 545.
g) *l.* 17. *d. St. Hom.*
h) *l.* 33. *ff. ad munic. l.* 6. *§.* 11. *ff. d. Excuſ. l. vlt. d. interd.*

Digitized by Google

Huius pacificis debemus moribus omnes,
quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes:
quod cuncti gens una ſumus.

CLAVD. *III. Stilic.*

§. 7. Eo quoque modo POLONI extenderunt hactenus, munierunt & firmarunt ſuam rempubl. participes reddendo immunitatum alios. Ruſſos enim inſtitutis ſacris pariter profaniſque multum alienos, Boruſſos Livonosque lingua & moribus ſemper, hodie etiam religione diuerſos, Lithuanos denique cum adhuc fœda barbarie & paganiſmo eſſent collutulati in ſuam recepere rempublicam.

GYRIAC. THRASVM. *d. Iuſt. Arm. S. contr. P.*

§. 8. HISPANI quanquam ius ciuitatis ſatis parce ſoleant impertire, quod proximum tamen eſt faciunt, quippe qui cuiuscunque nationis homines ad militiam ſuam promiſcue admittunt. Quin etiam ſummum belli imperium, haud raro ad duces natione non hiſpanos, deferunt. Immo indigenarum ſuorum paucitatem ad tot regna & prouincias frenandas ſenſiſſe eique ſuccurrere cupiuiſſe refert FRANC. BACO *de* VERVL. (*a*) GALLI exteros ciuibus ſuis inſerunt parique iure cum indigenis gaudere per literas, quas *naturalitatis* vocant, iubent, id quod exemplo Cardin. Mazarini noviſſimo teſtatur AVTOR *Hiſtoriæ de Miniſt. eiusdem.* (*b*)

a) *Serm. fid. 29. p. m. 145.*
b) *L. II. c. 5. & 6.*

§. 9. Pergo ad alteram Romanorum in retinendis prouinciis conſuetudinem, colonias nimirum, quibus romanæ ſtirpes in exterum transplantabantur ſolum. Eminent hæ inter antiqua & heroica opera iam Aboriginibus uſurpata (*a*) à Romanis nunquam non feliciter tentata, nunquam intermiſſa, ſemper inſtaurata.

a) HALIC. *I. 2.*

§. 10. Primariam deducendarum coloniarum cauſam pono coërcitionem populorum deuictorum. Prudentiſſimo ſane hoc munimine fingi nihil accommodatius potuit. Vera *ſeruitii munimenta* (*a*) *ſedes ſeruitutis* (*b*) *ſubſidia aduerſus rebelles & imbuendis ſociis ad officia legum* (*c*) claues alicuius ditionis, (*d*) coloniæ.

a) TAC. *H. IV. 64. 4.*
b) *Agr. 16. 1.*
c) *A. XII. 32. 4.*
d) MACH. *in Pr. c. 3.*

§. 11. Coloniarum etiam beneficio excurſiones hoſtium prohibitæ. Sic colonia Nequinum aduerſus Vmbros miſſa. (*a*) Hinc Boii cum Inſubribus, Cremonam & Placentiam Coloniis

a) LIV. *X. 10. m.*

nias ægre patiebantur. (*b*) Aequi coloniam velut arcem finibus ſuis impoſitam ſumma vi expugnare conati. (*c*) Per haſce itidem fex plebis exhauſta atque ſeditiones ſedatæ. (*d*) Præmiis milites veterani affecti, poſterioribus ſcilicet temporibus. Coloniæ enim militares quarum meminit VELL. PAT. (*e*) incœpere inſequenti tempeſtate. Adiſis de hiſce CAROL. SIGON. *d. l.* (*f*).

b) LIV. *XXI*. 25. *pr.*
c) ID. *X*. 1. *m.*
d) ID *III.*
e) *L. I. p.* 16.
f) *C.* 4. *pen* ...

§. 12. Quantum vero momenti in coloniis ſitum Romanis fuerit ex eo liquet. Belli Punici ſecundi tempore XXX. coloniæ Pop. Rom. erant. Ex iis duodecim quum omnium legationes Romæ eſſent, negauerunt Coſſ. eſſe, vnde milites, pecuniamque darent. Noua re Coſſ. icti, quum abſterrere eos a tam deteſtabili conſilio vellent, caſtigando, increpandoque: non detrectationem eam munerum militiæ, ſed apertam defectionem a Pop. Roman. eſſe, nihil motos legatos viderunt, ſed obſtinatos, Coſſ. rem ad ſenatum detulerunt. Vbi tantus pavor animis hominum eſt iniectus, ut magna pars actum de imperio diceret, idem alias colonias facturas, idem ſocios conſenſiſſe omnes, ad prodendam Annibali vrbem Romam. (*a*)

a) LIV. *XXVII.* 11.

§. 13. Sane ſi & ceteræ coloniæ idem fuiſſent ſequutæ omnimodo res cecidiſſet romana, veterum ſtetit tum temporis imp. rom. harum coloniarum beneficio. (*a*)

a) LIV. *l. c.* 12.

§. 14. Non incognita hæc imperii tam amplificandi quam retinendi methodus Europæis noſtris. Fridericus I. Imp. Sileſiam magis ſibi reddidit obnoxiam per coloniarum deductionem. (*a*) Sic Luſitani Maderam, Capo verde, Goam, Braſiliam, & Indiam coloniis ſuis occuparunt. Hiſpani Peru & inſulas Philippinas ſibi vendicarunt, quodque eorundem rex potentiſſimus iure maximo iactare poteſt in terris ſuis nunquam occidere ſolem iungendo cum veſpere Auroram, coloniarum beneficio debet. Bataui in inſulam Iauam, nouiſſime Angli in Hiberniam colonias deduxere. Neque etiam Aſiaticis, vti de moderni Perſarum regis Auo Schach Abas teſtatur PHILIPPVS *a SS. ma Trinit.* (*b*)

a) CONRING. *d. Fin. Imp. Germ. C.* 29. *p. m.* 811.
b) *in itin. orient. p.* 70.

§. 15. Efficiet etiam princeps vt deductis coloniis acquiſitas ſibi prouincias traducat ad mores, genium & ſtylum dominan-

minantis; ad quæ hæ nationes facillime induci poſſunt. Semper enim imitantur victores iisque adulantur: eorum moribus atque ingenio ſeſe accommodando, & priuilegia eorum ac conſuetudines pluris æſtimando quam proprias. Hanc Politicam neglectam fuiſſe in Hiſpaniæ reſtauratione eiectione ſanguinis africani refert DIDAC. SAAV. FAXARDO. (a) Eiectis enim ingentibus illius copiis ſibi ipſis fecere ſolitudinem, & Caſtoris inſtar virilia exſecuere. *Vid.* CHRISTOPH. FORSTN. *in not. pol.* (b) Accedente poſtea tempore Ferdinandi & Iſabellæ Iudæorum exſtirpatione notatu digna ſunt quæ de hac re ſcribit MARIANA *Hiſt. Hiſp. L. XXXVI. c. 1.* quem allegat vir ſatis magni nominis HERMANN. CONRING. *Tr. de Mai. ciu. Aut. circ. Sacra* (c).

a) *Symb. P.* 59. *p.* 484.
b) *ad XI.* TAC. *p. m.* 65.
c) *n.* 88.

§. 16. Hæc itaque duo inſtituta Romanorum iam a nobis recenſita, ſi ſimul componas, dices profecto, verba ſunt FRANCISCI BAC. DE VERVL. (a) *non Romanos ſe diffudiſſe ſuper vniuerſum orbem, ſed contra orbem vniuerſum, ſe diffudiſſe ſuper Romanos.*

a) *Serm. F.* c. 29. *p.* 144.

CAP. IV.

Diluuntur, quæ cum His, quæ iam attulimus, in ſpeciem pugnant.

§. 1.

Videbimus, annon his quæ iam diximus, aliquid reponi poſſit. Capua deuicta *cum emolumento quæſitam lenitatis ſpeciem incolumitate vrbis nobiliſſimæ opulentiſſimæque* inquit LIV. (a) Certe *multitudo ciuium diſſipata in nullam ſpem reditus, alia venundata, magiſtratu ad palum deligato, virgis cæſo, ſecuri percuſſo, lictore lege agere iuſſo.* (b) *Tecta vrbis ſeruata vt eſſet: aliqua aratorum ſedes, relicta habitanda crudelius quam ſi deleta eſſet: ſine corpore vllo ciuitatis, ſenatu, plebis concilio, magiſtratu, conſilio publico*, vt ſepulchrum & monimentum Campani Populi. Regna itidem Macedoniæ atque Illyrii *nomine regionatim commerciis interruptis lacerata, & tanquam animalia in artus, alterum alterius indigenteis diſtracta.* (c)

a) *XXVI.* 16. *f.*
b) LIV. *l. c.* 15.
c) LIV. XLV. 30. *pr.*

§. 2. Capuam quod attinet, multo maxime ea merita dirui a fundamentis quam vlla alia, quam ipſa Carthago: Quippe cui

cui non ita infeſti erant, vti hoc ipſa prodit Campani viri Vibii oratio apud LIV. (*a*) Nonne illa in defectione fœdiſſima, ſpretis fideliſſimis admonitionibus Varronis Cos. (*b*) Romanos omnes comprehenſos velut cuſtodiæ ſuæ cauſſa balneis includi iuſſere, *vbi feruore atque æſtu anima intercluſa fœdum in modum exſpirarent.* (*c*) Nonne illa vt imperio Italiæ potiri poſſet fœdus cum Annibale pepigit? fatente ipſomet eorundem legato Sabio Virio. (*d*) Ideoque *prona hæc ciuitas in luxuriam non ingeniorum modo vitio, ſed affluenti copia* (*e*) *omnium voluptatum inſtrumento delinita* (*f*) *hoſtis Romani nominis* (*g*) non potuit non iuſtam Romanorum iram proprio ſibi accerſere iumento: quanquam eorundem clementiam ſatis ſuperque adhuc ſenſit (*h*) qui media tantum rebellandi atque occaſiones iis ademere. *Vid. Aut Reminiſc. Pol. in Miniſt. Cardin.* RICHEL. (*i*) Etſi Campanorum *cauſſa durior erat neque meritas pœnas negare poterant* (*k*) ipſi deinde *nec Q. Fuluii ſæuitiam in ſeſe, ſed iniquitatem DEUm atque execrabilem fortunam ſuam incuſantes.* (*l*)

a) XXVI. 13. f.
b) LIV. XXIII. 5.
c) LIV. l. c. 7.
d) ID. XXIII. 6. l. pr.
e) LIV. l. c. 4.
f) ID. VII. 38.
g) ID. VI. 27.
h) LIV. XXVI. 33. & 34.
i) L. V. c. 27. p. m. 385.
k) LIV. XXVI. 33. pr.
l) LIV. l. c. 34. f.

§. 3. Macedones, *affectator imperii populus* (*a*) vt & Illyrii, non ſemel rebelles, attamen relicti liberi, & ſuis viuere legibus iuſſi, *vt omnibus gentibus appareret, arma Pop. Rom. non liberis ſeruitutem, ſed contra ſeruientibus libertatem afferre* (*b*)

a] FLOR. II. 7. pr.
b] LIV XLV. 18.

§. 4. Verum quid dabimus reſponſi ciuibus noſtris: *Voluptatibus Romanos plus aduerſus victos quam armis valuiſſe* (*a*) aſſerentibus. Hinc *ſaluberrima conſilia* fuere Romanis apud TAC. (*b*) *homines diſperſos ac rudes eoque bello faciles quieti & otio per voluptates aſſueſcere, laudando* in his *promtos, caſtigando ſegnes: inde paulatim* a Britannis *diſceſſum ad delinimenta vitiorum porticus & balnea & conuiuiorum elegentiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſeruitutis eſſet.* (*c*) Ergone orbem, quem ſubegimus, laſciuia noſtra defendit? (*d*)

a] TAC. H. IV. 46. 7.
b] Agr. 22. 1.
c] Agr. 21. 3.
d] Sen conſ. ad Marc.

§. 5. Fortaſſis arcanum dices Imperii Rem. per quod ſuave redditum fuit iugum hominibus per voluptates atque luxum effeminatis & euiratis? Certe ſi populus de victus indulgenter habeatur, quatenus ſine morum corruptela fieri poteſt, in ludis & eiuſmodi receptis voluptatibus, vt mollia fre-

nandi populi lupata non reiicio. Cum præprimis *hæc atque talia plebi volentia ſint*, vt eſt vulgus *cupiens voluptatum & ſi eodem princeps trahat, lætum.* (*a*) Eorundem *pluribus* ne dicam omnibus *probatur, qui in tanta vitiorum dulcedine ſummum imperium non reſtrictum nec perſeuerum volunt.* (*b*) Verum vti dixi modus hic tenendus, vt lætitiæ potius quam laſciuiæ hæc dentur, *ſine vllo inſigni dehoneſtamento* (*c*) *Non inuidemus* inquiunt Impp. A. A. A. (*d*) *ſed potius cohortamur amplectenda felicis populi ſtudia. Clementiæ* Arcadii & Honorii A. A. *placuit, vt Maiumæ prouincialibus lætitia reddatur* (*e*). Deinde ſi tempora diſtinguas facile concedo Romanos ab antiqua virtute nimium quantum deſciuiſſe. *Tanta maiorum noſtrorum virtus*, inquit SEN. (*f*) *vt etiam vitia potuerit poſterorum ſuſtentare.*

Hi tantum parient Latio per vulnera regnum
quod luxu, & multum mutata mente nepotes
non tamen euertiſſe queant - - -- SIGON. *L. III. Vid. hic* omnino ALBERIC. GENT. *de Arm. Rom. L. II. C. vlt. circ. f.*

a] TAC. *A. XIV.* 14. 4. *A. XV.* 36. 6.
b] *A. XV.* 48 5.
c) *A. XIV.* 21. 6. & 7.
d) *l.* 1. *C. de ſpectac.*
e) *l. vn. C. d. Maiuma.*
f) *conſ. ad Marc.*

CAP. V.
Diuiſio Imperii a Conſtantino M. facta expenditur.

§. 1.

VTi iam tum dictum, laudata abunde virtus Romanorum antiquorum illas ipſas ruinas vitiorum conſecutorum diu ſuſtentare non potuit. *Non enim gradu, ſed præcipiti curſu a virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum, vetus diſciplina deſerta, noua inducta, in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negociis ad otium conuerſa ciuitas* (*a*) Sed hæc noſtri non ſunt inſtituti. Videatur quæ de hiſce accurrate commentatus eſt πολιτικώτατος BOECLERVS *in annot. pol. ad* TACIT. (*b*)

§. 2. Quamuis itaque inficias ire non poſſim, imperium malis inſtitutis in præceps labens, præſertim Impp. qui poſt Theodoſ cepere, fatali ignauia atque ſocordia corruiſſe, vt non minus in eo perdendo laboraſſe videantur, quam veteres in aſſerenda eius magnitudine: attamen negari non poteſt diuiſio-

a) VELL. PAT. *II.* 1.
b) *II. H.* 38. *p. m.* 121. *ſeqq.*
Onuphr. Panvin. deſcr. Imp. Rom. l. 3. *p.* 432.

diuiſionem imperii a Conſtantino M. factam, inſimulque defectum retinendi imperii præcipuam prouinciarum amiſſarum, ne dicam totius imperii occidentalis excidii cauſſam fuiſſe, qua autore ZOSIMO Rheni & Danubii ripas XV. legionum præſidio firmatas ſpoliauit, imperium etiam in duo diuiſa infirmum reddens atque imbecille. Maximum hoc fuit Conſtantini erratum, Imperium quam religione boni tam rep. peſſimi, ceu grauiter cenſetDn.Præſ.*deContr.illuſtr.SeculiSuper.*(*a*)Rheno enim & Danubio Romani imperii clauſtris firmiſſimis claudebantur tum temporis Gothi, Hunni, Alani, Vandali, Franci, Burgundiones, pluresque alii Septentrionales populi, qui vltra Rhenum habitabant atque Danubium. Ii vt in regione populoſa nati ſæpe excreſcebant in eam multitudinem, vt pars aliqua illorum, patria relicta, nouas ſedes, nouaque domicilia quærere fuerit coacta. Quorum vim quum Auguſtus Imperat. præſenſiſſet, validiſſimis eam legionibus ſuper omnium ripas collocatis reprimere poſſe, exiſtimauit. Quo certe inſtituto, fines imperii romani egregie fuere tutati, donec legionibus a fluminibus, tanquam foribus a portis, remotis, populi prædicti romanas occupare occæpere prouincias, immo ipſam relictam occidentalis imperii ſedem, variis hinc inde in Italia & imperio romano regnis, originem dantes. Prudentior in muniendis imperii finibus primus Germanorum Imp. Carolus M. cuius inſtituta legas apud I. H. BOECL. *comm. nouiſſ. de reb. ſec. a C. N. IX.* (*b*)

a] *Diſſ. Exoter.* §. *tb.* 3. *p.*

MACHIAV. *II. Diſſ.* 8. *p. m.* 198. *& in pr. hiſt. Flor.*

b] *p. m.* 8. *&* 9.

CAP. VI.

Solœciſmus Spartanorum & Athenienſium redarguitur.

§. I.

Contrariam Romanorum viam, hac in re ingreſſos fuiſſe Spartanos atque Athenienſes, teſtis eſt locupletiſſimus Claudius Imp. in ſæpe allegata graui oratione apud TAC. (*a*) *Quid aliud*, inquit, *exitio Lacedæmoniis atque Athenienſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienige-*

a) *A. XI.* 24. 6.

b) Diſp. Pol. Ariſt. 2. th. 33. n. 1.

alienigenis arcebant? Et quod multo magis, nomine Helotarum, in ſeruitutem eos redigebant.: Hoc inter alios Reip. Spartanæ næuos recenſet philoſophus & ex eo ſummus Theolog. atque Philoſ. Dn. D. MIGRAELIVS (*b*)

a) H. VI. 46. pr. & 48.

§. 2. Cum enim eorundem *Llator* Lycurgus, nulla re facilius abrogari poſſe LL. ſuas quam exterorum admiſtione exiſtimaret, ob haneque cauſſam commercia cum exteris ciuibus vt & inter illos Matrimonia interdiceret, multo magis deuictos ab omnium iurium communione excluſit. Et *quod ad concordiam inter ciues ſeruandam, finibus reip. Laconicæ ſecuritatem præſtandam, ad hæc libertatem tuto Spartæ conſeruandam, puto equitem Lycurgum eas LL. tuliſſe, & omnibus prudenter proſpexiſſe adeo præclare, vt inuentum diuinius cenſeam, quam vt ab homine ſit profectum.* Verba ſint grauiſſimi POLYBII (*a*)

a) POLYB. d. l.
b) FORSTN. ad IV. A. p. m. 355
c) VI. 48.

§. 3. Conſtituta autem tali modo republ. a Lycurgo, *reſtabat illud quo ciuibus eiuſmodi neceſſitatem imponeret, aut voluntatem animis ingeneraret, vt quemadmodum in vitæ priuatæ ratione, præſenti ſorte contentos ac frugi homines eſſe ipſos condocefecerat: ſic & publicos ciuitatis mores efficeret temperantes & fortuna ſua contentos.* (*a*) Quæ reip. ſuæ inſtituta cum obſeruaſſent, octingentos annos liberi vixerunt (*b*). omiſſis iis pacis artibus factum omnino, etſi Græciæ totius occupaſſent imperium, tam inepti eſſent ad illud conſeruandum, vt deficientibus Thebis, reliquæ ciuitates ſimul omnes defecerint, propriæque libertatis adierint periculum. Ob hanc itaque cauſſam *fatendum* omnino cum POLYBIO, (*c*) *Laconicam reip. formam fuiſſe imperfectam, & longe præſtitiſſe Romanam, eiusque conſtitutionem ad vires parandas & imperium fuiſſe aptiorem.*

Mach. 2. Diſc. 3.

§. 4. Cum enim fieri non poſſit, vt tenuis planta ponderoſos ac magnos ramos ſuſtineat: nequaquam exiſtimare debemus, rempubl. exiguo ciuium numero conſtantem, poſſe occupare, aut ſi quando occupauit conſeruare prouincias maiores quam ipſa ſit. Nam ſi quando tale quoddam ei contigerit, ex leui aliquo motu rurſus omnia perdet, perinde vt illa planta ex leui confiringitur vento. Hæc enim raritas ciuium ad ultimum ſe ipſam conſumit, temeritatique non ſufficit, ſi præ-

ſertim

ſertim & illud Spartanorum obſeruetur, vt quos deuiceris ſervos facias. Horum enim potentia aliquoties maxima reip. attulit mala. Dum enim domini exteris occupabantur bellis, laxato ſeruitutis freno ad res nouas animum appellebant, horumque diffidia hoſtes vicini Argiui, Meſſenii, Arcades, fovebant. Nullum ad excidium reip. propriorem affirmauerim gradum hiſce obſeruatis.

§. 5. Idem exitus a defectu & raritate incolarum imminet potentiſſimis rebusp. Heluetiorum & Venetorum, (*a*) apud quos nulla ſpes aſcititios alit altius emergendi. Et hæc quidem respubl. cum pacem non arma, quietis conſeruationem, non imperii amplificationem ſpectet, eorundemque imperium ciuilibus potiſſimum fulciatur legibus, incrementis vero externis, talia inſtituta labefactari neceſſum ſit, euenit omnino, vt non poſſit non ad amplificandos imperii terminos, & per conſequens eos retinendos exiſtere inepta. Obhinc non diuturno gauiſam fuiſſe imperandi in Italos faſtigio Venet. remp. ſcribit. CYRIAC. LENTVL. (*b*) Mille enim modis oneri iſtiusmodi rebusp. eſſe ſolet recenter parta imperia, præſertim ſi cum ipſis non infimul etiam vires augeantur, vt res nuper partæ conſeruari poſſint *bellumque poſt initia ſe ipſum alere.* (*c*) Accidiſſe hoc Florentinis atque Venetis ſcribit MACHIAV. (*d*) Notus etiam eſt acutus & feſtiuus Apologus TRAIANI BOCCALINI, *in Lapide Politico Lydio*, de libratis Hiſpaniæ prouinciis, deque libræ altera lance retrogrediente, appenſo Neapolitanorum Regno. Sed errat hac in parte iſte TRAIANVS. Scimus enim ſingulas potentiſſimi regni Hiſp. prouincias, ſubnixas eſſe viribus propriis, vt quemuis hoſtilem impetum tolerare poſſint, atque ab Hiſpanis quam feliciſſime ſeruentur. Teſtis Mediolanum, Neapolis, Sicilia, Flandria in caſſum a Gallis hactenus oppugnatæ atque in vanum laceſſitæ. Certe Italicum ſolum Lilia non ferre, etſi abunde Gallico rigentur ſanguine, auſus etiam eorum nuperrimi teſtantur.

§. 6. Idem iudicium eſto de Rep. Athenienſi & Thebana, quas *incrementa rationi congrua nactas fuiſſe* negat POLYB.

a) CYRIAC. LENT. *de Arc. Rerump. ex* TAC. *C. XLVI. q. 2. p.* 571.

b) *d. l. c.* 4. *p. m.* 114.

c) BACO *de* VERVL. *hiſt. Henr. VII. p. m.* 165.

d) 2. *Diſc.* 19. *p.* 137.

(*a*) Se-

Digitized by Google

a) VI. 42. & 2. 39.
b) II. 38. m.

(*a*) Secus vero & Achæis ob cauſſas quas grauiter idem adducit POLYB. (*b*)

CAP. VII.

Adducuntur in medium Stabilimenta Imperiorum bello acquiſitorum, Generalia.

§. 1.

FRID. MARSEL. *de Leg. l. Diſſ.* 29. p. m. 507

CYRIAC. LENTVL. *d. l. c. IV. pr.*

IMperium aliquod aut quemcunque ſtatum qui acquiſierit nec de eo firmando ac retinendo ſedulo cogitauerit, aſſimilari poterit aleatoribus, qui ſpe futuri lucri, ne iis quidem quæ vicerunt contenti, in ea quæ colluſoribus ſuperſunt, perpetuo inhiant, donec & ea quæ proprie & tranquille poſſidebant, profundant, quæ quidem non ſimplex nec vno cachinno explodenda dementia eſt: Vel volucri, oua quidem parienti, cæterum nec excludenti parta, nec forte quadam excluſa, fouenti. Atque ſi vſquam cura, ſi prudentia, ſi labore opus hic erit, animisque hominum parendi inuitis & nolentibus excutienda obſtinatio & maleſida credulitas. Id quod in initio huius Diſcurſus ſatis demonſtrauimus, ideoque bis coctam non apponemus Braſſicam.

§. 2. Neque hic deuenio ad munimenta Romanis vſitata quæ tuo L. B. totius C. II. & III. lectione iudicio commiſimus. Alia iam ſupererunt, quibus ſe circumuallare principes aſſolent, immo debent, tum generalia, tum ſpecialia, ad quasuis reip. deuictæ formas accommodata.

§. 3. Acquiſito igitur iuſta belli lege imperio, prouidendum ſummæ poteſtati vt ſubacti nuper populi aut nolint excutere recens imperium, aut non poſſint.

DID. SAAV. FAX. *Symb.* p. 59. p. 487.

FORSTN. *ad Tac.* p. m. 226.

§. 4. Quoad primum, ante omnia pax neceſſaria; dummodo pax iſta ſtudioſa ſit atque armata. Sic enim tempus indulgebit, vt poſſeſſio dominium præſcribat paulatim, titulumque tribuat iuſtum, abſque belli tumultu, quod iura confundit, occaſionem dat miſcendi omnia ingeniis inconſtantibus & inquietis & arbitrium eripit ei qui imperat. FERDIN. Arragonius, quanquam cauſſas habebat iuſtiſſimas, bello petendi LVDOVI-

CVM

CVM SFORZAM, nunquam tamen id voluit, ne quietem Italiæ, quam ſuis neceſſariam videbat, turbaret. *Nihil æque Tiberium anxie habebat, quam ne compoſita turbarentur.* (*a*) Auguſtus Imp. *cunctos dulcedine otii pellexit.* (*b*) Non ſolum autem in prouinciis nouiter acquiſitis pax procurari debet, ſed etiam in finitimis, ob ea quæ refert SAAVEDRA. *d. l.*

a) TAC. *A. II.* 65. 1.
b) *A. II.* 2. 2. *ibique* BOECL.

§. 5. Pacem ſic ſtabilitam ſequatur eius filia generalis iniuriarum abolitio ſ. *ἀμνηστία*. *Quæ enim iam ante euenerunt eo modo quo grandines diluuiæque accidere ſolent, ſibi obtigiſſe princeps retur, obliuioni mandet, agnoſcat* deuictos *gentiles iam eſſe ac ciues.* (*a*) Quam remiſſionem generalem etiam ſanxit Henricus VII. Angl. rex iure victoriæ regnum occupans, teſtante FRANCISCO BACONE. (*b*) Non protinus lictor euadat, qui victor exſtitit. Nihil enim in ſumma fortuna maius *quam ignoſcendo tranſigere* (*c*) *quanta peruicacia in hoſtem tanta beneficentia aduerſus ſupplices vti* (*d*). Nihil melius, quam longe lateque propagare velle pomæria benignitatis, atque *clementiæ aram* (*e*) *cuius* etiam *fama nouum imperium inchoantibus vtilis* (*f*) *quo promtius obſequium integri retineant* (*g*) Hinc notatur *Mithridates* rex Armeniæ vt *atrocior, quam regno nouo conduceret.* (*h*) Alienum etiam a conſiliis retinendi & auſpicandi imperii Galbæ *introitus in vrbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infauſtus omine, atque ipſis etiam qui occiderant formidoloſus.* (*i*). Vulgus tali tempore vel captat omnia, vel facit: neque ſolius vulgi eſt curioſitas iſta, quæ non raro prudentium animos movet. Galbæ ſimilem refert nobis Carolum Audacem & ab illo Ferretenſibus Præfectum datum Petrum Hagenbachium, COMINAEVS. (*k*) Laudatur e contrario Nero, *clementiam ſuam crebris orationibus Senatui obſtringens* (*l*) *Seianus incipiente adhuc potentia bonis conſiliis, noteſcere volebat, vltor metuebatur.* (*m*)

a) DIO *l. XLIV.* p. 290.
b) *in Eius Hiſt.* p. 23.
c) TAC. *A. XII.* 19. 3.
d) *A. XII.* 20. 4.
e) *A. IV.* 74. 1.
f] *H. IV.* 63. 1.
g) *A. XIV.* 24.
h] *A. XI.* 9. 2.
i] *H. I.* 6. 3. BOECL. *Ann. Pol. ad* 1. *H. Tac.* 6. *p.* m. 13.
k] 5. *comm.* 1.
l] TAC. *A. XIII.* 11. 2.
m] *A. IV.* 7. 3.

§. 6. Clementiam in factis ſequatur ea in verbis. *Prouocet comitate & alloquiis officia* (*a*) ſubditorum deuictorum princeps: *æquabilem ſe præbeat omnibus* (*b*) eademque æquitate complectatur omnes. Quidam enim *non eodem* cum cæteris *honore habiti, pari dolore commoda aliena ac ſuas iniurias metiuntur.* (*c*) Tum extremos prouinciæ habitatores. Vt quisque

a] TAC. *H. V.* 1. 2.
b] HERODIAN. *II.* 4.
c] TAC. *H.* 1. 8. 2.

Digitized by Google

BOECL. *Ann. Pol. ad* 1. *H.* 8. *p. m.* 16. o) que a principe & domicilio imperii remotior, ita ſuæ conditionis interpres promtior ac intentior eſt. Facile negligi ſe credit, ad quem non præſentiori radio pertingit ſplendor maieſtatis.

§. 7. Succedat Beneficentia in noſtro ſtatu ſumme neceſſaria: ne quis indelectetur nouo imperio, tum vt veteris deſiderium, & cum eo memoria paulatim extinguatur, denique
ID. *Ann. P. ad A.* 1. 2. *p.* 26. vt vulnera conuerſionis & cicatrices reip. ex bello & violenta occupatione quibusdam veluti malagmatis, ſi non perſanentur, tamen mitigentur teganturue. Prudentiſſime Auguſtus ab vſtione ad hoc malagma, a nimbis procelloſis nimium ad ſere-
a] *A. I.* 2. 2. & 3. nitatem atque malaciam deuenit, referente de eo TACITO. (*a*) Aliter tractari hucusque populus non vult deuictus, vt freni indocilis caballus, donec tempore & vſu eruditus, ſeſſorem patienter & ſine ſtrepitu admittat. Arte igitur & poppyſmate, ad eum demulendum ſi vnquam, certe hic opus eſt.

§. 8. Captabit obinde princeps omnium beneuolentiam deuictorum tutiſſimum atque inexpugnabile præ cæteris munimentum. *Neque enim ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi quos regas, animum imperanti, beneuo-*
a] HERODIAN. l. 4. *lentiamque accommodent.* (*a*) *Adeo nullum eſt imperium tutum ac diuturnum, niſi beneuolentia munitum ſit* (*b*). *Nimia* enim *in ſubditos ſæuitia frequenter amiſſum, quod armorum potentia fuerat feliciter occupatum.* (*c*)

b] BERTAVT. *Flor. Franc. l.* 3. *c.* 16. c] MARTIN. MARTINVS *d. bell. Tart. p. m.* 30.

§. 9. Temperanda tamen Principi nimia beneficentia atque lenitas, ne, quod ſub nouo principe ſolet fieri, *vſurpata*
a] TAC. *H. I.* 4. 3. *ſtatim libertas licentius,* (*a*) autoritatem eius diminuat. Nam cum impoſſibile ſit tali in ſtatu, *vt vnus homo tantarum rerum*
b] DIO. *p. L. LIII.* 573. *adminiſtrationem obiens omnibus placeat* (*b*) neceſſe eſt ad ſecuritatem principis, vt qui amare nolunt, timere debeant. *Ma-*
c] CIC. *pr. Mil.* *ximam* enim *illecebram peccandi inducit impunitatis ſpes.* (*c*) Quin
d] VELL. *L. II. p.* 83. principem metuant, *qui mori ſe malit, quam timeri cum* Iul. Cæſ.? (*d*) apud quem *conditum immo conſtrictum eſſe ferrum?*
e] SEN. *l. d. Clem.* (*e*) Hominem exuat princeps cui non homines regendi ſunt,

ſed

Digitized by Google

ſed feræ beſtiæ, præcipitia ingenia ſortitæ. (*f*) Quibusdam perſuaſum ſit oportet, non ſolum ipſa ſcelera, verum quoque ſceleris ſuſpicionem pœnam ſubire, puniri poſſe, etiam in innocente nec confitente. Cum & diffidentiam, nouus in regno armis acquiſito princeps, primitus effugere nequeat. Semper manet iis *animus ſuſpenſus* (*g*) *ad deteriora credenda metu proni* (*h*) *etſi omnia læta ſub aduentum primum*, (*i*) autumantes, *hanc* in principe *continentiam animi ad vltimum vitæ perſeuerare non poſſe* (*k*) ſed *finem inclinaturum.* (*l*) Contra opinionem ſuam etiam & meritum magna apud populum inuidia & odio flagrat talis princeps, & manet *de eo ambigua fama.* (*m*) Nam etſi immunitatem plurimarum rerum indulgeat (*n*) cogitabunt eam rationem captandi eſſe *quo mitius imperium* ſperaretur. (*o*) Si clementiæ famam aucupetur, id proprio deberi commodo, cum talis princeps *ſibi conſcius eſſet plane deeſſe ſibi verum ſubditorum vinculum, ius ſcilicet ad imperium legitimum.* (*p*) Ita tamen rigorem malo ne concitetur odium. Lubricos magnorum Imperiorum frenos! quos relaxando minuas & contrahendo rumpas; Paucorum eſt inuenire medium, inter ſeueriorem & laxam diſciplinam. Pauciorum, accommodare medium diuerſis indole, more, natura populis, quibus illud Honorio acclamatum rectius applicetur:

Non odium terrore mones, nec frena reſoluit
gratia: diligimus pariter, pariterque timemus.

Summatim: *vincat ſalutaris rigor inanem clementiæ ſpeciem*, ceu ex CICERONE adducit AMMIAN. MARCELLIN. (*q*)

§. 10. Allaboret itaque eo ante omnia princeps ad minuendam inuidiam, vt ex conſenſu imperet, legitime eidem conceſſo imperio. *Ea enim quæ homines ſibi rapiunt, non ea quæ ipſis dantur odia prouocare ſolent.* (*a*) Cum in Henrici VII. Angl. regis perſona tres tituli diuerſi quibus regnum ſibi vindicare poſſet concurrerent, titulum gladii & armorum reliquit. *Si enim iure armorum ſe regnare prædicaſſet, non minus ſuæ factionis homines, quam alios omnes in magnos metus coniecturus fuiſſet.* Eadem res tam aſpera & odioſa viſa etiam Guilielmo Normanno, regi Angl. (quem vulgo Conqueſtorem vocant)

f) CVRT. VIII. FRED. de MARSEL. d. l. p. m. 587.
g) TAC. H IV. 8. 2.
h) CVRT. IV. 3.
i) TAC. A II. 2. 2. A. XII. 29. 1.
k) CVRT. III. 12.
l) TAC. A. XV. 21. 3.
m) H. I. 50. 5.
n) CVRT. L. II. pr.
o) TAC. A. II. 56. 4.
p) FRANC. BACO hiſt. Henr. VII. p. 7.
CLAVDIAN
q) L. XXIX. p. 435.
a) MACH. L. IV. H. Fl. p. m. 316. Franc. Baco. d. l. p. 12.

vocant) vt, licet victoris iura re ipſa exerceret, ad Normannos ſcilicet ſuos remunerandos, verbo tamen abſtinuerit: neque hoc iure ſe regnum tenere unquam profeſſus ſit, ſed illud titulari quodam prætextu velauerit, in teſtimonio & deſignatione Eduardi Confeſſoris fundato. Certe prædictus rex Henricus VII. non prius requieuit quam regnum comitiis indictis, in perſona ſua, ſuffragiis ordinum ſtabiliretur. Reputabat tanquam princeps prudens ſecum, vt mora omiſſa manifeſtum populo ſuo fieret, ſibi in animo eſſe, ex norma legum ſuarum regnare, licet in ore gladii ingreſſus eſſet. Stabilimentum hoc ſuæ coronæ quanta cum prudentia & moderatione fuerit aggreſſus, legas apud BACONEM. (*b*) Auguſtus Imp. inſigni vaframento *quum ſe velle imperium deponere ſimulaſſet, effecit, vt illud a ſenatu populoque ei confirmaretur* (*c*) Et huiusmodi ſimulationis finis erat, *vt volentibus ciuibus, non coactis imperaret* (*d*) Quod Tiberius Protei atque Chamalæontis inſtar varie mutauerit colorem atque in mille conuerterit ſe figuras, inuſitata ac egreſſa Acciſmi Politici arte eo factum, *quia famæ dabat, vt vocatus, electusque potius a rep. videretur, quam per vxorium ambitum & ſenili adoptione inrepſiſſe* (*e*) Paraphraſten horum verborum egregium agit DIO (*f*) & late hanc ἀκκισμὸν explicat BOECL. (*g*)

b) *d. l. p. m.* 24.
c) DIO. *L. LIII. p.* 576.
d) ID. *d. l. p.* 569.
e) TAC. *A. I.* 7. 7.
f) *L. LVII. p.* 692.
g) *in Ann. Pol. ad A. Tac. l.* 7. *p. m.* 120.

§. 11. Conſenſu a populo ſic acquiſito maneat antiqua reipubl. forma quantum fieri poteſt, non temere innouanda. Hoc fecere Tartari occupato nouiſſime Sinarum imperio (*a*) Non enim concedimus ea quæ affert Politicus Hetruſcus. (*b*) Ea enim ſententia ipſi autori crudelis & impia viſa, iam dudum exploſa a SCIPIONE AMMIRATO. (*c*) Relinquantur itaque omnia tramiti antiquo, nihilque quicquam ſine cauſſa innouetur. Prudentiæ laudem meretur hic Philippus II. Hiſp. rex apud FORSTN. *in not. pol.* (*d*) Adeo periculoſum aliquid innouare in ſtatu publico? (*e*) Etſi enim natura hominum nouitatis auida, nihil tamen æque eos offendit, quam rituum etiam minimorum innouatio, *morituri citius quam vt in alienos ritus, mores, legesque ac linguam vertantur.* (*f*) Sinæ mori maluerunt quam capillos more Tartarico radere, *plus pro capillis*

a) MART. MARTIN. *d. l. p.* 59.
b) *l. Diſc.* 26. *& in Pr. c.* 3.
c) *Diſc. in* TAC. *XIII.* 8.
d) *ad* TAC. *p.* 120.
e) HONOR. REGG. KEMNATENS. *de Stat. Eccl. Abod. p.* 47.
f) LIV. *XXIV.* 3.

capillis dolentibus, quam pro regione ac Imperatore apud MART. MARTINIVM. (*g*) Quanta conſtantia a Præſide Iudeæ Pontio Pilato Iudæi illationem ſignorum cum effigie Cæſaris fuerint deprecati, legas apud IOSEPHVM. (*h*) Quæ fuerint etiam Iudæorum lamentationes, ob ſtatuam Caii Imp. coloſſi forma in templo eorum primario dedicandam, quæ ad Petronium concurſationes, quæ deprecationes & alia, exponit idem IOSEPH. (*i*) & PHILO IVDAEVS, legatione ad Caium ad quam eruditum ſcripſit χεδίασμα BOECLERVS. Vid. omnino late de hoc negocio agens, BARONIVS (*k*)

g) *d. l. p.* 59. 68. & 92.
h) ἀρχαιολ. *XVIII.* 4.
i) ἀρχαιολ. *XVIII.* 11.
k) *Tom. II. Ann. Eccl. p.* 28. *ſqq.*

§. 12. Nunquam tamen animo nobis ſedit, a corrigendis reipubl. næuis abſtrahere omnimodo ſummam poteſtatem, verum ne ſub ipſis principiis quid præcipitetur. Libentius enim hic princeps *rariſſima moderatione malis inueniſſe bonos, quam feciſſe* (*a*) ne detrimento potius, quam remedio ſic quæſito, corriuati humores, a præcipitata& intempeſtiua compulſione augeantur. (*b*) Neque enim mutatio etiam in melius, facile poteſt ſine maximis & plurimis malis contingere. (*c*) Callidiſſimus Tiberius *populum per tot annos molliter habitum, non audebat ad duriora vertere.* (*d*) *Sæpe apud ſe penſitabat, num coercitio reipubl. plus damni in eam ferret, an etiam quod attrectaret, poſſet obtineri:* (*e*) adeo vt maluerit *omittere potius præualida & adulta vitia, quam hoc adſequi, vt palam fieret, quibus flagitiis exſtirpandis impar eſſet.* (*f*) Ea quæ ſemper manent, etſi ſint nonnihil vitioſa, vtiliora tamen ſunt his, quæ ſubinde, etiamſi in melius, innouantur. (g)

a) TAC. *Agr. VII.* 5.
b) AVTOR *Inſt. Viri publ. p.* 4. *concl.* 5. *p. m.* 158.
c) SALM. *in Def. Reg. p. m.* 30. & 138.
d) TAC. *A. LIV.* 4.
e) *A.* 3. 52. 4.
f) *A.* 3. 53. 2.
g) DIO. *L. LII. p.* 574.

§. 13. Non omittendum hic Auguſteum illud PAVLATIM, ſignanter a TACITO expreſſum (*a*) fuſius a DIONE (*b*) explicatum. Animus enim hominum non ſtatim & in momento refingi quaſi, & in alium habitum demutari poteſt. Modo & tempore opus, vt *quam minimo ſonitu orbis ille in republica conuertatur.* (*c*) Adamas, chalybs, marmora molli citius fricatione, quam forti ictu atteruntur. Auceps cupidius contrahens rete, aues quas capere mora poterat, territas abigit. Id præcipitium Galba Imp. *impreſſo gladio, iugulum eius hauriente milite,* (*d*) luere coactus eſt: cuius *laudata olim & militari fama*

a) *A. I.* 2. 2.
b) *l. c. p.* 565.
c) CIC. *ad Att. II.* 9.
d) TAC. *H. I.* 41. 3.

Digitized by Google

celebrata ſeueritas, angebat coaſpernantes veterem diſciplinam, atque ita XIV. annis a Nerone aſſuefactos, vt haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur. (e) Nocuit etiam antiquus *rigor & nimia ſeueritas* (f) imperatori Pertinaci in eundem lapſo ſolœciſmum, ſimilique mortis genere pœnas dante imprudentiæ, cuius lugubrem exitum recenſet HERODIAN. (g) & DIO inter alia reprehendit in tam bono principe *quod omnia voluerit ſimul & ſemel emendare &c.* Vid. BOECL. *in not. ad* HEROD. (h) Gnarus enim eſſe debuiſſet *temporum, vt quod ſegnitia erat, iam ſapientia vocaretur* (i) Quantum malum Quintilius Varus Germaniæ poſt adminiſtratam Syriam præfectus, Auguſto accelerauerit, ob ſubitam illius gentis factam transformationem, late recenſet Dio (k)

§. 14. Tuto autem & absque mora, ea immutabit Princeps, *quorum recens flagrat inuidia.* (a) Mutare hic mores, leges etiam perſonas quorum odio victa reſp. turbatur, inſigne ciuilis prudentiæ præceptum. Conf. quæ egregia hic habet FORSTN. (b) Huius præcepti non ignarum fuiſſe ducem latronum Licungzum regium Sinenſium imperium inuadentem, confirmant ea quæ ſcribit MART. MARTIN. d. l. (c) Tuto etiam mutantur leges ſi fiant conſenſu ſubditorum.

§. 15 Poterit & forma ipſa reip. mutari relicta imagine reip. atque vmbra, *iisdem magiſtratuum vocabulis* (a) *libertatis ſimulacris* (b) & *ſpecie* (c) Tali cum prudentia, ſenſim ſine ſenſu vmbræ iſtæ diſſipandæ impoſterum, vt pari paſſu eæ ſubducantur oculis, quo radices egit noua reip. adminiſtratio. In quo ſane errauit mihi Iul. Cæſ. *cupidius cleriusque apprehenſam poteſtatem* (d) *vocibus inſuper arrogantiæ teſtibus augens.* (e) Atque hæc documenta, ſine iniuſtitia locum habent in ſtatibus vi armorum acquiſitis. Victoria enim quæ in vitas poteſtatem dedit, eandem, concedit etiam ad formandam pro arbitrio gubernationem.

§. 16. Summatim *animorum prouinciæ prudens ſit* (a) *an imperaturus ſit hominibus qui nec totam ſeruitutem pati poſſunt, nec totam libertatem:* (b) *nec ſeruire vlli poſſunt, nec imperare deſiderant:* (c) *an dominationem & ſeruos, an rectorem & ciues* *cogitare*

e) TAC. *H.* I. 5. 4.
f) *H.* I. 18. 5.
g) *L.* II. 5.
h) *p.* 395.
i) TAC. *H.* I. 49. 5. *Agr.* 6. 5.
k) *L.* LVI. *p.* 667. *ſqq.*

a) TAC. *A.* XIII. 4. 2.
b) *ad d. l. Tac. p. m.* 70.
c) *p. m.* 41.

a) *Tac. A.* I. 3. 9.
b) *A.* I. 77. 2.
c) *A.* XIII. 1. *A.* 4. 6. 4. SVET. *in Tib.* 30.
d) SVET. *Cæſ.* 76.
e) ID. *c.* 77. SAAV. FAXARD. *S. P.* 39. *p.* 485.

a] TAC. *Agr.* 19. 1.
b] TAC. *H.* I. 16. 7.
c] CVRT. VII. 8.

cogitare debeat, (*d*) an *imperio populi iuxta libertatem* (*e*) ſit præpoſitus. Sane hæc notitia inter prima prudentiæ imperatoriæ argumenta merito reponitur. Diſcrepare ſeruilia Aſiaticorum & cæterorum ingenia ab Europæis liberis res eſt notiſſima, inter Europæos Gallos ab Hiſpanis, & ſic reliquos. Gentes aliquæ niſi ſtricto plane imperio coërceantur iugum excutiunt, alias, quas arces nullæ aut coloniæ domarent, domat clementia & moderatio rectoris. Immo cuilibet regioni proprium ſpiritum, qui actiones in certa ſtudia & mores quodammodo adigat erudito expoſuere orbi EVPHORMIO SATYRICVS (*f*) & MARSELAER. (*g*) TACITVS noſter *Animorum prudentiſſimus & humanarum molitionum conatuumque ad miraculum ſciens* (*h*) characteriſticam populorum notam notauit pluribus in locis. (*i*). Quin ex hoc morbo ruinam ſibi accelerarit Carolus I. Angl. rex, quod veſaniam & vires ſuorum minus bene perſpectas habuerit, indubium. Id certum etiam, Hiſp. regem Belgarum imperio excidiſſe, dum ingenia illorum & potentiam non ignorabat, (id quod latere eum non potuit) ſed contemnebat.

d] TAC. *A. XII.* 11. 1.
e] *A.* 6. 42. 3. *Iac Zeuecot. obſ. P. ad Fl.* 320.
f] *Icon. Animi. c.* 2. *ſqq.*
g] 1. *Diſſ.* 29. *p.* 155. *ſqq.*
h] BOECL. *or.* 14
i] *Germ.* 43. 7. *Agr.* 13. 1. *A. XII.* 11. 2. *A. II.* 2. 6. *A. XIII.* 54. 1.

§. 17. Hactenus ſapientiæ ſcutum. Succedat nunc virium lorica qua ſumma maieſtas etiam contra inuitos retinere poſſit imperium. Illam conſtituimus in militibus, arcibus & propugnaculis, coloniis. De his ſatis dictum (*a*)

a] CAP. *II.* & *III.*

§. 18. Imperium bello acquiſitum, *vti armis partum eſt, ita etiam armis tenendum* (*a*) ideoque exercitus hic cum cura habendus. Ille *magis eruditus armis quam numeroſus ſit*, (*b*) atque *incondita turba*, (*c*) cuius terrore ſubditi in debita obedientia retinantur. Talem habuere Romani electum plane ex coloniis & tribubus, quæ cum ſociis fuere inexhauſtus romanæ militiæ fons, ex quo validiſſima militum flumina prorupere, *belli domitores externi.* (*d*) Turcis hodienum paratus ſemper exercitus vnicum potentiæ eorundem retinendæ fundamentum. Multa equitum millia quos ſpahi vocant, ſemper alunt. Pedeſtrium copiarum robur in prætorianis quos Ianizaros vocant, ſitum eſt.

a] VELL. PAT. *II.* 57. 11.
b] VEGET. *L. III. d. re mil.*
c] CVRT. *IX.* 2,
d] TAC. *H. II,* 76. 9.

§. 19. Propter immenſos tamen ſumtus qui ad exercitum ſuſtendandum requiruntur, tum & ob euitandas omnis generis incommoditates, quæ ſubditis exinde obueniunt, vtiliora longe ſunt munimenta & arces, quibus bene firmatis, inque iis militibus collocatis, ſumma poteſtas parato non indiget exercitu. Quæ FLORENTINVS SCRIPTOR contra arcium exſtructionem diſputat (*a*) tanti non ſunt, iam tum confutata a SCIPIONE AMMIRATO (*b*) & quotidie confutantur ab ipſa rerum experientia. Machinamenta & aſtus oppugnationum, eam militiæ partem maxime gnaram fuiſſe Romanis teſtatur TAC. (*c*) Certe ii qui talia ſpreuere populi, tanquam timiditatis indices, pœnas ſatis ſuperque dedere inconſultæ temeritatis atque ſuperbiæ. De arcibus ſtruendis vel non, ad ciuitates in obſequio retinendas, vide *Diſquiſitionem Politicam*, inſtitutam ab AVTORE *Sexaginta caſuum Politic. ex omni hiſt., ſelect.* (*d*) Illud extra controuerſiam verum, plures diuerſis locis exſtructas munitiones non teneri, niſi a maximæ potentiæ principibus ideoque quandoque plus nocere, vti demonſtrat Conſultatio e POSSEVINO L. VIII. *Hiſt. Mant.* a FORSTN. (*e*) exhibita.

a) 2. *Diſc.* 24. *p. m.* 256.
b) 19. *Diſc.* 4.
c) *A. XII.* 45. 4.
d) *C. VI.*
e) *ad A.* TAC. *XI.* 19. *p. m.* 42. *ſeqq.*

§. 20. De prouinciarum præſidibus, vice regibus, locumtenentibus diſſerendum iam eſſet. Officii eos admonet Imp. noſter IVSTIN (*a*) qui & iuſto eorundem regimini adſcribit quod Romani *totum pene terrarum orbem premere ac tueri imperio potuerint* (*b*) & late de iis agit FORSTN. (*c*) Nosque de præſidibus romanis anteuertimus notare (*d*) Illud tantum dicimus magiſtratus hoſce debere eſſe neque nimis breui, neque nimis longo temporis ſpatio circumſcriptos, ob rationes quas adducit MECAENAS (*e*) nunquam hereditarios, raro per vniuerſum vitæ ſpatium. Prudens conſilium hac in re Meleandro regiorum conſiliorum præſes Cleobulus proponit apud IOH. BARCLAIVM. (*f*) Videantur MARSELAER (*g*) FORSTN. (*h*) MACHIAVELL. (*i*) Nos pergimus.

a) *N. XVII. c.* 3. *in f.*
b) *N. XLII. pr.*
c] *ad A. XI.* 21. *p.* 54. *ſqq.*
d] *c. II.*
e] *ap.* DION. *L. LII. p.* 547.
f] *in Argen. L. III.*
g] *II. de Leg.* 11.
h) *ad II. A. Tac. p.* 140.
i] 2. *Diſc.* 24.

§. 21. Vltimo loco in ſtatu iſtiusmodi reip. triplex verſatur hominum genus. Primum eorundem, veterum morum ita eſt amans, vt non niſi cum iis viuere velit, nec eos qui compoſita

poſita

Digitized by Google

poſita conuulſum eunt intueri ſuſtineat. In horum numerum aggregamus ſeuerum Catonem, *qui, in libertatem vitæ dicendique educatus, immutata vitæ ratione ſenex ſe ſeruituti non poſſe aſſuefacere* ad filium dixit, apud DION. (*a*) Petreium & Iubam, Scipionem. (*b*) In altera hominum ſorte eos pono, qui cum præſentia non probent, ſimulato nouarum amore, in occaſionem ſe ſeruant reformandi ſtatus, duabus ſeſſuri ſellis, temporibus inſidiaturi. Huc refero Ciceronem cuius artes in apricum producit Q. Fuſius Calenus ap. DION (*c*) Tertii generis homines ſunt qui *præſenti ſtatu gaudent*, (*d*) *tuta & præſentia malunt*. (*e*) Pertinet ad hanc claſſem M. Vipſanius Agrippa, (*f*) Mecænas, (*g*) Vſangueius a nouo Sinarum Imperatore Pingſi rex tributarius creatus. (*h*) Primi ordinis ciues aut vno nauigant curſu, aut mergunt naues. Secundi, aut obliquo pergunt velo, aut venti vi ſuperante, fortunæ obſecundant, commodiorem petendi portum occaſionem exſpectantes. Poſtremi ordinis, prioribus animo & patientia impares, portum quo ventus rapit & æquor petunt, noruntque

palliolum ad venti vertere flabra ſui.

Hi ſunt *temporum homines* (*i*) eius vim imperioſam obſequio potius, quam contumacia propitiandam cenſentes, cum fortunæ rota quo ſpes metusue torquet circumacti.

a) L. LIII. p. 246. inf.
b] DIO l. c. p. 245.
c] L. XLVI. p. 339.
d] LIV. XXXV. 34.
e] TAC. A. I. 2. 3.
f] DIO L. LIII. pr.
g] ID. L. LV. 632.
h] MART. MARTIN. de l. p. 58.
i] CVRT. V. 3.

§. 22. Quibus fidat hic etiam atque etiam videat princeps. Ideoque notabit omnes, præſertim primæ & ſecundæ claſſis ciues, ſeditionum, conſpirationum nefariarum contra præſentem ſtatum machinarios. Hi ſecundæ ſc. claſſis, *mente ambigua, fortunam ſeditionis alienæ ſpeculantur* (*a*) Illi (primæ claſſis) *nunquam fidi, turbidi miſcendis ſeditionibus* (*b*) *in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſſcordias habentes*: (*c*) *omne iis in turbido conſilium*, (*d*) *futuri improuidi. ſpe vana tumentes*, (*e*) *periculi quam moræ patientiores, & quibus ingrata quæ tuta* (*f*) *præſentiaque ſemper enormi libertate diſplicent* (*g*) Notabit & poſtremæ claſſis; Etſi enim his *quietis & reip. cura* (*h*) atque *eiusdem amore ſtimulentur* (*i*) tamen & eos quæuis occaſio mouet, quæuis ſeruitutis vmbra, aut gubernatio minus bona illos

a] TAC. A. I. 31. 3.
b] H. IV. 68. 9.
c] A. XI. 17. 2.
d] H. I. 21. 1.
e] H. I. 88. 5.
f] H. III. 46. 4.
g] VOPISC. in Saturn.
h] TAC. H. I. 88. 5.
i] H. II. 7. 3.

los concitat, vt arma corripiant. Tali habitu introducit Luſitanos Autor ruinæ hiſpanici regiminis ſupremi miniſtri Conte Duca d' Obliuarez (*k*).

k] *p. m.* 29.

§. 23. Magni hic refert harum tempeſtatum prognoſtica earumque cauſas perbene ſcire. Harum VII. e philoſopho (*a*) recenſentur, ad quas referri omnes poſſunt quas affert BACO. (*b*) Obſeruatu quidem difficiliores ſunt, haud aliter ac terræ vapores, qui oculis conſpici ante non poſſunt, quam in nubes condenſari fuerint: cognitis vero eorundem cauſſis facili negotio remedia applicari queunt, quæ plena manu traduntur a FORSTNERO (*c*) SAAVEDRA (*d*) BACONE *d. l.* IOH. HIERONYMO IMHOFF (*e*) IACOBO ZEVECOTIO (*f*) AVTORE *Diſquiſit, Polit.* (*g*) atque aliis.

a] *5. pol.* *b*) *ſerm. fid. c.* 15. SAAV. *Symb. p.* 33 *pr.* *c*) *Ann. pol. ad* TAC. *p.* 327. *p.* 327. *d*) *Symb. Pol.* 83.

e) *Rat. Stat.* 15. & 28. & *Diſc. pol.* 14. & 15. *f*) *Obſ. pol. in* SVET. CAES. *m* 22. *g*) *caſ.* 8.

§. 24. Hoc tenendum contra Baconem (*a*) atque Florentinum (*b*) omnino poſſe principem ſe factioni alicui contra alteram adiungere, atque ſuam facere litem ſi vna pars regiam autoritatem vel aperta petulantia laceſſat, vel occulta fraude obruere tentet. Id iam vidit etiam philoſophus (*c*) cum illam partem Ciuitatis quæ rempubl. ſaluam manere vult, debere eſſe potentiorem dicit. Et hoc præceptum tam religioſe inculcat, vt illud *maximum principium appellet.* (*d*)

a) *d. l.* & *c.* 49. *circ. f.* *b*) *III. Diſc.* 27. *c*) *IV. Pol.* 12. *d*) *IV. pol.* 9.

§. 25. An autem populo deuicto callide feneſtra delinquendi aperiri poſſit, quo deinde victis & in ſcelere deprehenſis, ſpecioſo titulo in illum eiusque immunitates poſſit animaduerti, vt *tanquam defectores* (*a*) *intolerantior ſeruitus eos ſubeat,* (*b*) non omnibus placet. Certe hic modus inter ſecretiora imperantium refertur conſilia. Quomodo, & qua ratione clandeſtinæ & diſſimulatæ rebelliones, in apertum in tempore poſſint produci, tractat AVTOR *Sexag. Diſquiſ Polit.* [*c*]

a) TAC *A XII* 50. 3. *b*] *A. III.* 45. 4. *c*) *Caſ.* 38. *p. m.* 175.

CAP.

CAP. IIX.

Recenſentur Munimenta Specialia Imperiorum Democr. Ariſtocr. & Monarch. occupatorum.

§. 1.

Liberis populis & democratico imperio ſubiectis, animam prius quam libertatis memoriam euelli, comprobat admiranda conſtantia vrbis Aſtapæ a Romanis obſeſſæ. (*a*) Vnde MACHIAV. (*b*) quem empiricum in Politicis vocat VIRGILIO MALVEZZI (*c*) præter ruinam talium populorum nullum ſecurum retinendæ poſſeſſionis aſſerit medium. Mitius alii, qui translationem poteſtatis a plebe ad optimates ſuadent, ad minimum hos contra illam fouendos. Sic Tiberius *e campo comitia tranſtulit ad ſenatum.* (*d*) *Paucorum enim dominatio regiæ libidini propior.* (*e*) At vero non tam ipſam rem Tiberius communicauit, quam eius ſpeciem, *ſpecioſa verbis, et inania ac ſubdola* (*f*) Etſi enim legibus & plebiſcitis eo tempore quieſcentibus *Ius facere cæpit* ſenatus (*g*) (ſtante enim rep. legum ferendarum poteſtatem ſolius fuiſſe populi, tritiſſimum) factum tamen non tam ex propria autoritate, quam principum conniuentia. Certe dicis tantum cauſſa orationes in ſenatu a Pp. propoſitæ, Vnde euenit in iure noſtro, vt ſæpe idem Ius nunc dicatur conſtitutum SCto, nunc oratione principis. (*b*) Plura Exempla transductionum rerump. recenſet FORSTN. (*i*)

a) LIV. *XXVIII.* 22.
b) *in Pr. c.* 5.
c) *in Chriſt. Pol. p. m.* 144.
d) TAC. *A. I.* 15. 1.
e) *A. VI.* 42. 3.
f) *A. I.* 81. 5.
g) *L. IX. d. LL.*
b) *l.* 8. *ff. d. Transact. l.* 9. *ff. ad Sc. Tert. l.* 16. *d. R. N. l.* 32. *d. Don. inter vir.*
i) *ad XI. A.* 32. *p.* 143. & 144.

§. 2. In Ariſtocratico imperio plebs fouenda, ad contundendos tumidos optimatum ſpiritus. Illa enim annona, pace delinita, præſentibus contenta, futuri negligens, mutationum cauſſas minime exigit. Populus Roman. ſub peſſimis & crudeliſſimis Impp. nullam expetebat ſtatus mutationem, quippe annonæ vilitas ſatis ei fuit ad amandos principes: quæ annonæ populo viritim Impp. largitionibus diuidebantur, conſiſtebantque in pane gradili. Vid. GVTHER. (*a*) Qualis hic panis fuerit ex antiquitate eleganter, vt omnia, repetit Nobiliſſ. Dominus Præſes in prælect. publ. (*b*)

a) *d. Off. Dom. Aug. L. II. c.* 11.
b) *ad T. ff. d Compenſ. ſ. q.*

§. 3. In Regio Imperio plebs primoribus regni itidem opponenda ingeniis *pluſquam ciuilia agitantibus* (a) *ferociſſimis* (b) *talia enim ingenia regnantibus diſplicent.* (c) Hoc & monet Philoſophus: (d) *Durum quidem eſt* inquit Cleobulus ad Meleandrum (e) *premere iſtas ſtellas: Enim nec obrui illas nec tegi oportet inhumana ratione: Luceant, o rex, ita tamen, dum meminerint cui ſoli lumen hoc debeant, nec caliginem faciant tuo orbi.* Quibus autem artibus tales opprimendi, erudita prudentia perſequitur FORSTN. (f)

a) TAC. *A. I.* 12, 6.
b) *A. I.* 2. 2.
c) *A. II.* 82. 3.
d) *IV. Pol.* 8.
e) BARD. *in Argen. L. III.*
f) *ad II. A. T. p. m.* 143. *ſqq.*

§. 3. Hoc in regno Neapolitano Hiſpaniæ regi facere conſuetum. In Luſitania non feciſſe nuper, Bragantiæ duci rapiendæ coronæ occaſione taliter ſubminiſtrata, comitis Oliuarezii capitalis fuit imprudentia. Eædem enim artes quibus comes Oliuarez ducem ſecurum reddere voluit, atque ita conſeruare regi Luſitaniam, contra eundem vidit a prædicto duce verſas fuiſſe, vti AVTOR *Caſus Conte Duca d' Olivarez* (a) prolixe oſtendit. A Gallis nuperrime in Catalonia optimatum ſtatum cum populari miſtum, atque hac egregia arte plebem, contra turbulentas nobilium machinationes, eos ſibi deuinctam reddidiſſe e VITTORIO SIRI (b) tradit FORSTN. (c)

a) *ap.* 40.
b) *Hiſt. tom. II. l.* 3.
c) *Cont. not. pol. p.* 146.

§. 4. Præcipuum etiam deuicti regni, lingua moribusque diſcrepantis & viuidius remedium ponit MACHIAV. (a) Vt is ſua præſentia & domicilio illud fulciat, id quod exemplo probat Turcæ in Græciam ſedem transferentis.

a) *in pr. c.* 3.

§. 5. Satellitio etiam Rex nouus indiget. Roſa flos omnium pulcherrimus, inter acerrimas punctuque venenato viroſas ſpinas ſuccreſcit: Princeps ſenticeto defenſiuo ſicut roſa vepreto carere haud poterit, quo ſe contra violentas inſidiatorum manus tueri poſſit. *Parum tuta ſine viribus maieſtas* (a) Cæſar Iul. ſalutis ſuæ ſecurus nimium, occiſus. Cautiores Auguſtus, lorica indutus curiam intrans, & Tiberius, quem *miles in forum, miles in curiam comitabatur.* (b) Quali prætextu Henricus VII. vſus fuerit inſtituto ſtipatorum ſatellitio refert BACO (c)

a) LIV. 2. 55. *f.*
b) TAC. *A. I.* 7. 5.
c) *in eius Hiſt. p.* 22.

§. 6. Vti principi morum & rituum innouationem disſuaſimus (a) ita eidem ſuademus vt aſſumat regni deuicti mo-

a) *cap. VII. aph.* 11.

res

res vſitatos. Parthi Vononem dedignati, *tanquam diuerſum a maiorum inſtitutis* (*b*) Alex. M. victorum a ſe Perſarum mores imitatus, indignatione quidem Macedonum, (*c*) applauſu vero Perſarum, ex quibus *non dedignatus liberos tollere.* (*d*) Qui & eum mortuum *non vt victorem & modo hoſtem, ſed vt gentis ſuæ iuſtiſſimum regem, vero deſiderio lugebant.* (*e*)

b) TAC. A. II. 2. 5.
c) CVRT. *VI.* 2. & 6.
d) ID. *X.* 3.
e) CVRT. *X.* 5.

§. 7. Hactenus dicta de populis liberis, *& aſſuetis quidem regio imperio maiore tamen libertate* (*a*) in officio a principe nouo retinendis, veniunt intelligenda. Subiecti autem dominationi herili, iugum alterius facile ſubeunt, atque integram ſeruitutem ſeruiunt. Vti enim difficilis eorum eſt acquiſitio, ita facilis conſeruatio. Exemplum in Turcico regno proponit, differentiamque indagat MACHIAV. (*b*) & ex eo ſuppreſſo nomine FORSTN. (*c*)

a) CVRT. *IV.* 7. *f.*
b) *in pr. c.* 4.
c) *in not. pol.* p. 121.

CAP. IX.

Traduntur Retinendæ Poſſeſſionis Media quodammodo violenta.

§. 1.

EXplicauimus hactenus media mitia, humana, ſubditorum commodis æque ac ſummæ maieſtati ſaluberrima. Superſunt alia adhuc aſpera quodammodo, tyrannis cum principibus communia, excuſatius tamen in hiſce, quam in illis. Sane non pauca ex iis quæ recenſebimus, vſurpaſſe Henricum VII. Angliæ regem indicat BACO in eius vita. Nobis obiter illa tantum delibare ſufficiat, ſine laude & vituperio.

§. 2. I. *Mendacibus vel factis vel verbis populum deuictum circumuenire* [non loquimur de fide ſemel data frangenda, verum de vulgari deceptione.] II. *Armorum promiſcuum vſum auferre, nec militaria excercitia plebi atque nobilitati concedere.* Quod poteſt fieri vel per vim ea adimendo, vt *pignora timentium rebellionem*, (*a*) vel armorum obliuionem ſenſim per voluptates introducendo. III. *In refractarios nouoque imperio aduerſos ſeuere, animaduertere.* Brutus fauori ciuium *etiam do-*

a) LIV. XXVIII. 34.

mus ſuæ clade & parricidio velificatus eſt. (b) Conf. hic ZEVECOT. *de Cæſare Auguſto & Tiberio.* (c) IV. *Populi inanes rumores ſpernere.* V. *Ad populi errata, plusquam conducit bonis moribus & iuſtitiæ, diſſimulando conniuere,* captato hinc contra nobilitatem popularis auræ refrigerio. VI. *Varias religionum formas pro dominatione ſtabilienda, induere,* vel receptis regionis deuictæ ritibus contra animi ſenſum ſe applicando, vel diſſidia religionum ſeminando & fouendo &c. *Aemulos imperii tollere, regiumque anteceſſorum ſanguinem.* Quod Veſpaſianum facturum metuebant amici Vitellii. (*d*) IIX. *Sæuitia promiſcua maxime illuſtrium gaudere.* Huc pertinet, 1. Tarquiniana papauerum decuſſio (*e*) Thraſybulea eminentium ariſtarum amputatio. (*f*) Filii Caroli M. Pipini malarum herbarum eradicatio. (*g*) 2. Percuſſorum & cædis miniſtrorum immiſſio. 3. Diſſidiorum & factionum in perniciem erupturarum ſeminium &c. IX. *Pennas ſubditorum ita incidere vt renaſci nequeant.* Verum tutius talia cogitantur quam loquuntur rectiusque publice neſciuntur. *Tam neſcire quædam quam ſcire oportet.* (*h*)

b) FLOR. *I. 9.*
c) *obſ. pol. in* SV. *Caſ. p.26.*
d) TAC. *H. III.* 66. 5.
e) FLOR. *I. 7.*
f) *Ariſt. V. fol. 10.*
g) AVENT. *L. IV.*
h) TAC. *H. I.* 83. 5.

CAP. X. & VLT.

De Munimento Longæ Poſſeſſionis & Præſcriptionis.

§. 1.

Reſtat vt agamus de via iuris, qua victor imperii tutus eſſe poſſit, variis hinc inde luſtratis conſeruandi dominii viis, rectis, obliquis, deuiis.

§. 2. Diximus in initio huius diſcurſus, poſſe in bello ſolenni victoriæ iure populos dominio ſubiici, in illosque ius imperantis acquiri. Verum anne dominio irreuocabili? Videbimus.

§. 3. Dominium atque poſſeſſionem nullo vnquam tempore poſſe dominantes deperdere nulli hactenus in orbe terrarum genti ac reipub. obtigit immunitas & libertas. Deuictum

IOHANN. HECTOR. MITH. *d. Contr. S. P. C. III. p. 44.*

ctum tamen, manente adhuc belli iure, a victore poſſe recuperare illud, dum ſola vi tenetur poſſeſſio, in dubium itidem vocari nequit.

§. 4. Dixi notanter ſola vi, nam cum aut pacto, aut populi conſenſu ius nactus ſit victor, certe ſine iniuria victoris ei dominium aufferre minime poterit.

§. 5. An vero liberi populi, nec non ſubiecti antehac in dominium victoris, tranſeant irreuocabile ſi longa interuenerit poſſeſſio? non ſatis eſt expeditum. Et in illis quidem verum non eſt quod ait VASQVIVS (a) ſemper licere ſubditis in ſuam laxitatem ſeſe recipere & vindicare, cuius argumenta refutata nouiſſime legas apud HERMANN. CONRING. (b) Tam longum enim temporis ſpatium ſatis indicat populum talem ſe in libertatem aſſerendi ius remiſiſſe, certe ex naturali præſumtione, qua voluiſſe quis creditur, quod ſufficienter ſignificauit. (c) Si enim qui rei alicuius eſt dominus, ſciens cum poſſeſſore rei contrahat, ius ſuum merito intelligendus eſt remiſiſſe. (d) *Licet enim pulchrum ſit pro libertate pugnare, tamen id in principio a populis iſtis fieri debuiſſet.* Ita grauiter ſuos alloquitur ad dedendum ſe Romanis IOSEPHVS (e) *Vid.* SALMAS. *Def. Reg.* (f)

a) 2. *illuſtr. contr.* 82. n. 3.

b) *d. Fin. Imp. Germ. C. XIX. p. m.* 367. *ſqq.*

c) *arg. l.* 95. *ff. d. A. Her. l.* 43. §. 11. *d. furt.*

d) *arg. l.* 2. §. 1. *d. pact.*

e) *d. bell. Iud. VI.* 11. *p.* 768.

f) *C. VI. p. m.* 195. & 198.

§. 6. Multo minus talis in libertatem vindicatio competet populis antea ſubditis. Cur enim ille qui ius habuit ad imperium, poſſeſſorem poſſeſſione tam diu frui permiſit, imperium ſuum pro derelicto habendo? Subditi itaque omnino ſequi poſſeſſionem tenentur. Fieri enim poteſt vt victus rex vel populus, malit poſſeſſorem in poſſeſſione relinquere, quam cruentis motibus occaſſionem dari. Certe an rem in id periculum adduci velit ille qui ius habet ad imperium, incertum eſt, cuius ſine cognita voluntate vis iuſta eſſe non poteſt. Vid. GROT. (a) Addo ego contrarium potius ex longa poſſeſſione præſumendum. Sic tributum ſolui cæſari CHRISTVS iuſſit, quia eius imaginem nummus præferebat i. e. quia in poſſeſſione erat imperii. Sic Iephtes regi Ammonitarum ſibi vendicanti terras obiicit trecentorum annorum poſſeſſionem, & ab eo quærit,

a) *de I. B. P. L. I.* 4. 19.

GROT. *II.* 4. 2.

rit, cur ipſe eiusque maiores tanto tempore ceſſauerint. *Vid.*
b) Def. Reg. omnino hic SALMAS. (*b*)
C. VI. p. 197. §. 7. Poſſe autem imperia derelinqui fatendum vtique
niſi eadem acquiri poſſe negare velimus. Ad indicium autem
imperii derelicti non requiritur tempus aliquod longiſſimum
a) II. 407. vt vult GROT. (*a*) cum reſp. omnes citam & ſedulam poſtulent
curationem naturali inſtituto, quæ ſi negligatur ipſa rerump.
natura illam ad alium quaſi deuoluit. Cumprimis ſane id verum
de rebusp. melioribus h. e. ciuilibus. Sententiam GROTII
b) d. p. 360. recte perſtringit CONRING. (*b*)

§. 8. Atque ita victor per tacitam quaſi derelictionem iure
æquiſſimo & quaſi naturæ lege, victos acquirit ſibi popu-
a) 2. ill. contr. los irreuocabiliter. Non concedimus enim VASQVIO (*a*) vſuca-
51. n. 28. pionem ſolo iure ciuili introductam. Sane vt ad cuiuslibet ci-
vitatis, ita etiam gentium quietem pertinet, *ne quarundam re-*
b) L. 1. de vſ. *rum diu & fere ſemper in certa dominia ſint.* (*b*) Videatur HVGO
pr. l. eod. *de* ROY de eo quod iuſtum eſt: (*c*) Cur autem vſucapio relata
c) l. 3. tit. 4. n. fuerit inter modos acquirendi dominii ciuiles, alia ratio dari
8.
d) d. l. p. 361. poteſt præ ea quam affert CONRING. (*d*) iuri magis congrua.

§. 9. Nondum natis tali derelictione tacite ius ſuum poſ-
a) II. 4. 10. ſe decedere omnino affirmamus cum GROTIO (*a*) non attentis
iuris ciuilis fictionibus conſuetis.

§. 10. Pacto poſſe imperium tranſire in victorem res eſt
indubitata. Conſenſus vel expreſſe interponitur vel tacite. Si
expreſſe, vtique populus poteſtatem ſuam alienare hic intelli-
gitur, atque in victorem transferre plenum dominium irreuo-
a) def. Reg. c. cabiliter datum. Conf. hic quæ habet SALMAS. (*a*) Neque mo-
6. p. m. 191. ramur hic abſurdum dogma VASQVII, licere ſubditis etiamſi ſpon-
te ſua ſubditi cœpiſſent, ſeſe in libertatem aſſerere, quia quod
ex voluntate ſit profectum, in eo pænitere liceat & mutare vo-
luntatem.

§. 11. Difficilius definitu, quemadmodum tacitus inter-
ponatur conſenſus, & vnde ac qua ratione de eo conſtet? In-
tricatum hoc negotium certis ſubſtratis fundamentis, cona-
** d. l. p. 35. 4.* tus eſt expedire CONRING. * Sed quantum ad ciuile imperium,
ſqq.

num

num pro derelicto perinde habendum ſit, ſi recuperari ſine ſummo reip. amiſſæ detrimento non poſſit, ſubſiſto. Nam aut idem ille, qui imperio excidit illud recuperare cupit, aut qui ab eo ius accipere potuiſſent. Quantum ad ipſum amittentem, negari forſan non poſſit, & illi ad imperandum ius quæſitum eſſe vt maxime illud non habeat, in ſuam vtilitatem. Ergo ſine ſuo facto id ei non poteſt adimi. Ne propterea præſumendus eſt illud perdere voluiſſe, quod ſine ſubditorum extremo periculo & damno id recipi non poſſit. Cum nemo ne alterius quidem commodi gratia ſuum iactare præſumatur, nec iure naturæ obſtringatur, etſi id honeſtum eſſe quandoque factum poſſit. Et auget dubium, conuenientia imperii paterni, cuius naturam ciuile imperium imitatur, quemadmodum videmus Philoſophum ſemper argumenta petere ab eo, quo pater ſe habet erga liberos ad imperii ciuilis rationem. Finge iam, plagiarium ſubduxiſſe filium, vel rapuiſſe aliquem filiamfamilias, quos niſi vi, recuperare non poſſit pater; vix autem eſſe vt vim faciendo furi vel raptori, non noceat liberis. Num quid dices, patrem propterea ius recuperandorum eorum amiſiſſe. Cum quod recuperet, iure ſuo fiat, quod nocere poſſit, aliena iniuria & culpa. Nec commodum ſuum is alterius illico præferre dicendus, qui ius ſuum perſequitur, damnum autem & incommodum quod ſequitur, non intendit. Et fieret alioquin, vt in liberorum arbitrio eſſet, exuendi imperium paternum ſi alterius præciſe permitterent, vnde niſi præſenti ſuo damno vindicari non poſſent. Idem eſſe puto in his, qui ius ab eo habent, qui imperio excidit, dummodo hic animum recuperandi non depoſuerit, ſed externis cauſis impeditus, rem differre coactus eſt.

Sufficiant hæcce in præſens. Plura quidem adhuc eſſent, quæ locum ſuum hic tueri commode poſſent, ne dicam deberent. Verum abſtinendum fuit nominibus exemplorum ad præſentia tempora congruentium. Interim venia ſuſcepto debebitur operi, ſi res haſce arduas atque creperas, non eo quo

par

Digitized by Google

par fuit ſtudio, fuerimus perſecuti, Iter potius inſtans, quam ſublimia hæcce meditati: relinquentes iſta forteàn vlteriori ingenii experimento. Deſinant ariditatem huiuſce ſcriptionis cordati horum ſacrorum animi flagellare, quibus conſtitutum fuit ad plurima Linguæ ſilentium, more quodam Perſarum indice digito, penſare. Cæteros, qui talia ſpernunt, nihil moramur, hi ad Lydium rerum pragmaticarum lapidem impacti, ſic demittent criſtas, vt pauo, cum pedes ſuos reſpexit, ſpecioſam caudæ ſuæ contrahit pompam.

CVRT. *IV.* 6.

Finimus. Et quod Conſtantino A. à Tribunis & viris Eminentiſſimis acclamatum, acclamamus Inuictiſſimo Noſtro Imperatori

L. 1. *C. d. Veteran.*

FERDINANDO III.

AVGVSTO, PIO, FELICI, IVSTO, PACIFICO

AVGVSTE FERDINANDE

DEVS Te nobis ſeruet, Veſtra Salus, noſtra Salus: Vere dicimus, iurati dicimus.

ADDITAMENTA.

1. Poſſeſſio ſolius facti eſt.

2. Poſſeſſio poteſt retineri ſolo animo, *l.* 3. *§.* 7. *&* 11. *l.* 25 *§. f. l.* 30. *§.* 5. *ff. d. A. P. l.* 4. *G. eod. l.* 1. *§.* 25. *d. vi & vi arm. §.* 5. *I. d. interd.*

3. Vi de poſſeſſione deiectus, non poteſt habere animum retinendi *d. l.* 1. *§.* 24. *d. vi & vi arm.*

4. Q. An contra Imperium Romanum valeat præſcriptio?

5. Imperium noſtrum poteſt repetere eos ſtatus; qui vi ſunt exemti.

6. Germania eſt pars Imperii Romani.

F I N I S.

IO.

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO PRIOR

DE

EDILITIO EDICTO

RESP.

IO. WERNER. BERCKELMANN.

GOSLAR.' SAX.

IENAE CIↃ IↃ CLXXI.

CAPVT I.
De Origine huius Edicti & Ædilibus.

I.

Conſtitui ex parte quarta Digeſtorum materiam nobiliſſimam, atque in foro ſane, quam hactenus in cathedra frequentiorem, de *ædilitiis actionibus* ſub diſputationis aciem reuocare. De his vero in Edicto perpetuo prætoris, cuius ordinem ſecuti fuere Pandectarum συντάκται, nihil continebatur, cum de eo Ædilium noſtrorum proprium eſſet edictum: Sed Iuſtinianus hanc quoque materiam, tanquam pediſſequam rerum creditarum iuſto ordine, quartæ huic ſuæ Pandectarum parti inſeruit. Sunt autem παρακολουθημάτων tria genera, quorum priori ſecuritas creditoris reſpicitur; nempe pignoribus & hypothecis, per alterum indemnitas emtori quæritur, nempe his ipſis ædilitiis actionibus, extremo vero de vſuris, probationibus & ignorantia quæritur. Nos itaque quod felix & fauſtum ſit *ædilitias actiones* aggrediemur.

II. Hæ vero ideo appellantur, quod ab ædilibus edicto propoſitæ fuerint. *l. 1. pr. §. 1. & 2. l. 19. §. 5. l. 40. §. 1. h. t.* Fuerunt ædilium duo genera, plebeiorum & curulium, teſte PLVTARCHO *in vita Marii*. Plebeios eodem fere tempore, quo

Tribuni plebis, creatos GELLIVS *L. XVII. C. Vlt.* prodit, qui tribunis ſubminiſtrarent, quique eas cauſas iudicarent, quas eis tribuni committerent, vnde etiam iudices dicti; ſed & ædium in quibus omnia ſua ſcita plebs deferebat, cura eis data fuit, vt teſtatur VARRO & POMPONIVS *l. 2. §. 12. de Orig. Iur.* Nec ferendus eſt IVSTVS LIPSIVS Pomponium taxans de etymo ædilium, putans ædilium magiſtratum iampridem in latinis oppidis fuiſſe, antequam ſibi plebs romana ædiles crearet, adeoque ab ædibus latinarum vrbium iam olim dictos, non a Romanis demum: At vero neque Pomponius etymon ædilium traditurus eſt hoc loco, ſed hoc tantum dicit, ædibus præfuiſſe, in quibus ſcita ſua plebs deferebat. Sed neque probat LIPSIVS Latinorum ædiles Romanis fuiſſe priores, vt hos ab illis dictos neceſſe ſit, vt recte ad Pomponium regerit Lipſio RVPERTVS, vir antiquitatis omnis, inprimis Romanæ, ſcientiſſimus. Et denique ſi maxime apud Latinos antiquior hic magiſtratus, & nomen eius, erratne propterea Pomponius, ſi diceret, & apud Romanos ædiles ab ædibus, Plebiſcitorum receptaculis, fuiſſe dictos. Quid enim ſi Noribergæ ædilium nomen fuit & officium antiquius, quam Venetiis, Venetiisne ædiles nomen non habebunt ab ædibus? cauſæ nihil video. Cum vero præter ædium curam ſucceſſu temporis plura his committerentur, vt vel ex ZONARA *Annal.* conſtat, ex eo cenſuit FESTVS *d. V. S. voce Aedilis*, & THEOPHILVS, Paraphraſtes Inſtitutionum Iuſtiniani, *in §. οἱ δὲ Ἀιδίλες. 8. περὶ νόμου Φυσικοῦ* &c. ab adeundo, quaſi Adiles quod facilis ad eos plebis eſſet acceſſus, fuiſſe appellatos, ob quod etymon BACCHOVIO Theophilus ad §. *Prætorum 7. Inſt. de I. N. G. & C.* vapulat.

III. Sed miſſos hos faciamus, & ad Curules reſpiciamus. Hos creatos fuiſſe eodem tempore, quo ex plebe Conſules conſtitui cœperunt POMPONIVS *d. l. 2. deinde cum placuiſſet. 26. ff. de O. I.* LIV. *L. VII. pr.* perſuadent, dictos ita a ſella curuli, qua vtebantur Senatores, inquit GELLIVS: *L. III. N. A. c. 18. in veterum ætate, qui curulem magiſtratum, geſſiſſet, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſi-*

conſiderent, quæ eam ob cauſam Curulis appellaretur. Vid. eundem *L. VI. C. 9.* His Curulibus principio nullum imperium, non magis atque Tribunis, fuiſſe ex VARRONE videtur, quem citat GELLIVS *L. XIII. C. 12.* cum nec vocandi ius eis eſſet, nec manus iniiciendi: Itaque nec lictores habuerunt, ſed viatores tantum. GELLIVS *d. c. 17.* Prætoriæ tamen iurisdictionis partem magnam vſuceperant, quod Prætores Vrbani, quia cauſarum multitudine vndique premerentur, facile ferebant *l. 5. pr. ff. de V. O. l. 63. ff. h. t.* & quarum rerum iurisdictonem habebant, de his edictum & iudicium proponebant *l. 1. l. 38. pr. & §. ff. h. t.* Principio quidem vt iudices a Prætoribus dati, ad pecuniarum, & ſupellectilis diſtractionem, deinde ad prædiorum cognitionem, poſt etiam ad meretricias cauſſas & fœminas proſtitutæ pudicitiæ, quibus corpore quæſtum facere non licebat, niſi apud ædiles publice profiterentur. BODINVS *de Rep. L. III. c. 3.* CICERO *Orat. VII. in Verrem*, magnifice huius ædilitatis munera & functiones deprædicat. Videri idem poteſt & *L. II. Off.* Sed & circa menſuras & pondera fuere occupati, quæ ſi iuſta non reperiſſent, frangebant *l. 13. & §. 8. ff. Locati* proſpiciebant ne incendia fierent *l. 1. de Off. Præf. Vig.* de funeribus item ius dicebant, edictumque proponebant, vt patet ex *Philippica* CICERONIS extrema. Præcipua tamen cura circa res foro venales, & idcirco edicta de his, imprimis vero ne mancipiorum & iumentorum venditione, proponebant, vt res ſine vitio morboque venderentur, vel ſi non ſine illis vendendo eſſent, palam faceret venditor. *l. 1. h. t.* Conf. BRISSON. *L. IV. Antiq. C. 12.* ſimiles Græcorum ἀγορανόμοις vid. DIONYS. HALICARN. *L. VI.* SVIDAM *in* ἀγορανόμος. Hæ ergo fuerunt partes edicti ædilitii circa venditiones, quo fraudationibus proſpexerunt, nimirum & cautionibus antequam fraudatio fieret, & actionibus, ſi iam accidiſſent.

IV. Vnde euidentiſſime apparet edictum iſtud ex ipſius quaſi naturæ dictamine profluxiſſe, & gentium communi calculo irroborauiſſe. Cum enim, vt habet SYRACIDES *c. 17.* non ſecus atque inter compagines lapideas figitur palus, ita inter emtorem & venditorem arctetur peccatum, ideo & aliarum

 gen-

Digitized by Google

gentium legumlatores ad ſe pertinere putarunt, vt rerum commutationibus imprimis emtioni venditioni curarent. Qua de cauſa etiam certi rebus venalitiis magiſtratus præfici ſueuerunt. Quales apud Græcos ἀγορανόμους eſſe diximus. Et veri fit ſimillimum quemadmodum cæteras leges Romani a Græcis fuere mutuati, ita & ædiles edictum ſuum inde ſumſiſſe. Plato enim, qui omnium mortalium ſapientiſſimus, Iouique ipſi par habetur VALERIO MAXIMO *L. IIX. C. 7.* hanc in rem *L. X. de Legibus* leges plane ſimiles rogat. *Venditor*, ait, *qui pretium rei venditæ non minus, quam quingenta drachmas accepit, decem in ciuitate neceſſario dies exſpectet, neque diuerſorium eius emtor ignoret, idque actionum redhibitionumque legitimarum,* τῶν ἀναγωγῶν τῶν κατὰ νόμους, *gratia quæ in hoc contractu accidere ſolent, ita fieri volumus. Redhibitio autem legitima a non legitima ita diſcernitur. Quando quis mancipium vendidit* κάμνον φθόῃ, *tabe laborans, (Interpres reddit, phreneſi) vel calculo vel ſtranguria, vel morbo, quem ſacrum appellant, vel alio quouis occulto, diuturno & ægre curabili, ſiue corporis ſiue mentis, ſiquidem medicus aut gymnaſta emerit, redhibitio non habeat locum, vt & ſi venditor emtori veritatem prædixerit. Sin autem artifex aliquis* δημιουργός, *huiusmodi rerum peritus, ignaro & rudi aliquid tale vendidit, emtor intra ſex menſes in cæteris, in morbo autem ſacro vsque ad annum integrum reddere poſſit. Iudicium vero harum rerum apud medicos agatur, quos communi conſenſu litigantes elegerint. Et qui condemnatus fuerit, duplum pretii eius, quo vendidit emtori perſoluat. Quod ſi imperitus imperito vendidit, quemadmodum de ſuperioribus dictum eſt, redditio iudiciumque fiat, & qui conuictus fuerit, ſimplex pretium deferet. Quando quis homicidam vendidit, ſi ſciens, quidem ſcienti, non redhibeatur, ſi neſcienti, tunc reddatur, quando ſenſerit emtor, id vero nomophylacum quinque iuniores iudicent. Hæc* PLATO. Quibus ipſiſſima ædilitii edicti cunabula expoſuit.

V. Eodem modo apud Athenienſes venditionis atque emtionis lex palam apud magiſtratum præſcribi ſolebat, diebus ante ſexaginta, centeſimaque pretii pars deponebatur, vt ſi quis controuerſiam mouere vellet, ei per leges liceret, vt

THEOPHRASTVS apud STOBAEVM Serm. XLII. tradit. Ideoque lex erat: Ἀψευδεῖν κατὰ τὴν ἀγορὰν, *in foro ne mentiantur.* Laudat hanc legem HYPERIDES apud HARPOCRATIONEM & DEMOSTHENES in *Leptinea:* idque agoranomi religioſe obſeruabant, ad quos æque, ut ad ædiles curules in foro romano, rerum venalium, cura pertinebat. Ita enim HARPOCRATION eos deſcribit: Ἀγορανόμοι οἱ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες· Et VLPIANVS ad Demoſthenis Timocrateam: ἔστι δὲ ἀγορανόμος ὁ ἐπόπτης τῶν ὠνίων τῆς ἀγορᾶς. Vide SAMVELEM PETITVM *Comment. ad Leges Atticas p. 399.* Itemque τοὺς ἰχθυοπώλας μὴ ῥαίνειν τοὺς ἰχθῦς σαπροὺς: Piſcarii piſces putres aqua ne riganto.

VI. Ex his fontibus credimus promanaſſe edictum ædilitium. Porro laudantur & a CICERONE *L. I. de Orat.* venalium vendendorumque leges ſiue Manlianæ, ſiue Mamilianæ, ſiue denique Manilianæ. Sed hoc poſterius verius videtur. Exſtat Manilii huius, non ſane Marci Manlii, VT FORSTERVS opinionis errore tradit, ſed Manii Manilii P. F. P. N. vt eum deſcribit tabula Kapitolina A. V. 604. nummus æreus, apud GOLZIVM *in Faſtis p. 139.* cuius & libri tres iuris ciuilis, & ſcripta etiam volumina exſtare Pomponius *in l. 2. de O. I. §. 39.* perhibet. Sed & VARRO *L. II. de ruſt. c. 2.* ſe ad leges haſce Manilias refert. Quando inquit: *In emtionibus iure vtimur eo, quod lex* (Manilia) *præſcripſit. In ea enim* (venditione pecudum) *alii plura, alii pauciora excipiunt. Quidam enim pretio facto in ſingulas oues, vt agni chordi duo, pro vna oue annumerentur, & ſi cui vetuſtate dentes abſunt, item binæ pro ſingulis vt procedant. De reliquo antiqua fere formula vtuntur. Cum emtor dixit: Tanti ſunt mihi emtæ? Et ille reſpondit; Sunt, & expromiſit nummos, emtor ſtipulatur priſca formula ſic: Illaſce oues, qua de re agitur, ſanas recte eſſe, vti pecus ouillum, quod recte ſanum eſt, extra luſcam, ſurdam, minam id eſt, ventre glabro, neque de pecore morboſo eſſe, habereque recte licere, hæc ſic recti fieri ſpondes? Et cum id factum eſt, tamen grex dominum non mutauit, niſi ſit æs adnumeratum. Nec non emtor poteſt ex emto vendito illum damnare, ſi non tradet, quamuis non ſoluerit nummos, vt ille emtorem, ſimili iudicio, ſi non reddit pretium. Et capite 5. Eos cum emimus domitos, ſtipulamur ſic: Illoſ-*

ce boues ſanos eſſe, noxiisque præſtari? Cum emimus indomitos ſic: Illoſce iuuencos ſanos recte deque pecore ſano eſſe noxiisque præſtari, ſpondesne? Paulo verboſius hæc, qui Manilii actiones ſequuntur, lanii qui ad cultrum bouem emunt, & qui ad altaria, hoſtiæ ſanitatem non ſolent ſtipulari. Et C. VII. *Emtio equina ſimilia fere ac boum & aſinorum, quod eisdem rebus in emtione dominum mutat, vt in Mamilii actionibus ſunt perſcripta.*

VII. Denique quod ad edictum ipſum huius partes ita collegit BRISSONIVS de *Formul. L. II. p. m. 289. Qui mancipia vendunt, certiores faciunt emtores, quid morbi vitiiue cuique ſit: Quis fugitiuus erroue ſit, noxaue ſolutus non ſit: eademque omnia cum mancipia venibunt palam recte pronuncianto: Quod ſi mancipium aduerſus ea veniſſet, ſiue aduerſus quod dictum promiſſumue fuerit, cum veniret, fuiſſet: Quod eius præſtari oportere dicitur, emtori, omnibusque ad quos ea res pertinet, iudicium dabimus, vt id mancipium redhibeatur. Sed quid autem poſt venditionem, traditionemue deterius emtoris opera, familia procuratorisue eius factum erit: Siue quid ex eo poſt venditionem natum, acquiſitum fuerit: & ſi quid aliud in venditione ei acceſſerit, ſiue quid ex ea re fructus peruenerit ad emtorem, vt ea omnia reſtituat. Item ſi quas acceſſiones ipſe præſtiterit, vt recipiat. Item ſi quod mancipium capitalem fraudem admiſerit, mortis conſciſcendæ ſibi cauſa quid fecerit, inue harenam depugnandi* cauſa *ad beſtias intromiſſus fuerit: ea omnia in venditione pronuntianto. Ex his enim cauſis iudicium dabimus. Hoc amplius, ſi quis aduerſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe dicetur, iudicium dabimus.* Eodem Edicto additum Vlp. ſcribit: *Et quanta pecunia pro eo homine ſoluta acceſſionisue nomine data erit, non reddetur: cuiusque pecuniæ quis eo nomine obligatus erit, non liberabitur.*

Qui iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi, vitiique ſit: utique optime ornata vendendi cauſa fuerint, ita emtoribus tradantur. Si quid ita factum non erit, de ornamentis reſtituendis, iumentisue ornamentorum nomine

mine

Digitized by Google

mine redhibendis, in diebus ſexaginta: morbi autem vitiiue cauſa inemtis, faciendis, in ſex menſibus: vel quo minoris cum venirent, fuerint, in anno iudicium dabimus. Si iumenta paria ſimul venierint, & alterum in ea cauſa fuerit, vti redhiberi debeat, iudicium dabimus, quo vtrumque redhibeatur. Quae de iumentorum ſanitate diximus, de cetero quoque pecore omni, venditores faciunto.

Nequis canem, verrem, minorem aprum, lupum, vrſum, pantheram, leonem, aliudue quod noceret animal, ſiue ſoluta ſint, ſiue alligata: & contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint: qua vulgo iter fiet, ita habuiſſe velit, vt cuiquam nocere damnumue dare poſſit. Si aduerſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, ſolidi ducenti: ſi nocitum homini libero eſſe dicitur, quanti aequum bonum iudici videbitur, condemnetur. Ceterarum rerum, quanti damnum datum, factumue ſit, dupli. Addit GELLIVS *L. IV. C. 2. in illo aedilium curulium edicto, qua parte de mancipiis vendundis cautum erat, ſcriptum ſic fuiſſe.* Titulus ſeruorum ſingulorum, vt ſcriptus ſit, curato, ita vt intelligi recte poſſit, quid morbi vitiiue cuique ſit: quis fugitiuus erroue ſit: noxaue ſolutus non ſit. Quare non dubito edictum a Triboniano pro moribus ſui ſeculi interpolatum eſſe, & quia mancipiis titulos appendere deſitum iam erat, expuncta haec verba fuiſſe, quae procul dubio ab initio ſic habebant. *Qui mancipia vel iumenta vendit, titulus ſeruorum ſingulorum vt ſcriptus ſit curato,* & quae ſequuntur.

VIII. Videamus nunc, qui commentariis illud illuſtrauerant olim ICti. Inter hos occurrit CATO, quem CICERO *de Orat.* laudat iuris ciuilis omnium peritiſſimum. Et LIV. *L. XXXIX. C. 40.* prolixe eum laudando in pace ſi ius conſuleretur, peritiſſimum fuiſſe teſtatur, quod & ipſum VALERIVS MAXIMVS *L. VIII. C. 7.* teſtatur. Hunc ad edictum ſcripſiſſe certe de his, quae ad edictum, reſpondiſſe apparet, quod Vlpianus

nus *l.10. §.1.* Catonem teſtatur ſcripſiſſe, cui digitus de manu aut pede præciſus ſit, eum morboſum eſſe.

IX. Deinde & A. Ofilius olim extitit interpres huius edicti, vt colligi poteſt ex *l.8.10.17.& 38. §.7. h. t.* Laudatur & Sextus Cæcilius *l.14. h. t.* Sextus Pedius, *in l. 12. 14. 19. 23. 25. 30. 31. & 44. de Ædil. Edict.* Ariſto. *l. 30. h. t.* Viuianus *l. 1. & l. 17. h. t.* Caius Trebatius *l. 6. 12. 14. h.* Caſſius Longinus *l. 17. & 65.* Cælius Sabinus *l. 14. 17. 20. 38. 65. 72. h. t.* T. Caius libros duos ſcripſit ad ædilitium edictum. Ex priore *l. 3. 13. 18. 22. 24. 26. 28. 45.* Ex poſteriore *l. 10. 32. 37.* in Pandectas a Iuſtiniano ſunt receptæ. Venuleius Saturninus ex cuius libro quinto de auctionibus ſumta eſt *l. 65. h. t.* Domitius Vlpianus in octoginta libris, quos ad edictum dedit in libro 74. egit de hoc edicto, quod exſtat in *l. 59. h. t.* ex cuius libro 80. deſumta quoque eſt *l. 61. h.* In libris quinquaginta & vno ad Sabinum fuit liber 44. vnde ſumta *l. 9. h. t.* Ex libris decem Diſputationum eorumque octavo eſt *l. 49. h. t.* Præterea commentariorum ad hoc edictum libros duos adornauit, ex quorum priore *l. 13. de Legib. l. 31. de pact. l. 1. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 17. 19. 21. 23. 25. 27. 29. 31. 33. 35. 37. 63. h. t. & l. 65. de Furt.* Ex poſteriore *l. 38. 40. 42. h. t. & l. 55. de Euict.* Iulius Paulus in libro ſexageſimo nono ex octoginta illis, quos ad edictum ſcripſit, contulit Triboniano legem *60. h. t.* In libro primo Quæſtionum, quorum viginti ſex confecerat, habetur id caput, quod *l. 56.* huius tituli conſtituit. Ex libro quinto Quæſtionum eſt *l. 57. h. t.* Ex eiusdem libris viginti tribus Reſponſorum, & quidem ex eorum quinto petita eſt *l. 58. h. t.* Ex libris ſexdecim ad Sabinum nempe XI. eſt *l. 5. 7. 11. 15. 47. h. t.* Scripſit idem Paulus & libros duos ad edictum curulium. Ex priori habemus *l. 9. de alien. iud. mut. cauſ. fac. l. 54. de contrah. emt. l. 2. 30. 39. 43. h. t.* Ex poſteriori ſuperſtites ſunt *l. 55. de contrah. emt. l. 41. 44. h. t. l. 35. 41. 85. de Euict. l. 48. ad L. Falcid. l. 74. de V. S.* Ælius Marcianus ſcripſit inter alia & quinque libros regularum, ex horum libro tertio depromta eſt *l. 52. h. t.* Herennius Modeſtinus, libro octauo differentiarum dedit *legem 62. h. t.*

X. Cæterum poſt inductum in Occidente Ius Iuſtinianum methodicis tractatibus expoſuiſſe comperimus ædilitias

has

has actiones CASPARVM CABALLINVM *de* CINGVLO, FRANCISCVM BALDVINVM, cuius tractatum non vidimus, HVGONEM DONELLVM inter opera, quæ vocat, priora, & IOH. WILHELMVM ROEVENSTRVNK, qui meditationes ſuas ædilitias potiſſimum ad venditiones equorum direxit. Qui vero ad Titulos Digeſtorum & Codicis commentaria ſcripſerunt, eorum ſunt quam plurimi, & non ignotis ideoque eos referre ſuperſedeo.

Hæc de Origine & commentatoribus Edicti Ædilitii dixiſſe ſufficiat. Iam ipſam eius iurisdictionem, & quam diximus, partim in cautionibus, partim conſtitiſſe & in actionibus, videamus: Et primo quidem de CAVTIONIBVS.

CAP. II.
De Cautionibus Ædilitiis.

I.

CAutiones ædilitiæ duæ ſunt: *Prior* vt venditores, quod vitii morbique latentis ſcirent, in vendendo pronunciarent *l. 1. l. 38. h. t. Altera*, vt ſi emtores vellent, ſtipularentur in re vendita vitii nihil eſſe, veluti ſeruum fugitivum, aut erronem non eſſe *l. 31. & l. ſeq. de Euict.* Non infamatæ alicuius nationis eſſe *l. 28. l. 31. §. h. t.* Item iumentum aut pecudem hodie eſſe & bibere, vt oportet *d. l. 31.* Hæ ſunt illæ ſtipulationes quas legibus Manilianis propoſitas ſupra oſtendimus. Quod neque pronunciatum eſſet vitium, neque ſtipulatio interpoſita, datur emtori intra duos menſes actio redhibitoria, aut intra ſex menſes, quanti emtoris intereſt. *d. l. 28. h.* Sed præcipua cautio ædilitia fuit; Habere licere, quæ ad vitandum euictionis periculum pertinebat, ſi forte res aliena venderetur, quo nomine, ſi res pretii alicuius eſſet, veluti ſervus, equus, bos, duplam ſtipulari licebat. Viliorum rerum nomine ſimplum tantum ſtipulabantur *l. 37. §. 1. ff. t. de Euict.* Quæ ſtipulatio, quia ædilium edicto inſtituta eſſet, inde ædilitia dicta fuit *l. 5. ff. de V. O.* quamuis & prætoria dicatur, quod è prætoris iurisdictione velut demeſſa fuerit *l. 1. §. 1. ff. de Prætor. ſtipul.*

II. Sed hæc cautio regulariter nuda repromiſſione conſtabat, neque in ea fideiuſſor adhibebatur vſitato, niſi aliud conveniſſet. *l. 4. l. 37. l. 56. de Euict. l. 1. §. ff. de Prætor. ſtip. l. 13. §. 13. ff. de iureiur.* Quanquam Paulus ſcribit, aliam in vulgus receptam opinionem fuiſſe, vt fideiuſſor ob euictionem daretur. *d. l. 56. de euict.* quem vulgus, vt ait Vlpianus, ſecundum auctorem vocabat *d. l. 4. de Euict.* Cuius opinionis cauſam HOTOMANNVS ſuſpicatur, quod in mancipationibus regulariter Vas daretur. *Vid. Epitomen. de contrah. emt.*

CAP. III.

De Actionis Redhibitoriæ Natura.

I.

VT itaque ab initio & re integra, ne fraus committeretur, caueri ſolebant contrahentes; ita ſi facta iam fuiſſet, actionibus ſuccurrebant ædiles. Fraus autem duobus modis committitur, vel reticentia morbi vitiique latentis, vel dicto promiſſoue non præſtito. Ex hac retieentia duæ ab ædilibus propoſitæ ſunt actiones; *Redhibitoria*, & *Quanto minoris*, ſeu *Æſtimatoria*.

II. Dicitur hæc actio a redhibendo Redhibitoria. *l. 45. l. 47. pr. l. 48. §. 7. l. 51. §. 1. l. 54. cum l. ſeq. l. 57. pr. & §. 1. h. t. l. 2. & l. 4. C. de ædil. act.* Et iudicium redhibitorium *l. 18. pr. h. t.* Græcis dicitur ἀναςροφὴ. Gloſſæ Latino-Græcæ: *Redhibitio*, ἀνταπόδοσις. Et Græco-Latinæ, ἀνακατάςασις, *Reſtitutio, redibitio.* PLATONI ἀναγωγὴ dicitur, pro quo SVIDAS ἐναγωγὴ. Ita enim, in ἐναγωγὴ οἰκέτȣ: τȣ̃ πραθέντος οἰκέτȣ εἴ τι ἔχει νόσημα, εἰμὴ προείποι ὁ πωλῶν ἐφίησιν ὁ νόμος τῷ ὠνησαμένῳ διακρίνεσθαι πρὸς τὸν πεπρακότα πρότερον ἀπογραψάμενον πρὸς τὰς ἀρχὰς τὴν αἰτίαν. *Id eſt, vendito ſeruo, ſi quid morbi ſit, ſi non prædixerit venditor, permittit lex emtori diſceptare cum vendente, cauſa apud magiſtratum cognita.* HESYCHIVS ἀναγωγὴ, ἡ τῶν πραθέντων ἀνδραπόδων ἀνάδοσις, ἐχόντων αἰτίαν τινα. Eſt autem redhibere, facere, vt rurſus habeat venditor, quod habebat. Quod quia reddendo fiebat, idcirco redhibitio eſt appellata,

pellata, quaſi redditio. *l. 21. pr. ff. eod. tit.* PLAVT. MOSTELL. *act. 3. ſc. 2. Nos iſtas redhibere haut liceret.* HILARIVS *in Matth. c. 23. Cæſari redhibenda eſſe quæ Cæſaris ſunt.* Vide FESTVM *in Redibitur*, & reſcribe, *Redibitum*. *Redibitum, ait, id proprie dicitur, quod redditum eſt improbatumque, & qui dedit, idem rurſus coactus eſt habere id quod ante habuit.* Eſt ergo redhibitio actus, quo res emta venditori redditur & ſic venditio reſoluitur *l. 13. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Fit autem ea vel ex conuentione vel auctoritate legis. Conuentione fit pactitia redhibitio, & vocatur pactum de retrouendendo, reuendendo, redimendo. Quæ vero fit auctoritate legis & magiſtratus, eſt, cum actio intentatur in eum, qui quid vitio corruptum commutauerit, vt cogatur pretium reſtituere, & quod tradiderat mercis, recipere.

III. Sed quæritur, an hæc actio ſit propria actionis *ſpecies*, an vero tantum *qualitas* adiecta actioni emti? Vetuſtiſſimi interpretes, PETRVS & IOHANNES, teſte IOHANNE FABRO ad *l. 4. C. de Ædilit. act.* putarunt, cum fraudes & mendacia in emtione ſemper multiplicarentur, ædiles curules de vitiis rerum proprias induxiſſe actiones. A qua opinione receſſit AZO in *ſumma Codicis*, vt & IACOBVS de ARENA teſte ALBERICO ROSATE *in Rubr. Cod. de Ædil. act. n. 1.* Azonem ſecutus eſt ACCVRSIVS *ad l. 1. pr. voce Edictum h. t.* exiſtimans, ædilitias actiones eſſe adiectiones, quam ſequitur DONELLVS in *comment. h. t. c. 5.* & recentiores plerique opinantes, ſicut de peculio dicuntur actiones, quæ ex contractibus filiorumfam. aduerſus patrem dantur, non quia ſint actiones vllæ, quæ ex peculio naſcantur, cum v. g. depoſiti actio etiam ex re ſit, quæ apud filiumfam. depoſita eſt, ſi tamen exinde aduerſus patrem agatur, dicitur actio depoſiti, cum adiectione de peculio: Ita & redhibitionem propriam actionis ſpeciem non eſſe, ſed actionem ex emto, cum hac adiectione; ad redhibendum.

IV. Verum enim vero, vt vndæ, quo a fonte propiores ita liquidiores manant, ita quæ propiores poſtliminio reſtauratæ Iuſtinianæ Iuriſprudentiæ interpretantium ſententiæ, eo veriores cenſendæ, eo profectæ ſeculo, quo nondum ſub

Cccc 2 imagi-

imaginatione ſubtilioris philoſophiæ argutari homines malebant. Quare dabimus id quidem ACCVRSIO & recentioribus, in prætoriis actionibus ineſſe adiectitias qualitates, non tamen inde auferent nobis, has ipſas qualitates nouam actionis ſpeciem poſſe producere.

V. Si enim imperatorem audimus, vtique ex peculio aduerſus dominum & patrem nulla iure ciuili naſcitur actio. *§. 10. Inſt. de Act.* Ergo quo teneantur pater & dominus ex contractu ſerui, oportet aliunde naſci actionem. Naſcitur autem non ex iure Gentium & Ciuili, ſed ex prætoris iurisdictione. *§. 8. I. de Action.* Vnde ergo? ex qua cauſa? Nulla alia, quam adiecta cauſæ ciuili qualitate, abs qua foret, nulla ratione naſcitura eſſet actio. Prætor ergo per qualitatem aduentitiam, nouam producit actionem. Neque vero id vlla ex parte a ratione eſt alienum. Quid enim? An non paternitas eſt adiectitia qualitas hominis? An non ædilitas? An non conſulatus? & tamen producunt nouam entis ſpeciem in Categoria τῶν πρός τι. Nihil ergo παράδοξα eſt, qualitatem adiectitiam ex genere τῶν πρός τι, generare nouam actionis ſpeciem. Et quia ſpeciem ideo & realiter ab actionibus ciuilibus, tanquam abſolutis differentem. Vt ſit mirum, qui SVTHOLDIVS, ICtus accuratus, cum agnoſcat has qualitates eſſe τῶν πρός τι *Diſp. 18. Aph. 48.* neget tamen eſſe peculiares actionum ſpecies, qui in genere τὰ πρός τι, peculiarem entium ſpeciem nunquam negaſſet.

VI. Hinc eſt, quod actio redhibitoria opponitur actioni ex emto. *l 51. pr. h. t.* vt electiue vel hæc vel illa detur. Quod nequaquam fieri potuiſſet, ſi vna ſpecie actio foret. Alteri enim datæ neceſſario altera ineſſet, vt electionem excluderet. Deinde quod hæc aduentitia qualitas faciat diuerſam actionis ſpeciem, porro efficitur inde, quia aliam habet toto genere diuerſam cauſam efficientem. Deſcendit enim ex prætoris iurisdictione & eſt honoraria *arg. §. 7. Inſt. de I. N. G. & C. §. 2. Inſt. de Diuiſ. ſtip.* & datiua, vt cunctæ prætoriæ, ſubſtantiam a iurisdictione prætoris capientes. Actioni autem emti proprium eſt in quarto modo, vt loquuntur magiſtri, quod ſit e con-

contractu iuris Gentium natiua, bonæ fidei, ciuilis, perpetua. *l. 21. C. de Euict.* actiones ædilitiæ, honorariæ, arbitrariæ & temporales. *l. 19. §. vlt. l. 38. pr. h. t. d. l. 2. C. de Ædil. act.* At proprium tale vni ſoli ſpeciei, & omnibus eius indiuiduis & ſemper ineſt. Et quia eſſe iuris ciuilis, bonæ fidei, perpetuum actioni redhibitoriæ non inſit, non poteſt redhibitoria eadem eſſe ſpecies, quæ actio emti, nuda ſolum qualitate adiectitia, tanquam perſona in theatro adſumta, interpolata.

VII. Porro quæritur, an hæc actio ſit prætoria, quod quaſi conceſſum anticipauimus; videtur affirmandum §. *2. I. de diuiſ. ſtipul.* vbi inter alia Imperator inquit: *Prætorias ſtipulationes ſic exaudiri oportere: vt in eis etiam comprehendantur ædilitiæ. Nam & hæ a iurisdictione Prætoris veniunt.* Sed hic occurritur nobis a BARONE ad *d. §. 2.* vocem *Prætoris* abeſſe in veteribus exemplaribus, quemadmodum neque eam agnoſcit THEOPHILVS, ſed expreſſe, *ταύτας*, id eſt, ædilitias, *ἐκ τῆς τῶν* ædilium, *ἰυρισδικτίονος ἔχειν τὴν γένεσιν* ait. Quare vocem prætoris ſubreptitiam hic eſſe vult etiam CVIACIVS, ſummus interpres *ad l. 5. ff. de V. O.* Et THEODORVS MARCILIVS *ad d. §. 7.* Et GEORGIVS EBERLINVS *ad tit. de O. I. C. 10. n. 15.* Quod firmatur magis inde quod *in l. 5. de V. O.* vox PRAETORIS abeſt, ex quo tamen loco deſumtus eſt *d. §. 2. I. d. t.* Sed hæc nos gradu non depellunt. Non diſputabimus, vtrum vox iſta pluribus abſit exemplaribus, an vero a pluribus agnoſcatur. Hoc dicimus, vbi abſit, ſubaudiendam tamen eſſe, tantum abeſt, vt vbi reperitur, irrepſiſſe pronunciemus. Idque hac euidenti ratione. Cum enim Pomponius *in l. 5. de V. O.* & Iuſtinianus ipſe prætoriarum ſtipulationum ambitu etiam ædilitias contineri dixerint, eiusque rei rationem diſerte hanc attulerint, quod & hæc a iurisdictione veniant, ineptum eſſe cum SCIPIONE GENTILI cenſemus *de Iurisdictione L. I. C. 26.* ſi de ædilitia iurisdictione accipiamus. Quid enim ineptius, quam aliquem ſic colligere? Ædilitiæ ſtipulationes inter prætorias continentur. Quare? quia veniunt a iurisdictione ædilium. Vt non dicam, vbi iurisdictio nude ſeu abſolute dicitur, de prætoria intelligi ſolere.

 VIII.

VIII. Quomodo igitur cum ædilium ſint, prætorum non ſint, *Prætoriæ* dici poſſunt, ais. Res eſt petenda altius, et quidem ex origine & officio ædilium. Apprime ad rem DIONYSIVS HALICARNASSENSIS *L. VI. C. 81. in editione* SYLBVRGII: *Impetrata*, inquit, *ſui magiſtratus confirmatione* (*tribunorum plebis*) *petunt inſuper* (*plebs*) *a ſenatu permitti ſibi vt quotannis duos e plebe viros deſignent, qui tribunis ſubminiſtrent, quidquid opus ſit, & lites quas tribuni eis commiſerint, iudicent, ædiumque ſacrarum, locorum publicorum atque annonæ curam habeant. Hoc quoque a ſenatu conceſſo, creauerunt, quos tunc miniſtros & collegas ac iudices tribunorum appellabant, nunc vero ab officiorum vno vernacula lingua ædiles* (*id eſt, ſacrarum ædium curatores*) *vocant, poteſtatem habentes alterius magiſtratus miniſtram, vt antea. Commiſſæque eis multæ ac magnæ res, ſuntque maxima ex parte Græcorum* ἀγορανόμοις *ſimiles. Hactenus* DIONYSIVS. Ex quibus verbis illuceſcit, quod ædiles alicui magiſtratus miniſtri cum aliis in rebus, tum in iudicando fuerint. Quibus conſequens eſt, vt eorum quoque poteſtas & iurisdictio ab his pendeat, quorum miniſtri fuerant. Vt itaque ædiles plebis, tribunorum miniſtri, ſic ædiles curules, ad quorum exemplum & imitationem plebis ædiles creati, prætorum fuere, quippe qui archetypi inſtar plebi erant, ad quem ædiles plebs ſuos ſibi formabat. Quare prætores particulam iurisdictionis ſuæ ædilibus curulibus mandabant, quæ vti prætoris erat propria, ab eaque originem & cauſam ſuam repetebat, adeoque prætoriæ iurisdictionis portio erat, ſic ſub eius appellatione quoque comprehendebatur eique ſubſeruiebat. Habebant ergo ædiles iurisdictionem prætoriam beneficio prætoris. Suntque ædilitiæ actiones origine & forma & parte materiæ prætoriæ, quod recte affirmant ANT. VSILLVS *ad §. pœnales n. 9. de Action.* CASPAR CABALLINVS *de ædil. act. c. 2. n. 3.* TREVTL. *Vol. 2. ſelect. diſp. 2. th. 2. lit. C.* CVIACIVS, magnus Iuris noſtri interpres. *VIII. Obſ. 38.* Hinc Paulus *L. IV. ſent. tit. 15. §. feram*, ait, *beſtiam in ea parte, qua populi iter eſt, colligari prætor prohibet.* Prætor, ait Paulus; & tamen in iure noſtro ædiles vetant *l. 40. §. 1. cum LL. duabus ſequentibus h. t.* Hoc ita, quia proprie & radicaliter

ter prætoris ea erat iuriſdictio, ab eo ædilibus conceſſa. Tantum abeſt, vt prætoris appellatione ædilis veniat. Idem confirmat & §. 7. Vbi edictum ædilium curulium appellatur iuris honorarii portio. Per ius autem honorarium prætorium intelligitur.

IX. Denique quæritur, an hæc actio ſit arbitraria. Et eſſe talem probat *l. 29. §. vlt. & l. 45. ibique* gloſſa *in voce iubetur b. t. iuncto* §. *31. ibique* Gloſſa & ZASIVS *n. 11.* DONELL. *n. 11.* MYNSING. *n. 28.* THEOD. MARCILIVS *Inſt. de Action.* IACOB. MENOCH. *de Arbitr. Quæſt. L. Q. 5. n. 25.* CASPAR CABALLINVS *d. c. 2. n. 4. &* TREVTL. *d. th. 2. lit. D.* ibique BACHOVIVS. Diſſentit opinionis errore OLDENDORPIVS *d. Act. n. 10.* Quæritur hic: an recte diuidantur ædilitiæ actiones in ciuilem & prætoriam? Sane ita diuidunt Dd. communiter, Gloſſa, Bartolus, Azo, prætoriam appellant, quæ ædilium edicto datur propter animal morboſum: ciuilem vero quæ datur pro aliis rebus edicto non comprehenſis CABALLINVS *d. c. 2. n. 3.* vbi ipſe quoque approbat hanc diuiſionem, ſed inuita iuriſprudentia. Nam ſi tota ſua natura honoraria eſt, qua ratione ciuilem pronunciabis eam? Et qua ſodes ratione Gordianus reſponderit in *l. cum proponas. C. de Ædil. act.* ſe non poſſe animaduertere, qua ratione emtor, cuius ſeruus poſt anni tempus fugerat eo nomine cum venditore eiusdem congredi quærat, cum redhibitoria actio ſex menſium temporibus, vel quanto-minoris anno concludatur. Quod perperam reſpondiſſet Imperator, ſi ob animal, cui ſeruus annumeratur, ciuilis daretur, quæ vtique ad triginta annos durat. Confer SICHARDVM *ad Rubr. C. b. t. n. 12.* Nec obſtat, quod dicit BARTOL. *l. 13. de Act. emt. & vend. n. 2. in d. l. cum propanas,* non in genere fuiſſe quæſitum, vtrum emtor aduerſus venditorem agere, ſed an agi poſſit, quanto minoris prætoria. Sed non licet Bartolo fingere quæſtionem aliam, atque propoſitam eſſe Gordianus refert. Refert autem ſibi propoſitum, ſeruum ſcilicet poſt anni tempus fugiſſe, & quæſitum abſolute, an actio competat. Quod ſi poſt annum ſupereſſet alia actio, quanto minoris, præter prætoriam imperator conſultori captioſe reſpondiſſet. Et quæ vtilitas prætoriæ, quanto minoris, ſi ciuilis ſuppeteret?

Et

Et hæc fuit olim BVLGARI & PETRI ſententia, referente BARTOLO *d. loc. n. 1.* quam ſequitur CYNVS, SICHARDVS *d. loc.* DONELLVS in *comment. ad h. t. C. 5.* TREVTLER. *Vol. 2. Diſp. 2. th. 2. lit. c.* & ibi BACHOV. *in not.*

CAP. IV.

De cauſis ex quibus naſcitur redhibitoria.

I.

Naſcitur hæc actio I. ex reticentia ſi in vendendo venditor morbum aut vitium non indicauit, *l. 1. §. 1. l. 38. pr.* Si igitur contra atque ædiles volunt, factum fuerit, quid inde? aiunt iudicium dabimus, vt id mancipium REDHIBEATVR. Nempe ſi celata fuerint ſerui morbus aut vitium. Ergo ex hac reticentia morbi aut vitii naſcitur redhibitoria.

II. Ergone differunt morbus & vitium? Ita videtur Modeſtino ICto libro nono differentiarum, vbi ait morbum eſſe *temporalem corporis imbecillitatem*; vitium vero *perpetuum corporis impedimentum*, veluti, ſi talum excuſſit. Nam & luſcus itaque vitioſus eſt *l. 101. §. pen. dr V. S.* Id quod confirmat GELLIVS *L. IV. C. 2.* Vbi tradit in veterum ICtorum libris ſcriptum eſſe, vitium perpetuum; *morbum cum acceſſu & diſceſſu eſſe.* Opponuntur ergo ſibi inuicem eſſe perpetuum, & eſſe cum acceſſu & deceſſu. Et Cæcilius Sabinus, vt refert GELLIVS ibidem in libro, quem de edicto ædilium curulium compoſuit, Labeonem, quid eſſet morbus, hiſce verbis definiſſe: *Morbus eſt habitus cuiusque corporis contra naturam, qui vſum eius facit deteriorem.* Vlpianus noſter *in l. 1. §. 7. h. t.* fere eadem, niſi quod addit ad definitionem Sabini, morbum eſſe, qui corporis vſum faciat ad id deteriorem, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. Sed & hoc ex GELLIO conſtat, reliqua *d. §. 7.* verba non Vlpiani, ſed eiusdem Sabini fuiſſe. Ita enim GELLIVS: *Sed morbum alias in toto corpore accidere dicit,* (Sabinus) *alias in parte corporis.* Totius corporis morbum eſſe, veluti phthiſis, aut febris. Partis autem, veluti cæcitas, aut pedis debilitas, quæ poſteriora de pede omiſit Vlpianus, & contra interiungit hæc: *licet homo ita natus ſit, vitiumque a morbo*

Digitized by Google

morbo multum differre, vt puta, ſi quis balbus ſit. Nam hunc vitioſum magis eſſe, quam morboſum, GELLIVS ita: *Balbus autem,* inquit, (Sabinus) *& atypus vitioſi magis, quam morboſi ſunt, vt equus mordax, calcitro, vitioſus non morboſus:* Hactenus itaque Sabinus.

III. At Vlpianus noſter in his non eſſe differentiam ſaltem quod ad iſtud edictum cenſet, ſed ædiles tollendæ dubitationis gratia bis *κατὰ τοῦ αὐτοῦ* (ita enim Græculus noſter Vlpianus) dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet. Cuius ſententiam probat & PAVLVS ZACCHIAS, Medicus Romanus, Iuris noſtri ſcientiſſimus, in *quæſtionibus Medico-legalibus L. II. T. 3. Q. 2.* Et Modeſtinum vellicat, qui morbum a vitio duratione diſcernit. Sed nos Sabinum recte hæc diſcreuiſſe, nec Vlpiani mentem eſſe aliam, Modeſtinumque non recte reprehenſum, oſtendemus. Quod enim attinet differentiam ICti, quibus de moribis agere non aliter competit, quam quatenus actionibus ciuilibus accidunt, easque aliter atque abs his ſi eſſet, afficiunt, morbum ex vſu communi omnium gentium eum appellant, qui temporalis eſt, adeoque natura vel arte curabilis. Ita & CICERO ex diſciplina Stoicorum *L. IV. Tuſcul. quæſt. Morbum,* ait, *appellari totius corporis corruptionem: Ægrotationem morbum cum imbecillitate: Vitium, cum partes corporis inter ſe diſſident, ex quo prauitas membrorum, diſtortio, deformitas.* Hinc etiam vernacula loquendi conſuetudine paſſiuitus diſcerni audies *krank und gebrechlich ſeyn, Krankheit und Gebrechen,* quorum illud morboſum eſſe, & ad tempus, hoc ſine morbo, praue diſpoſitas corporis partes, deſignat, idque perpetuo, atque ſine ſpe curationis, vt gibboſum, ſtrabum, excuſſo talo, edentulum eſſe & ſimilia ſexcenta.

IV. Quod autem Vlpianus a Sabino in vniuerſum non diſcedat inde apparet, quod addit Sabinus apud Gellium, Vlpianus vero omiſit, hæc verba: *cui morbus eſt, id etiam vitioſum eſt.* Neque id tamen contra fit. Poteſt enim qui vitioſus eſt, non morboſus eſſe, quamobrem cum de homine morboſo ageretur, nequaquam diceretur: *Quanti ob id vitium minoris erit.* Nimirum hoc vult Sabinus, vitium latius morbo pa-

 tere

Digitized by Google

tere, & morbum vitio, ceu ſpeciem generi ineſſe: Ita quidem vt de omni morbo vitium prædicetur, ſed de omni vitio morbus non item. In foro tamen hæc ita diſcerni oportere, vt qui ob hominem morboſum acturus ſit, non debeat dicere, quanti ob vitium, ſed quanti ob morbum minoris erit: Quemadmodum qui ob fundum Tuſculanum agit, non recte in genere locum aut fundum petet, qui equum petet, non recte animal ſibi dari intendet, ita qui hominem morboſum redhibere vult, non recte vitioſum dicet. Idque Vlpianus non negat de actione, ſed hoc tantum dicit, in edicto ex quo actio actu primo, quod aiunt, naſcitur, hæc non diſcerni, ita vt, quamuis diuerſa, atque in redhibitoria quoque in ſpecie ſint exprimenda, in edicto tamen, vt actio in idea inde naſcatur perinde eſſe ob morbum an vitium, quis ſit acturus. Adeo non diſſentiunt Sabinus & Vlpianus, nec alterius ſententia aduerſus alterum patrono eget.

V. Quod vero ad Modeſtinum attinet, obiicit ei ZACCHIAS quod ex ſententia eius ſequatur, vitium grauius quid eſſe morbo, quia morbus imbecillum tantummodo corpus ita reddat, vitium inſuper etiam impediat: Deinde quia morbus ad tempus, vitium perpetuo dicatur lædere: Tertio quod minus ſit conueniens morbum dici imbecillitatem: ſequi enim inde, vt detur morbus, qui non ſit præter naturam, cum non omne imbecillum quod eſt, ſimul etiam morboſum ſit, ſed imbecillum cum ſano bene ſtare poſſit. Denique quia multi morbi perpetui ſint, multa vitia temporalia. Sed hæc non ſunt tanti, vt conciliationi reperiundæ Delphos mittamus.

VI. Quod enim ad primum attinet, non ita capiendus eſt Modeſtinus, quaſi a morbo impedimentum, a vitio imbecillitatem remoueat. ICtus enim & morbum & vitium non aliter conſiderat, quam quatenus impedimento eſt negotiis ciuilibus. Itaque cum morbum finit temporali imbecillitate, ad impedimentum non perpetuo durabile, quod inde creatur, reſpicit. Cum enim morbus ſit cum acceſſu atque receſſu, temporarium vtique impedimentum faciet. Et cum vitium perpetuum impedimentum dicit, ex imbecillitate præter naturam

turam illud impedire intelligit. Differentiam autem inter vtrumque ex duratione petit, quod morbus plerumque ſit temporalis & natura vel arte curabilis, vitium vero incurabile & perpetuum.

VII. Tertiæ obiectioni adeo nihil ineſt dubii, vt cauillum videri queat. Modeſtinus enim intellgit imbecillitatem præter naturam; at ſi quod datur imbecillum, quod ZACCHIAS noſter cum ſano ſtare poſſe vult, imbecillum id eſt ſecundum naturam ſubiecti, de quo prædicatur. Denique quod & morbus detur perpetuus, vt mutitas, cæcitas, vitium contra temporale, id non valde obſtat. Sufficit enim ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſecus rem habere. Cæterum quantum ad redhibitionem nullam inter vtrumque eſſe differentiam conſtat.

IIX. Cauſa ergo redhibitionis tam eſt morbus quam vitium in ſpecie ſic dictum. Et quidem corporis, quo miniſterium hominis impeditur, & eius vſus deterior efficitur. Deinde & morbi & vitia tantummodo iſta, quæ venditione vetuſtiora ſunt, non quæ recentiora. Itaque ſi ſeruus venditus apud emtorem fugerit, diſtinguitur vtrum ex veteri vitio fugerit, an ex recenti. Nam ex hoc venditor non tenetur, niſi promiſerit, fugitiuum non fore. *l. 3. C. de ædil. act.* Qua de cauſa emtori de fuga agenti incumbit probatio fugæ antiquioris. *l. 4. ff. de probat.* Talia autem ſunt lingua abſciſſa *l. 8. h. t.* nempe radicitus, quod ſenex Plautinus minatur Vetulæ. *Aulul. Act. II. Sc. 2.* Nam quibus lingua non penitus abſcinditur loqui, etſi grauius, adhuc poſſunt. Hi vero non ſunt morboſi *d. l. 8.* ZACCH. *Q. Q. Medico-legal. L. II. T. III. Q. 8.* Cæterum miraculo accenſetur, quod habetur *l. 1. C. de off. Præt. Præf. Afri.* Chriſtianos, quibus ab Arrianis Vandalis linguæ radicitus abſciſſæ, loqui potuiſſe. Tradit idem & EVAGRIVS PROCOPIVS *L. IV. C. 14. L. I Rer. Vandal.* VICTOR. *de perſecut. Vand.* CVIAC. *XIX. Obſ. 6.* BARON. *ad ann. 484. & ann. 513. II.* Talis eſt & ἄσημος loquela *d. l. 9.* Vide ZACCHIAM *l. c. Q. 9.* Sed ille ἀσήμως loquitur, qui inarticulate, vt animi ſenſa percipi nequeant. Sed & mutitas *l. 9. h.* morbis accenſetur. Quamuis ob hanc non datur redhibitoria, ſed actio emti *l. 3. iuncta l. 4.*

 h. t.

h. t. Quia hæc vitia ita ſunt manifeſta, vt emtor ea facile ſcire poſſit. III. Surditas quoque morbus eſt, ſiquidem miniſterium hoc vitio impediatur *l. 3. h.* Verum ad redhibitoriam non pertinet, ſed actio emti dabitur *d. l. 4. pr.* Digiti de manu aut pede præſciſſio, membriue laceratio *l. 10. §. 1. h.* ſi ob eam rem minus eo vti poſſit. Ita & mancus *l. 12. §. 3.* myops *l. 10. §. 3. h. t.* Νυκτάλωψ luſcitioſus *l. 10. §. 4. h.* claudus *l. 13. h.* cui latus, aut crus breuius affert impedimentum *l. 12. §. 1. h.* Ita clauus, polypus *l. 12. pr. h.* impetiginoſus, ſi membro, in quo impetigo eſt, non recte vtatur. *l. 6. §. 1. h. t.* febris continua vel tertiana, vel quartana, podagra, comitialis morbus, etiam illis diebus, quibus morbus vacat, ſunt morbi *l. 1. §. 8. l. 53. h.* morbus ſonticus *l. 4. §. 5. l. 65. §. 1. h. t. l. 113. de V. S.* vua præciſa ſi & vitium perſeueret. *l. 14. §. 5.* Qui ἀῖ]ιάδας, id eſt tonſillas inueteratas habet *l. 14. §. 8. h.* Mortuos pariens ſi vuluæ vitio contingat. *l. 14. pr. h.* Mulier arcta *l. 14. §. 7. h. t.* Quæ bis in menſe purgatur, aut omnino non *l. 15. h. t.* Si ancilla ſit ſterilis *l. 14. §. 3. h. t.* Si cui os oleat ex corporis vitio *l. 12. §. vlt.* Si vrinam continere non poſſit, ob vitium veſicæ *l. 14. §. 4. h.*

IX. Ceſſat igitur redhibitio ſi tale ſit vitium quo miniſterium hominis non impeditur *l. 1. §. 4. h.* quod morbus ſit leuis, qui contemni poſſit *d. l. 1. §. 8. l. 4. §. vlt. l. 3. h. t.* ſi quis ſit impetiginoſus *l. 6. §. 1.* Spado *l. 38. §. 7.* Qui vnum teſticulum habet *l. 6. §. 1.* Qui plures digitos habet *l. 10. §. 1.* Qui grauiter ἀσαφῶς loquitur *l. 9. h. t.* Balbus, blæſus, atypus, varus, vatius *l. 1. §. 7. l. 10. §. vlt. h. t.* Cui dens abeſt *l. 11.* Cui inæqualitas membrorum eſt, puta, ſine detrimento miniſterii *l. 12. §. 1.* Gutturoſus. Qui oculos præeminentes habet *l. 12. §. 2.* Scæus *l. 12. §. 3.* Cui os olet ex illuuie *l. 12. §. 4.* Hircoſus, ſtrabo *l. 12. §. 4.* Qui vrinam facit ex pigritia ſurgendi *l. 14. §. 4.* Mulier prægnans, puerpera, ſterilis ex natura *l. 14. §. 1. 2. 3.* Qui digitis coniunctis natus, dummodo vſui non incommodat *l. 14. §. 6.* Leuis lippitudo, leuis dentis auriculæque dolor, mediocre vlcus, vulnusculum modicum, leuis febricula, vetus quartana, quæ ſperni iam poſſit *l. 1. §. 8. l. 4. §. 6.*

X. Ergone ob non indicata animi vitia non dabitur redhibi-

hibitoria? Diſtinguendum: Aut animi vitium tantum eſt & non cadit ſub hoc edictum: Aut ex corporis morbo oritur *l. ob quæ 4. pr. &* §. *4. ¶.* §. *1.* & competit redhibitoria. Vel etiam ſolius quidem eſt animi: ſed facit, vt ſerui nullus ſit vſus *l. 4.* §. *3.* & tum quoque redhibitoria locum habet. Huc refero ſeruum erronem & fugitiuum, quæ vitia animi niſi ſint emtori indicata, redhibitioni faciunt obnoxios *l. 1.* §. *1. arg. l. 48.* §. *3. h.* Quis autem fugitiuus cenſendus ſit, declarat Vlpianus ex Ofilio in *l. 17. h. t.* Erro ille intelligitur qui non quidem fugit, ſed frequenter ſine cauſa vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumtis ſerius domum redit. *d. l. 17.* §. *14.* Pertinet & ad animi vitia, quibus edicto locus eſt, ſeruus noxali iudicio ſubiectus. Quare & hoc ſi reticetur, ſeruum noxa ſolutum non eſſe, edicto ſit locus *l. 17.* §. *17. cum ll. ſeqq. h.* ſic ſi mancipium capitalem fraudem commiſerit, vel mortis conſciſcendæ cauſa quid fecerit, vel in arenam depugnandi cauſa ad beſtias intromiſſum fuerit, *d. l. 1. l. 3.* §. *3. cum ſeqq. l. 43.* §. *4. h.* Vel quod ex conſtitutionibus manumitti non poſſit, vel ſi ſub pœna vinculorum diſtractus ſit a domino, vel ab aliqua poteſtate damnatus, vel ſi exportandus, & hoc quoque prædici debet *l. 17.* §. *19. h.* Item ſi veterator interpolatus fuerit, vt pro nouitio veneat *l. 37. h.*

XI. Fuit prima cauſa, nempe reticentia morbi aut vitii. Sequitur altera, ſi dictum promiſſumue in vendendo aliquod fuerit, quod non eſt præſtitum *l. 1. l. 38.* §. *10. h. t.* Vt ſi quis affirmauerit, aliquid adeſſe ſeruo, nec adſit, vel abeſſe, & adſit. Puta ſi dixerit, furem non eſſe & fur ſit artificem eſſe & non ſit. Hi enim quia quod adſeuerauerint, non præſtant, aduerſus dictum promiſſumue facere videntur *l. 17.* §. *vlt. h. t. l. 18. pr. h.* Inter dictum autem, & promiſſum hæc eſt differentia, quod dictum accipiatur de eo, quod verbotenus pronunciatum eſt, nudoque ſermone finitur: v. g. hic ſerus eſt frugalis, eſt laborioſus. Promiſſum autem poteſt referri & ad nudam promiſſionem, v. g. promitto eum eſſe grammaticum, medicum; & ad ſponſum, ait ICtus *in l. 19.* §. *2. h.* puta, promittis ſeruum eſſe nouitium: Promitto, ſpondeo. Porro ſunt quæ-

Digitized by Google

dam dicta, quæ non præſtandi ſed iactandi animo proferuntur, vt illud poetæ;

Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos.

Sufficit tamen dicta hæc atque promiſſa modice præſtari vt liberaſſe fidem cenſeatur venditor. Videntur enim eo pertinere ne id quod affirmauerit venditor amare ab eo exigatur, ſed cum quodam temperamento, vt ſi forte conſtantem eſſe affirmauerit, non exacte grauitas & conſtantia, quaſi a philoſopho deſideretur, & ſi laborioſum & vigilacem adfirmauerit eſſe, non continuus labor per dies noctesque ab eo exigatur, ſed hæc omnia ex bono & æquo modice deſiderentur. *l. 18. pr. h.* Sic ſi venditor ſeruum venditum artificem dixerit puta cocum, nec optimum nec peſſimum illum præſtare debet *l. 19. §. 4. h.* Niſi optimum promiſerit. *d. l. 18. §. 1. h.* Quod ſi vero res ita in promtu fuerit, vt eam emtor non ignorauerit. *l. 43. pr. & §. 1. de Contrah. Emt.* Vel id quod impoſſibile dictum promiſſumue ſit *l. 8. C. de contrab. & com. ſtipul.* non dabitur redhibitio.

CAP. V.

Cui & aduerſus quem detur actio redhibitoria.

I.

Datur hæc actio emtori, vitium rei emtæ ignoranti *l. 1. §. 6. h.* Neque enim eſt, cur ſe queratur deceptum emtor, qui vitium ſciuit *l. 48. §. 3. & §. ſeq. h. t.* Quid vero de ſupina emtoris ignorantia? an perinde ei dabitur hæc actio? ACCVRSIVS & BALDVS negant *in l. 1. C. eod. per l. 43. ff. de contrab. emt.* Affirmat Azo *in Summa Cod. h.* CASPAR CABALLINVS *ad h. t. §. 2. n. 23. & alii.* Et eius heredibus. *l. 19. §. 5. l. 31. §. 5. & ſeqq. §. 9. l. 48. §. 5. h. t* moti hac ratione, quod negari non poſſit hunc vel maxime ignorantia deceptum fuiſſe, quod in hac re potiſſimum attenditur. Sed verius eſt, ſi vitium adeo conſpicuum ſit, vt ignorantia cadat in latam culpam. *arg. l. 226. de V. S. iuncta l. 6. de I. & fact. ign.* Puta ſi mancipium vtroque oculo ſit excœcatum, ſi altero pede careat, ſi naſo truncatum, & tamen

ſe

Digitized by Google

ſe id non animaduertiſſe cauſetur emtor. Hic certe deceptus dici non meretur. *per l. 14. §. fin. h. t.* Secus ſi vitium ita manifeſto non incurrit in ſenſus. BVSIVS *ad l. 1. h. t.* Idque verum eſſe puto, ſiue venditor ipſe ignorauerit, ſiue ſciuerit, vt emtori ſupine ignoranti non ſuccurratur. BACCH. *ad* TREVT. *P. II. diſſ. 2. th. 2. lit. B.* tum quod dolus venditori imputari nequit, tum quod eiusmodi ignorantia, quæ ſcientiæ comparatur, præſumtionem doli excludit. Quod ſi plures ſint heredes emtoris, tunc etiam vnus ex iis equo vendito mortuo ſine coheredum conſenſu redhibitoria experiri poterit, ad pretium, & id quod intereſt, conſequendum. Sed ſi animal venditum adhuc viuit, non poteſt agere ſine conſenſu cæterorum coheredum. *l. 31. §. 5.* ibique BALD. COSTAL. *cum §. ſeq. h. t. l. 26. §. 4. de cond. indeb.* AZO *in ſumma Cod. h. t. n. 9.* CASPAR CABALLINVS *d. c. 2. n. 47.* DONELL. *comment. de ædil. edict. d. c. 5.* ſed debent omnes conſentire ad redhibendum, dareque vnum procuratorem eius rei gratia, ne forte venditor iniuriam patiatur, dum ab alio partem hominis, ſeu rei recipere, alii non in partem pretii, ſed quanto minoris condemnari contingat *l. 31. §. 5. h. t.* Id ipſum quoque ſtatuendum, ſi ſeruus communis emerit, vt vnus dominorum ſine cæteris redhibere non poſſit *d. l. §. 31.* Non vero datur ei, qui a fiſco cauſam habet. *l. §. 3.* ex fiſci priuilegio. Secus vero habet, ſi reſpublica vendiderit, nam contra eam locus eſt edicto *l. 1. §. 4.*

II. Competit etiam hæc actio permutanti, quia permutatio vice emtionis eſt. *d. l. 19. §. 5. l. 2. C. de rer. permut. & l. fin. quib. ex cauſ. in poſſ.* An & conductori dabimus? Magnus noſter interpres CVIACIVS *XII. Obſ. 38.* primus ſcribit, ædilitium edictum etiam pertinere ad locationes. *Primo*, quia familiaritatem inter ſe habent venditio atque locatio, eiusdemque iuris regulis conſiſtunt. *l. 21. ff. locat. & pr. I. de Locat. Deinde* facit *l. 33. C. de Loc. cond.* in qua locatori & conductori impune licet intra annum a contractu diſcedere, niſi aliud nominatim conuenerit. Si igitur forte ædes in quinquennium conduxero, ac primo anno eas deprehendero eſſe peſtilentes, inſalubres ſpe-

ſpectris infeſtas, licebit mihi agere redhibitoria, vt locator ædes ſuas recipiat, & a locatione conductione recedatur.

III. Sed negant alii, HOTOMANNVS *Lib. IV. Obſ. 17.* CABALLINVS. *d. C. 2. n. 7. & 8.* DONELL. *Comment. h. t. C. 4.* GILBERTVS REGIVS *L. I. ἐναντιοφ 18.* TREVTL. *d. diſp. 2. th. 1. lit C.* idque *per l. 63. de ædil. edict.* Vbi Vlpianus edictum ædilium curulium ad venditiones ſolas pertinere, & ideo ædiles de locationibus nihil edixiſſe ſcribit, vel quia nunquam illorum ea de re fuerit iurisdictio vel quia non ſimiliter locationes, vt venditiones fiant. CVIACIVS ſe defenſurus vrget verba in hac *lege 63.* MIRVM VIDEBATVR. Quæ enim iuris auctoribus mira videntur, his rationem conſtare non ſolere, *arg. l. 9. de Relig. & ſumt. fun.* Cui addendum eſt principium *Nouellæ 39. §. Et rurſus.* Qua Iuſtinianus *l. 3. C. de præd. Decur. mirabilem* vocando improbat. Deinde ait, Vlpianum quidem in *d. l. 63.* referre rationes, ſed non probare. Nos *Cuiacii* ſenteniiam damnare non audemus, inprimis ob *l. 33. C. Locat.* Scimus ſane ei legi natales ſuas exprobari a plerisque, & idem nouiſſime a WISSENBACHIO quoque *Commentario Cod. h. t.* Sed inique, & per contumeliam. Nam patrem habet, & imperatorem quidem, Zenonem: teſte ſuſceptore CVIACIO. Ait WISSENBACHIVS; Epitomas illas græcarum conſtitutionum quas viri docti ex Baſilicis aliisue græcis auctoribus collegerunt, non habere vim & autoritatem iuris, fruſtraque aut in foro, aut in academiis pro teſtimonio adduci, quando ipſæ conſtitutiones puræ putæ in manus noſtras non venerunt. Sed hæc WISSENBACHII, non prætoris, ſunt edicta. Cur enim non habent autoritatem iuris? Quia Iuſtiniani forſan non ſunt? At vnde plus auctoritatis Iuſtiniano in occidente, quam Leoni? qui Baſilica nobir dedit. An quia puræ putæ in manus noſtras non venere? Ergone Zenonis conſtitutiones, quæ a Iuſtiniano in Codicem ſuum receptæ, puræ putæ in manus noſtras venere? Non decurtatæ, non interpolatæ a manu τοῦ τρίβωνος? Credat Iudæus Apella. Et hactenus par eſt auctoritas Iuſtiniano & Leoni: Par cauſa Triboniano, & Baſilica concinnanti, Par conditio legibus Iuſti-

nianis

nianis & Baſilicis. Et quantum ad noſtrum quæſitum attinet an actio ædilitia in locatione locum habeat, ſi nihil eſſet aliud quod obiici contra *l. 33.* poſſet, Cuiacius facile vinceret. At vero quia hæc *lex 33.* recedere quidem a contractu locationis permittit, ſiquidem intra annum declaret hunc animum conductor; ad edictum autem ædilium id nullatenus pertineat, quippe quo tantum rei alienatæ redhibitio permittitur, vt recte notat P. BVSIVS ICtus doctiſſimus in notis ad *l. 63. ff. de ædil. edict.* Quod magno quoque ARVMAEO noſtro in mente fuit *Diſp.* 14. *ad Pandect. th.* 14. *ad fin.* hactenus Cuiacius *cum l. 33.* nil quidquam proficit.

IV. Quæritur autem porro, vtrum ſaltem conductori ad longum tempus detur actio redhibitoria? Ita videtur BALDO *in l. 2. C. de Ædil. act.* Et aliis, quos citat CABALLINVS *d. c. 2. n. 11.* Ratio hæc redditur, quia ſecundum Dd. communiter in locatione ad longum tempus transfertur vtile dominium, in conductorem *l. 1. §. 3. de ſuperficieb. l. 1. §. 1. & vlt. Si ager vectig.* Sed verior eſt contraria opinio propter *d. l. 63.* Nec ſubſiſtit allegata ratio, quia natura locationis eſt, vt dominium ne mutet *l. 39. ff. Locat.* Idem traditur in *l. 2. C. de præſc. 30. vel 40. ann. & Nou. 120. c. 3.* Confer. Connanum *L. VII. Comment. Iur. Ciu. C.* 12. SARMIENT. *L. III. Select. Interpr. C. 2. n. 31.* WESEMB. in *π. tit. loc. cond. n. 8.* EBERH. BRONCHORST. *Cent. 2. ἐναντιοφ. aſſert. 67.* CASPAR CHIFERDEK. *L. I. Tract.* 18. qui argumenta contraria refutat. Quid vero ſi procurator emerit rem, quam dominus ſciebat vitioſam, procurator ignorabat; an aget redhibitoria procurator? Recte agere, nec exceptionem ei opponendam ex perſona domini Africanus reſpondit *in l. 51. §. 1. h.* Sed obſtat *pr. d. l. 51.* ibi: *ſi ſeruus mandato domini hominem emerit, quem dominus vitioſum eſſe ſciret, non tenetur venditor.* Ergo exceptio ex perſona domini habet locum.

V. Non etiam datur hæc actio donatario, quia nullum eſt pretium, quod ille recipiat. Sane de dolo donator obligare ſe debet & ſolet, ne quod benigne contulerit, fraudis conſilio reuocet *l. 62. h. t.* BALD. *d. loc.* CABALLIN. *d. C. 2. n. 6.* At vero in donatione in ſolutum omnino locum habitura eſt

Digitized by Google

hæc actio, quia emtionis inſtar obtinet, vt bene BACHOVIVS *ad* TREVTL. *Vol. II. diſp. 2. th. 1. lit. G.*

VI. Competit hæc actio aduerſus venditorem *l. 1. §. 2. l. 28. & l. ſeq. pr. l. 37. h. t. l. 1. & l. 4. C. de ædil. act.* Eiusque heredem *l. 23. §. 5. & l. 48. §. 5. h. t.* Et ſi plures heredes extiterint, contra ſingulos pro portione hereditaria agendum erit *l. 31. §. 10. d. t.* etiamſi ignorauerit ea, quæ ædiles præſtari iubent. Potuit enim ea nota habere. Neque enim intereſt emtoris cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate? *l. 1. §. 2. h. t.* Et ex natura relatorum dabitur etiam aduerſus permutantem & in ſolutum dantem, ſecundum ea, quæ ſupra diximus. Porro datur quandoque etiam contra fideiuſſorem, ſiquidem in vniuerſam cauſam emtionis acceptus fuerit, vti ſeruum tradi, ſeruo euicto duplum præſtari, furtis noxiisque ſolutum eſſe, non fugitiuum, non errorem. *l. 56. h. t.* Denique ſerui vel filiifam. nomine tenetur pater vel dominus *l. 23. §. 7.*

CAP. VI.

Quibus de rebus competat hæc actio?

I.

DAtur actio redhibitoria de rebus venditis, permutatis & in ſolutum datis, & fortaſſis etiam æſtimato in dotem datis, & denique in quolibet contractu, ex quo agitur de euictione. AZO *in ſumm. h. t. n. 4.* tam iis, quæ ſoli ſunt, quam quæ mobiles aut ſe mouentes. Non quidem κατὰ τὸ ῥητὸν edicti: ſed per extenſionem ICtorum. Edictum enim de mancipiis & iumentis loquitur. Sed ob paritatem rationis intellectum fuit & de rebus quibuslibet vitioſis puta aut morboſis, ſiue ſint mancipia, de quibus Ædiles in primo capite edicti *l. 1. §. 1. h. t.* ſiue iumenta, de quibus tractarunt capite ſecundo *l. 38. pr. h. t.*

II. Quod attinet mancipia, ex noctibus Gellii conſtat, ea in venalitio (ita dicitur locus, vbi ſerui venderentur) cum titulis proſtituta emtoribus fuiſſe, in quibus titulis quid virtutis aut vitii in eo mancipio eſſet, ſcriptum erat. Ita capiendus

dus SENECA *Epiſt. 47.* SVETON. *de illuſtrib. Gramm.* Et quidem de collo appenſis. PROPERT. *L. IV.*

At quorum titulus per barbara colla pependit
Cretati medio cum ſaliere foro.

Huc facit & P. CHRYSOLOGUS *Serm. 141. hoc implebat Paulus*, ait, *qui ſeruitutis ſuæ titulos ſic ſcribebat.* Hic titulus in venalitio quoque ſuſpendebatur. PETRONIVS: *Ego autem ſpiritu non deſtiti totum parietem perſequi. Erat autem venalitium titulis pictum.* Ex eodem propertio hoc quoque notandum, mancipia currere & ſalire ſolitos in venalitio fuiſſe, quo magis de valetudine corporis, celeritateque lectori emturo fidem facerent, vt SCALIGER notat ad PROPERTIVM *L. IV.* IACOB. DVRANT. CASSELIVS *L. I. Var. 10.* At quia Triboniani æuo mos titulos apponendi forte exoleuerat, eorumque loco verbis moneri vel certiores reddi cœpiſſent emtores, verba ædilium mutauit Tribonianus, ſuisque moribus accommodauit. De cretatis mancipiorum pedibus videatur PLINIVS *L. XXXV. C. 17.* Quo alludit IVVENALIS:

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Gypſatos pedes vocat TIBVLLVS &, OVIDIVS. Nec grauabimur quasdam horum titulorum formas proferre. Ita HORATIVS *L. II. Epiſt. 2,*

- - - - *Hic eſt*
Candidus, & talos a vertice pulcer ad imos.

Item: *Verna miniſterii ad nutus aptus heriles*
Literulis græcis imbutus, idoneus arti
cuilibet.

Simile Terentianum Eunucho. *Fac periculum in literis, fac in palæſtra, in Muſicis, quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.* Vid. LAVRENT. PIGNOR. *de Seru.*

III. Quod attinet iumenta, redhibitioni obnoxia habentur eadem de cauſa, ob quam mancipia puta ob morbum aut vitium. Iumentorum autem appellatione non omne pecus continetur, & ne boues quidem *d. l. 38. §. 4. 5. 6. h. l. 89. pr. de V. S. l. 65. §. 5. de Leg. 3.* quia non dorſo domantur, ſed ceruice ac armis. Sed iumenta ſunt, quæ dorſo ferunt. Quare teſtante Vlpiano in *l. 38. §. 5.* elogium huic edicto ſubiectum fuit,

Eeee 2 cuius

Digitized by Google

cuius hæc ſunt verba: *Quæ de iumentorum ſanitate diximus, de cetero quoque pecore omni venditores faciunto.* Elogium appellat Vlpianus hanc edicti partem, qua ad reliquum pecus omne producitur edictum. Gloſſæ Latino-Græcæ, qui PHILOXENI feruntur: *Elogium*, ἀπόκρισις, ἡ διὰ λόγων, καὶ προοίμιον καὶ ἀνακεφαλαίωσις. Eſt ergo explicatio, declaratio, reſponſum antecedentia declarans. Iunge CASAVBONVM Suetonii Caligula. Et ISIDORI *Gloſſarium*, VALESIVM *in Ammian. p. 15. & 386.* Vitioſorum autem iumentorum ſpecies hæ fere occurrunt: *Bos cornupeta*, cui olim fœnum in cornibus pro ſigno appendebatur: quo ſibi cauerent, qui forte occurriſſent. ACRON. *ad* HORAT. *ſerm. Fœnum habet in cornu, longe fuge*, Vide PLVTARCHVM *Problem.* Quod prouerbii loco olim in M. Craſſum vſurpatum refert idem PLVTARCHVS, MVLAE, quæ *peſſundant*, vt vulgo legitur: DVARENVS: *quæ ceſſum dant:* HALOANDER, quæ *ceſſim eunt.* BASILICA, λακτίζουσα μοῦλα. Sed recte Vulgati, quæ peſſumdant, id eſt, quæ exſilientes λακτίζουσαι, in terram ſeſſorem proſternunt, hoc enim eſt dare peſſum, vt recte SCIOPPIVS *Grammatica Philoſophica:* Quæ ſemet ipſa eripiunt. *l. 43. pr. h.* Si ſint pauida, mordacia, *l. 4. §. 3.* calcitrones. *d. §. 3.* qualem equum vitioſum; non morboſum Sabinus dicit apud GELLIVM *L. IV. c. 2.* Si alterum iugum non patiantur *l. 38. §. 9.* Si caſtrata ob id imbecilliora facta *l. 38. §. 7. h.* Ita & eunuchum ſeu caſtratum redhiberi poſſe quaſi-morboſum Labeo apud GELLIVM reſpondit. *d. l.* Spadonem enim morboſum non eſſe, neque vitioſum, ſed ſanum, ſicut illum, qui vnum teſticulum habet, qui etiam generare poteſt, reſpondit ICtus *in l. 6. §. 2. h. t.* Quod limitat Paulus *in l. 7.* ſi quis ita ſpado ſit, vt tam neceſſaria pars corporis penitus abſit, morboſum eum eſſe. Sues fœminas, ſi ſteriles eſſent & venum iſſent, ex edicto ædilium poſſe agi Labeonem ſcripſiſſe ait GELLIVS noſter *d. l.* IVRE SAXONICO venditor equi non de cunctis vitiis, a venditore celatis, ſed de his duntaxat; ne ſit *retrogradus, ſtætig, cæcitate latente, Staarblind, ſcabioſus Haarſchlechtig*, neque *furtiuus von unrechter Ankunfft*, neque *hartſchlægig.* Ita *Weichbild art. 97.* ſed interpretes legunt *haarſchlechtig.* Latinus textus

xtus ita habet: *Vendat ſi vnus equum alteri, vbi & guarendam promiſerit, guarendare in eo tenetur, quod non ſit ſtatiuus, ita quod a loco tempore ſe offerente ire & tranſire nollet. Item quod apparens videre ſit cæcus. Item quod non ſit arreſtatus aut ſubtractus ſed ſit liber. Item quod non ſit aſthmaticus, nec nauſeaticus, ſeu rheumaticus.* Vnde apparet; perperam intellectum Saxonem, quaſi redhibitoria non niſi in quatuor vitiis exerceri queat, quæ capitalia *Hauptmængel* propterea dicuntur, cum textus loquatur non de celatis vitiis, ſed de promiſſa bonitate equi, ſi nempe emtor ſtipulatus, equum ſanum tradi, venditorem promittentem obligationi ſatisfeciſſe videri, ſi quatuor iſta præſtet. Ergo ſi guarendare non promiſit, teneri redhibitoria de cunctis celatis vitiis, quod & æquitati & iuri ciuili conuenit. Et agit igitur ius Weichbildicum de altera duntaxat redhibitoriæ cauſa, nempe ſi dictum promiſſumue quid, quod non ſit præſtitum, de quo ſupra *C. IV. th. 11.* plura eiusmodi vitia ac morbi, inprimis de equis recenſentur a ROEVENSTRVNQVIO *L. I. Med. Aed. C. 4.*

IV. Excipiuntur iumenta, quæ vitioſis non annumerentur, vt ſunt, quæ transiungi non poſſunt *l. 38. §. 8. h. t.* Quæ ob caſtrationem imbecilliora non ſunt *l. 38. §. 6.* Quæ errant fugiuntque *l. 64. §. fin. h.*

V. Quod de mancipiis & iumentis dictum eſt, id ICtorum productione ad ceteras quoque res tam ſoli quam mobiles vitioſas pertinet, *l. 1. l. 48 §. 6. l. 63. pr. l. 49. h. l. 4. C. h.* Redhibetur itaque fundus peſtibilis, id eſt, peſtibiles herbas, vel letiferas habens, vt habet vulgata lectio. *d. l. 4. C. h. t.* At vero CVIACIVS *ad L. IV. Cod. h. t.* in libris antiquis ait conſtanter legi; *ſi fundus fuerit peſtilens*, id eſt peſtibulas vel herbam letiferam habens. Et in recitationibus ad 4 libros priores Codicis: *Vulgo, ait, male legitur*: Si peſtibilis fundus &c. *Aſſerenda eſt nobis vetus ſcriptura: Omnes libri MSCti ſic habent*: Peſtibilis fundus, id eſt peſtibulas, vel herbam peſtiferam habens. Sic *L. XVI. Obſ. 24.* Et in notis ſolennibus, quas ex Bibliotheca Vulteii PALTENIVS, poſtea vero FABROTTVS in appendice operum CVIACII edidit, ita: *Veteres habent:* Si fundus fuerit peſtilens,

 id

Digitized by Google

id eſt peſtibulas vel herbam letiferam. Vid. *l. 49. ff. h. t.* CICER. *2. Agraria.* Peſtibulæ quid ſint, exponit ſummus CVIACIVS, nempe ſerpentes peſtiferas. Redhibetur vſusfructus hominis emti *l. 48. §. 6. h. t.* Datur redhibitoria ob ſeruitutem celatam *l. 61. h.* Conf. MYNSING. *Cent. I. Obſ. 37.* GOMEZ. *T. II. Var. C. 2. n. 45.* SICHARD. *ad Rubr. Cod. de Act. Emti*, & ad *l. 5. C. de Euict.* A. FAB. *Cod. L. IV. tit. 33. def. 1.* Ob libros defectuoſos ſeu non integros mutilos, mendoſos. CABALLIN. C. *II. n. 47.* Eadem ratione annona corrupta locum dari edicto, vt ſi caro leproſa. OLDEND. *C. IV. act. 2. in pract. n. 4. verſ. Quanquam autem.* Ob cereuiſiam aceroſam, panem mucidum, fœtidos piſces, ferrum fragile, *rohe und kaltbrüchig Eiſen*, merces vetuſtate inutiles, *verlegene Wahren*, improbatas, *die nicht Kauffmans Guth*, ceram mixtam cum farina fabarum. FOLLER. *addit. ad Marant. p. 4. ſpeculi. diſt 9. n. 32.* Pannus ſi fracidus, blattis eroſus, *an den Rahmen, oder ſonſt ſo ſehr geſtreckte wœllene Tücher. Reichs A. zu Augſp.* Ann. 1500. Rubr. *die Tücher ſoll man genetzet.* Reformat. Polit. Karoli V. 1530. Rubr. *Verkauffung der wüllenen Tücher*, Reform. Polit. Ann. 1538. fol. 421. Rubr. *Verkauffung der wœllen Tücher.* Spirenſis 1570. §. *wir ſind darneben. Reichs Policey Ordnung zu Franckfurth*, anno 1577. tit. 22. Item Zingiber tinctum, *geſærbter Ingber.* R. I. de anno 1550. Rubr. *die Verkauffung des Ingwers*, & de anno 1548. Rubr. eadem, Item fraudes ſeplaſiarum, *der Apothecker und Materialiſten*, aromatariorum, & vnguentariorum, de quibus PLINIVS *L. XXXIV.* C. 11. *L. XVI.* C. 9. de reſina thuri miſta fraude ſeplaſiæ. Receſſ. 1548. Rubr. *von Apothecken. Polycey Ordn. zu Franckfurth* 1577. tit. 34. *Silberwerck, deſſen iede Marck nicht 14. Loth feines Silbers hælt, und die Probe nicht hat.* Reform. Karoli V. de anno 1548. Rubr. *von Goldſchmieden.* Ordin. Polit. Francofurt. 1577. tit. 36. *Wein, der mit Kalck oder dergleichen Zuſatz, Einſchlag &c. gefælſchet.* Vide Maximiliani *Ordnung.* Rubr. *die Weine zu Freyburg*, de anno 1497. Receſſ. Aug. de ann. 1500. Rubr. *die Gemæchte der Weine.* Reform. Polit. Karoli V. Auguſtæ Ann. 1548. Rubr. *von denen Schiff und Fuhrleuten. Policey Ordn.* Rudolphi II. *zu Franckfurth* anno 1577. tit. 16. De Gemmarum fraudibus vide PLINIVM *L. XXXVII.*

VI. Non

VI. Non ſolum autem de rebus ipſis datur hæc actio, ſed & de vitio acceſſionis. *l. 31. §. fin. cum ll. duabus ſeqq. h. t.* Et rebus, quæ ſeparari ſine incommodo non poſſunt. *l. 34. §. 1. l. 35. cum l. ſeqq. 36. l. 38. §. fin. cum ll. ſeqq. h. t.* Vt ſi paria iumenta venierint, & alterum ſolum vitioſum ſit, vtrumque redhiberi poteſt. *l. 38. §. in fin. pr. & §. vlt. h. l. 44. de contr. emt.* Locum autem habet actio, licet mancipium vel iumentum mortuum fuerit *l. 38. §. 3. in fin. l. 47. §. 1. l. 48. pr.* Itemque ſi res aliena vendita euicta ſit, cum ex poſtfacto non decreſcat obligatio. *l. 44. §. vlt. l. 11. §. 7. de Act. Emt. l. 16. §. 2. de Euict.*

VII. Nunc videmus, & de quibus rebus non competat. Et quidem ad ſimplarias venditiones non pertinere traditur, *l. 48. §. vlt. h. t.* Sed quænam ſunt tales? AZO in ſumma *h. t. n. 6.* exponit rem ſimplicem, quæ vitali careat alimento, vel quia in ſe non habet, vel quia alii non confert. Addit quidam intelligere rem vilem, cuius nomine agitur in ſimplum, non duplum. Quod poſterius probatur & BVDAEO atque DONELLO *Comment. L. XIII. C. 3.* vbi ait; Simplarias venditiones, viliores vocant venditiones, rerum mobilium contemtibilium & nec-pretioſarum, quarum ſcilicet euictarum nomine nunquam niſi ſimpla debetur, dupla nunquam. Conuenit & P. COSTALIO *ad d l. 48 §. vlt.* Sed AZO hanc ſententiam, quantum ad res viles ceu falſam improbat, ex hac ratione, quia ſi vendidiſti mihi mancipium fatuum, morionem, furioſum, lunaticum, vt in eo nullus ſit vſus, nec expediat ipſum habere, tamen locum habebit edictum *per l. 4. §. 3. & l. 43. §. 6. h. t.* Et IOH. CORRASIVS *L. II. Miſcell. Iur. Ciu. C. 2. 4. n. 3.* equi, iumentorum, & ſimilium rerum *d. l. 38. pr. h. t.* eſſe redhibitionem, ſuper quibus tamen, cum pretioſæ non ſint, de dupla venditorem non cogi repromittere. *d. l. 37. §. 1. de Euict.* Sed de veritate lectionis imprimis conſtare oportet. Et quidem in Florentino Codice ſcriptum habetur: *Simplariarum*, in aliis libris, *Simplarium*, Holoander, *Singularium.* Sed Holoandro ſingularibus ſuis relictis nec fluctus in ſimpulo cum Corraſii *Simpularis* excitaturi, mulieribus etiam ſimpulatricibus res ſuas ſibi habere iubentes, *Simplarias*, & *ſimplares*, *vtrumque*

enim

enim Latinum eſt, probamus cum BVDAEO, vt Simplariæ venditiones intelligantur earum rerum venditiones, quarum nomine, ſi contingat euinci illas, non promittitur dupla, ſed tantum in ſimplum ex emto agitur. Epitheton enim hoc non ad res, ſeu mercem refertur, vt AZONI & ACCVRSIO videtur, ſed ad venditionem ipſam, quæ ex accidenti, prout ſimplum vel duplum repromittitur, ſimplaria vel duplaria, ſimplaris, duplaris dicitur. Quemadmodum VEGETIO ſimplaris, duplaris armatura, quæ binas vel ſingulas conſequitur annonas, *L. II. C.* 7. Manet itaque, quod venditiones rerum, quarum nomine non promittitur dupla, ſimplares vel ſimplariæ vſurpentur, quales vt plurimum ſunt viles natura ſua. Non vero quæ ex vitio præternaturali depretiatæ ſunt, adeoque quod obiicit AZO de morionibus, lunaticis, & ſimilibus nullum faceſſit negotium, cum tales res natura ſua non ſint contemtibiles, ſed ex caſu, & vſu emtoris. Dico viliores in ea eſſe cauſa, vt ſimplum pro his euictis promittatur. Non tamen vt ſolæ viliores illæ faciant ſimplum promitti, quod CORRASIVS cenſuit, ſed vt etiam pro præſtantioribus promitti poſſit. Adeoque vt ſummatim complectar, quemadmodum pro rebus contemtibilibus non niſi ſimplum debetur, duplum tamen promittere licet: Ita pro præſtantioribus, qualia ſunt; equi, iumenta, mancipia & ſimilia, duplum debetur. *l. 43. de Euict.* ſimplum tamen accipi poteſt. Et pretioſum illud intelligitur, vt docet DONELLVS *in Comm. ad tit. de Euict. & dupl. ſtipul. C. I.* quod excedit ſummam duorum aureorum *arg. l. 9. §. vlt. & l. ſeq. de dol. mal.*

VIII. Porro nec locum habet redhibitio in venditionibus fiſci *l. 1. §. 3. h. t.* ex priuilegio M. Ant. PEREGR. *L. VI. de iure & priu. fiſ. 4. n. 38.* Nec in venditionibus pignorum per creditorem factis *l. 11. §. 16. de Act. Emt. l. 13. C. h.* nec in donationibus. *l. 62. h.* ſecundum illud: *dem geſchenckten Gaul ſiehet man nicht ins Maul.* Si emtor mancipium manumiſerit, aut ſuo ſuorumue facto amiſerit, *l. 47. h. l. 16. §. 2. de Euict.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

Quid in hanc actionem veniat?

I.

FInis huius iudicii eſt, vt omnia ex vtraque contrahentium parte integrum reponantur, quaſi nulla emtio venditio interceſſiſſet. *l. 21. l. 60. b. t.* Et quidem initium reſtituendi facit emtor *l. 29. b. t. l. 1. C. h. l. 5. C. eod:* Quare rem redhibere debet venditori. *d. l. 25. pr* Cum omni cauſa, tam eo, quod in venditione rei acceſſit, quam quod poſtea emtor occaſione rei percepit, vel dolo eius factum eſt, quo minus perciperet. *l. 1. pr. l. 23. §. 1. & §. 9. l. 24. l. 31. §. 2. l. 19. 43. §. 24. ff. d. t. l. 11. §. ff. ad L. Aquil.* Quid vero ſi ſeruo emto in teſtamento aliquid fuerit relictum, cuius venditor non ſit capax? Nihilominus reſtituendum ait *l. 23. §. 9. h.* Eadem ratio eſt ſi contemplatione emtoris ſeruo redhibitio ſit relictum *d. h. 9.* Contra alia eſt ratio, ſi ex re emtoris per ſeruum redhibitum emtum quid ſit per *l. 31. §. 4. ff. de edil. edict. l. 24. ff. eod.* Quare etſi emtor per ſeruum emtum iniuriam paſſus iniuriarum actione quid fuerit conſecutus, non reddet venditori. *l. 43. §. 5. h.* Et hæc omnia emtor libello ſuo exprimere debet, ſi quidem ante litem conteſtatam contigerint. Ceterum poſt iudicium acceptum tota cauſa ad reſtituendum hominem in iudicio verſatur. Iudici enim ſtatim atque iudex factus eſt, omnium rerum iudicium incumbit, quæcunque in iudicio verſantur *l. 25. §. 8. h.*

II. Quid ſi plures res ſimul emtæ, vnamque emtor redhibere velit? Diſtinguitur primo, vtrum vna, an plures ſint emtiones, quod poterit inde conſtare, ſi videamus, vtrum in vniuerſas, an ſingulas pretium conſtitutum ſit. Si enim ſingularum ſuum cuique pretium ſtatutum eſt, tot erunt venditiones, quot res: Sin, ſecus. Deinde ſubdiſtinguitur, vtrum res plures vna emtione adquiſitæ ſeparari poſſint ſine magno incommodo, vel ſine pietatis ratione offenſa. Tunc enim ſola res vitioſa redhibenda eſt *l. 35. l. 38. §. fin. h. t.* Quod ſit, ſi v. g. quatuor mulæ vno pretio venierint, nondum conſtitu-

Digitized by Google

tis paribus, tunc enim vnius mulæ eſt redhibitio. *l. 38. §. fin. h. t.* non omnium. Eadem eſt ratio ſi polia venierint, id eſt, equitium ſeu equaria *eine Studerey.* Vnus enim equus, qui vitioſus eſt, non tota polia eſt redhibenda. Ratio, quia ſine incommodis ſeparari poſſunt. Si vero ſine incommodo ſeparari nequeunt, vti comœdi, grex hiſtrionum, chorus cantorum, quadrigæ, mulæ pares veneat, etſi vno pretio conſtituto non poteſt vnum redhiberi, ſed vniuerſa *l. 34. pr. h.* (vbi in fine principii lege: ſi quis eorum f. m. v. v. ſit, is, vel omnes ſimul redhibeantur *l. 38. pr. & §. 14.* Alia vero eſt ratio, ſi non propter reticentiam, ſed ob promiſſi falſum res redhibeatur, tunc enim ſufficit, vno pretio eſſe factam venditionem, vt redhibere omnes liceat, etſi ſine incommodo ſeparari poſſint. *l. 64. §. 1. h.* Præterea ſi res alii pignori obligata, tenetur eam liberare emtor, vt redhibitio ſubſiſtat. *l. 43. §. ff. de ædil. edict.* Sed & hoc obſeruandum, res deterior facta per emtorem, ſi ſine iudice redhibeatur, & nolit emtor præſtare deteriorationem, aduerſus emtorem ex vendito dari actionem. *l. 23. pr. ff. de ædil. edict.*

III. Quod attinet venditorem, tenetur pretium, & quod acceſſionis nomine datum eſt reſtituere rei redhibitæ. *l. 27.* Quare ſi plura mancipia vno pretio in vniuerſum in omnes conſtituto venierint, & de vna earum ædilitia actione vtamur, pro bonitate eius æſtimatio eſt facienda, ſi confuſe pro vniuerſis conſtitutum pretium fuerit. Quod ſi ſingulorum pretio conſtituto vniuerſa tanti venierunt, quanti ex conſummatione ſingulorum fiebat, tunc cuiusque mancipii pretium, ſiue pluris ſiue minoris mancipium eſſet, ſequi debemus *l. 36. h.* Puta: Vendidi tibi gregem centum capitum, pretio in ſingula capita ſtatuto, aureo, vt centum aurei fiant in vniuerſum, & in ſumma, non quia ſingula tanti valent, ſed quia placeat alia capita aliorum æſtimationem ſupplere, *daß eines dem andern zu Hülffe, die Summa* tot aureorum *erreiche*, non amplius reddetur, quam dictum eſt, nempe aureus vnus, quamuis per ſe pluris vel minoris ſit, quod redhibetur. Quia plures cenſentur eſſe venditiones. Iunge *l. 34. & l. pen. ibi gloſſ. h. t.* CABALLIN. *de Ædil.*

dil. Ediſt. c. 2. n. 50. l. 59. h. t. BERLICH. *P. I. Deciſ. 77.* Reſtituuntur & vſuræ pretii *d. l. 29. §. 2. h.* & impenſas neceſſarias venditor reſtituit, quas ante litem conteſtatam impendit emtor, vti quæ vectigalium nomine ſoluta ſunt *l. 27.* poſt litem vero conteſtatam patitur venditor ſibi imputari *l. 30. §. 1. h. l. 1. C. de Ædil. Act.* Poteſt tamen venditor ſeruum pro damno & ſumtibus emtori relinquere, & ita euitare præſtationem impenſarum, & damni, ſi nolit hominem recipere, atque ita ſolo pretio refuſo defungi *l. 31. pr. l. 23. §. 8. l. 58. pr. l. 29. in fin. ff. h. t.* Quid ſi pretium nolit reſtituere venditor? Reſpondet Gaius *in l. 45. h.* eum in duplum pretii & acceſſionum damnari. Præterea de damno & futuro ſumtu cauere debet venditor. *l. 30. pr. & l. 21. §. 2. ff. de ædil. ediſt.* Nam & hoc quoque ad indemnitatem emtoris pertinet, vt non ſolum quod dedit, recipiat, ſed etiam ſi pro eo obligatus eſt, vel ipſi venditori, vel alii eo nomine, vel nondum quidem obligatus, in ea tamen cauſa ſit, vt poſſit ex euentu obligari, veluti ſi iudicium ſerui nomine acceperit, cauere ei venditor debebit, fore, vt ſi ſine dolo malo ſuo condemnari emtorem contingat, liberetur a venditore. Quæ ſi emtori non præſtabuntur, iam illa condemnatio ſequetur, quanti vtraque res erit, nempe pretium redditum fuiſſe, & emtorem liberatum. De damno quod nomine rei vitioſæ fecit emtor, quæritur? Diſtinguo, vtrum venditor ſciens vitium vendidit, an ignorans. Illo caſu ad omne damnum, quod paſſus eſt emtor, tenebitur. *l. 1. C. h. t.* etiamſi extrinſecus aduenerit. *l. 13. pr. ff. de act. emt.* Ita vt nec liberetur conſtitutione *l. un. C. de ſent. quæ de eo quod intereſt.* ſoluendo duplum rei. Nam quod id, quod intereſt, duplum non debet excedere, obtinet tantum in caſibus certis, hic autem caſum incertum facit dolus, vt tradit GABRIEL MVDAEVS *ad l. 13. pr. n. 24. de act. emt.* Hoc vero caſu tenetur, quanti minoris emiſſet emtor, non etiam ad id quod extrinſecus intereſſe poſſet propter bonam fidem. *d. l. 13. pr.* Quod & dicendum, ſi venditor ignorans affirmauerit rei bonitatem. *d. l. 13. pr.* Dolo namque caret. Et hæc ita, niſi artifex vendiderit, qui non adhibita diſtinctione inter

Digitized by Google

ſcientiam & ignorantiam vitii tenetur ad omne damnum. *l. 19. §. 1. Locat.* ZOES. *h. t. n. 8.*

IV. Datur hæc actio redhibitoria intra ſex menſes vtiles. Et currit tempus redhibitionis ex die venditionis: Aut ſi dictum promiſſumue quid ſit, ex eo tempore, quo dictum promiſſumue id eſt. *l. 19. §. fin. l. 38. pr. & l. 55. h. t. l. 2. C. de ædil. act. l. 25. §. 1. de except. rei iud.* De ornamentis vero reſtituendis, iumentisue ornamentorum nomine redhibendis agi debet intra dies ſexaginta. *d. l. 38. pr.* Vltra duos etiam menſes non admittitur redhibitoria actio, ſi propterea experiri volo, quod venditor de his, quæ edicto ædilium continentur, non caueat. *18. h. t.*

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIONVM
AEDILITIARVM
POSTERIOR
CONTINENS
ACTIONEM AESTIMATORIAM ET IN FACTVM.

RESP.

P. C BERCKELMANN.

GOSLAR. SAX.

IENAE CIↃ IↃ C LXXI.

CAPVT I.
In quibus conueniat actio æſtimatoria cum iudicio redhibitorio.

I.

HAbuimus vnam actionem ædilium edicto profectam, *redhibitoriam:* Succedit altera, *quanto minoris l. 18. pr. l. 44. §. 2 h. t. l. 25. §. 1. de Except. rei iud.* quæ & æſtimatoria vocatur. *l. 18. l. 44. §. 2. h.* Sed alio ſenſu, quam quæ ex contractu inno-

Digitized by Google

innominato naſcens id nominis tulit. Et quidem in hunc vſum prodita eſt hæc actio, vt ſi rem habere quidem emtor velit, ſine tamen ſuo incommodo, hac experiatur, & æſtimetur res, quanti reuera valuerit eo vitio corrupta, vt quanto pluris emta eſt, id emtori reſtituatur. Eſt ergo actio quanto-minoris, qua vtitur emtor in hoc, vt venditor reſtituat id, quo pluris vitium rei emtæ ignorans illam emiſſet *l. 31. §. 16. & l. 43. §. 6. h. t.* Hæc in quamplurimis conuenit cum redhibitoria actione. Et primo quidem, vtraque actio eſt honoraria. *arg. d. §. 7. Inſt. de I. N. G. & C.* atque adeo & Prætoria. *Diſſert. prior. c. 3. theſ. 7.* Et quamuis dicantur eſſe ex contractu. *l. 23. §. ſi ſeruus. ff. de ædil. edict.* vti actiones ex emto: nuſquam tamen ædilitiæ actiones appellantur ex emto; ſed in factum ita, vt eadem actio, quæ redhibitoria dicitur in *l. 4. C. h. t.* in eadem ſpecie dicatur actio in factum. *l. 31. §. ff. de ædil. edict. d. l. 31. §. in factum. h.* Deinde actio hæc eſt arbitraria. *arg. d. l. 43. §. 6. & l. 25. §. 1. de except. rei iudic.* CVIAC. *parat. ff. h. t.* In quacunque enim actione exceptis bonæ fidei actionibus, adhibetur arbitrium, ea eſt arbitraria. In actione autem æſtimatoria, quæ non eſt intra bonæ fidei actionum numerum, adhibetur arbitrium. *l. 43. §. pen. ff. de ædil. edict.* Deinde probatur etiam ex *l. 45. h.* vbi hoc iudicium dicitur habere duplicem condemnationem. Vid. DONELL. *tract. de ædil. edict. c. 5. p. m. 207. Diſſentit* ANTON. FABER. *decade 94. Error 6.* quem refutat ibi BACHOVIVS *n. 10.* Tertio vtraque eſt in perſonam *l. 23. §. 4. h. t. iuncto §. 1. verſ. Nam agit vnusquiſque I. de act.* Quarto vtraque eſt directa, hoc eſt, verbis & ſententia ædilium introducta *l. 28. & l. 38. pr. h. t.* OLDENDORP. *claſſ. 4. act. 2.*

Æſtimatoria duplex. — *Æſtimatoria ædilitia* — *Definitur.* — *Conuenit cum redhibitoria, quod ſit honoraria.* — *In factum.* — *2. Arbitraria.* — *3. In perſonam,* — *4. Directa.*

II. Quinto vtraque actio tantum eſt honoraria, neutra Ciuilis. Putant quidem Dd. communiter, dari etiam actionem, Quanto-minoris, ciuilem, quæ ad omnium rerum venditiones pertineat, illamque ab honoraria in eo differre, quod hæc tantum de iumentis & mancipiis propoſita ſit, & in id, *quanto minoris res eſt,* ciuilis vero in id, *quanto minoris quis emturus fuiſſet*, multumque differre, quod communiter intereſt, ab eo, quod ſingulariter. Quod SICHARDVS *ad Rubr.*

5. an ciuilis. Affirmant Doctores.

Cod. de ædil. act. n. 12. hoc exemplo declarat: *Doctor aliquis delicatus emit equum, quem ignorauit eſſe ſuccuſſorem, quod quidem alius eques non curaret. Cum vero hoc Doctor, ein Lateiniſcher Reuter, habeat pro vitio, poteſt agere actione quantominoris, non quidem prætoria, concludendo ſic; ſe plus dediſſe, quam alius emtor fuiſſet daturus, quia in illo falleretur: ſed ſic concludendo; ſe decem aureos plus dediſſe, quam fuiſſet daturus, ſi ſciviſſet hoc vitium. Igitur ſe petere, quanto minoris equus ille a ſe emi potuiſſet, ſi vitium ſciuiſſet hoc quod ſupereſt reſtitui.* Alia exempla affert BARTOLVS *ad l. 13. pr. num. 1. de act. emt.* & ex eo CASPAR *Caballinus de ædil. act. c. 3. n. 6.* V. G. *Erat vnus ſeruus homicida, ego non eſſem emturus pro aliquo, ſi ſciuiſſem. Alius puta tyrannus, haberet eum chariorem. Vel pone exemplum in equo vitioſo, vnus doctor ſi ſciuiſſet, non emiſſet pro aliquo, vnus mareſchallus emiſſet, tamen paulo minori pretio. Pone exemplum in vno libro, vbi ſunt ſcripta non correcta, vnus ſcholaris nollet emere, vnus doctor non curaret. Vnde differt multum pretium commune a pretio ſingulari, reſpectu qualitatis perſonæ emtoris. Hæc* BARTOLVS. Alteram faciunt differentiam hanc, quod quæ ciuilis eſt, etiam perpetua ſit, quæ vero prætoria annalis. BART. *ad d. l. 2.* Addunt & quartam e modo probandi deſumtam, nimirum, quod prætoria, quæ ad veram æſtimationem refertur, habere debeat veras quoque probationes: Sed ciuilem, probato prius plene vitio rei, quoad reliquum, quod in æſtimatoria conſiſtit, decidi iureiurando emtoris. Cum enim is æſtimationem, de qua experitur, referat ad ſuam ipſius affectionem, debet eam iureiurando affeuerare.

Negatur veriſ. III. Sed pace Doctorum, vna tantum eſt actio, quanto-minoris, non duæ *l. 2. C. de ædil. act.* Nec obſtat *d. l. §. 1. h. t.* vbi edictum propoſitum eſt de mancipiis & iumentis, quia ſententia edicti eſt, quod idem ſit iuris in aliis rebus omnibus. *d. l. 1. pr.* Non etiam aduerſatur *pr. d. l. 13.* ex quo Dd. communiter inferunt, ciuilem actionem eſſe, quanto minoris *emturus* erat emtor, ſi vitium ſciſſet, & prætoriam ſeu ædilitiam, quanto-minoris *res fuit* contractus tempore, quam quanti emta eſt. Reſpondemus, verum rei pretium omnimodo attendendum

Diſtinctio Dd. reiicitur.

eſſe

eſſe. *l. 31. §. 16. h. t. & l. 32. §. 1. de Euict. & dupl. ſtipul.* Et de hoc pretio etiam intelligenda *d. l. 13.* Et huius ſententiæ fuere olim antiqui Gloſſatores BVLGARVS & PETRVS, vt teſtatur CYNVS *ad l. 2. C. h. t.* quem ſequitur ipſe CYNVS, adiiciens, *gloſſam non eſſe veram, quicquid teneant aduocati radicatis erroribus inſiſtentes.* Et ſane fruſtra fuiſſent ædiles, cum nemo adeo ſit ineptus, vt propoſita actione perpetua temporali agere velit, vt ait BACHOV. *ad* TREVTL. *lit. e.* Quid & diſtinctionem Dd. propoſitam ab ODOFRED. *l. 2. C. h. t.* inter id, *quanti res minoris reuera* erat, & *quanti minoris quis fuiſſet empturus*, ineptam vocat. Et ANTONIVS GVIBERTVS, ICtus clariſſimus *l. 1. qq. c. 13.* futilem & commentitiam. Vtique ſane: ſiue enim dixeris, *emiſſet*, ſiue, *valuiſſet*, idem dixeris, & ICti promiſcue vtuntur, vt indicat *l. 13. §. 4. & §. 5. ff. de act. emt.* CVIAC. *ad tit. C. h.* quia nemo pluris emit, quam reuera valere rem exiſtimat. Nemo enim præſumitur iactare ſuum *l. 2. 5. ff. de probat.* Neque reperies adeo ſtulte prodigum aliquem, qui vt maxime vitii ſciens ab emtione non ſit abſtenturus, neglecto & inſuper habito vitio, idem tamen pretium ſit ei poſiturus, quod rei integræ. Et quamuis doctioris alcuius lectionem & vſum non remoretur penitus mendoſus aliquis codex, quemadmodum indocti, remoratur tamen, quadam tenus, ob quod malit librum correctum habere, & propterea non præſumitur pluris mendoſum emturum, quam reuera valet, imo ſi emendatiora inueniret exemplaria, non eſt dubium, quin vitioſa nullo, nec exiguo quidem pretio, vellet habere emta. Vt non dicam ſic fore, vt genus actionis aliud electurus ſit emtor, aliud eius heres, & alter Prætoria potius, alter ciuli ſit acturus. Vide GABRIEL MVDAEVM *ad l. 13. de act. emt.* Sed & in edicto ædilitio non dicitur, quanto minoris iumenta ſunt, ſed quanto minoris, cum venierunt, fuerint Id autem eſt, quanto minoris emturus quis fuerit, vt bene obſeruat CYNVS. Tunc enim emturus erat, cum venibant, & non pluris emturus erat, quam valebant, & quanti valebant, tanti emta habere æquum fuerat. Vnde & æſtimatorium dicitur, quia res æſtimatur, quanti vere valuit hoc vitio affecta, quo laborat, & quanto propter hoc vitium minoris valuit, quam emta eſt, tantum reddatur.

IV. Id

IV. Id quod ex Iuliano, in *l.32. de euict.* certo poteſt demonſtrari. Ibi enim agit emtor, quanto-minoris, propter fugam, mancipii: Deinde agit, etiam propter morbum. Id agendum eſſe ait Iulianus, ne lucrum faciat emtor, & bis eiusdem vitii æſtimationem conſequatur. Fingamus itaque emtum decem: minoris autem *emturum* fuiſſe duobus, id eſt, octo, tantum hæc conſecuturum propter fugam, ſi tantum eſſe fugitivum, non morboſum etiam ſciſſet. Mox comperiſſe quod ſanus non eſſet, duobus minus ſimiliter *emturum* fuiſſe, ſi de morbo conſtitiſſet. Rurſus duo conſequi debebit. Hæc Iulianus. Ex quibus conniuis etiam oculis quis palpet; *Quanto minoris emturus quis fuerat*, & *quanto minoris* emtori *res erat*, ſeu quanto minoris erat, cum emeret perinde, idemque prorſus eſſe. Et quod proponatur ſpecies non de cæteris rebus, præter mancipium, ſed de mancipio, & tamen quanto minoris emturus fuerat, non quanti res erat.

Conuenientia 6. In cauſis.

V. Sexto vtraque actio competit ex duplici cauſa. Quarum prima eſt reticentia, ſi venditor morbum vitiumque rei venditæ, quod latebat, quodque ignorabat emtor, reticuerit. *l.1. §.1. d. l.38.pr.* aliisque ſimilibus textibus. Adeo autem id obtinet, vt etſi venditor in ipſo contractu cauerit, ne ob vitia, ſi qua ineſſent, teneretur, ex emto nihilominus teneatur, ſi qua vitia ſciens reticuerit, quoniam hæc generalis exceptio ad ea pertinere non debet, quæ venditor nouit, quæque ſpecialiter excipere potuit & debuit *l.30. ff. de A. E.* Sed ad ea quæ ignorauit, & de quibus emtorem certiorare nequiuit. Sed id adiiciendum nobis eſt, his actionibus locum eſſe, non niſi ob vitia quæ præceſſerunt emtionem, non ob ſequentia. Igitur ſi ſeruus venditus ab emtore fugerit ex veteri vitio, venditor tenebitur: ex recenti autem vitio non tenetur, niſi nominatim promiſerit, ſeruum fugitiuum non fore. *l.3. C. h. t. l. actioni, ff. h.* Igitur ſi ſeruus emtus redierit ad venditorem, videndum eſt, vtrum veteri fugæ vitio, an recenti redierit. Nam ſi veteri, competit actio redhibitoria, vel æſtimatoria, ſin recenti, nulla competit actio, niſi aduerſus dictum promiſſumue. Emtori autem qui agit ædilitiis actionibus incumbit probatio

Ob vitia antecedentia emtionem edicto locus eſt. Explicatur l. vlt. C. h. t.

batio

Digitized by Google

batio veteris vitii *l. 4. 54. l. 58. de ædil. edict.* Paulus *2. ſentent. tit. 17. §. 11.* Hic non poſſum facere, quin de ſeruo fugitiuo pluſcula a fratre mihi tranſcripta adhibeam, & quidem ad *l. fin. C. h. t.* Ea lex inſcriptione præfert Impp. Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium. At ex Chronologia conſtat Gratianum a Maximo occiſum, Merobaude & Saturnino Coss, quod eſt anno Salutis 383. At vero ſi Honorius & Euodius Conſules fuere, quo tempore reſcriptum iſtud emiſſum eſt, nempe anno ſalutis 386. iam triennio ante defunctus Gratianus erat. Rectius ergo habet Inſcriptio Codicis Theodoſ. quæ Valentinianum, Theodoſium & Arcadium præfert. Nam ita concordat Inſcriptio Subſcriptioni, & Præfectura Nebridii, ad quem eodem anno data reperitur *lex vnic. C. T. de honorat. vehic.* Theodoſii tamen ſolius eſt lex iſta, data in oriente ad Nebridium P. V. Conſtantinopolitanæ. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Agitur autem in hac lege vltima de ſeruo emto fugitiuo redhibendo. Nimirum quod liceat emtori pretium repetere, ſi mancipium, quod dixerit fugitiuum, exhibeat. Quid exhibere illud ſit, quæritur. ACCVRSIVS exponit, ſi fugitiuum eſſe probet. Vt huius legis ſententia ſit eadem, atque *l. 4. ff. de probat.* Id eſt, ſi emtor potuerit probare, ſeruum cum venderetur fugitiui vitio affectus, adeoque ex veteri vitio fugitiuum eſſe. Sed reprobat οὐκ ἐπιδίφριός τις νομικὸς, ſed CVIACIVS, ſummus antiſtes, vt vero hoc encomio eum demonſtrat alicubi FABROTVS, cum hæc ſignificatio vocis, *Exhibere,* nullo teſtimonio, nulla auctoritate nitatur. Quare mauult proprie accipere pro præſtare & reſtituere, cum Græcis. Sic enim Baſilica *lib. XIX. p. 402.* hanc legem reddunt, ἐὰν ἐκεῖνο ὅπερ εἶπε πεφευγὸς ἀνδράποδον δυνηθῇ παραστῆσαι, ſi mancipium, quod fugiſſe dixerit, παραστῆσαι, ſiſtere ſeu exhibere poſſit. Nam certum eſſe, ait Cuiacius, emtorem qui agit Redhibitoria ad pretium recipiendum, ſeruum exhibere & ſiſtere debere, vel cauere de eo exhibendo, quod verum eſt. *l. 21. §. vlt. h. t.* vt omnia in integrum reſtituantur.

Exhibere mancipium quid ſit ſecundum gloſſam.

Aliter Cuiacius.

VI. Non obſtat, quod ſi maxime in fuga ſit mancipium, adeoque exhiberi & redhiberi non poſſit, actio redhibitoria tamen competat. *l. 21. §. fin. ff. Eod.* Imo ſi vel penitus mortuum

Dubia gloſſæ ſoluuntur,

Gggg ſit,

ſit, redhibitoria datur. *l. 31. 11. & §. 24. ff. h. t.* Non, inquam, obſtat. Diſtinguendum enim eſt inter venditorem ignorantem vitium ſerui *l. 1. C. h.* quem bonæ fidei emtorem appellare licebit, & inter ſcientem ſeu malæ fidei. Hic malæ fidei ſemper & indiſtincte tenetur actione redhibitoria, totumque pretium reſtituere tenetur, ſiue adſit ſeruus, ſiue abſit. At ſi habitus fuerit ſemel bonæ fidei contractus, vt dicitur *l. vlt. C. h.* Id eſt, ſi venditor ignorans ſeruum fugitiuum, bona fide ſimpliciter vendit, regulariter actione redhibitoria non tenetur, vt ſcilicet integrum pretium ſerui reſtituat, ſed æſtimatoria tantum tenetur, quanti minoris emiſſet, ſi fugitiuum ſciſſet *l. 13. §. 1. de Act. Emt.* Quod ſi vero & hoc ipſo caſu & bonæ fidei emtor redhibitoriam inſtituat, debet ſeruum in promtu habere, vt exhibere poſſit, ſi pretium ſibi integrum reſtitui velit. Ita enim fiet demum, vt venditor indemnis ſit, ſi pretium reſtituere cogatur ſeruo recepto. Quod ſi eum non recepturus eſſet, vt fere ita fit, ſeruo in fuga perſeuerante, vtique iniuria ei fieret, ſi cogeretur pretium reſtituere integrum. Bona enim fides venditorem regulariter liberat a redhibitoria, ab æſtimatoria vero non item. Vno verbo: Dolus ex propoſito facit locum redhibitoriæ, ſiue ſeruus fugitiuus venditus abſit, ſiue adſit, ſiue exhibeatur, ſiue non. Dolus autem in re facit quidem locum actioni æſtimatoriæ, ſed non redhibitoriæ, niſi ſeruus ipſe exhibeatur. *Vid.* IACOB. GODOFR. *ad tit. C. T. de ædil. act.*

De ſeru. prouinciali & Barbaro.

VII. Sed quid de ſeruo prouinciali & barbaro? An hoc quoque fugitiuo vendito venditor non tenebitur redhibitoria, niſi fugitiuus exhibeatur? Affirmat Imp. Theodoſius in hac ipſa lege vltima. Quinam vero dicuntur barbari? Si Accurſium audimus, illi erunt barbari, ſerui nempe noſtri ab hoſtibus capti. *l. 2. C. de Eunuch. l. vlt. C. T. de Exc. tut.* Sed perperam. Barbari fere ſunt ex illis gentibus, quæ populo Romano non ſunt ſubiectæ. Itaque tali ſeruo vendito perinde habetur, atque ſeruo prouinciali vendito. Etſi enim in prouincia natum vendens facilius ſcire poteſt, certe probabiliter ſcire putatur, num animo fugitiuo ſit, in barbaro, forte nunquam ante viſo, vel recens emto aut capto, non item: Quia tamen in tanto tot ſer-

uorum

uorum grege, ingenio diuerſiſſimorum ſeruos frugi dignoſcere poſſe, aut exploratos habere perdifficile, ideo hactenus prouincialis & barbari par facta fuit ratio. IACOB. GODOFR. *d. l.* Porro quia emtor ſeruum fugitiuum iam apud venditorem fugiſſe probari debet. *d. l. 4. ff. de probat.* dubitatur an ſerui ipſius reſponſioni hac in parte credendum fuerit? Reſpondit Paulus, ſi & alia indicia prioris fugæ non deficiant, tunc etiam ſerui reſponſo credendum eſſe. *l. 58. in fin. h. t.* Paul. II. *Sent. 7.* Cui tamen non conuenire videtur, quod dicitur *l. 7. de probat.* quæſtioni ſerui credendum. Si enim iuuari debet reſponſio ſerui quibusdam aliis indiciis, vt ad fidem faciendam ſufficiat, quomodo ſine vllis indiciis quæſtioni ſubiecto credi oportere verum erit? Nimirum ſi alia indicia adſint veteris fugæ, affirmationi ſerui, adminiculatæ indiciis, credendum. Si vero indicia deſint, ſubiici quæſtioni poteſt, & confeſſioni in quæſtione editæ ſtandum erit. Quare reſponſo in quæſtione facto creditur etiam ſine indiciis. Reſponſo ad interrogationem citra tormenta non aliter credetur, quam ſi prioris fugæ indicia non deficiant. MERILLIVS *L. III. Obſ. 30.* *Conciliatio l. 58. ff. h. t. & l. 7. de probat.*

VIII. Secunda cauſa eſt dictum promiſſumue, ſi dixerit venditor, abeſſe aliquid, quod non abeſt, vel adeſſe quod abeſt. *d. l. 38. §. 10. & l. 37. de dol. mal.* CVIAC. *Parat. ff. h. t.* Exſtat inter editas a BIGNONIO Marculphi monachi vetus formula, quam non pigrabor adiicere, quippe quæ lucem huic quoque rei præbet. Eſt autē *L. II. Form. 22.* Apud LINDEBROGIVM vero 132. ita, habet; *Conſtat me vendidiſſe vobis & ita vendidi ſeruum iuris mei aut ancillam nomine ILLAM, non furem, non fugitiuum, neque cadiuum, ſed mente & omni corpore ſanum. Et reliqua.* Et in formulis veteribus ſecundum legem Romanam *form. 9. Conſtat me tibi vendidiſſe & ita vendidi ſeruum iuris mei nomine ILLVM, non furem, non fugitiuum, ſed ſano corpore, bonisque moribus conſtructum.* Quid? & apud VARRONEM *de re ruſtica L. II. C. 10.* de paſtoribus ſeruis: *In horum emtione ſolet accedere peculium, aut ſi excipiet, ſtipulatio intercedere, ſanum eſſe, furtis noxisue ſolutum.* Prorſus vt Vlpianus noſter *l. 31. ff. de Euict.* ſanum eſſe, furem non eſſe. Sed in Marculphi formula quid eſt, *cadiuum non eſſe.* Ane *Ex dicto promiſſone quando agi poſſit.* *Formula MARCVLPHI.*

ne quod Gallico, *chetif*, Italico idiomate, *cattiuo?* An cadiuum, pro caduco, quod morbo comitiali vexatum notat. Ita enim Gloſſæ veteres barbaræ MS. LABBAEI, Caducus, *dæmoniacus*. Quod malim. Nam & in Legibus Boiorum *T. XV. C. 9. 2.* habetur: *Hernioſum aut caducum*. Et hæc quaſi per viam. Vt redeamus, vnde digreſſi, ex dicto & promiſſo competit vtraque ædilitia. Nam & lege decemuirali ſancitum, iam ab vltima inde Iuris ciuilis natiuitate, vt CICERO tradit, *L. III. de Offic.* vt quæ lingua nuncupata eſſent præſtarentur, & qui ea inficiatus eſſet, duplicem pœnam ſubiret. Pertinet huc & ſeruus veterator. Præcipiunt enim ædiles, ne veterator pro nouitio veneat. Præſumtum eſt enim, ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora & dociliora, & ad omne miniſterium habilia. Trita vero mancipia & veterata difficile eſt reformare, & ad ſuos mores formare, ait Vlpianus *l. 37. h. t.* Id eſt, quod aiunt noſtrates: *Alte Hunde ſeynd nicht wohl bendig zu machen.* At quis eſt veterator, quis nouitius? Venuleius *in l. vlt. §. 2. ff. h. t. Seruus*, inquit, *tam veterator, quam nouitius dici poteſt: Sed veteratorem non ſpatio ſeruiendi, ſed genere & cauſa æſtimandum Cælius ait. Nam quicunque ex venalitio nouitiorum emtus alicui miniſterio præpoſitus ſit, ſtatim eum veteratorum numero eſſe: Nouitium autem non tirocinio animi ſed conditione ſeruitutis intelligi, nec ad rem pertinere, latine ſciat nec ne. Nam nec ob id veteratorem eſſe, ſi liberalibus ſtudiis eruditus ſit.* Sed aliter finit Marcianus *l. 16. §. 3. de public. & vectig.* Ibi: *Sunt autem veterana, quæ anno continuo in vrbe ſeruierunt: Nouitia autem mancipia intelliguntur, quæ annum nondum ſeruierunt.* Idem ſentire videtur & Vlpianus *l. 37. h. t.* qui ex ſpatio ſeruiendi diſtinxerunt veteratores & nouitios. Quamobrem LAVRENTIVS VALLA, Grammaticorum mordaciſſimus Tribonianum valde exagitat. *6. Eleg. 59.* Cui adſtipulatur BVDAEVS *Annotationib. ad Pandectas ad l. vlt. h. t.* Quibus tamen ni fallor, iamdudum ſatisfecit ALCIATVS ICtus *L. IV. de V. S.* qui tres caſus diſtinguit: Aut enim loquimur de venditore ſeu mangone, qui mancipium diſtrahit, & tum nouitius ſecundum Vlpiani ſententiam ex tirocinio ſeruitutis accipitur, veterator,

Veterator, nouitius, quis intelligatur.

Conciliatio l. vlt. h. t. & l. 16. §. 3. de publ. & vect.

qui

Digitized by Google

qui diu ſeruiuit & in ea conditione callum duxit. Aut loquimur de ipſo patrefam. de ſeruis ſuis veteranis nouitiisque diſponente *l. fin. h. t.* Et quia hoc omne ab eius ſententia dependet, pro nouitio habuiſſe videtur, quem nulli miniſterio propoſuit: rurſus pro veteratore duxiſſe, quem in veteratorum numero habuit, vt quia muneri alicui præpoſuit, cui non niſi veterani adhiberi ſolent. Aut denique de cauſa vectigalis agitur, & cum reſpublica hac in re voluntatem emtoris ſeu patris familias non ſequatur, ſimpliciter veterator accipietur, qui anno ſeruiuit, nouitius, qui minus anno, vt hic vectigal pendat, ille non pendat. Et hoc caſu Martiani ſententia eſt probanda. Aliter quidem huic ἐναντιοφάνει occurrit CVIACIVS *VIII. Obſ. 9.* nimirum putans *in d. l. vlt.* ad verba; *non ſpatio, non tirocinio,* ſubaudiendum, *tantum,* non tantum ſpacio, non tantum tirocinio, quem ſequitur GILBERTVS REGIVS ἐναντιοφανῶν *Lib. I. C. 7.* & WISSENBACH. *Diſp. XLI. ad Pand. th. 4.* Id quod exemplis quidem non caret, quorum pluſcula ANT. AVGVSTINVS *L. III. Emendat.* obſeruauit. & *Dn. Præſes ICtus, Patronus, & Præceptor* in Lexico particularum in voce *Non. n. 5.* ſed hoc loco alienior videtur & obſcurior hæc ſubauditio quam vt locum habere poſſit.

IX. Equidem HOTTOMAN. in Epitoma *h. t. n. 6. & 9.* ex reticentia quidem duas ab ædilibus eſſe inſtitutas actiones concedit, redhibitoriam nempe & quanto minoris. De dicto vero & promiſſo non præſtito actionem naſci putat, quæ appelletur actio, quod aduerſus dictum promiſſumue fuerit propter *l. 47. pr. h. t.* Sed iſta actio eſt ædilitia *d. l. 1. §. 1.* ſiue aduerſus quod dictum promiſſumue fuerit, quæ in redhibitoriam & æſtimatoriam, id eſt, quanto minoris diuiditur. *l. 18. pr. h. t.* quibus videtur reſiſtere *l. 43. pr. de contr. Emt.* vbi ſi venditor dixerit, ſeruum eſſe ſpecioſum, qui deformis ſit, vel domum bene ædificatam, quæ ſit male ædificata, non tenetur. Verum reſponſio eſt in d. textibus, ibi: *ſi palam appareant.* Si enim vitium emtori notum, quia in promtu eſt, & ſe ipſum oſtendit, vt ſi manifeſte cœcus vel claudus equus venditus ſit, ceſſat edictum *d. l. 1. §. 6. l. 14. §. fin. h. t. d. l. 43. §. 1.* Magis videtur præcedentibus aduerſari. *l. 19. pr. h. t.* vbi venditor, ſi dixerit ſeruum

Expenditur l. ea quæ 43. de cont. emt. & L. ſciendum 19. pr. h. t.

uum eſſe frugi, probum, dicto audientem, quamuis horum nihil ſit, non tenetur hoc edicto. Cum tamen ſecundum principium *d. l. 18.* conueniri poſſit, ſi laborioſum aut curracem (ita legendum, non *curacem*. Currax, τϱοχαλὸς Baſilicis. Vtitur hac voce non ſolum RVFINVS, vetus Ioſephi hiſtorici interpres *L. VIII. C. 7.* vt SCIPIO GENTILIS obſeruat *L. I. Parerg. C. 17.* quem tacite exſcripſit DIONYSIVS GODOFREDVS: Sed & GRATIVS, poeta, cynegetico. *verſ. 99.*

Lectio emendata.

Nam fuit & laqueis aliquis curracibus vſus)

affirmauerit: & is ſeruus deſidioſus aut tardus inueniatur. Sed reſpondemus, ea quæ ad nudam laudem dicta ſunt, non præſtare venditorem *d. l. 19. pr.* AZO. *in ſumma Cod. de ædil. act. n. 14.* Vide ACCVRS. *ad d. l. 37. ibique.* ALBER. *de* ROSATE & BALDVM *ad d. l. 19.* Dictum autem a promiſſo quomodo diſcernatur, & quæ dicta ſiue promiſſa admittenda ſint, explicatur in *d. l. 19. §. 2. & §. ſeq. 3.*

Tertia actionum ædilit. cauſa.

X. Tertia cauſa ex qua vtraque actio competit, eſt cum venditor non repromittit emtori ea, quæ in rebus venalibus edictum Ædilium repromitti iubet. *l. 28. h. t.* de quibus agitur in *l. 11. §. 4. de act. emt. & vend. l. 31. de Euict.* & ſimilibus textibus. Nonnunquam & redhibitoria competit ex conuentione, vt ſi fundus veneat eo pacto, vt ſi diſplicuerit, inemtus fiat. Nam ſiquidem diſplicuerit, agetur redhibitoria *l. 4. C. h.* vbi dicitur venditio ſub conditione, ſcilicet reſolutiua reſciſſa. Venditio enim per ſe pura eſt, ſed ſub conditione reſoluitur. *l. 3. ff. de contr. emt.* Et ita differt hoc pactum ab eo quod vulgus de retrouendendo appellat. Illi enim noſtro nempe, a iure ſexaginta dies conſtituuntur, quibus elapſis non licet a contractu diſcedere. Vide ROMAN. *ſing. 705. & 709.* Quod ſi in contractu dictum fuerit, licere emtori vel venditori quandocunque ab eo diſcedere, perpetuo quilibet eorum poterit pœnitere. Vide BALD. *in l. 2. §. vlt. ff. Qui ſatisd. cog.* CREMENS. *ſing. 11.* Nam ſi inter emtorem & venditorem conuenerit etiam ſimpliciter, nullo tempore conſtituto, vt venditor poſſit rem venditam reſtituto pretio retrahere, licebit id ei quocunque tempore, cum actio perſonalis ſit ex vendito, *l. 21. §. 4. ff.*

Quarta cauſa.

de

de act. Emt. & ideo perpetua. *l. 3. C. de præſcr. 30. vel 40. ann.* COVARR. *3. Var. Lect. 10. n. 1.*

XI. Septimo ſicut redhibitoria, ita etiam actio quanto-minoris datur emtori eiusque heredibus aduerſus venditorem eiusque heredes *d. l. 19. §. 5. l. 23. §. 5. l. 38. pr. l. 48. §. 5. h. t.* Octavo de quibus rebus datur redhibitoria, de iisdem etiam actio quanto-minoris *d. l. 18. d. l. 38. pr. d. l. 48. §. 6.* Nono conueniunt fine, ideo enim inuenerunt has actiones ædiles, vt occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus ſuccurratur. *d. l. 1. §. 2. h. t.* Sed vtrum ſcientium tantum? An vero & ignorantium venditorum. Etiam ignorantium cum Doctoribus ſtatuit Frater *diſp. ſuperiori C. 5. th. vlt.* Diſtinguit ANTONIVS GVIBERTVS COSTANVS vtrum quæſtio ſit de venditore vitia rei ignoranter tacente, an de venditore ignorante ea, quæ ædiles præſtare iubent? Illum non teneri his actionibus, putat per *l. 1. §. vlt. ff. de A. E.* vbi, ſi venditor ſciens celauerit deberi ſeruitutem, non euadit ex emto actionem, ſi modo eam rem emtor ignorauerit. Similis Scæuolæ locus eſt *in l. 69. §. 5. ff. de Euict.* Et Papiniani in *l. 41. ff. de A. E.* Inprimis autem facit huc *l. 21. §. 1. de A. E.* in qua prædii venditorem qui non dixerat de tributo ſciens, ex emto teneri ait Paulus. Quod ſi ignorans non prædixerit, quod forte hereditarium prædium erat, non tenetur. Et ad *l. 1. §. 2. ff. de Ædi. Edi.* reſpondere conatur, diſtinguendo, inter ignorantem rei vitia, & ignorantem præſtationes ab ædilibus requiſitas, vt diximus: Vt ignorans ædilium edictum, ſed vitia rei ſciens, teneatur: Ignorans autem vitia rei ſiue edictum ſciat, ſiue ignoret, non teneatur: Sed vereor, vt aſſenſum mereatur. Vlpianus enim *in d. §. 2.* dum inquit etiam ignorantem ea, quæ ædiles præſtari iubent, teneri, hoc ſentit vtique, venditorem ignorantem vitia rei & bona fide tradentem rem teneri. Quid enim eſt id quod ædiles præſtari iubent? Nonne ne res vitioſa emtori tradatur? ſie ſane. Ergo ignorare id, quod ædiles præſtari iubent, & ignorare rei venditæ vitium non differunt, quare cum Vlpianus *in d. §. 2.* præmiſiſſet, edicti propoſitum eſſe, vt occurrat fallaciis vendentium, & ſimul ſuccurrat emtoribus, ſubiicit immediate, per modum

Septima conuenientia. *Octaua.* *Nona.* ANTON. GVIBERTI *opinio* *repudiata.*

Digitized by Google

modum ampliationis; Dummodo ſciamus (ita ſcilicet ſuccurri emtoribus debere deceptis,) vt venditor, etiamſi ignorauit ea, quæ ædiles præſtari iubent, tamen teneri debeat.

Decima. XII. Decimo, quemadmodum æſtimatoria actio non competit, quando actum fuit redhibitoria: Ita etiam non competit redhibitoria, cum actum fuit æſtimatoria, quia hæc iudicia concurrunt electiue, vt vna aliam conſumat *d. l. ſi is §. 1. verſ. Quare vere dicitur ff. de except. rei iud.* DONELL. *Comm. h. t. C. 6.* Nec aduerſatur *l. 48. §. 2. h. t.* quia inibi locus non eſt electioni cum effectu. Quæ enim electio in re vna? Sed agere atque eligere volens præſcriptione ſex menſium electione excluſus fuit. Ideoque ſi agat æſtimatoria, exceptione rei iudicatæ ſummoueri non poterit. Gloſſa ad *d. l. 25. §. 1. in verb. rei iudicatæ.* At quando competunt duo remedia diuerſa, vnius electione ad alterum aditus præcluditur. *l. fin. C. de Codicil.* Ideo non poteſt dici electum, quod præſcriptione erat ſublatum. FRANCISCVS CREMENSIS *in Singul. 164.* & CASPAR CABALLINVS *d. C. 3. n. 4.* Neque ſecundo obſtat *l. 43. §. 6. h. t.* vbi prius videtur actum æſtimatoria, & tamen locus eſt iudicio redhibitorio. Reſpondeo enim, id non velle Paulum, quod vnum iudicium poſt alterum poſſit inſtitui, ſed quod æſtimatoria actio aliquando in redhibitionem reſoluatur, ſi videlicet tale vitium in re emta ſit, vt ob id actor emturus non fuiſſet. *d. l. 25. §. 1.* Id quod fit ob affinitatem horum duorum iudiciorum, vt iudex, ad cuius officium id ſpectat, re ita vitioſa, vt emtor retinere non poſſit, iubeat recepto mancipio pretium reddi.

Hæ duæ actiones concurrunt electiue.

Poſtrema conuenientia. XIII. Denique neutra actio competit, cum emtor pactus eſt, ſe neque redhibitoria neque æſtimatoria vſurum. *l. 31. de pactis.* Quia iuri pro ſe introducto quilibet poterit renunciare. *l. 46. d. t. l. 29. 6. eod.* Novell. *de argentariorum contractibus. 136. c. 1.* & remittentibus actiones ſuas non eſt regreſſus dandus. *l. 14. §. 9. h. t.* BORCHOLT. *de pact. C. 5. num. 59.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

In quibus differant æſtimatoria & redhibitoria.

I.

DIfferunt hæ duæ actiones (1) nomine. Hæc enim Quanto-minoris appellatur. *l. 18. pr. l. 19. §. 6. l. 31. §. 16. l. 43. §. 6. h. t. & l. 2. C. de ædil. act.* Et ita rectius ſcribitur, quam quanti minoris. Regitur enim vox *Quanto*, a comparatiuo; minoris, qui caſum auferendi poſtulat. OLDENDORP. *Claſſ. IV. Act. 2. in pr.* Nec obſtat Rubrica, & *l. 15. §. 1. h. t.* vbi legitur, quanti minoris. Non enim hæc conſtans lectio eſt, ſed ſunt exemplaria, quæ rectius *Quanto* præferunt. Ideo autem hæc actio appellatur, quanto-minoris, quoniam ad id datur, quanto minoris emturus fuiſſem, ſi morbum vel vitium ſciuiſſem, ſeu quanto minoris res fuerit, cum veniret *l. 38. pr. h. t.* Dicitur etiam actio hæc æſtimatoria, vt *cap. 1.* dixi per *l. 18. pr. l. 44. §. vlt. & l. 48. §. 2. eod. tit.* ab æſtimanda re, quia hoc iudicio æſtimatur res, quanti reuera valuerit eo vitio corrupta, vt quo pluris emta eſt, id reddatur. DONELL. *d. loc.*

Differunt hæ actiones nomine duplici.

II. Differunt porro (2) quod in redhibitoria actione tale vitium requiritur, vt emtor ob id emturus non fuiſſet, ſi ſciuiſſet. Actio autem quanto minoris ob quoduis aliud vitium competit *d. l. 25. §. 1.* Hinc ODOFREDVS, de formandis libellis, actio quanto minoris, ait, datur ad omnia, in omnibus caſibus, in quibus redhibitoria locum non habet. Idem docet & SICHARDVS *ad rubr. Cod. de ædil. act. n. 9.*

Differentia 2. ex cauſa vitii.

III. Tertio æſtimatorium iudicium ob diuerſa vitia ſæpius poſſumus intentare. *l. 31. §. 16. & l. 32. §. 1. de Euict. & dupl. ſtipul.* Modo ne eiuſdem rei æſtimationem bis conſequamur. *dd. text.* Bona fides enim non patitur, vt bis idem exigatur *l. 57. de R. I.* Redhibitorium vero iudicium ſemel tantum licet inſtituere, quia facta redhibitione amplius res redhiberi non poteſt. Gloſſ. *ad d. l. 48. §. 7. verbo agitur.* Nec obſtat *d. l. 43. §. 9.* vbi redhibitoria iterum agitur. Quia ibi prius propter conditionem non exſiſtentem inutiliter actum erat. Quo caſu expleta conditione iterum agi poterit. *arg. l. 13. §. 5. de pignor. & hypoth.*

Dif 3. Redhibitoria ſemel: Quanto-minoris ſæpius competit.

Solutio contradictorior.

Digitized by Google

poth. Non etiam obſtat *d. l. 48. §. 7.* In quo cum redhibitoria actione, inquit Pomponius, de ſanitate agitur, permittendum eſt de vno vitio agere, & prædicere, vt ſi quid aliud poſtea apparuiſſet, de eo iterum ageretur. Non, inquam, obloquitur hic textus. Quia ibi non fuit facta redhibitio, ſed præſtita tantum æſtimatio vitii, & ſic in effectu actio æſtimatoria, quæ ſæpius competit inſtituta erat.

Differ. effect. IV. Differunt hæ duæ actiones effectu. Nam redhibitoria venditionem in totum reſcindit, reddita re vendita, & pretio recepto, rebusque omnibus reſtitutis in integrum *l. 23. §. 1. & §. vlt. & l. 60. h. t.* Sed æſtimatoria non reſcindit in totum contractum, ſed ex parte, & petit emtor ſibi reſtitui de pretio, quo minus res valuit, cum veniret. *d. l. 19. §. vlt. d. l. 38. pr.* IOH. SICHARD. *ad Rubr. Cod. de ædil. act. n. 9.* CVIAC. in *π. ff. h. t.* GODOFRED. in *not. ad rubr. h. t.*

Quinta differentia a duratione. V. Differunt duratione. Quamuis enim vtraque actio ſit temporalis, tamen redhibitoria eſt ſemeſtris, ſi ob vitium rei agatur: Sexaginta autem dierum, ſi ob ornamenta iumentorum. *d. l. 38. pr. l. 55. h. t.* Sed actio quanto minoris eſt annalis *d. l. 19. §. vlt. & l. 2. C. de ædil. action.* Et hæc procedunt de tempore legali, non conuentionali. *d. l. 31. §. 22.* & de tempore vtili. *d. l. 19. §. vlt.* quod videtur conſtare iis diebus, quibus experiundi poteſtas fuit. *l. 55. h. t. & l. 1. de diuerſ. temp. præſcript.* Incipit autem illud tempus currere a tempore ſcientiæ. *d. l. 55.* Itaque ſi emtor tempore ſit excluſus actione redhibitoria, æſtimatoria agere poterit intra annum vtilem. *l. 48. §. 2. h.* Secus eſt, ſi alia ratione emtor excluſus ſit actione redhibitoria, vel ſi egerit ea, & non obtinuerit. Poſtea enim non licebit ei æſtimatoria vti. *l. §. 1. de Except. rei iud.* Quandoque tamen ſecundum Gloſſam in *l. cum proponas. C. de ædil. act.* redhibitoria intra duos menſes, quanto-minoris ſex menſibus finitur, ſcilicet, quando ob hoc ipſum agitur, quod non caueatur ſecundum *l. 28. ff. de ædil. edict.* vbi dicitur, quod ſi vendis mihi Stichum, debes mihi promittere, non fugitiuum, & alia vitia abeſſe, & niſi promittas, poſſum agere redhibitoria intra duos menſes, vel quanti intereſt, vsque ad ſex menſes. Late MASCARDVS *de probat. Concl. 615.*

Vol. 2.

Vol. 2. Confer. IOH. CAROL. ANTONELL. *tractatu recentiſſimo de Tempore Legali. L. II. C. 31. in fin.* Quid vero ſi poſt venditionem ſuperueniat notitia alicuius ſeruitutis, quæ rei venditæ debetur, ob quam maioris pretii fiat, vtrum augendum erit pretium, quanto pluris emtor emiſſet, ſicut diminuendum eſt, re minus valente? Ita poſt CAGNOL. in *l. 2. n. 17. 2. C. de reſcind. vend.* ſtatuit GRATIAN. *diſceptat for. C. 361. n. 8. & 9.* quem allegat & ſequitur ANTONELLVS *d. loc.* Cui non aſſentimur. Nulla enim actio eſt quanto pluris, & ædiles emtori fraudato, non venditori ſuccurrere voluerunt. *Si res melior appareat, an detur, quanto pluris.*

VI. Denique differunt etiam forma proponendi ex iis, quæ tradit ODOFREDVS *d. C. 18. &c. ſeq.* & HERMAN. BARENSIS *lib. 50. & libello 49.* SICHARD. *d. loc. num. 11.* OLDENDORP. *de Act. 2. in pract. n. 1. & ſeqq.* *6. Differentia, a formula agendi.*

CAP. III.

De affinibus actionibus.

I.

ICtus Vlpianus in *l. 11. §. 3. ff. de act. emt.* ait, redhibitionem etiam contineri emti iudicio, idque & Labeoni & Sabino probari & ſibi.[1] Ergone ex iisdem cauſis agetur & redhibitoria, & actione emti? Ergone & actione emti actor vti poteſt ob vitium & celatum vel promiſſum non præſtitum? Ita ſane *l. §. 1. de ædil. edict.* Nempe datur ad id, quod intereſt *l. 4. pr. & §. 4. de A. E. l. 1. §. 8. in fin. h.* Sed & quemadmodum datur venditori actio ex vendito ciuilis, ad recipiendum, quod venditioni rei acceſſit. *l. 23. pr. h.* Ex ob eandem tamen cauſam datur eidem venditori & redhibitoria *l. 31. §. 19. h. t. l. 23. §. 1. h. t.* Ita oportet ex eadem cauſa emtori non tantum dari actionem in factum, ſed etiam ciuilem ex emto. Similiter ſi venditor non præſtat cautionem ædilitiam ex hoc edicto, eſt actio redhibitoria, vel quanto-minoris. *l. 28. h. t.* ſed inſuper & hoc nomine actio ex emto. *l. 14. de Act. Emt.* CVIAC. *ad tit. Cod. de ædil. act.* Cui ergo bono, ſi actio ciuilis competit, prætoria data eſt? An non ſuperfluæ honorariæ noſtræ? fruſtra enim deſideret prætoriam, ciuilem habens. *l. 1. de publ. in rem act. l. 28. ff. de Legat. 1.* Imo *Affinis, actio emti. Pro eo qui intereſt. Differentia actionis ciuilis & prætoriæ.*

Digitized by Google

non ſunt. Etenim durius eſt edictum, quam actio ciuilis. In redhibitoria in duplum poteſt creſcere condemnatio, niſi pareatur iudicis arbitrio *l. 45. h. t.* vnde etiam pœnales eſſe videntur. *d. l. 23. §. 4. h. t.* In ciuilibus non item, niſi euictionis nomine, vel iure veteri, niſi emtor de modo agri mentitus fuerit. Paul. *1. ſent. 11* vel ex Lege XII. Tabb. niſi inficietur, quæ dixit in faciendo nexu mancipioque. Extra hos caſus in actione ciuili ad duplum non peruenitur. Deinde & hæc vtilitas edicti eſt, quod detur in vnum e multis, cuius maior pars in venditione fuit, aut nulla parte minor. *l. 44. §. 1. h.* Ciuilis vero actio pluribus ſociis vendentibus in ſingulos datur, pro portione, qua ſocii ſunt. *d. l. 44.* Edictum datur in ignorantem, qui ſcire debuit. *l. 1. §. 2. h. l. 14. §. fin. h. t.* Ciuilis non item, ſi rem emtori habere liceat. Ædilitiæ temporariæ, ciuiles perpetuæ *l. 56. de Euict.* Vide CVIAC. *C. h. t.* DIONYS. GODOFR. *ad l. 1. ff. eod. lit. C.* Ædilitiæ regulariter non dantur ob vitia animi. *d. l. 1. §. vlt. h. t.* ciuiles dantur *l. 4. pr. Eod.* CVIACIVS, HOTTOMANNVS, WESEMB. *parat. hic.*

2. Actio ex ſtipulatu. II. Datur ex hac cauſa actio ex ſtipulatu, ſi aliter atque promiſſum eſt, appareat. *l. 19. §. 2. ff. de ædil. edict.* Sic ob fugam ſerui emti datur ex ſtipulatione duplæ actio. *l. 58. §. 1. ff. h. t.* Item ſi ſtatu libero vendito dixerit venditor viginti dare iuſſum, cum tantum decem dare iuſſus eſſet, ex duplæ ſtipulatione actio eſt. *l. 10. ff. de ſtat. lib.*

3. Actio de dolo. III. Datur actio de dolo, ſi venditor commendando decepit emtorem. *l. 37. ff. de dol. mal.* ſecus ergo eſt, ſi commendando animum decipiendi non habuit. Aliudne ergo eſt commendatum, aliud dictum, aliud promiſſum? Ita videtur per hanc legem. Quod dictum eſt, præſtandi animo, adeſſe vel abeſſe, ita ſi non ſit, redhibitoria vel æſtimatoria quærimus, ſi promiſſum, etiam ex ſtipulatu. Quod vero commendandi iactandique animo, non præſtandi, dictum, ad id nulla datur actio. Quæ denique affirmantur animo illiciendi & decipiendi emtoris, de his eſt actio, de dolo. *d. l. 37.* Vide in eiusmodi commendatione & iactationibus feſtiue admodum ludentem & commercantes imitantem Lucianum in auctione vitarum. Cæterum

rum de præſtandis dictis promiſſisue ita habebat, niſi mancipia pileata venum irent. Ita enim inſigniti periculo emtoris vendebantur, vt ex Cælio Sabino notat GELLIVS *L. VII. C. 4.* vbi ex eodem Sabino huius rei addit cauſam quod huiusmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent, vt emtores errare & capi non poſſent, neque lex vendundi opperienda eſſet, ſed oculis iam perciperent, quodnam eſſet mancipiorum genus. Cæteri vero ſerui aperto capite venibant. Sed nec videntur præſtitiſſe mancipiorum, inprimis animi vitia, qui ad Caſtoris negociabantur, nequam mancipia ementes vendentesque atque tabernas peſſimorum ſeruorum turba refertas habentes, vt SENECA innuit, *libro, inſapientem non cad. iniur. C. 13.* *Serui pileati.* *Ad Caſtoris venales.*

IV. Si mancipium redhibitum fuerit, nec tamen pretium recuperatum, datur in factum actio ad pretium recuperandum. *l. 31. §. 17. h.* In qua non hoc quæritur, an mancipium in cauſa redhibitionis fuerit, ſed hoc tantum, an ſit redhibitum? Nec immerito. Iniquum eſt enim poſtquam venditor agnouit, recipiendo mancipium, eſſe id in cauſa redhibitionis, tunc quæri, vtrum id debuerit redhibere, an non debuerit, nec de tempore quæritur, an intra tempora redhibitus fuerit, dicit ICtus *d. §. 7.* Sed hæc ipſa quoque in factum actio, vt ædilitiæ ceteræ, temporalis eſt. *d. l. 31. §. 22. h.* Plane ſi lege venditionis cautum fuerit, vt redhibere liceret, ſi quidem de certo tempore conuenerit, redhibitio intra id ipſum facienda eſt, ſin de tempore nihil conuenerit, intra ſexaginta dies redhibendum eſt *d. §. 22.* Neque enim hoc caſu morbi vitiique cauſa redhibetur, quia eius ſemeſtris præſcriptio eſt, ſed propterea, quod diſplicet res emtori. Vnde eadem in hac re quæ ornamentorum præſcriptio eſt per *d. l. 31. & l. 38. pr. h. t.* *Actio in factum proporitio.*

V. Incidit quandoque in ſtellionatus quoque crimen tale negotium, puta ſi heres ſtatu liberum diſſimulata eius conditione vendiderit. *l. 9. §. 1. ff. de ſtatu Lib.* Eſt alioqui de ſtatu liberis *l. 69. §. ff. de Euict.* vbi ſi quis in venditione ſtatu liberum perfunctorie dixerit, conditionem autem libertatis celauerit, emti *Stellionatus.* *Perfunctorie, quid ſit.*

Digitized by Google

emti iudicio teneri eum dicitur, ſi id neſciuerit emtor. Quid vero eſt, *perfunctorie* dicere? Gloſſa exponit, *ambigue.* BVDAEVS *in Annotat. poſter. ad tit. de act. emt. p. m. 577.* exponit neglecte & oſcitanter. At DIONYSIVS GODOEREDVS legit *perfuſorie.* Et exponit obſcure, diſſimulanter, non diſſerte planeque. Eandem lectionem & MARTRESIVS ad *l. Veteribus. ff. de pactis vrget.* Sed ſine cauſa. Nam & perfunctorie & defunctorie recte legitur pro eo, quod eſt obiter, dicis cauſa, neglectim, languide. Vid Dn. Præſidis lexicon particularum, in voce *Defunctorie.*

CAP. IV.

De tertia actione ædilitia.

I.

ÆDilium inter alia & hoc fuit officium, viarum curam agere *l. vn. ff. de via publ.* Et ſi quid in ea factum eſſe dicatur. Idcirco conuenienter officio ſuo edixerunt, *ne quis animal noxium ibi habeat, qua vulgo iter fit.* Verba edicti hæc ſunt: *Ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, lupum,* *Verba Edicti.* *vrſum, pantheram, Leonem aliudue quod noceret animal, ſiue ſoluta ſint, ſiue alligata, &* (*vulgo legitur aut:* HALOANDER. *Siue,* DVARENVS: *vt*) *contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint, qua vulgo iter fiet, ita habuiſſe velit, vt cuiquam nocere, damnumue dare poſſit, ſi aduerſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, ſolidi ducenti: Si nocitum homini libero eſſe dicetur, quantum æquum bonum iudici videbitur, condemnetur. Ceterarum rerum, quanti damnum datum factumue ſit, dupli. l. 40. 41. 42. ff. h. t. §. 3. Inſt. ſi quadrup. paup. fecit. dic.*

II. Itaque prohibent ædiles, qua vulgo iter fit, canem ita habere, vt nocere poſſit. De canibus loquitur edictum, non quibuslibet, ſed ferocibus. Quod addunt Baſilica hic, κύνα ἄγριον. Et ita legi etiam debet in ſynopſi Baſil. vt recte obſeruat LABAEVS notis ad ſynopſin, & HARMENOPVLVS *L. VI. Tit. 1. §. 2.* ὁ ζῶον ἄγριον βλαπτικὸν οἷον κύνα: Quod facit & Paulus ICtus *in l. 2. ff. ſi quadr. paup. fec. ſi quis,* ait, *aliquem euitans magiſtratum forte in tabernam proximam ſe immiſiſſet, ibique a cane feroce læſus eſſet, non poſſe agi &c.* prorſus vt in *l. 1. §. 5. ff. ſi*

ff. ſi quadr. paup. fec. aſperitas canis, quam Græci τραχύτητα verterunt, vſurpatur, quos ad cuſtodiam alebant Romæ, vt in Æde Vulcani, vbi æditúos agebant, neminem allatrantes niſi ſacrilegos. In Daunia Achaiæ, Mineruæ delubro, atque in Creta, Dictææ matris æde, canes nutriti Græcis ſubblandiebantur, barbaros vero inſectabantur. ALEXANDER *ab* ALEX. *l.* 3. Sed Romæ in cella Ianitoris-ſerui vinctum habere canem ſolebant, cum inſcriptione: *CAVE CAVE CANEM*, ne ingredientes incautius in canem inciderent, & vt edicti noſtri euitarent pœnam. Quare & pictos ita in pariete canes habebant, credo, quo viuum citius euitarent ingredientes. Nec hac ſolum parte ædiles canum, ſedet in redhibitoria & quanto-minoris curam agebant. Teſtis eſt VARRO *L. II. de R. R. c. 9. De ſanitate & noxa, ait, canum ſtipulationes fiunt eædem, quæ in pecore, niſi quid hic vtiliter exceptum eſt. Alii pretium faciunt in ſingula capita canum: Alii, vt catuli ſequantur matrem: Alii vt bini catuli vnius canis numerum obtineant, plerique vt accedant canes, qui conſueuerunt eſſe vna.* Aufidio etiam Pontiano, cum greges ouium in Vmbria emerit, canes acceſſiſſe ſine paſtoribus ibidem ſcribit. De Canibus.

III. Conuenit etiam ius Saxonicum. *Landr. lib. 2. art. 62. Wer hælt einen ſchædlichen Hund, der da beiſet, oder einen zahmen Wolff, oder einen Hirſchen, Bæren, oder Affen, was die Schaden thun, das ſoll der gelten, der ſie hælt.* Addit Gloſſa idem eſſe de cæteris, vti ſint *Fuchß, Lawen, Leoparden, Meerkatzen, Luchß, Panterthier.* Et in fine: *Wer wilde Thiere hegen will, ausſerhalb den Bannforſt, der ſoll ſie halten in ſeinen bewirkten Gewehrten.* Id eſt, intra ſepta & munitas poſſeſſiones, vt Latinus habet textus. *Iure Sax. quid cautum.*

IV. Porro recenſentur canum in iure veteri Germanico complures ſpecies. In legibus Baioaricis *Tit. 19. §. 1.* hæc habentur: *Si quis canem* Seucem *quem leutihunt vocant.* Et §. 2. *Si* Seucem *doctum, quem* trip-hunt *vocant.* Et §. 3. *Si* Seucem *qui in ligamine veſtigium tenet,* quem Spur-hunt *dicunt, furaverit.* Aliter *Seucis*, ſcribitur, *Seucis Seugius*, & in legibus Salicis *tit. 6.* Seguſius. Apparet ex his locis de cane aprario, apros. *Canum genera & officia Iure Germanorum, Seucis. Seguſius.*

venari

venari docto, accipiendum eſſe. Vbi GOTHOFREDVS WENDELINVS in gloſſario Salico ait: *Soch*, & in plurali Seu*ghen* nobis Hasbanis & Taxandris *Sues* notat. In iisdem Salicis occurrit & *Seguſius-magiſter*, maior canis, forte qui Gallice *Maſtin*. In legibus Alemannorum fit mentio de cane Seuſio primo curſali, & exponitur, *qui primus currit. tit. 82. Et* §. *2.* de ductore, qui hominem ſequentem ducit. In notis TVLLII TYRONIS habetur *Veltraga*, pro quo apud GRATIVM *Cynegetico, Veltraba*, In Lege Salica & additamentis Burgundiorum dicitur *canis Veltrix*. Gloſſarium Latino-Theodiſcum: *Veltraa, Wind*. Inde Gallicum *Vautroy*, & Italorum *Veltro*. Eſt origine vox Germanica, vnde Latini Scriptores fecere ſuum *Vertragum, Vertagum*. Martialis *apophor*. Canis Vertragus:

Veltraga.

Vertagus.

Non ſibi ſed domino venatur Vertragus acer.

Vbi vulgo, *Vertagus:* Sed illud ex MSCto Leidenſi defenditur. Et FIRMICVS *L. V. c. 8. Similiter & nutritores canum Moloſſorum, Vertragorum, & qui ſunt ad venationes accommodati*. Vide IANVM VLITIVM *ad Gratii Cyneg. verſ. 203.* vbi prolixe de hac re. *pag. m. 167.* Plura canum nomina & genera vide in Legibus Baioaricis *d. loc.*

Verres.

V. Succedit verres, non ille bipes, in quem Cicero invectus: ſed quadrupes ἐνόρχης, animal quidem domeſticum, non magis tamen, quam canis innoxium. Græcis *κάπρος*. Ita enim Philoxeni gloſſæ: *Verres κάπρος*. Et Græco-Latinæ, *κάπρος Verris*. Et ARISTOPHANES Grammaticus apud EVSTATHIVM: *τῶν συῶν οἱ μὲν τέλειοι καὶ ἐνόρχαι, κάπροι οἱ δὲ πίονες αὐτῶν σιαλοί.* Dicitur quidem Verres tam de porco fero teſticulato, quam de domeſtico ἐνόρχῳ, Sexus enim nomen eſt, & *κάπρος, τό αἰδοῖον τοῦ ἀνδρὸς*, exponitur Suidæ. Hic tamen de domeſtico agitur, & Baſilica *legem 40. h. t.* Græce vertendo, Verrem *κάπρον* reddunt. Sed & Synopſis Baſilicorum eodem modo: *ὁ κύνα ἄγριον ἢ κάπρον.* Et HARMENOPOLVS: *ὁ ζῶον ἄγριον βλαπτικὸν, διον κύνα, κάπρον: λεόντα, λύκον* &c. Verrem *κάπρον* reddunt. Et falſum eſt, quod LEONCLAVIVS in notis ad Synopſin, CVIACIVM notans, ait, *aduerſus omittentes hæc verba*, (nempe: minorem aprum,) *Græcorum ſtare auctoritatem, qui*

Leonclauius refutatus.

& Verrem

& Verrem & aprum habeant, illum quidem κάπρον, hunc σύαγρον. Sed ἀυτοψία refutat: Nihil ergo de apro minore, & vna litura delendum. Nec dubito hæc verba (vel minorem aprum) a ſcioli manu irrepſiſſe, hanc gloſſam appingentis, cum quid verres inter feras faciat, non caperet, CVIACIVS ad *§. fin. Inſt. ſi quadr. paup fec. dic.* Tum quia in Inſtitutis *d.* §. nihil de apro, tum quod neque THEOPHILI paraphraſis, neque Baſilica agnoſcunt. Et loquuntur itaque ædiles de verre domeſtico, quemadmodum de cane itidem domeſtico, ſed ferocibus.

Verba edicti de minore apro, irreptitia.

VI. Proximum eſt, triſte illud ſtabulis, lupus, quem proſcribunt e publico ædiles. Sed ea edicti pars ad Angliam non pertineret, ſi quod tradunt naturæ hiſtorici, in Anglia nulli reperirentur. Niſi dixeris, quo rariores ibi, eo magis conquiri. Et ſuperioribus annis intraſſe credebantur, nempe a quibus rex fuit trucidatus. Poſſunt autem cauere incolæ, quo minus agros eorum accedant, ſi capti vnius pedibus infractis vltroque adacto paulatim ſanguis circa fines agri ſpargatur, atque ipſe defodiatur in eo loco, ex quo cœperat trahi: aut ſi vomerem, quo primus ſulcus eo anno in agro ductus ſit, excuſſum aratro, focus Larium, quo familia conuenit, abſumat, ac lupum nulli animalium nociturum in eo agro, quamdiu id fiat, vt tradit PLINIVS *L. XXIIX Cap. 20.* Sed & in Olympo, Macedoniæ monte & Creta inſula non eſſe lupos idem tradit PLINIVS *L. VIII. c. 57.* Saxo in ſuo *Landr.* de cicurato tantum loquitur, *wer einen ſchædlichen Hund, oder zahmen Wolff hælt.* Quur ita? Num quia omnes feras, quas domi quis coërcet, *ſo er in ſeinen bewirckten Gewehren hælt,* pro cicuratis habet?

Lupus.

Remedia contra lupos.

Ius Sax.

VII. Sequitur vrſus, quales in Africa non eſſe PLINIVS tradit: Sed idem eodem *L. IIX c. 36.* Domitium Ænobarbum ædilem curulem vrſos Numidicos centum dediſſe ait. Et eſt Numidia Africæ regio Ptolemæo, quæ Biledulgerid hodie, Dactylorum regio. Lipſius, vt auctoritatem Plinii tueatur, ſuam propemodum perdit, dum ait leones primum viſos Romanum vulgus vrſos Numidicos notiori nomine vocitaſſe. Quaſi de fece Romuli aliquis loquatur, non Plinius. Cuius tempore non ita rari Romæ leones vt proprio nomine neſcirentur appellari.

Vrſus.

Lipſius notatur.

Nec

Nec iuuat Lipſium MARTIALIS I. *Epigr. 105. vbi* Lybicos vrſos Lipſius interpretatur de leonibus currui iunctis. *Quia nullum*, ait, *miraculum de vrſis.* At vero nec pro miraculo tradit Poëta; Non magnum ait ſpectaculum eſſe, Pardos videre iugo ſubditos, & currum trahentes, tigres pariter ſubiugatos, flagelli patientes, ceruos lupata mordentes, vrſos frenatos, apros capiſtratos, Biſontes ad eſſedum iunctos, elephantes nihil magiſtro negantes. Hæc omnia vſitatiora eſſe ait, præquam quæ ibi ſequantur:

Hæc tranſit tamen vt minora quisquis
Venatus humiles videt leonum
Quos velox leporum timor fatigat,

Et quæ ſequuntur. Hoc ergo ſpectaculum leporum leones venantium adeo mirum eſſe vult Poëta, vt quæ anteceſſerunt, propterea vileſcant. Sed nihil certius, quam Africam alere vrſos. Stant enim contra Plinium & Latini veteres & Græci, HERODOTVS, STRABO, VIRGILIVS, IVVENALIS, MARTIALIS, SOLINVS alii.

IIX. Panthera ſuccedit. De hac VARRO. *IV. de LL. ferarum vocabula partim peregrina, vt Panthera, Leo, vtraque Græca. A quo etiam & rete quoddam Panther & Leæna, & muliercula Pantheris.* Et PRISCIANVS *L. V. In multis videmus commutatione terminationis genera quoque eſſe, conuerſa, vt ὁ κρατὴρ, hæc cratera, ὁ ἀμφορεὺς, hæc amphora, ὁ πάνθηρ, hæc panthera.* Sed quæ

Panthera. ratio etymi ex πᾶν & θήρ. ISIDORVS reddere conatur *L. XII. c. 2.* ſiue quod *omnium animalium amicus ſit, excepto dracone, ſiue quia & ſui generis ſocietate gaudet, & ad eandem ſimilitudinem, quidquid accipit reddit.* Nihil ad rhombum. PLINIVS videtur quodammodo indicare *L. IIX. c. 17. Panthera & tigris macularum varietate prope ſolæ beſtiarum ſpectantur, cæteris vnus ac ſuus cuiusque generis color eſt.* Putant ergo ſic vocari, quia pene omni-

Eadem quæ Pardalis. um in ea ferarum colores cernantur. Idem autem genere traditur panther & pardalis, & quos LVCANVS, IVVENALIS, PLINIVS, MARTIALIS Pardos vocarunt, ÆLIVS SPARTIANVS & eius ſeculi auctores Leopardos vocant. Vide VOSSIVM *etymologico.*

Leo. IX. Vltimus ſit leo, rex animalium, quem Arabes centum & amplius nominibus decorant, præter attributa, vt docet

SALMAS.

SALMAS. *de primat. p. 31.* Hos venari priuatis ſeu prouincialibus propterea non licebat ad voluptatem, quia principis recreationi ſeruabantur *l. vn. C. de venat. fer.* Exceptis limitum ducibus, quibus beſtias, quas ad comitatum principis ſolenniter transmittebant, venari ius erat. Sic tamen, vt eas transducentes, neque caueas a ciuitatibus exigere poſſent, neque plus, quam ſeptem aut octo diebus in ciuitatibus agere *l. 2. C. T. de venat. fer.* Horum ergo venatio in circo vel amphitheatro edebatur, iam inde, ex quo eius initium fecit Q. Mutius P. F. Scæuola in curuli ædilitate: ſed debebant magiſtratus, ſi qui leones ludis ſuis exhibere vellent indulgentia principis impetrare, vt tradit SYMMACHVS *L. II. Epiſt. 46. lib. 7. Epiſt. 59. & 122.* Occidere tamen priuatis ſalutis ſuæ cauſa licebat. *d. l. ſing. C. Th. de venat. fer.* Sed dubitari video cur promiſcue id æuo Iuſtiniani permiſſum fuerit priuatis, leones occidere, etiam extra ſalutis ſuæ neceſſitatem quam tamen præſupponit lex Theodoſiana. PAMELIVS ad TERTVLLIAN. *de ſpectaculis* id ea ratione affirmat, quod iam æuo Iuliani voluptas ſpectaculorum ſublata fuerit. Quod tamen falſum eſſe Nouella Iuſtiniani *115. c. 3. §. cauſas, & Nou. 105.* reuincit. Gui ſuccinit CASSIODORVS *L. IX. Var. 35. & L. V. c. 42.* vt bene obſeruat AMAYA *ad l. vn. C. de venat. fer.* Verius igitur eſt, quod AMAYA ſentit, hæc ſpectacula non ſtatim lege lata in vſu eſſe deſiiſſe, ſed paulatim chriſtianiſmo inualeſcente, abhorruiſſe lætitias publicas a cruentis his voluptatibus. Ergo etiam prohibita antehac venandi & emendi priuatis facultas, laxari cœpit, & hæc cauſa eſt cur Tribonianus *legem 1. C. de venat. Ver.* truncauit.

L. ſing. C. de ven. fer. exponditur.

Pamelius refutatur.

X. Sed reuertamur ad ædiles. Prohibent hi has beſtias ibi loci habere, qua vulgo iter fit. Pertinere enim hoc ad eorum officium ex libro ſingulari Papiniani de officio ædilium patet, *l. vn. ff. de via publ. & ſi quid in ea factum eſſe dicatur.* Quod viris illuſtribus iniunctum docemur ex Inſcriptione *III. p. 198.* Vide RVPERTVM *in Enchir. p. 173.* De viarum curatoribus vide BRISSONIVM *IV. Antiq. 12.* ANNÆVM ROBERTVM *Rer. Iudic. L. II. C. 3. p. n. 372.* RVPERT. *ad Enchir. Pompon. p. 253.* Quid vero ſi non propter viam, ſed forte in abdita & remotiori ædis parte habeantur

Viarum cura ad quos ſpectauit.

Digitized by Google

Quæſtio. beantur feræ ibique noxam dent? An ædilitia dabitur. Sunt qui affirment. KOEPPEN L. *II. Obſ. 78. n. 11.* Cum quibus non poſſumus facere. Vide SEBASTIANVM MEDICES *de caſ. fort. P. II. Q. 2. n. 14.* Quod probat & gloſſator Saxonicus *Landr. lib. 2. art. 40. n. 4. ibi: Geſchæhe es aber, da einer nichts zu thun hætte, ſo mœchte der Herr ſprechen, was wolteſt du in meinem Hofe machen, wæreſt du drauſſen blieben, ſo wær dir das nicht wiederfahren.* Et Gloſſa Weichbild. *art. 121. n. 7. wær aber der Hund gefeſſelt, an einer Ketten, in eines Mannes Gewehren, und thæt er Schaden, da iſt derſelbe ſchuldig an, der den Schaden empfæhet.* Sed tamen ſi maxime locus ſit talis, quo paterfamilias cum familia verſari ſoleat, ne ſic quidem ædilitiam competere putem, ſed L. Aquiliæ actionem. Vide IOH. THOMAE, ICtum eminentiſſimum *tract. de Noxia animalium C. 19. n. 22.*

Requiſitum actionis ædilitiæ. XI. Requiritur autem, vt actio ædilitia detur, vt actu ipſo nocuerit beſtia. *l. 42. ff. de Æd. Ed.* & quidem citra culpam læſi. CVIAC. *ad Paul. ſentent. Lib. 1. Tit. 15. §. fin.* Eſt enim hic alia ratio, quam ſi quis quid poſitum ſuſpenſumue iuxta viam habeat, cuius lapſus nocere poſſit, etſi nondum lapſum fuerit. *§. 15. 1. verſ. cui ſimilis Inſt. de obl. quæ qs. ex deli. l. 5. §. 11. ff. de his qui dei. vel effud.* vbi omnino datur actio. At ſola animalis detentio iuxta viam publicam non ſufficit pœnæ ædilitiæ, ſed, vt dixi, ipſa noxa requiritur. Gloſſa *ad l. 41. h. t.*

Pœna edicti variat pro obiecti diuerſitate. XII. Circa pœnam diſtinguitur ex re, cui nocitum fuit. Aut enim nocitum eſt homini, aut rebus. Si homini, & quidem libero, condemnabitur dominus animalis, quanti iudici viſum fuerit. *§. fin. Inſt. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 42. ff. de ædil. edict.* ita vt impendia curationis, & operæ, quibus caruit & cariturus eſt læſus, in computationem veniant. *arg. §. 15. verſ. ſi vero viuat. Inſt. de obl. quæ qs. ex del. l. fin. iuncta l. 1. pr. ff. de his qui effud.* Gloſſ. *in d. §. 1. verb. condemnetur.* Aut periit liber homo, & eſt actio ex hoc edicto popularis competens heredi, non vt heredi, ſed vt vni de populo, quamuis ceteris agere volentibus præferatur. *arg. l. 5. §. 5. ff. de his qui effud.* ita vt condemnatio fiat in ducentos ſolidos *d. l. 42.* non pro corporis liberi æſtimatione, quam nullam recipit. *l. fin. ff. de his qui effud. vel deiec.*

& l. 3.

Digitized by Google

& l. 3. ff. ſi quadr. paup. fec. dic. ſed pro pœna mera. *d. l. 5. §. 5.* AEGID HORTENS. *ad §. I. Inſt. ſi quadr. paup.* BACHOV. *ad Treutl. Vol. 2. Diſp. 2. th. 4. lit. C. in fine.* actore applicanda.

XIII. Sed quid eſt Solidus? Iure Digeſtorum idem atque aureus, vt conſtat ex *l. 37. §. 1. ff. de pecul. iunct. l. 1. C. comm. de legat.* Vide DIDACVM COVARRVVIAM, qui multis rationibus oſtendit, aureum in iure pro ſolido, & ſolidum pro aureo poni. Id eſt pro XXV. denariis, quorum X exæquant fere ducatonem ſeu aureum rhenanum, aut vncialem cum quadrante. Quare ducenti ſolidi efficient numero rotundo 600. vnciales, vel 625. *Rthlr.* Sin rebus nocitum, condemnatur reus in duplum damni *d. l. 42. d. §. fin.* Nec liberatur noxæ deditione etiam iure Saxon. *Landr. L. II. Art. 62. &* Weichb. *Art. 121.* Vid. CARPZ. *Prax. Crim. P. I. Q. 131.* Quod notandum contra MATTH. COLERVM monet Dn. Cancellarius THOMAE *Cap. 20. n. 16. de noxa anim.* Qui COLERVS *deciſ. 168. n. 11.* expulſionis beneficium etiam ad hunc caſum extendere videatur. *Solidus quid valeat.*

XIV. Quæritur, ſi fœmina & imprimis virgo formoſa a beſtia tali læſa fuerit, vtrum in condemnatione cicatricum & deformitatis fieri debet æſtimatio? Ita voluit IACOBVS *de* RAVENNA ad *d. l. ex hac lege 3.* vt teſtatur ALBERICVS *de* ROSATE *n. 1.* quem ſequitur GOMEZ *T. III. Var. Reſol. c. 6. n. 12.* Ratio illorum eſt, quia ob venuſtatem faciei virgo facilius reperit, cui nubat. Vnde APVLEIVS in *Apolog. Orat. 2. Virgo formoſa,* inquit, *etſi ſit oppido pauper, tamen abunde dotata eſt: Si vero deformis eſt, difficilius & cum maiori dote inuenit maritum arg. c. 25.* verſ. *quod ſi poſt huiusmodi iuramentum. X. de iureiur.* Et hanc opinionem, tanquam æquiorem ſequitur FRIDERICVS PRVCKMAMN. in Repetit. *L. 9. de Stat. hom. 2. parte priore. art. 10. n. 2. & 3.* Sed negat ARIVS PINELLVS (quem virum magni ingenii & doctrinæ appellat ANTON. TESSAVRVS *Deciſ. 25. n. 2*) *in L. I. Part. 1. num. 4. C. de bon. mat.* cuius opinio de iure verior eſt propter *d. l. fin. & d. l. 3.* *An cicatrices puellarum in æſtimationem veniant.*

XV. Quæritur porro de circulatoribus, qui ſerpentes, leones, vrſos, ſimias, cercopithecos, aut ſimilia animalia circum *Circulatores an edictum pertineant.*

Digitized by Google

cumferunt, ſi ab illis homo interemtus ſit, an teneantur pœna ædilium? Affirmant LVDOVICVS ROMANVS *Sing. 704.* COVARRVV. *P. II. Relect. Clement. ſi furioſus. 1. de Homicid. §. 4. n. 11.* HILLIG. *ad* DONELL. *L. XV. cap. 44. lit. C.* Negat MENOCHIVS *L. II. arbitr. quæſt. caſ. 366.* RIPA *tract. de peſte, tit. de præſeruatiuis remediis. n. 89.* Qui hoc caſu pœnam extraordinariam per *l. vlt. de Extraord. Crimin.* præferunt. Verba legis ita habent: *In circulatores, qui ſerpentes circumferunt & proponunt, ſi cui ob eorum metum damnum datum eſt, pro modo admiſſi actio dabitur.* Et hanc poſteriorem opinionem etiam amplectitur TREVTLERVS *Vol. II. Diſp. 2. theſ. 4. lit. C.* cui adſtipulamur. Neque moramur Accurſium, cuius explicatio nimium quantum diuinat, quanto vult textum loqui de circulatoribus, qui propoſitis ſubito ſerpentibus metum hominibus incutiunt, vt fugiant, & ſua dimittant, quæ ibi habebant, & alii veniant, eaque furentur. Non negamus quidem, & hoc in caſu locum habere extraordinariam actionem: hunc tamen ſolum eſſe, inque eo ſubſiſtere actionem extraordinariam negamus. SNEIDEVINVS *ad d. tit. Inſt. ſi quadr. paup. num 10.* putat cum actione ædilitia in factum concurrere extraordinariam, de qua agitur *in d. l. vlt.* Paulus *lib. 1. ſent. tit. ſi quadrup. damn. intul. 15. §. feram beſtiam,* & ibi CVIAC. Cui accedit BACCHOVIVS *ad* TREVT. *d. l.* Quam ſententiam & nos probamus, propter *l. 42. h. t.* verbis: *Qanti bonum & æquum iudici videbitur,* quæ verba omnino efficiunt, vt circulatores iſti teneantur etiam ex ædilitio edicto.

Negatur.

Qui puerum caſtrauit an ad edictum pertineat.

XVI. Eram in eo, vt finirem, ſed manum iniicit mihi ſummus Iuris Antiſtes CVIACIVS, qui docet, ad edictum ædilitium pertinere & eum, qui puerum caſtrauit, etſi pretioſiorem effecerit. Et quidem ex mente Vlpiani in *l. 27. §. 28. ff. ad L. Aquil.* vbi ex Viuiano ſcribit ceſſare aquiliam, ſed iniuriarum agendum, aut ex edicto ædilium. Et FRANC. AMAYA quidem Vlpianum ita exponit, ac ſi ad primum caput edicti reſpexiſſet, puta ſi venditor poſt contractum celebratum puerum caſtrauit, & ita emtori tradiderit. Sed repugnat, quod ICtus diſerte loquatur de puero, qui pretioſior factus, cui acce-

Ab AMAYA *diſceditur.*

Digitized by Google

accedit Iuſtinianus *l. vlt. in fin. pr. C. commun. de Legat. & l. 1. §. 2. C. de comm. ſeru. manumiſſ.* de quo vtique nec redhibitoria nec æſtimatoria competit. Et quamuis tollere hoc dubium AMAYA conetur, inde quod ædilitium edictum reſpiciat rei corpus, an morbo vel vitio debilius ſit factum, qua ratione non auſit negare eunuchum eſſe morboſum. At ſi intendas eunuchorum miniſteria & officia, pretioſiores vtique ceteris ſeruis haberi. Nihil tamen apud me quidem proficit AMAYA, quia caſtratus fingitur, cum adhuc apud venditorem eſſet, qua ſane ratione actio iniuriarum emtori aduerſus venditorem, quam ICtus accommodat, minime quadrabit. Adhuc enim antequam tradat venditor aut dominus, aut pro domino eſt, qui re ſua etiam abutendo nemini facit iniuriam. Porro AMAYA non poteſt probare, ſolius robuſtatis, aut validitatis corporis cauſa redhibitoriam dari, ſed & propter pretium artificii, & animi habitus, puta ſi ſit artifex, comœdus, mimus, cantor, & reliqua. Quare omnino CVIACIVM ſequor, vt ſtatuam ædiles non tantum de venditionibus actiones propoſuiſſe, ſed de aliis quoque cauſis; vt in duplum, ſi quis qua vulgo iter fit, animal habeat, quod nocuerit. Et in quadruplum, ſi quis puerum alienum caſtrauerit. Et quia in quadruplum nulla actio, quam furti manifeſti eſt, mere pœnalis neque hæc quidem, neque in quadruplum mixtæ aliæ quadrent, neque A. FABRO in *Rationalibus ad hunc textum* permittendum ſit, vt falcem criticam his verbis immittat, dicimus hac de re in quadruplum propriam actionem ? ab ædilibus fuiſſe propoſitam. Id enim vult CVIACIVS, quem FRANZKIVS *Comment. ad ff. h. t.* in fine non cepit, dum ait; Cuiacium ad *caput. II.* de beſtiis actionem hanc quadrupli retuliſſe, & ex eodem capite edicti caſtratorem teneri, quod Cuiacio in mentem non venit.

a CVIACIO *ſtandum.*

FRANZKIVS *errat.*

XVII. Denique notandum, cum hac ædilitia in factum concurrere etiam actionem de pauperie.] Nunquam enim actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit. *d. §. 1. verſ. præter has autem. Inſt. ſi quadrup. paup. fec. dic. l. 60. ff. de O. & A. l. 130. de R. I.* Quod tamen de vtili actione

Concurſus actionis ædilitiæ & de pauperie.

eſt

eſt intelligendum, quia directa ceſſat. *pr. d. t. verſ. ceterum ſi genitalis. & ibi Gloſſa.* PACIVS *ad d. §. 1. tit. A.* TREVTL. *Vol. I. diſp. 18. th. 3. lit. C.* Ratio eſt, quia actione de pauperie continentur pecudes, non beſtiæ *l. 1. §. 10. ff. ſi quadr. paup. fec.* Canes autem inter pecudes non ſunt, multo minus feræ beſtiæ. *l. 2. §. vlt. ad L. Aquil.* CVIAC. *ad pr d. t. ſi quadr. damn. intul. 15.* A. MATTH. *in not. ad princ. tit. ſi quadrupes.*

TANTVM EST.

IOANNIS STRAVCHII
DISSERTATIO
DE
ACTIS PVBLICIS
SIVE
IVDICIALIBVS.

RESP.

EPHRAIM WAGNER.

SVLA FRANCO.

IENAE CIↃ IↃ C LXXI.

I. N. S. T. A.

Anſa de ACTIS PVBLICIS præſentem inauguralem Diſputationem conſcribendi, quæ mihi fuerit, haud multis, Beneuole Lector, ex me quæras, ne facile quendam vitæ meæ hactenus geſtæ gnarum admiraturum puto. Quemadmodum enim miles de bello, armisque; negotiator de mercibus quotidie ipſi obuenientibus verba facere conſueuit; ita & me aliquot ex annis praxi deditum non inconcinne de Actis publicis, vtpote re hactenus, ſemper mihi in

in oculis manibusque verſante, nec non a nemine, quantum mihi conſtat, in hac forma vnquam tractata, nihilominus maxime deſiderata, publice diſputaturum, eoque vt & aliis neceſſariis ſpeciminibus profectuum talentum exhibiturum, ſum opinatus. Ad quem laborem bono cum DEO me accingo, illum, qua fieri poteſt, breuitate pro ingenii modulo ſubſequentibus theſibus incluſurus.

Th. I.

Acta natiuo laxoque ſignificatu dicuntur, quæ aguntur, & quolibet factum deſignant, ſiue re ſiue verbis quid agatur, ſiue fiat corpore ſiue animo & voluntate, ſiue committendo, ſiue omittendo. Quo ſenſu contra diſtinguuntur ſimulatis *in tot. Tit. C. plus val. quod ag.* Sic TACITO *de M. G. c. XXXIV. f.* Acta Deorum dicuntur, de quibus ſanctius & reuerentius Druſo viſum credere quam ſcire. Huc pertinet quæſtio Martæ: Acta facta tempore Tyranni an valeant? *part. 1. ff. nouiſſ. c. 17. p. 7.* & facta per procuratorem reuocatum num valeant? *ibid. c. 18.* Ita Acta Principis, Syllæ, Cæſaris, quæ Princeps, Sylla, Cæſar egerunt, quæ ipſa a potiori, quatenus ſcilicet iſti conſiderantur, vt perſonæ publicæ, non tam de eo, quod vt priuati egerunt, quam de his, quorum auctores actoresque ciuitati poteſtate ſibi debita aut ſumta, fuerunt, exaudiuntur, vnde porrigit etiam hoc loquendi genus apud Rom. vſitatum ad id, quod ciuitas egit, BOECLER. *in Diſp. de eo quod Ciuit. egit*, vt non minus Acta Ciuitatis dicat, quam Principis, Syllæ, Cæſaris. Huc quadrat vſitata Rom. phraſis: *In acta Principis iurare*, quod idem eſt ac, iuramento polliceri, ſe omne id, quod princeps egerit, ratum firmumque habiturum, nec quicquam eorum mutaturum, aboliturum. Vid. TACIT. *I. Annal. 72. 2. & 4. 42. 5.* vt & *XIII. 11. 1.* Quod, qui non faceret, pro perduelli habitus. IDEM *XVI. Annal. 22. 6.* Qui mos eosdem cum ſeruitute Pop. Rom. natales habuit. Alio ſtrictiori ſenſu opponuntur Acta, geſtis, contractis, vt & facta a geſtis differre Gaius fatetur in *l. 58. ff. de V. S.* Vide *Dd. ad l. 19. n. 4. 7. 9. & ſeqq. & n. 43. de V. S.*

Th. II. Transfertur inde ea notitio μετωνυμικῶς a contento ad continens, vt actorum vocabulo volumina atque liberi nominentur, in quibus ea, quæ ſunt acta, ſignantur. vid. BOECLER. *d. Diſp. de eo qu. ciu. C. 9. §. 1. inf.* Quo ſenſu idem fere ſunt

quod Commentarii, aut Commentaria de quibus TRAIAN. *ad Plin. X. Ep. 96. Dediſſe me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione, qua aſſueui, referri in commentarios meos iuſſi,* quod negligi a ſuis Gallis queritur BVDAEVS *l. abeſſe ff. ex quibus cauſis maiores.*

Th. III. Iſta acta ſunt vel *publica* vel *priuata*. Neque enim audiendus eſt VALLA, qui inter acta & geſta hoc diſcriminis aſſignat, quod geſta ſint in adminiſtratione magiſtratus, & in rebus maioribus & ad rempublicam vel ad plurimos ſpectantibus, acta vero rerum priuatarum. Quod doctiſſime refutat ALCIAT. *ad l. 19. ff. de V. S. & l. 58. eod.* Publica (de quibus in præſentiarum acturi ſumus) diuerſimode dicta: modo ratione cauſæ efficientis, quæ ſcilicet conficerentur apud publicas perſonas, vt ſunt ipſi iudices, actuarii, notarii; modo ratione proprietatis lociue, in quo cuſtodirentur, quæ ſcilicet ad fiſcum, vel ad commentaria principis, vel ad grammotophylacium pertinerent; modo ratione obiecti ſiue materiæ, libri ſcil. atque tabulæ, quæ publicæ ciuitatis acta continerent, vel in quibus ſcriberentur res geſtæ principis, aut populi, aut etiam leges, *Vid.* CIC. *1. & 2. Philipp.* Hinc *Acta Patrum* ap. TACIT. *V. Ann. 4. 1.* Vbi Iunius Ruſticus dicitur componendis patrum actis delectus a Cæſare. It. *Acta diurna* TAC. XIII. *Ann. 31. 1* ſcil. vrbis, quæ vt alias præcipue ex eo ſic dicuntur, quod per ſingulos dies fiant & ſcribantur, ita præterea TACITO *L. II.* in eo opponuntur Annalibus, quod in hos res illuſtres, memoriaque dignæ, in illa vulgaria, e.g. de ſtructura Amphitheatrorum, corundemque fundamentis atque trabibus &c. mandentur, quod repertum ita ait ex dignitate Pop. Romani. Alibi diurna. Pop. Rom. vocat, XVI. *Annal. 22. 7.* alibi diurnam actorum ſcripturam III. *A. 3. 2.* Germanica, quanquam potius hybrida, voce diceres, *Ræmiſche Chronick.* Inde etiam *acta publica* Tacito XII. *Annal. 24. 4.* ibi: publicis actis ſcriptum; quaſi diceres: *Es ſey ins gemeine oder œffentliche Rathsprotocoll oder Handels-Buch, oder Raths-Buch getragen worden &c.* nempe vt LIPSIVS habet ad *Senec. II. de benef. 10. 27.* Acta confici ſolebant rerum memorabilium vel in populo, vel ſenatu, atque ea per certos huic curiæ deſtinatos homines deſcribi, tum publicari. Ex talibus actis VOPISCVS ſe hiſtoriam ſuam ſumſiſſe ſcribit

bit. Itaque prouerbii in ſpeciem dictum: *In acta mittere* SENEC. *L. II. Beneficium in acta non mitto*, h. e. in publico, non poſteritati trado. Conf. EVND. LIPS. *ad IV. Ann. Tac.* Et hæc adeo publica acta *κατ᾽ ἐξοχὴν* ſæpe Actorum voce denotantur. GOED. *ad l. 19. ff. de V. S. n. 8.*

Th. IV. Nobis cum iſtis actis publicis, quæ ratione obiecti ſic dicuntur, nullum in præſens negotium. Erit autem de iis, quæ ratione perſonarum, per quas, & coram quibus conficiuntur, nec non ratione loci aſſeruationis talia dicuntur. Et quo melius diſcernerentur a reliquis, IVDICIALIA nuncupata, qua voce, præter ea, quæ de loco conficiendi aut aſſeruandi, nec non de perſonis ipſis conficientibus ſubinnuit, materiam noſtris quoque peculiarem indigitamus, ſcilicet negotia quæ in iudiciis tractantur.

Th. V. Sunt itaque nobis Acta publica iudicialia ſiue Iudicii, quæ *Regeſta*, vulgariter *regiſtra* & quaſi *Regeſtaria l. 82. ff. de cond. & demonſtr. l. 4. §. 1. ff. de edend. l. 4. ff. de Bon. poſſ. ſecundum Tabul. l. 47. §. 1. ff. de Pact.* quod ſcil. res geſtas ſeu actas contineant, nec non barbara voce actitata dicuntur, omnes ſcripturæ curiæ ſiue iudicii, factæ coram iudice, vel eo mandante, & ſcriptæ, ſ. regiſtratæ manu officialis ſcil. tabellionis ad hoc deputati, partibus præſentibus, ordinem negotiorum, modum & figuram continentes KLOCK. *Relat. III. n. 7.* Vel ſunt libri iudiciarii, quibus omnia ac ſingula, quæ in iudicio tam contentioſo quam voluntario, vel ab ipſo iudice, vel partibus, ſiue oretenus ſiue in ſcriptis peraguntur, atque proponuntur, actuarius fideliter ordineque conſignat atque congerit. Vel, vt accuratius habet RVLAND. *de Commiſſ. P. II. L. 5. C. 6.* Inſtrumenta publica, quæ inter partes coram aliquo Magiſtratu geſta continent. Dicuntur inſtrumenta, quia literis conſignata eſſe oportet, adeoque ſcriptura eſt de eſſentia actorum, quatenus nempe vt hic, volumina atque libros denotant, in quos referuntur ea, quæ in iudiciis aguntur. Dicuntur *publica*, quod autoritate *publica*, h. e. coram iudice qui eſt perſona publica aut conſcribuntur aut in formam publicam rediguntur. RVL. *cit. loc.* Hinc nihil refert etiamſi pars actorum a priuatis ſcripta & exhibita; iudex enim ad acta colligit, *bringet es* ad acta; Vnde vulgo dicitur; Ad acta *legen, es wird* pars actorum. Pro qua

 opera

Digitized by Google

opera quantumuis leuiſſima haud obliuiſci ſolent honorarii ſui auari Iudices. Hac ipſa voce, diſtinguuntur ab actis priuatorum, quæ pars quæque ſibi ad priuatam ſuam notitiam colligere conſueuit. Porro dictum inter partes, vt diſtingueremus a libris atque literis, ad iſtos pertinent ſtatuta, libri cenſuales, *Raths-Bücher, Straff-Bücher, Forſt-Saal-Steuer-Lehn-Gerichts-Handels-Erb-Receſs-Bücher*. Ad hos vero priuilegia, *Steck, Bezweckbrieffe*, de quibus omnibus ac ſingulis quo minus ageremus in hoc ſpecimine & tempus & inſtitutum cohibuit.

Th. VI. Cira exſiſtentiam actorum quæſtio mouetur: An nempe præſumantur? Quæ quidem differt ab illa; An acta præſumantur iuſta? Nam prior quæſtio de caſu loquitur, quo acta plane non apparent, & de ipſa eorum exſiſtentia dubitatur; poſterior vero de caſu, quando apparent & exſiſtunt quidem acta, ſed de debita ipſorum forma non conſtat, quæ ad locum de forma actorum pertinet. Negamus autem hanc noſtram quæſtionem per SVRD. *Conſ. 249. n. 6. ibique alleg. Dd.* in tantum, vt licet producatur ſententia, nihilominus non præſumantur præceſſiſſe, BART. *in l. illud ff. de acquir. hered.* KLOCK *Relat. III. n. 40.* nec iuuat mentionem factam fuiſſe actorum in ſententia GAIL. *I. Obſ. 134. n. 15. alleg.* KLOK. *Relat. 125. n. 26.* quando dicit; *Quod in actis non apparet, omiſſum & nunquam interueniſſe cenſetur.*

Th. VII. Acta iudicialia varie diuiduntur, & quidem potiſſimum ratione *Materiæ*, tum *formæ* quoque, nec non *cauſæ efficientis* atque *accidentium*; Ratione *materiæ* diuiduntur (1.) In *acta voluntariæ*, & *contentioſæ* Iuriſdictionis; hæc ſunt, quæ coram Iudice competente præuia cauſæ cognitione coram iudice quouis fiunt. Vbi obſeruandum illa his interdum miſceri, per accidens nimirum, quando probationibus inſeruiunt atque harum pars fiunt, *wann Sie zu beſcheinigen, oder Beweiſs als* documenta *gebraucht, vnd* ad acta *gebracht werden.* Acta contentioſæ iuriſdictionis ſubdiuiduntur in *ordinatoria iudicii, & acta cauſæ*, & hæc iterum in *probatoria* ſiue inſtructoria, & *deciſoria*. Hæc diuiſio decidit litem, quam nonnulli Doctores mouent; an ſcilicet ante litis conteſtationem acta incipiant? It, an ſententia pertineat ad acta? Si enim

cum

cum BALDO & THVLDENO *in not. ad* DAMHOVDER. *Prax. Civ. Cap. 149. lit. a.* Dicis: ante litis conteſtationem eſſe quidem acta poſſe ordinatoria ſiue præparatoria litis, non vero acta cauſæ proprie ſiue in ſpecie dicta; item ſententiam pertinere vtique ad acta, non quidem ordinatoria iudicii, ſed ad acta cauſæ & quidem non ad probatoria ſed deciſoria, ad quæ ſe habet per modum termini, plane vt vnitas ad numerum principii rationem habeat, res in plano nobis eſſe poſita videtur, vt prolixiori altercatione non egeat. (2.) Acta diuiduntur ratione materiæ in 1. *ciuilia*, 2. *criminalia*, quo etiam *inquiſitoria, inquiſitionalia acta*. Ratione *cauſæ efficientis* diſtingui videntur in acta (1) *primæ* (2.) *ſecundæ inſtantiæ*, quorum iſta ſcripta a iudice a quo, hæc a iudice adquem, niſi malis & hanc diuiſionem ad materiam referre, vt ſecundæ inſtantiæ acta dicas ea, quæ verſantur circa grauamina ad iudicem ſuperiorem delata. Qua ratione diceres etiam leuteratoria, ſiue *Leuterungs* Acta, quæ verſantur circa grauamina coram eodem iudice contra eiusdem ſententiam interpoſita CARPZ. *Proc.* Ratione *formæ* acta, tanquam analogum in ſua analogata, diſtingui ſolent in *originalia* ſiue authentica, & *copialia*, quæ & exempla vocantur. Ab accidenti denique proficiſcitur diuiſiuncula actorum in *publicata & non publicata*.

Th. VIII. Cauſa actorum primaria atque principalis eſt *iudex*, qui potiſſimam ipſis autoritatem conciliat, adeoque acta ab actuario non poſſunt fieri ſine iudice, BERTACH *in Repert. iur.* Hic competens ſit oportet, atque habilis, ſi ſecus, nulla ſunt acta, quæ coram ipſo confecta. *C. ſi a non comp. iudic. per tot.* SVRD. *Conſ. 204. 4.* Et is, qui aduerſarium coram iudice incompetente vexat, in expenſas primi iudicis condemnatur. *ſecundum gloſſ. in cap. ex Tenore verſ. careat extra de reſcript.* FARINAC. *L. I. Con. 49. n. 2. verſ. nec non.* Poſſunt tamen etiam coram incompetente valide fieri, ſi nimirum iuriſdictio prorogatur. CARPZ. *Proc. Tit. 2. art. 1. num. 17. & 18.* nec pars fori declinatoriam atque incompetentiæ exceptionem ante litis conteſtationem opponat. Tunc enim in illum quaſi conſentit, & ex hoc quaſi contractu litigantes obligantur inſtantiæ, ita vt in ea vſque ad finem perſiſtere cogantur. *Auth. qui ſemel, C. quomodo & quando Iud.* Valent etiam acta

Digitized by Google

periudicem inhabilem, ſi communiter habitus pro habili *l. 3. ff. de off. Præt.* Cauſa *inſtrumentalis* & ſecundaria, qua ad ea conficienda iudex vtitur, eſt actuarius. SVETON *in Iul. Cap. 55. conf.* SENEC. *Ep.33.* ſiue ab actis, aut a cura actorum ὑπομνηματογράφος vocatur, quem ſequior ætas protocolliſtam, alii commentarienſem, tabellionem, ſeu tabularium, exceptorem, ſecretarium item, aut ſcribam iudicii, *Gerichts Schreiber*, appellant. A notis quoque notarii dicti, quod compendio quorundam punctorum, ſignorum & minutarum figurarum verba, aut vim ſyllabarum, orationesque totas quantumuis præcipitatas, quam velociſſime comprehenderent. Conf. PET. FABR. *ad l. 92. de R. I. & l. vlt. eod. in f. Gl. in l. inter eos ff. ex quibus cauſis maiores.* Horum neceſſitas tanta eſt, vt dubitatum fuerit, num iudex ipſe, præſertim ſi ſit notarius, acta conſcribere poſſit? De qua quæſtione videatur DN. ZIEG. *ad Inſt. Lancellotti tit. de in ius voc. p. 725.* BERL. *P. I. Concl. 8. n. 48.* MARTA *Dig. Nouiſſ. C. 12. p. 6.* BERTACH. *in Repert. iur. p. 52. b.* vbi limitat negatiuam in caſu, quo proceditur de plano, ibi enim iudicem quem poſſe eſſe ſimul & notarium, adeoque ipſum acta literis conſignare. TVSCH. *Concl. Pract. 88.* Acta iudicialia per quem ſcribi debeant? vbi allegat ANT. *de* BVT. *Conſil. 32. n. 2.* & rationem ſubiicit, quia acta ſcribi debent de mandato iudicis, & quia nemo poteſt ſibi mandare, nec duplici officio fungi (intellige ſi duo ſint incomparabilia vt hic) nempe iudicis ſimul atque teſtis, ibique ſimiliter excipit cauſas leues, viles, atque breuiores, quæ non excedunt quinque ſcuta. DN. PHILIPP. *in Obſ. 2. ad Deciſ. nou. Sax. Elect. 45. n. 13.* hanc quantitatem arbitrio Iudicis relinquit. Vide de hac neceſſitate clarum textum *in c. 11. extr. de probat.* Cui ſententiæ fauet etiam hodierna praxis. *Vid. ordin. Cam. p. 1. t. 59. & Caroli V. ordin. Crim. t. 1. in foro præſertim Saxonico.* Vid. *Proceß-und Gerichts-Ordn. t. 2. §. Alſo verſehen wir uns, & nouiſſ. Deciſ. Sax. Elect. 38. Nachdem aber.* DN. D. PHILIPP. *in nouiſſ. ſuis obſeruationibus, addict. dec. 38. obſ. 2. pr.* Videatur tamen D. PHILIPP. vbi quoad ciuilia negotia limitatur hæc ſententia in actibus voluntariæ iuriſdictionis. Exceptis inſinuationibus donationum, de vltimarum voluntatum, quæ & ipſæ coram actuario fieri, atque ab eo regiſtrari debent.

Th. IX, Cæterum de actuariis duplex occurrit conſide-

ratio,

ratio, altera de *requiſitis*, altera de *officio* eorum. Illa late perſequitur DN. PHILIPP. *d. Obſeru. 2. ad Deciſ. Sax. 39.* Vnde iſta ſtrictim excerpſiſſe ſuffecerit, quod nempe (1.) debeant actuarii iudiciis, quibus adhibentur, peculiari iuramento, obſtricti eſſe *n. 5.* & quidem in præſentia ſubditorum, iis conſpicientibus & audientibus, *n. 8.* quia nimirum ſumma fides requiritur in his perſonis, & earum ſcripta formam publicam autoritatemque habent *n. 15.* (2.) Legales h. e. idonei, qui iurium rationisque procedendi ſatis gnari, *n. 16.* & proceſſum iuſte ac legaliter dirigere didicerint *n.* 18. *ſeqq.* An (3.) requiratur vt ſint notarii publici, vel ab ipſo imperatore, vel comite Pal. renunciati, late itidem diſputat *n. 25.* & in ciuilibus pro negatiua concludit ſecutus *d. Deciſiones Sax. Elect. 38. Iedoch iſt ſolches allein von Bürgerlichen.* Diſſentit BERLICH. *P. I. Concl. 8.* Quod officium eius attinet, generaliter in eo conſiſtit, vt vniuerſa negotia, quæ in iudiciis occurrunt, competenti ordine fideliter atque diligenter conſcribat atque congerat, deſignando & tempora, & perſonas earumque ſermones. *c. 11. verſ. ſtatuimus X. de probat.* Conf. DN. CARPZ. *Crimin.* vbi de regiſtratura reſponſorum ad articulos, inquiſitionales, quod nempe, quantum fieri poteſt, ipſa inquiſiti verba retineri debeant, quod alibi etiam traditur de teſtium depoſitione. Debet autem ipſa acta ſcribere in tantum, vt abſens vel alia iuſta cauſa impeditus ſuum amanuenſem, vel alium ſuo arbitrio tribuere haud quaquam poſſit, ſed hoc cum conſenſu & approbatione iudicis faciat neceſſe ſit. Berlich. *P. I. C. 8. n. 32. 33. 34.* Plura de officio actuariorum vide apud THVLDEN. *in* DAMHOVD. *Prax. Ciu. c. 149.* ROSBACH. *Proc. p. m. 87. & ſeq. & omnino* CARPZ. *Proc. t. 2. art. vlt.* Item *Churfürſtl. Oberhoffgerichts Ordn. Tit. von den Notarien des Gerichts & alibi paſſim.* De quæſtione, num inchoata per vnum, perfici poſſint per alium. Vide BERTACHIN. *Repert. p. 53. a Col. 1. in f.*

Th. X. Sunt autem acta legaliter conficienda, ſine talibus enim iudici non creditur WESENB. *in Tit. C. de Iureiur. n. 61.* Et ſi ſecus, ipſam vitiant ſententiam; *Don. L. XXVII. c. 6.* ibique HILLIG. *not. lit. C.* Nec regulariter conualidari poſſunt. TVSCH. *Concl. 94. lit. A.* Sed de nouo apud eum, ad quem deuoluta cauſa eſt, repeti debent WVRMSER. *Obſeru. 33. n. 3.* Suam itaque

que requirunt formam, quæ generaliter in ſcriptura conſiſtit, eſtque hæc adeo neceſſaria, vt ſine ea, quemadmodum ſupra attigimus, acta, prout quidem volumina, libros, aut inſtrumenta denotant, ne quidem concipi poſſint. Alia enim eſt quæſtio: an acta h. e. ea, quæ in iudiciis aguntur, nempe materia ſiue obiectum dictorum voluminum, ſcribi ſiue literis conſignari præciſe ſit neceſſarium, vel num acta ſcripta in vnaquaque cauſa requirantur? Quod aſſerimus cum LANCELLOTO *in Inſt. Iur. Can. 1. de in ius vocand. §. ibi:* qui vniuerſa acta Iudicii conſcribant. *ibique Dn.* ZIEGLER. *p. 725. Add.* SVRD. *l. 3. Conſ. 326. n. 25. Dd. in cap. quoniam X. de Probat.* Acta enim vehiculum dicuntur ad ſententiam BALD. *in c. cum ſuper in f.* adeo vt pronunciatio facta per iudicem, non habitis actis non valeat, etiamſi ſententia eſſet bona & recte lata OSASC. *Deciſ. I. n. 39.* quem ſequuntur & alii Autores. *vt* IAS. *in l. ſi is apud quem C. de in ius voc.* BALD. *l. 2. C. de edend. & in l. 1. ff. de Feriis*, & niſi fieri curet iudex, vt acta ſcribantur, partibus tenetur ad expenſas, quas ſcil. erogare ſolent ad repetendam cauſam, nec non infamia notatur talis iudex. GRAEV. *ad* GAIL. *I. Obſ. 234. Concl. 84. n. 5.* Conf. GILHAVS. *Arb. Iudic. C. VI. P. 1. §. 12. p. 239.* MYNS. *Cent. I. Obſ. 11.* Ab ea regula excipiuntur a nonnullis cauſæ, in quibus ſententia fieri poteſt ſine ſcriptura. BART. *& Dd. in Auth. Niſi breuiores C. de ſentent.* nempe viles atque leuiſſimæ. Sed ab his diuortium merito facit DN. ZIEGLER. *l. c. nec non* SOCIN. *de Reg. Iur. Reg. 9.* BART. *in l. ne in arbitr. C. de arbitr.* Quibus non obſtat, quod acta non requirere dicuntur ſcripturam, niſi vbi quoque libellus & ſententia ſcripta requiratur. Nam ex his non ſequitur, propterea ne quidem poſtea qualemcunque actoris petitionem, reique reſponſionem, nec non ſententiam ipſam, quanquam oretenus latam, in ſcripturam ab actuario referendam eſſe. Hoc ipſo autem, quo ſcriptura requiritur, patet, teſtibus ad acta haud quaquam opus eſſe. DAMHOVDER. *Prax. reſp. Ciu. c. 149. n. 10. & 11. ibique* THVLDEN. *l. l.* Quid enim attinet teſtibus probari, quod ſcriptura demonſtrari poteſt? Modus autem ſcribendi in his conſiſtit, vt ſcribantur acta (1.) ſincere atque vere, quæ excludunt errorem atque falſitatem, hæc enim nulla reddunt acta, adeo ut quemadmodum apud HILLIG. *ad* DON. *L. XXVII. C. 6. lit. e. in not.* In actis, ſi error ſit, ſententia ſe referens ad illa, vitietur, quod haud dubie de falſis quoque aſſerendum. Et ad euitandam

omnem

omnem ſuſpicionem falſitatis recte requiritur *in c. 11 X. de probat.* vt actuarius omnia in præſentia iudicis vel aſſeſſorum regiſtrare debeat. PHILIPP. *Deciſ. 38. Obſ. 2. n. 21.* (2) Integre quoque ſcribi debent, nec manca eſſe, aut mutila, alioqui fidem ſimiliter haud faciunt, & iudex tenetur ad intereſſe & arbitrarie punitur GAIL: *I. Obſ. 134. n. 12.* Quando vero integra dicantur vid. late apud TVSCH. *pr. Concl. 87.* Cæterum ad integritatem actorum vel agnoſcendam vel conſeruandam facit inſtitutum *daſs ſie richtig geheffiet und foliiret werden ſollen.* De quo *vid. Neue Churſ. Sæchſ. Erled. in IuſtizSachen §. 16. verſ. würde man aber* (3.) cum loco, die & conſule. GRAEV. *ad* GAIL. *I. O 314. concl. 84. n. 10.* Hoc eſt; acta conficiens ſcriba, a *quibus*, coram *quo*, quo *tempore*, & quo in *loco* ſcripta ſint, explicare debet, vt habet BERTACH. *in Repert. Iur. p. 54. a in med.* Quoad temporis circumſtantiam diſputari vulgo ſolet, num *noctu* quoque fieri acta poſſint? It. partibus *abſentibus?* Deinde adiicitur, tempore *feriato* fieri regulariter haud poſſe. Sed hæ quæſtiones ad noſtrum inſtitutum non pertinent, cum tractemus non de obiecto ſiue materia actorum h. e. de validitate eorum, quæ in iudiciis geruntur, de quibus intelligendæ ſunt iſtæ quæſtiones a MARANTA docte tractatæ, ſed de voluminibus, in quibus acta conſignantur. Quanquam conueniat eo, vnumquodque tempore ſcribi, quo geſtum, & prohibitum vtique cenſeamus, peruerſum quorundam iudicum atque actuariorum morem, quo acta vel nulla, vel confuſa, tum demum ex cerebro ſuo con ſcribunt, ordinant, corrigunt, quando auocantur a ſuperiore ad examinandam cauſam. Iſtud de tempore, quo conficienda ſunt acta, adhuc ſciendum, ſtatutum eſſe de Iure Saxonico ſeptiduum aduocatis pariter ac actuariis, intra quod illi poſitiones ſuas ſub pœna abſoluere, hi vero eaſdem ſolicitare, mandataque, & quæ ad legitimationem pertinent, ab iis exigere coguntur. Vid. *Churſ. S. Apell. Ordn. Beylage in corp. Sax.* Item CARPZOV. *Proc.* Cæterum vtut pro actis non exiſtentibus, quemadmodum ſupra diximus, non præſumatur, quando tamen exiſtunt atque conſcripta apparent, iuſta præſumuntur, ſolennia, & valida. *Vid. Nou. Deciſ. Sax. 3. & ibi* PHILIPP. *Obſ. I. & II.*

Th. XI. Materia actorum circa quam, ſiue obiectum, ſunt actus & negotia iudiciaria. DONELL. *L. XXVI. ibique* HILLIG. *lit. D.* quæ in genere proceſſus vocatur *In der Churſ. Appell. Ordn. T. von*

LIII *den*

den Bothen, ibi: und andere Proceſſe. Nempe libellus, citationes, prorogationes, recuſationes, legitimationes, cautiones, poſitiones, exceptiones, recognitiones, petitiones, interrogationes, reſponſiones, confeſſiones, teſtium depoſitiones, eorundem & inſtrumentorum productiones, atteſtatorum publicationes & diſputationes, inrotulationes, ſententiæ tam interlocutoriæ, quam definitiuæ, earum publicationes, leuterationes & appellationes, harum inſinuationes, interpoſitiones, introductiones, proſecutiones, iuſtificationes, ordo, deſignatio temporum atque perſonarum, transactiones, compromiſſa, proteſtationes, renunciationes, iuramentorum de- & relationes, ad ea oblationes, eorundem præſtationes, atque remiſſiones, ſupplicationes, collationes, & quæ ſunt alia. Inter quæ hoc diſcriminis eſt, quod alia ab ipſo iudice per actuarium conficiantur atque ſcribantur, vt ſunt: citationes, regiſtraturæ, ſententiæ; alia a partibus iam ſcripta iudici offeruntur, vt ſunt libellus, & ſimilia producta, vti vocant, aut documenta, ex quibus illa, quæ pro ſola iudicis informatione exhibentur, ab eo quidem recipi ſolent, ſed ad acta, ita ut inſeparabilis illorum pars fiant, adeoque parti aduerſæ communicari debeant, referenda non ſunt; exempli gratia: *Sententiæ informatoriæ, allegationes* & id genus alia. Vid. TVSCH. *Concl. 87. n. 8.* vbi diſtinguit inter *producta* & *exhibita*, add. MART. *Dig. nouiſſ. P. I. pag. 6. c. 5.* Quando autem ita exhibitum quid cenſeatur, vt de actis iudicii efficiatur Vid. DON. *Lib. XXIII. C. 6. ibique* HILLIG. *Lit. D.* TVSCH. *Concl 86. & 89. n. 6.*

Th. XII. Locus, vbi confici atque conſeruari acta debent, Iudicium eſt; ita tamen vt quod ad confectionem attinet, iudicium intelligatur, vbicunque aliquid autoritate iudicis legitime fieri poteſt. Cum igitur certis ex cauſis, etiam extra conſuetum iudicis locum, cum autoritate tamen iudicis actus iudiciales exerceri queant, v. g. quando honeſta perſona in domo propria coram actuario, aliisque fide dignis perſonis hunc in finem per iudicem admiſſis iurare ſolet, non eſt dubitandum quin ibidem id quod agitur, literis quoque conſignari poſſit vel etiam debeat. Conf. CARPZ. *Proc. t. XIV. Art. 2. n. 89.* Imo acta quoque vnius iudicii poſſunt fieri in diuerſis locis, ab eodem tamen iudice, non habente certum tribunal maiorum ſuorum. Vid. BERLICH. *p. 53. a. pr.* Confecta vero apud iudicem, vel penes ſcribam,

aut

Digitized by Google

aut actuarium, in loco publico ad hoc deſtinato, qui apud eos, qui hoc iuris habent, archiuæ, Item cancellariæ *Cantzleyen.* It. *Scrinium* vid. MAR. GRIBALD. *de partib. æd. L. I. C. 2.* Item *Grammatophylacium* &c. apud minorum vero gentium iudices *Repoſituræ iudiciales Gerichts-Repoſiturn* vocantur, reponenda atque conſeruanda. Vid. MASCARD. *VI. de Probat. Concl. 32.* Chilian *König Proc. C. 91. n. 4. verſ. Denn die Acta.* KÖPPEN *Dec. quæſt. 46. n. 14.* Hinc reprobandus malus quorundam iudic[illegible]os, qui patiuntur aut committunt, vt acta inter priuatos parietes diſtrahantur, aut qui certum, dignumque reponendis iis locum haud deſtinant. Actorum Cam. Imp. cuſtodia, ad Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum Moguntinum ſpectat, vid. MART. *Dig. nou. P. I. pag. 5. c. 41.* BLVM. *in 1. Cam.* Et hæc quidem quæ de actorum conſeruatione diximus, tamdiu obtinent, donec vel edenda vel transmittenda. Edi vero h. e. copia eorum fieri debet cuilibet, cuius intereſt. Intereſſe autem reuera eorum duntaxat dicitur, qui commune ius in iis habent, nempe partes inuicem litigantes. Vid. *Dd. ad l. 2. C. de edend.* Et late CARPZ. Obtinetur iſta editio ſi recuſetur, per compulſoriales a ſuperiore impetrandas. GAIL. *I. Obſ. 134. & ibi* GRAEVEN. Transmitti ſolent, acta vel ad collegium iuridicum, vel ad ſuperiorem. Illam transmisſionem præcedit *collatio, inrotulatio, ſigillatio,* ad quos actus, quemadmodum & ad aperiendum, & reſignandum conſilium, partes quo omnis iudicem ſuſpicionis arguendi præſcindatur anſa citari debent. LVDOLPH. SCHRADER. *Tr. de Feud. P. 10. Sect. 14. n. 31. 32. 33.* CARPZOV. *proceſſ.* Partes quorſum mittere velint acta, ſi conueniunt, illis iudex deferre tenetur, ſin minus punctum hunc decidendi facultatem habet CARPZOV. *Proc. Tit. 16. Art. 1. n. 35. 36. 37. & 38.* Ad ſuperiorem iudicem transmittuntur, quando cauſa vel auocatur, vel ad eundem per appellationem deuoluitur. Hic late agere poſſemus de actis primæ inſtantiæ, niſi temporis penuria obſtaret. Conf. *N. Sächſ. Erledigung in Juſtitz Sachen, §. 93. ibi wie es mit Abfolgung der Acten primæ inſtantiæ zu halten?* Vbi habetur quod debeant mitti (1) Originalia (2) integra (3) abſque precio (4) obſignata (5) aut ipſi appellanti extradantur, aut eius ſumtibus per tabellionem iuratum inſinuentur. Hic notandum ex MARTAE *dig. nou. p. 1. c. 21.* Acta præſumi integraliter transportata. Hanc transmiſſionem actorum

 primæ

primæ inſtantiæ ad ſuperiorem ſequitur eorundem productio, quæ iuſto tempore fieri debet, ſufficit, modo adſint in termino iuſtificationis CARPZ. *Proc. T.18. art.5. n.77.* Finita appellationis inſtantia, appellans acta iudicis a quo vel ipſe vel per tabellionem iuratum ſub pœna arbitraria inſinuare obſtrictus eſt. *N. Erledigung in Iuſtitz Sachen §. 53. inf.*

Th. XIII. Actorum ita rite confectorum atque repoſitorum effectus hi ſunt, quod (1) plene probent, iisque credendum ſit ſine teſtibus. TVLD. *ad* DAMHOVD. *Prax. Ciu. c. 349. lit. I.* GAIL. *I. Obſ. 234. n. 12.* CARPZ. *Proc. Tit. 14. art. 3. n. 33. ſeqq.* WESEMB. *ad Cod. T. de Iureiur. n. 61.* etiamſi iudex ſit mortuus vel remotus, qui de cauſa cognouit & publicauit. COLER. *de Proc. execut. Part. IV. C. 1. n. 151.* Ita vt ſuper actis ſe fundans non præſumatur calumniari, GRAEVEN. *ad Obſ.* GAIL. *L. I. O. 134.* Vbi limitat niſi ab altera parte impugnentur, cui limitationi applaudit WESENB. *ad Cod. Tit. de Iudic. n. 143.* & hac ratione concludit, acta (puta quando impugnantur ab aduerſario ratione formæ) parere ſaltem præſumtionem iuris, non vero de iure, ſed admittere probationem in contrarium. Ampliatur hæc vis probandi a Doctoribus ita vt acta facta in vno iudicio, probare dicantur etiam in altero, præſuppoſitis tamen his quatuor requiſitis, vt nempe facta ſint (1) inter eaſdem non diuerſas perſonas (2) ſint probatoria, nec ſaltem ad litis ordinationem ſpectantia, (3) publicata (4) denuo producta. Si enim inter alios facta, alteri non præiudicant *Tot. Tit. ad Res inter alios act. & Tit. quibus res iud. non poc.* SVRD. *Conſ. 358.* Niſi plures habeantur loco vnius. *l. 25. §. 8. ff. Famil. heriſc.* Qamuis bene etiam probent contra tertium ad hoc nimirum, ita rem geſtam eſſe, vti in actis dicitur, alleg. SVRD. *Conſ. 170. n. 23.* Similiter ſi ſaltem ad litis ordinationem ſpectant, nullam probationis vim habent, DN. SCHRÖD. *in Reſolut. LL. Cod.* aque ipſo allegatus GILKEN. quemadmodum & non publicata, quæ ſunt inſtar breuiaturæ carentis ſolennitatibus, *Gloſſ. in l. fideicommiſſa §. 1. & ibi* BART. *de Legat. 3.* Tandemque non reproducta, ſterilia nulliusque efficaciæ ſunt CARPZ. *Lib. III. Tit. 12. Reſponſ. 119. n. 1.* Sic etiam acta coram ſucceſſore anterioris iudicis debent reproduci, ſi ipſius ſententia valida eſſe debeat BART. *in l. 11. verſ. 3. C. de edend. & ibi* BALD. Ad hunc effectum pertinet etiam, quod acta ſemper loqui, atque perpetua

dicantur.

dicantur. Vid. GAIL. *II. Obſ. 80. n. 7.* BERTACH *in Repert. Iur. p. 56. a pr.* Vnde & ſemper nocent inter eaſdem perſonas ALCIAT. *Tom. III. in l. 2. ff. de Edendo n. 59.* ei ſcil. cui nocet & ſententia BART. & ALEX. *in l. 11. ff. iud. ſolu.* & fidem faciunt contra eos, quorum intereſt MART. *cap. 9. Dig. nou. p. 1.* Hinc acta contra reum nocent & fideiuſſori, ALCIAT. *alleg. loc.* BERTACH. *Repert. L. I. p. 52. b. col. 2. f.* & acta contra heredem præſentem in cauſa querelæ, nocent legatariis ID. *ibid. p. 54. b. in f.* Et ita tertio interdum præiudicant ALCIAT. *loco cit. n. 69.* Eodem pertinet quod acta vice originalis fungi dicantur ſecundum communem doctorum concluſionem *in Tit. 2. de Teſtibus.* Et inſtrumentum regiſtratum ad acta, probetur per illud regiſtrum vel acta, etiamſi originale ſit deperditum, ex iisque aliud deſumi poſſit publicum exemplum, licet alias exemplo exempli non credatur. BART. *in verb. regiſtrum.* (2) Effectus eſt, quod conſtringat poteſtatem Iudicis, vt iuxta acta, non vero extra ea, ſecundum ſolam ſuam priuatam conſcientiam ius dicendum ipſi ſit. Vid. TVLDEN. *ad* DAMHOVDER *C. 149. lit. h. & Dd. paſſim.* imo ipſi ſententiæ moderetur, adeo, vt declarationem ex actis accipiat DONELL. *L. XXVII. c. 1. ibique* HILLIG. *in not. Lit. M.* & ſine actis lata ſententia, nulla ſit ipſo Iure. GRAEVEN. *ad* GAIL. *I. Obſ. 134.* (3) Præbent atque pariunt incognitum alias logicis, ſed in hac materia iuris validum argumentum, quo ab autoritate actorum negatiue concludi poteſt, ita ſcil. vt quod in actis non reperitur, cenſeatur omiſſum GAIL. *I. Obſ. 134. n. 15.* (4) In iudiciis inferioribus ſecundum obſeruantiam nonnullorum locorum repræſentant vicem apoſtolorum, quorum loco dantur GOEDD. *ad l. 106. de V. S. n. 5.* (5.) Faciunt ad probationem iurisdictionis præſertim contentioſæ, RVLAND. *de Commiſſar. P. II. L. 5. c. 6. in f.*

Th. XIV. Cum autem ſiniſtri nonnunquam aliud actis accidat, de contrariis hic agere, non inconueniens fuerit. Pertinet igitur huc interitus actorum, ſiue naturalis, puta ſi incendio conſumantur, aut corrumpantur, deperdantur, ſurripiantur; ſiue ciuilis, quando ex capite nullitatis, aut falſi, aut quod inſtantia peremta ſit, corruunt. Quod ſi incendio aut alio caſu deperdita, duplici remedio partibus conſulitur; vel enim teſtibus probanda, quæ geſta ſunt, Vid. GAIL. *I. Obſ. 134. n. 20. ſeq.* FRIDERIC. *Proceſ. Sax. P. 2. c. 10. n. 7. 13. ſeqq.* WESEMB. *ad Cod. tit. de iudic. n. 145. & alii,* imprimis etiam GILHAVS. *Arb. iudic.*

Digitized by Google

iudic. C. VI. P. I. §. 12. n. 4. vel de integro procedendum. Ad quod poſterius e. g. fugiendum, quando acta a iudice, a quo manca edita, aut inepte conſignata, tum enim iudex ſuperior totum priorem proceſſum caſſat, & partes de integro audit GRAEV. *ad* GAIL. *Concl. 84. n. 8.* Quod ſi a tertio detineantur, legitimis aduerſus eum remediis experiendum, vt edat, nec enim acta publica retineri poſſunt vt priuata ab aduocatis, aut actuario. Vid. CARPZ. *P. II. Conſt. 25. def. 23.* Cæterum de ſurripiente acta, ſciendum eum furti teneri WVRMSER *I. Obſ. 25. n. 3.* Falſificans præter falſi pœnam, cauſa cadit. GAIL. *I. obſ. 134. in f.* Pœna autem corrumpentis, dilaniantis, aut lacerantis acta iudicii, quinquaginta aureorum eſt, quæ parti vltra falſi pœnam, applicanda veniunt MARANT. *Dig. nou. c. 20.* Diximus ſupra *peremta inſtantia.* Conſtat enim, quod ſi inſtantia perimatur, v. g. quando reus ob ineptitudinem libelli ab inſtantia abſoluitur, perire etiam acta, quod tamen de ſolis ordinariis iudiciis, non etiam de probatoriis cauſæ intelligendum Vid. GAIL. *Obſ. 67. & ibi* GRÆVEN. *num. 1. 2.* WVRMSER. *I. Obſeru. 30.* PARTHEN. *litig. 2. 13. 6.* TVSCH. *concl. 92* & latiſſime SCACCIA *de Appell. qu. 15. in f.* Vterque modus, quo acta interire ſolent, iterum eſt vel caſualis & non voluntarius de quo hactenus, vel voluntarius atque ſpontaneus, quando ſcilicet caſſantur, diſcerpuntur aut cancellantur, atque ita ſponte. Vbi vlterius ſciendum deſtructionem aliam eſſe legalem atque neceſſariam, quæ fit a iudice, inuita etiam alterutra, vel vtraque parte, vel conuentionalem, quæ contra. Iſta fit, quando diſcerpuntur tanquam lectu indigna, in pænam atq; ignominiam exhibentis, vt ſi ſunt iniurioſa; quemadmodum nuper accidiſſe obſeruauimus ex impreſſa relatione in cauſa *Lauenburg* contra *Lübeck, die Einlöſung der Stadt Möllen betreffend.* Huc pertinet etiam, quando ſcripturæ poſt concluſionem in cauſa, aut ineptus libellus vel ſupplicationes etiam a concipiente non ſubſignatæ offerenti redduntur, vel etiam quod iudici iuris liceat ineptum libellum dentibus lacerare. Conuentionalis caſſatio ſiue deſtructio interdum accidit, quando partes pertæſæ proceſſuum, lites iniuriarum transactione componunt, ea concordiæ lege, per modum amneſtiæ dicta, vt acta, quæ ſuper ea re excreuerunt, ad ſepeliendam colliſionis priſtinæ memoriam, deſtruantur atque aboleantur.

Poſſemus & nunc de *Adfinibus Actorum* noſtrorum, nempe de *Actis Notariorum, & Priuatis* commode agere, ſed tempus aures vellicans alio nos citat, quapropter hic ſubſiſtere cogimur. DEO Ter Optimo Ter Maximo ſit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna ſecula!

STRAVCHIANORVM
SIVE
OPVSCVLORVM
IVRIDICO-HISTORICO-PHILOLOGICORVM
IOANNIS STRAVCHII
ICTI CELEBERRIMI

PARS SEXTA.

I. DE OPPIGNORATIONIBVS RERVM IMPERII, cum Obſeruationibus THOMASII, GVNDLINGII, HARPRECHTI.

II. DE CONDICTIONE TRITICARIA,

III. DE CONDICTIONE FVRTIVA.

IV. DE CONTVMACIA.

CVRA

D. CAR. GOTTLIEB KNORRII
P. P.

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNEM CHRISTOPHORVM KREBSIVM,
Im Durchgange des neuen Rath-Hauſes neben der Poſt.
CIƆ IƆ CC XXVIIII.

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII

DE

OPPIGNORATIONIBVS RERVM IMPERII,

DISSERTATIO

CVM ANIMADVERSIONIBVS

THOMASII, GVNDLINGII, HARPRECHTI.

PRAEFATIO HAMBERGERI.

HAEc diſſertatio habita eſt in academia Ienenſi, anno recuperatæ gratiæ clɔ Iɔc LXXI, deinde recuſa in academia Gieſſenſi clɔ Iɔc LXXVII, 4, in qua editione quid acceſſerit, mutatumue ſit, ſuo loco monuimus. Poſt id tempus, & noſtro demum ſeculo, CHRISTIANVS THOMASIVS, vir illuſtris, & ante eum vir excellentiſſimus, NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, in academia Hallenſi eandemque materiam in manus ſumſerunt, eaque occaſione Strauchianos errores paſſim emendarunt, hic in ſchediaſmate, *de iure oppignorati territorii, Hal. 1706, 4,* ille in diſſertatione *de uſu practico accuratæ diſtinctionis inter emtionem cum pacto de retrouendendo & contractum pignoratitium, Hal. 1707. 4.* Horum argumenta repetiit, vel potius exſcripſit, Gundlingio ne nominato quidem, quisquis auctor eſt diſſertationis Tubingenſis, *de reluitione oppignorationum imperialium præſide* STEPH. CHRISTOPHORO HARPPRECHTO, *& reſpondente* FRI-

Digitized by Google

DERICO ADAMO ZENCKIO *habitæ, 1713. 4.* quantum certe ad Strauchium attinet, quem ſæpe reprehendit, nihil tamen de ſuo addidit, quam id, quod nos ad Caput XIIII. adponi curauimus, cetera ſuis auctoribus Thomaſio Gundlingioque reddidimus, in notis ad Capita IX, & XII. Vale, Lector, & proxime eiusdem Strauchii *ad L. deciſiones* expecta.

De

OPPIGNORATIONIBVS RERVM IMPERII.

CAP. I.

De Natura pignoris.

I.

Pignoris natura in ſe, remota lege poſitiua.

DE oppignorationibus Imperialibus acturus, operæ pretium facere videor, ſi prius naturam pignoris, vt ſic, remota lege poſitiua, conſiderauero. Eſt autem pignus nihil aliud, quam rei traditio a debitore facta creditori, ad fidem ſeu ſecuritatem debiti huic faciendam. Initium ergo hic actus iure Gent. a traditione habuit, & ita intelligo *§. ult. I. quib. mod. re contr. obl. l. 23. ibi: pignori acceptum. ff. de R. I. l. 25. ff. de Pignorib.* & poteſt exemplo eſſe Iudas in libro Geneſeos, qui pacta mercede pro uſura corporis cum Thamare nuru pignus dedit, recepturus id hœdo miſſo.

transfert poſſeſſionem.

II. Hæc traditio ſua natura apta nata eſt transferre pignoris in creditorem poſſeſſionem, ſaltem naturalem, id eſt, detentionem, *l. 35. §. ult. de pignor. act. l. 9. C. eod.* Quod vel inde patet, quod nihil creditor per ſeruum ſic pignori datum acquirere poteſt. *l. pen. §. 2. ff qui ſatisd. cog. l. 16. l. 33. §. 4. ff. de Vſurpat. l. 1. §. 15. ff. de acquir. poſſ.* quod ſecus eſt in ſeruo, quem vere poſſidemus. Is enim acquirit poſſeſſori duabus ex cauſis, ex re poſſeſſoris, & operis ſuis. *§. 4. Inſt. per quas perſon.*

Iure ciuili quandoque dominium transferebat.

III. At iure Romano ciuili plus quandoque quam poſſeſſio, iure prætorio minus transferri poterat. Nam ex Lege XII. Tabb. etiam dominium transferebatur, idque per æs libram ſeu mancipationem. Quod genus pignoris FIDVCIA appellabatur. Eaque lege dabatur, vt ſoluta ad diem pecunia pignus

Digitized by Google

pignus remanciparetur, non ſoluta ſine vlla denunciatione vendi poſſet. PAVLVS *II. Sent. 13. §. 5.* Quod in pignore ſecus erat. Quippe creditor elapſo die denunciare prius debitori debebat, an pignus luere vellet. *l. 78. §. 6. π. ad SCt. Trebell.* PAVLVS *II. Sentent. 5. §. 1.* CVIAC. *ad* PAVLI *L. II. T. 13. Sent.* Vnde conſequens fuit, vt creditor per ſeruum ſic pignori acceptum nihil acquireret, ſed acquiſitum ſortem debiti minuebat, vt docet PAVLVS *c. L. II. T. 13. §. 2.* & ibi CVIACIVS. Eſt enim fiducia omnis πεποίθησις, vt docet IACOBVS GODOFREDVS, temporaria, vbi res in aliquem transfertur, vel alicui mancipatur non plene & perfecte, &, vt ſic dicam, irreuocabiliter, ſed vt remancipare poſtea cogatur accipiens. Ita emancipatio filii fiducia contracta olim a patre fieri dicebatur ſub remancipationis lege. GELLIVS L. V. C. 19. l. 2. §. 15. π. ad SCt. Tert. VLPIAN. *T. 10.* CAIVS *T. 16. §. vlt.* Et ideo extraneus emtor dicebatur fiduciarius. CAIVS *d. §. vlt.* Inde & fiduciarii tutores, ab eadem fiducia contracta in emancipatione *l. 4. π. de legit. tut.* VLPIANVS *T. 1. de tutel. §. 5. Pr. Inſt. de fiduc. tut.* Eadem ratione & fiduciarius hæres vſurpatur *l. 46 & 67. in f. π. ad Trebel.* cuius commiſſum eſt fidei, vt hereditatem reſtituat. Sic fiduciaria hæreditas. *l. 6. §. 1. de reb. cred.* & ſimilia.

Fiducia, quid.

IV. Iure porro Prætorio ne poſſeſſionem quidem transferre neceſſe fuit. Pacto enim contrahitur *l. 17. §. 2. ff. de Pact.* quo pignoris genere maxime vtimur in rebus ſoli, & incorporalibus, quas tradi vel transferri multo grauius eſt, quam res mobiles. Quo iure Prætorio introducto non adeo traditio pignoris frequentari cœpit, quæ ante hoc edictum omnino neceſſaria erat, pignore tum ab hypotheca hoc ſolo diſtante, quod illud eſſet rei mobilis, hæc immobilis. *l. 238. de V. S.* Sed poſtea, cum ex edicto prætoris idem iuris eſſe cœpit, ſiue pignus eſſet traditum, ſiue nuda conuentione obligatum, tunc alia emerſit differentia, vt pignus omnino eſſet, quod eſſet traditum ſiue mobile, ſiue immobile, hypotheca, quæ non tradita, itidem mobilis eſſet; an immobilis. *l. 9. §. 2. ff. de pign. act. l. 4. ff. de Pignor. & hypoth.*

Iure Prætorio Romano quid iuris e pignore.

CAP. II.

De fiducia.

V.

De fiducia ubi agitur.

SEd reuertamur ad ius ciuile Romanum, quo pignus, nempe fiducia per mancipationem in proprietatem creditoris ibat. Eius multa mentio apud CICER. *Topic. IV. L.& L. III. Offic. C. 15.* Oratione *pro Flacco C. 21. & L. 13. ad* ATT. *ep. 50.* itemque apud Paulum JCtum *L. I. Sent. T. 9. §. 18. L. V. Sentent. 10. L. 2. Sent. T. 4. in rubr.* Et *T. de Lege Commiſſoria 13. cum ſeptem primis §§. & T. 7. §. ult. & L. III. Sentent T. 6. §. 1. & T. 26.* §. 4. Apud Auctorem collationis legum Moſaicarum *T. II. n. 2.* Apud BOETHIVM in *Top.* CICER. *L. IV. p. 813.* ISIDORVM *IV. Orig. C. 21.* in Legibus Viſigoticis & Longobardicis. Nimirum hæc erat Fiducia, cum res pro pecunia mutuo accepta creditori mancipabatur, vel in iure cedebatur, & ſic quodammodo vendebatur, dominio in creditorem transſcripto ſtatim ipſa traditione, non vi demum legis commiſſoriæ, reuocabiliter tamen. Ita recte HOTTOM. *Epitoma Jur. L. XX.* itemque CVIACIVS ad *L. II. Sentent. Pauli T. 13. & C. 1. in pr. de feudo dato in vicem L. Commiſſ.* Itemque ANT. FABER *de Error. Pragmat. Dec 21. Err. 1.* Quibus inſcite SALMASIVS obloquitur tractatu de modo Vſurarum *p. 579.* vt & MÆSTERTIVS tractatu *de L. Commiſſ. Q. 2.* Probatur autem hæc ſententia, quod nimirum dominium fiduciæ in creditorem ita, vt diximus, fuerit translatum tam valide, tam clare ex his, quæ tradit PAVLVS *L. II. Sent. T. 13. §. 3. & T. 6. §. 74.* BOETHIVS *in Top.* CIC. ISIDORVS *d. loc.* & interpres Pauli *ad V. Sentent. T. 6. §. 7.* ut noctem in oculis circumferat, qui non agnouerit. Et hinc nimirum fiebat, ut debitor fiduciam creditori vendere non poſſet. Paulus *II. Sent. 13. §. 3.* quia ſcil. in dominio eius iam eſſet; cum contra pignus a debitore creditori vendi poſſit, quia pignus manet in dominio debitoris *l. 12. ff. de diſtr. pign.* ad quod SALMASIVS perperam excipit, inter fiduciam & pignus diſcrimen poſt *d. l. 12.* ex reſcripto principis introductam, ante eam fuiſſe nullum. Nam non animaduertit, JCtum Paulum poſt illam legem 12 ſcripſiſſe. Hinc eſt quoque quod creditor debitori, qui

Probatur in fiducia dominium translatum.

SALMASIVS refutatur.

qui extraneo venditurus erat fiduciam, eam remancipare tenebatur. *d.* §. *3.* ut docte WISSENBACHIVS in *Vindiciis theſium de Mutuo contra* SALMASIVM *p. 192.*

MAESTERTIVS refutatur.

VI. Quod attinet MÆSTERTIVM, tanti profecto non eſt, ut a CVIACIO & FABRO eius cauſa diſceſſeris. Videamus tamen argumenta. Et quod ait contradictionem implicare, ut eadem conuentione ſimul venditio & pignus contrahantur, tantum abeſt, CVIACIVM ut feriat, aut FABRVM, vt rem ipſam ne tangat quidem. Non enim loquuntur de conuentione, ſed mancipatione, quæ eſt traditionis, non conuentionis ſpecies & modus transferendi dominii, qualis nulla eſt conuentio. Non dicunt, vna eademque conuentione celebrari duos diuerſi generis contractus, realem, nempe pignus, & conſenſualem venditionem, ſed aiunt, quodam contractu pignoris celebrato rei proprietatem mancipatione, non nuda conuentione transferri. Qua vero ratione naturæ pignoris repugnet vel contradictionem inuoluat, ut in dominium illud concedat creditoris, non video. Præſertim tot locis juris romani id diſerte ſtatuentibus. Natura enim pignoris nihil aliud exigit, quam ut creditor crediti ſui ſit ſecurus. At num ſecurus redditur rei dominio in ſe translato? Imo hoc magis ei cautum eſt. Plus enim cautionis in re propria eſt, eiusque dominio, quam detentione rei alienæ nuda. Nihil ergo eſt, in quo dominium in re, reuocabile præſertim, pignori repugnet. Quod porro ait, abſurdum eſſe, ut eadem quantitas ſimul ſit cauſa pignoris, & pretium venditionis, non capio, quomodo & qua de quantitate prædicetur, quod ſit cauſa pignoris & pretium venditionis. Quis pecuniam creditam fecerit cauſam pignoris? neque enim efficiens eſt, neque materia, neque forma, neque finis. Sed nec magis pretium emtionis eſt, cum emtio nulla ſit celebrata, licet negotium affine ſit emtioni. Quantitas, id eſt, pecunia credita per ſe parit obligationem ex mutuo, non obligationem pignoris, etſi cauſa ſine qua non pignoris dici poſſet, quatenus mutuo non contracto pignore non eſt opus. Pignus contrahitur reali ſuppoſitione, nec intereſt, quo ſupponitur medio, an data facultate nuda detinendi,

nendi, an pro ſuo poſſidendi. Porro ad rem nihil facit, quod oggerit §. 4. quod debitor creditori fiduciam vendere non poſſit, ſed alii, tradente PAVLO *L. II. Sent. 13. §. 3.* Hinc autem concludere vult, quod ſi mancipatio hic intercesſiſſet, non liceret debitori eandem rem iterum alii vendere. Sed ignorans ipſe Mæſtertius reſpondet ſibi, id ita eſſe, niſi, prius illam a fiducia liberaſſet. Nimirum ita eſt, vt poſſit debitor fiduciam tertio vendere, neceſſe eſt, ut creditor eam remancipet. Sed ſatis hac de re, nec ſoli lumen commodare opus eſt.

VII. Fuit ergo omnino, quicquid Grammaticæ rei doctor SALMASIVS ſcholicorum nugalium ſpargat, ut GELLIVS loquitur *L. IV. C. 1.* in fiducia & mancipatio & remancipatio. Quo nomine & iudicium fiduciæ dabatur quod erat bonæ fidei, maximique momenti, in quo de fide fracta agebatur, hac formula concepta: *Vt inter bonos bene agier.* Vid. cic. *pro Q. Roſcio. & L. III. de Officiis. Auctorem collat. leg. Moſaic. T. 10.* Inde etiam iudicium fiduciæ cum ſocietate, tutela & rei uxoriæ actione coniungi videmus, in quibus omnibus res quidem transferuntur, ſed ſub fiducia reſtituendi. Falſum proinde eſt, quod fiducia fuerit nihil aliud, quam hypotheca rei immobilis. Falſus SALMASIVS, qui mancipationis & remancipationis nomina in pignoribus nuſquam, in venditionibus tantum uſurpata garrit. Falſiſſimum, in fiducia mancipationem non factam pure, & in præſenti, ſed in diem factam? Quid? actusne legitimos diem ſuſcipere? quid denique legi commiſſoriæ cum fiducia? Sed non opus eſt diutius his immorari, cum præſertim iam dudum viri erudititſſimi circa unam fiduciæ materiam errores non minus ſedecim graviſſimos Salmaſii computauerint.

SALMASIVS ſedecies errat circa Fiducias.

CAP. III.

Quibus modis pignus olim creditor non poterat recipere.

VIII.

Aliæ factorum ſpecies quibus pi-

PORro non ſolum id genus pignoris quæ fiducia dicebatur, ſtatim ab initio ita contrahi poterat, ut dominium in

in creditorem iret, ſed etiam aliis cauſarum figuris id agebatur ex poſt facto, vt debitor pignus ne reciperet. Et primo offert ſe ſpecies in *l. 1. C. de pact. pign.* qua niſi intra certum tempus pecunia mutuo accepta ſolueretur, ceſſurum ſe creditori hypothecam promittit debitor. Quod pactum cum pacto commiſſorio non eſt confundendum. Quod facit poſt alios CARPZOVIVS *L. V. Reſponſ. 12. n. 18.* DN. RICHTERVS *ad h. l. n. 5.* cum Pragmaticorum aliis, ſolenni errore confundentes hæc duo: *pignus creditorem vendere poſſe; & pignus creditori emtum dare.* Neque enim per hoc, quod ceditur hypotheca creditori, res debitoris creditori committitur, id eſt, in commiſſum cadit: ſed hoc agitur, vt creditori ſine denunciatione liceat pignus vendere. Cedere enim hypotheca non eſt facere, vt creditor ejus dominium conſequatur, quod fit lege commiſſoria: verum, vt debitori eius luendi amplius non ſit poteſtas. Quare recte CVIAC *l. 1. C. h. t.* hoc pacto id agi, ut ad diem dictum non ſoluta pecunia creditor pignus ſuo iure diſtrahat, non vero vt id habeat iure emtionis pretio compenſato cum debito, & ſuperfluo redhibito. Nullo modo igitur agitur, vt venditum ſit creditori vel in ſolutum datum pignus pro pretio arbitrio boni viri determinando, quod vult tamen etiam DN. BRVNNEM. *ad d. l. 1.* (gnus debitor non reciperet.) (Quid ſit, cedere hypotheca.)

IX. Eſt tamen talis ſpecies in *l. 16. §. ult. ff. de Pignorib.* ubi ita pignoris vel hypothecæ obligatio facta eſt, ut ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, iure emtionis poſſideat creditor rem iuſto pretio æſtimandam. Quæ ſpecies commiſſoriam nec ipſa continet, ſed eſt venditio conditionalis. Non enim res ſimpliciter creditori committitur, & eius fit, uti fit commiſſoria, ita ut pignus in vicem crediti pleno & abſoluto iure acquiratur: ſed ab initio hoc agitur, vt res hac conditione, ſi debitor ad diem non ſoluerit, tanti ſit emta creditori, quanti pignus iuſto pretio ſuo die æſtimabitur. At vero, ut dixi, in Commiſſoria non id tantum vertitur, vt debitor pignus ſuum amittat, ſed & id, vt creditori ipſi vi huius legis pignus pleno iure committatur, acquiratur, & a debitore in eum transferatur. Errat igitur & hic CARPZOVIVS cum turba (Alia ſpecies, qua pignus retinet creditor.) (Legis commiſſoriæ effectus.)

Digitized by Google

turba forenſi, quod pactum commiſſorium tacite ineſſe credit huic ſpeciei, & tantum propterea non inutile eſſe, quia non ſubſit deceptio in pretio. Rectius DN. IOANNES PHILIPPI in Eclogis ſuis *p. 356. n. 13.* agnoſcens hic minime ſubeſſe commiſſoriam, ſed emtionem conditionalem ex pacto adiecto, de quo iam dixi.

CAP. IV.

De lege commiſſoria plenius.

X.

ACcedamus ad Legem Commiſſoriam, quam Conſtantinus in pignore ſuſtulit *l. 1. C. Theod. de Commiſſoria reſcindenda l. vlt. C. Iuſt. de pact. pign.* Conſtantinus, inquam. Sed primusne? an & antiquo iure iam olim prohibitam? Sane primus ille. Quod probatur ex PAVLI *libris Sententiarum*, vbi titulus eſt *de Lege Commiſſoria,* non certe vt damnata ſed licita. Deinde probatur ex ipſa *l. ult. C. de pact. pign.* vbi ait Conſtantinus, ſe pactum hoc improbare, non quia iure veteri prohibitum, ſed quia creuerit eius aſperitas. Denique apparet, hoc ex reliquis huius conſtitutionis partibus ſeu capitibus, puta ex *l. un. C. Theod. de infirmand. pœn. cœlib.* ex *l. 3. ad SCtum Claudian.* & *l. 3. de Exact.* quæ omnes vnius conſtitutionis partes ſunt, ſub vno titulo Codicis Theodoſiani, in quibus, imprimis autem *l. vn. de infirm. pœn. cœlib.* non agitur de iure veteri deſueto in vſum reuocando, ſed de veteri iure hactenus frequentato, nunc primum abrogando.

XI. Non obſtat, quod in *l. 38. in fin. ff. de Minor.* habetur, legem commiſſoriam imperatori, nempe Antonino Caracallo, diſplicuiſſe. Loquitur enim Paulus de lege commiſſoria in venditionis contractu, nec omnino tamen improbata Caracallo, verum in ſpecie illius legis duntaxat quæ tam præceps contractui adiecta fuerat, ut recte IACOBVS GOTHOFREDVS. Sed huic ſententiæ ſe opponit IACOBVS MAESTERTIVS *tract. de Lege Commiſſoria Quæſt. 5.* Et (I) propter *l. 34. ff. de Pign. act.* in qua non putat aliam ſubeſſe dubitandi rationem, quam quod videbatur pactum in legem commiſſoriam, quæ in pignoribus

Mæſtertius refutatur.

gnoribus improbata eſſet, incidere. Quæ vero cum in caſu Marcelli ceſſaret, reſponſum ibi fuit, conuentionem ſubſiſtere. Sed hæc ſi dubitandi ratio fuit, oppido quam inepta fuit. Nam lex commiſſoria vt ſit, non ex interuallo, ſed ſtatim initio contractus apponi debet, pretiumque eius eſſe eadem quantitas, quæ debitori fuit credita. Hæc vero conventio dudum poſt contractum pignoris acceſſit, nec quicquam aſperi continebat, vt loquitur de lege commiſſoria *l. vlt. C. de pact. pign.* ſed eo tempore interpoſita fuit, quo neceſſitas pecuniæ mutuo ſumendæ creditorem non ſtrangulalabat. Sed nec quantitas crediti pretii loco in hoc caſu fungi potuit, cum JCtus expreſſe dicat, conuentum fuiſſe, vt certo pretio fundus creditori eſſet emtus. Quin igitur hæc dubitandi ratio fuerit, quod debitor putarit, pignore iam vendito & dominio translato ſibi adhuc integrum eſſe, vt ſortem & uſuras offerret, venditionemque reuocaret. Cum tamen tamdiu duntaxat ius offerendi locum habeat, quamdiu pignus duret. Quod vero durare amplius non poſſit, poſt acquiſitum dominium creditori *l. pen. §. 1. ff. de Except. rei iud.* Sed relinquemus iſtam quæſtionem, & reliqua argumenta MAESTERTII ipſi diſputationis aciei reſeruabimus.

XII. Vt ergo ad fiduciam redeamus, conſtare ex his iam poteſt, male eam cum lege commiſſoria confundi. Quare nec a Conſtantino potuit aboleri *in l. vlt. C. de pact. pign.* vbi commiſſoriam in pignore abolet, quod tamen CVIACIO videtur. Nam & diu poſt Conſtantinum fiduciæ ſit mentio, vti apud AMBROSIVM *in Tobiæ C. 12.* & SIDONIVM APOLLINAREM. Verum etiam ab Honorio Imp. in *l. 9. C. Theod. de infirm. his quæ ſub Tyran.* Quare recte concludere mihi videor, quod de fiducia in Pandectas & Codicem a Iuſtiniano nihil relatum ſit, id non ea factum eſſe ratione, quod lex commiſſoria a Conſtantino ſublata fuerit, verum quod mancipationum ſoleniaque in fiducia interveniebant una cum ipſa rerum mancipi & nec mancipi differentia & aliis fiduciariis actibus & mancipationibus a Iuſtiniano fuerit ſublata, vt bene diſſerit IACOBVS GODOFREDVS. **Fiducia a Conſtantino non abolita.**

Nnnn CAP. V.

CAP. V.
De iure Saxonico circa pignus.
XIII.

Iure Saxonico dominium pignoris tranſit in creditorem.

EX his itaque conſtat, quam minime repugnet naturæ pignoris, ſi id agatur, vt dominium in creditorem transeat. Quod ſi fieri potuit, fauente Iurisprudentia Romana, quid eſt, quod interpretes noſtri ob hanc cauſam tantopere arietant ius noſtrum Saxonicum? Quaſi quod Romanis ſtatuere licuit, id minus Saxonibus licere debeat. Ita vero ſtatuit Saxo, vt habet *Landrecht L. II. Art. 24.* ibi: *ein ieglich Mann mag ſeines Guths mit Recht wohl ohnig und loß werden, als ob er verkaufft, verſetzet etc.* Textus Latinus; *vnus quisque poteſt ſua bona etiam iure amittere ſeu alienare, ſi ab eo obligentur.* Quam diſpoſitionem Saxonicam fruſtra quidam iniquam neque ulli genti probatam fuiſſe ſibi perſuadet. Et ſi maxime Hebræorum, Athenienſium, Viſigothorum, Longobardorum, Burgundionum, Alemannorum, ad quas prouocat, leges aliter ſtatuant, non tamen inde efficies, ne ius Saxonicum ſit rationi conſentaneum. Et tamen de plerisque hisce gentibus non video probatum eſſe, quod debebat probari. Sane *Exod. 22. verſ. 26. & 27.* agitur non de pignore quolibet, ſed veſtimenti, eiusque vnici, quod ſit tegumentum cutis ſuæ & in quo dormiat. Quæ circumſtantiæ propriam decidendi rationem habent. Non ergo ſequitur: Integumentum corporis, & quidem vnicum, in quo dormiat, debitori eſt reddendum. E iure diuino nullo caſu poteſt creditori res in fiduciam dari. Eadem ratio eſt de ceterarum gentium ſtatutis, quorum etiam pleraque id non probant. Imprimis Longobardis fiduciam non fuiſſe incognitam nec inuſitatam docet lex eorum tertia in fine *L. II. T. 15.*

Defenditur I. Saxon.

Saxonibus & aliis populis placuit contra tertium poſſeſſorem actionem pro pignore non dare.

XIV. Cum itaque iure Saxonico dominium pignoris in creditorem tranſeat, iuris conſequentia etiam fit, vt debitori contra tertium poſſeſſorem neque perſonalis, neque realis actio concedatur, pro repetitione pignoris, etſi per Conſtitutiones Electorales aliud ſancitum. Neque ſolis Saxonibus ita placuit in pignore, ſed plurimis gentibus aliis ex quolibet contractu

Digitized by Google

contractu, vt non temere aduerſus tertium poſſeſſorem actionem porrigant. Ita ſtatuto Vltraiectenſium, ſi rem mobilem commodaueris, locaueris, isque vendiderit tertio bona fide accipienti, tranſit in accipientem dominium, denegata tibi rei vindicatione, vt vt absque tua voluntate alienata fuerit. ANT. MATTHÆI *Parœm. VII. pag. 222.* quod & Lubecæ & Hamburgo, illuſtribus ciuitatibus placuiſſe tradit Mæuius *L. III. ad Ius Lubecenſe. Art. 2. §. 1. & 2.* vbi rationem huius iuris axiomate Iurisprudentiæ Lubecenſi proprio niti ait: ***Hand muſs Hand wahren.*** Item: ***Do iemand ſeinen Glauben gelaſſen, do muſs er ihn wieder ſuchen,*** id eſt, cuius ſemel quis fidem ſecutus eſt, res ſuas ei tradendo, eum in repetitione huius rei ſequi ſeu conuenire neceſſe eſt. Idem placuiſſe in rebus locatis & commodatis Ruremundanæ Tetrarchiæ, & Antverpienſium ciuitati teſtatur idem ANT. MATTHÆI *d. loco.*

XV. Sed quorſum iſta vbi ***de Oppignorationibus Imperialibus*** erat agendum? Nimirum ita munienda nobis fuit via, vt eo facilius cum de ſenſu ***Capitulationum Cæſareanarum***, in quas ſe obligant Imperatores noſtri, tum ***Pacificationis Weſtphalicæ*** iuſtitia conſtare, quibus locis de oppignorationibus rerum Imperii agitur, poſſit.

CAP. VI.
De oppignorationibus rerum imperii prohibitis.

XVI.

VT ergo iam tandem dicamus, quod ille ait, de tribus capellis, agemus de oppignoratione, per Capitulationes Cæſareas prohibita. Verba Capitulationis Caroli V. ita habent art. 9. ***Zu dem und inſonderheit ſollen und wollen Wir dem Heil. Römiſchen Reich und deſſelben Zugehörungen, nicht allein ohne Wiſſen, Willen und Zulaſſen gemeldter Churfürſten ſämtlich, nichts hingeben, verſchreiben, verpfänden, verſetzen, noch in andere wege vereuſſern oder beſchweren, ſondern uns auch aufs hœchſte bearbeiten und allen mœglichen Fleiſs und Ernſt fürwenden, dasienige, ſo davon kommen, als verfallen Fürſtenthumen, Herrſchafften, und andere, auch*** confiſcirete ***merckliche*** **Oppignoratio rerum Imperii prohibita.**

 Güter,

Güter, die zum Theil in anderer fremder Nation Händ ungebührlicher Weiß gewachſen, zum förderlichſten wieder darzu bringen, zueignen, auch dabey bleiben laſſen, doch männiglich an ſeinen gegebenen Privilegien, Rechten u. Gerechtigkeiten unſchædlich. Summam huius §. eleganter & conciſe more ſuo ſic reddit SLEIDANVS *Commentar. L. I.* Facultates Imperii neque diſtrahat neque oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat, & quæ ſunt ab aliis nationibus occupata vel ab Imperio diuulſa bona primo quoque tempore recuperet, ſic tamen ne quid fraudi ſit illis, qui vel priuilegio vel iure nituntur.

CAP. VII.

De Rebus Imperii.

XVII.

Circa hanc prohibitionem de tribus agendum; Cui & quid prohibitum. Res Imperii quotuplices. Res priuatæ.

Vbi tractandum, cui, quas res & quo alienationis titulo interdicatur alienare. Cui interdicitur, vno verbo expediri poteſt; Imperatori Romano-Germanico. Quid ergo? Res, nimirum, Imperii. Illæ autem non ſunt unius generis, quædam enim ſunt in patrimonio principis, quas res priuatas appellant Romani. Inde comes rerum priuatarum *paſſim in vtroque Codice.* Priuatum ærarium *l. un. C. Theod. Qui a præb. tiron.* priuatæ largitiones *l. vlt. C. Theod. de Incorporat.* dicebantur etiam priuata, abſolute. *l. vlt. C. Theod. de Locat. fund. l. 120. C. Theod. de Decurion. l. 49. de Appellat. l. 18. de Palat. ſacr. larg. C. Theod.* item res cæſaris. Et vt Honorius & Theodoſius in *l. 9. C de Iure Fiſci* res dominicæ. Capitulares Caroli M. reddunt proprium dominicum *L. IV. c. 34.* THEODORETVS *L. III. c. 12.* Ἐλπίδιος τῶν ἰδίων τοῦ βασιλέως χρημάτων τε καὶ κτημάτων τὴν ὑγεμονίαν πεπιστευμένος. Κόμητα δὲ πριβάτων τὸν τοιοῦτον προσαγορεύειν εἰώθασι ῥωμαῖοι Græci *L. VI. Baſilic.* τὸν Κόμητα τῆς ἰδικῆς περιουσίας, τουτέστι τὸν φροντίζοντα τῶν πραγμάτων, τῶν ἀφορισμένων εις τὰς ἰδίας χρείας τοῦ βασιλέως. Nimirum omnes illæ res, quæ in priuato principis cuiusuis patrimonio ſunt, non quatenus eſt princeps, ſed vt eſt Carolus, Ludouicus, Leopoldus, & quæ vel a maioribus per hereditates, contractus, iure belli, vel aliis modis ſibi acquiſiuerat.

De

De his EGINHARDVS in vita CAROLI, de Hilderico, vltimo e Merouingis rege. *Cum præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii poſſideret, quam vnam & eam perparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat.* THEGANVS in vita LVDOVICI I. *Erat Imperator in tantum largus, vt villas regias, quæ erant ſui, & aui & tritaui fidelibus ſuis tradiderit in poſſeſſiones ſempiternas.*

XVIII. Quædam vero res & bona ſunt Fiſci, quæ principi ad tuendam dignitatem & maieſtatem imperatoriam ſeruiunt. Romanis res ſacri ærarii, largitiones ſacræ, theſauri maieſtatis imperatoriæ. *l. 2. C. de Palat. ſacr. larg. l. 1. C. de Quæſtor. l. 2. C. Vt dign. ord. ſeru. l. 3. C. Vbi Senat. vel Clariſſ. Zoſimus*: Πετρώνιος ὁ τῶν θησαυρῶν προεςώς. Iulianus Imperator in Miſopogone: *οἱ ἐπιτροπεύσαντες τοὺς θησαυροὺς ἡμοῦς.* IVLIVS FIRMICVS *L. III. C. 8.* qui omnes reditus regios theſaurosque ſuæ habent fidei commiſſos. Res fiſci.

Sanctarum digeſtus opum partæque per omnes
Diuitiæ populos

ut loquitur PAPINIANVS *L. III. Syluarum, in lacrymis Etruſci.* Sacras opes orbisque tributa appellat CLAVDIANVS, in Panegyrico de Manlii Theodori conſulatu. HOTTOM. *Franco-Gallia C. 8. & L. 1. de antiquo iure Regni Galliæ C. 8.* vbi ita ſcribit: *Sciendum eſt antiquitus inſtitutum fuiſſe, vt Francorum Regibus non modo fiſcalia illa iura, qualia Romanis Imperatoribus conceſſa erant, verum etiam certa fruenda prædia ad regiam ſuam dignitatem tuendam aſſignarentur, quæ barbaro vocabulo DEMANIVM Regium appellantur, plerumque autem DOMANIVM. Eſt enim Domanium Regium quaſi Dos regni, quomodo Veteres dicebant dotem prædii, ſiue vt planius loquamur, quaſi quidam vſus fructus certarum poſſeſſionum regi ad tuendum dignitatis ſuæ ſplendorem attributus.* Hæc HOTTOMANNVS. Quamuis non neſciam aliter ab aliis *Domanium* accipi.* Domanium.

CAP. IIX.
Ad quas res capitulatio pertineat.

XIX.

Res priuatæ poterant alienari.

EX duobus hiſce rerum generibus, quorum alterum recte res imperatoris, alterum res imperii, vt Galli res Coronæ, dixeris, non videtur prohibitio Capitulationis ad prius genus pertinere, quippe quod pleno iure imperatoris eſt, ideoque plenam & ſummam ipſius pro ſua voluntate alienandi poteſtatem habet. De poſteriori genere iam videamus.

Poterant & res fiſcales,

Sub regibus ſeu imperatoribus ante interregnum Francicis, Germaniæ imperantibus, quin licuerit regi has quoque opes pro vtilitate regni alienare quo minus dubitem, facit quod tum temporis omnia prædia, quæ priuati poſſidebant non minus, atque de rebus principis dictum, aut propria erant aut fiſcalia. Propria ſeu proprietates dicebantur, quæ nullius iuri obnoxia erant, ſed optimo maximo iure poſſidebantur, ideoque ad heredes tranſibant.

Bona fiſcalina priuatorum erant feudalia. Alodium quid?

Fiſcalia vero, quæ beneficia, & fiſcalina bona appellabantur, concedebantur ita a rege, vt certis legibus ſeruitiisque obnoxia cum vita accipientis finirentur. Et prioris generis prædia Teutonico nomine *Alode* dicebantur, liberi iuris prædia, quæ nec fidem nec penſitationem deberent, ad differentiam beneficiorum fiſcalinorum, quæ citeriori tempore *Feoda* & *Feuda* dici cœperunt. *Vid. L. II. Capitular. C. 132. L. III. C. 20. L. IV. C. 28.* IOHANNES OCTAVVS Pontifex Ludouico regi *epiſtola 139.* de Boſonis filialibus, vt eis bona paterna redderentur: *Et pro noſtro amore integriter ipſas proprietates, quas Vos* Alodes *dicitis, reddat.* Sic quoque hereditas paſſim *Alode* dicitur. *Lege Salica Tit. 62. Lege Ripuariorum Tit. 58.* MARCVLFVS *L. II. C. 7.* Vide LINDEBROGII congeſta in *Gloſſario LL. antiquarum*, voce, *Alode*, LYDIVM *ad* CLEMANGEM *gloſſario*, BIGNONIVM *ad* MARCVLFVM *p. 251. 252. 272. 273.* WENDELINVM *gloſſario Salico*, LOCCENIVM *antiquitatum Sueo-Gothicarum, pag. 162.* Et hæc eſt orthographia vocis, quæ tot locis veterum ſcriptorum, quotquot hanc vocem adducunt, probatur.

Limneus notatur.

Vt mirarer LIMNEVM ad Capitulationem Ferdinandi III.

Digitized by Google

di[illegible]I. *p. m. 715.* ſcribere, *neminem eſſe, qui orthographiam vocis n[illegible]*, niſi ſcirem, LIMNEVM in lectione veterum ſcriptorum non fuiſſe verſatum, & ſiquidem eos quandoque citat, vel ex recentioribus deſcripſiſſe, vel ex indicibus hauſiſſe. Sed nec ratio eius ſana eſt. Quot enim vocum orthographia explorata eſt, quarum deriuationem & vim non magis inde intelligamus. Mihi videtur vox eſſe compoſita, ex *Ael*, quod etiamnum durat pro quo hodie *Alt*, & ex *obd, oed, od, poſſeſſio bona*, quod hodie *Goed, Gut*, vt ſit, *ein alt-vaeterlich, Gut, Erb-Stamm-Gut.* Hæc enim propria vocis & originaria ſignificatio, qua cæteris bonis, vt vt non minus propriis opponitur apud ſcriptores, vide MARCVLFI *formulas L. II. C. 4. 6. & 9.* Itaque comparatis & adquiſitis bonis opponitur *L. II. C. 7. tam de Alode, aut de comparato, vel de quolibet attracto. C. 12. tam de Alode paterna, quam de comparato.* Incerti auctoris formulæ LXII. *tam quod Alode Parentum, quam ex meo contractu mihi obuenit.* Et cap. 49. *Formul. Roman. cap. 14. & 38.* Sed tandem & bona comparata cœperunt *alodia* dici, & generaliter omnis proprietas, vt obſeruat ad *capitula* FRANCISC. PITHOEVS. Quemadmodum itaque nomine *Alodii* res ſingulorum propriæ, ita Fiſcus, ſeu fiſci nomen tum temporis vſurpabatur, pro bonis a fiſco profectis, & regis liberalitate alicui in beneficium conceſſis. Childebertus rex apud AIMONIVM *L. II. C. 20. Baſilicæ Sancti Vincentii Martyris Fiſcum Iſciacenſem concedit.* SANGALLENSIS *L. I. C. 14. cum illo fiſco, vel curte, illa Abbatiola vel Eccleſia, tam bonum vel meliorem vaſallum fidelem mihi facio.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad annum DCCCLXXXVI. *Perſuadet, vt ab Imperatore Imperiales fiſcos ad libitum ſuum ſibi addi peteret.* Et anno DCCCXC. *Arnulfus patruo ſuo, ex Imperatore etiam neceſſariis egenti fiſcos in Alemannia delegauit.* MARCVLPHVS *L. I. C. 2.* in formula conceſſionis Regiæ; *Aut ſuper proprietate, aut ſuper fiſco.* Iunge *Capitul.* CAROLI *L. III. C. 82.*

Item Arnolphus Epiſcopatui Eichſtadienſi monaſterium *Haſenried* donauit.) Hæc quæ uncis ſunt incluſa, deſunt in editione Gieſſenſi.

CAP. IX.

Digitized by Google

CAP. IX.

Res Imperii olim alienari potuiſſe.

XX.

EX quo apparet, etiam illa bona, quæ pro tuendo ſtatu reges poſſidebant, alienari & in beneficium, ſeu feudum dari potuiſſe. Quis dubitet, quin & oppignorari? GREGORIVS TVRONENSIS *L. IX. C. 38. Sunneſigillus & Gallomangnus, priuati a rebus, quas a fiſco meruerant, in exilium retruduntur.* Capitulares Caroli M. *L. III. C. 19. Auditum habemus, qualiter & Comites & alii homines, qui noſtra beneficia habere videntur, comparant ſibi proprietates, de ipſo noſtro beneficio.*

Sub Impp. Saxonicis magiſtratuum officia patrimonialia facta.

XXI. Haud ſecus ſub imperatoribus Saxonicis ſe rem habuiſſe, imo magis auxiſſe inde arguitur, quod ducibus & comitibus imperii, qui hactenus nudi magiſtratus fuerant, ducatus & comitatus cœperint ab imperatoribus in feudum dari. Ita enim B. RHENANVS *L. II. Rerum Germanicarum p. m. 181. Primus ſub veteribus Francis liberæ poteſtatis Dux fuit in Saxonia Henricus Ottonis pater, qui poſtea Germanico regno præfuit. Idque eam ob cauſam, vt Sclauinos arceret, diligentius autem cuſtodiuntur, quæ propria ſunt. Nec hoc ius cuiquam aliorum Præſidum conceſſum eſt. At ſub Saxonibus libertatem nacti ſunt non ſolum prouinciarum gubernatores, ſed & ciuitates ipſæ. Nam vt quæque plus bonorum quæ ad regnum pertinebat, habuit; ita maturius & facilius ad libertatem peruenit.* MÜNSTERVS rerum Germanicarum ſcriptor ſcientiſſimus hac de re ita: *Bey Zeiten* Ludouici III. *welcher regieret Anno 903. und vor derſelben Zeit ſeynd Hertzogen, Marggraffen, Pfaltzgraffen und Ritter nur Nahmen der Aemter geweſen, und nicht erbliche Herrligkeiten. Die Hertzogthum und Graffſchafften waren nicht der Hertzogen und Graffen, ſondern des Reichs König und Kæyſer. Unter* Cunrado *dem Erſtem iſt Hertzog Heinrich von Sachſen, ſo man nennet den* Vogler, *das Hertzogthum in Sachſen zu einem Erblehn gegeben, auf daß Er deſto fleiſſiger wære zu ſtreiten wider die* Obotritos *und andere Unglæubige. Nachmahls hat* Otto *der Erſte und ſeine Nachkommen die obgedachte Aemter und Oerter zu*

Erb-

Erblehn verliehen, und biſsweilen für eigen vergabet. Alſo ſeynd mehrentheils die Hertzogthüme und Graffſchaften des Reichs Erblehn worden, etliche auch zu eigen. Es haben doch die Könige und Käyſer viel Städte, Thäler, Gründe und Dörffer ihnen und dem Reich vorbehalten, und gleicher weiß wie die Könige und Käyſer in Teutſchlanden haben hoch begabet die Fürſten und Herren, alſo haben ſie auch nachmahls aus ſonderbahrer Gnade und Mildigkeit gefreyet die alte Städte, des Reichs Thäler und Flecken, denſelben vergönnet eigene Regirung, desgleichen einen mercklichen Theil der Zoll, Ungeldes und anderer Gefälle ihnen zugeſtellet. Confer VADIANVM *de Collegiis & Monaſteriis* L. *II.* STVMPFIVM *Rerum Helueticarum* L. *IV. C. 50.* LEHMAN. *Chron. Spir.* L. *IV. C. I.*

XXII. Hoc autem genus contractus, quo res in feudum datur, utique in alienationem incidit, ſiquidem vaſallo aliquod dominium, quod appellatur *vtile*, a *directo* diſtinctum tribuamus. Quomodo enim dominus in alium dominium, quantumuis *vtile*, transferre poteſt, vt non alienet? Licuit ergo ſub imperatoribus Saxonicis alienare res Imperii. Ergo & oppignorare. Gerlaco Archiepiſcopo Otto filius Henrici Ducis Brunſuicenſis vendidit *Duderſtet.* SERAR. *p. 859.* Et Daniel Archiepiſcopus Moguntinus Comitatum Reineccanum iure feudi caduci, & Kœnigſteinianam ditionem titulo beneficii Cæſarei: Archiepiſcopus Colonienſis a Friderico I. Imperatore Ducatum Angriæ & Weſtphaliæ accepit. MÜNSTER. *Coſmogr. p. 500.* Archiepiſcopo Treuirenſi Henricus VII. Imp. Boppardum & Veſaliam oppignorauit. Henricus II. Imp. anno 1004 donauit Dogano Archiepiſcopo Magdeburgico *Gibichenſtein* cum pertinentibus ſeptuaginta pagis & ciuitate Halla & ſuburbio *Glauche, Neumarck, Lebekun, Conra.* Epiſcopatus Bambergenſis ab Heinrico II. Imp. exſtinctis Comitibus Bambergenſibus poſſeſſionem ſuam accepit. Epiſcopus Herbipolenſis iurisdictionem foreſtalem cum iure venandi in ſylua *der Steigerwald* impetrauit. Henricus II. Imp. dedit huic Epiſcopatui *Brüxel* & *Kodenfels.* Idem Henricus II. Imp. Meinwerco Epiſcopo Paderbornenſi mortuis Comitibus Comitatum Werberg donauit. CRANZ. *Metropoli L. IV. C. 4.* Et anno 1011. Comita-

Ergo licuit alienare res Imperii. Exempla alienationum ab Impp.

Digitized by Google

mitatum Hahold. HOPENREICH *im Stammbuch p. 54.* Epiſcopo Tridentino donauit Imper. Conradus II. Comitatum Tridentinum, cum valle venuſta, vt & oppidum *Bozen.* Epiſcopatum Baſileenſem Henricus II. Imperator terris, arcibus & oppidis dotauit. Carolus IV. Imp. Comite Strombergenſi bannito ditionem Stromberg dedit Epiſcopo Monaſterienſi HAMMELMAN. *in Deſcrip. Weſtph.* Otto I. Ludolfo Epiſcopo Curienſi anno Chriſti 959. dedit mediam partem ciuitatis Curienſis, totum telonium, parochias S. Martini & Hilarii & ſacellum Carpophori in Thrimmis. Hildebaldo Epiſcopo Otto I. largitus eſt anno 980. penſionem vectigalium pontis Clauennenſis in prægallia perpetuo poſſidendam. Reinerus ab Ottone IV. regalia accepit, Fridericus II. Imper. de Comitatu *Neuburg* & *Scharding,* vt imperii feudis Ottonem ducem Bauariæ inueſtiuit, deditque eundem Comitatum cum *Freiſtat* & *Riet,* Rudolfus Imp. in dotem filiæ ſuæ nuptæ Henrici ducis filio Ottoni duci Bauariæ. Fridericus I. pagum *Kebdorff.* donauit. Epiſcopus Spirenſis ex munere Henrici III. Imp. *Rotenfels*; Heinrici IV. *Weiblingen* & *Herpheim* accepit. Epiſcopatus Ratisbonenſis ab Ottone III. Imperatore habet oppidum Pechlarn ad Danubium inferiore Auſtria. Comites Palatini ab Imperio oppignorationis iure poſſident *Lautern, Oppenheim, Nierſtein, Odernheim, Ingelheim,* & *Anweiler.* Maximilianus I. Imperator poſt bellum Bauaricum loco impenſarum Ducatum Neoburgicum addixit Ruperti Comitis Palatini filiis. Ciuitatem *Leiſsnick* cum toto diſtrictu Henricus IV. Imper. donauit Comiti Wiperto de Groiz, cumque Imperator Alſtedii comitia habuiſſet, reditus annuos in feudum dedit eidem Wiperto, ad trecentas auri marcas & tradidit arcem Dornburgenſem cum omni pertinentia. *Chronicon Pegauienſe.* Torgauiam Adolfus Imp. eripuit Comitibus de Torgau, vendiditque Anhaltinis, a quibus peruenit ad Fridericum Thuringiæ Landgrauium. ALBIN. *in Chron. Miſn.* Ciuitatem Culmbacenſem, Hoff, Ludouicus IV. Imp. conceſſit Friderico II. Burggrauio Noribergenſi, a quo accepere Domini de Weida PECCENSTEN.

Occurritur dubiis, XXIII. Quod vero MATTHAEUS PARIS ad annum MCCX. de Ottone IV. narrat, *quod iuratus Papæ promiſerit iura Imperii*

Digitized by Google

rii diſperſa pro poſſibilitate ſua reuocare itaque per ſacramenta legalium hominum Imperii, dominica caſtella ſua ad dignitatem Imperii ſpectantia perquiri curaſſe, & quæcunque per recognitionem ad ius Imperii ſpectare didiciſſet, in vſus ſuos conuerti, id minime eo pertinere puto, quaſi iamtum imperatori non licuerit res Imperii alienare. Loquitur enim Paris de rebus, non quas imperatores diſtraxerint, ſed quas homines auari, iniuſti, alienorum raptores ad ſe traxerint. Quod & iam olim ſub Carolo M. factum fuiſſe *Capitulares L. IV. C. 34. oſtendunt*, ibi: *Si quis proprium noſtrum, quod inueſtitura genitoris noſtri fuit, alicui quærenti ſine iuſſione noſtra reddiderit, aliud tantum de ſuo proprio nobis cum ſua lege componat. Et quicunque illud ſcienter per malum ingenium acquirere tentauerit, pro infideli teneatur, quia ſacramentum fidelitatis, quod nobis promiſit, irritum fecit, & ideo ſecundum noſtram voluntatem & poteſtatem iudicandus eſt.*

MATTH. PARIS explicatur.

XXIV. Nec magis alienationem imperatorum conſtringit iusiurandum, de quo *Speculum Saxon. L. III. Art. 54. Cum Rex eligitur, iureiurando homagium præſtat, ſe velle Imperii ſecundum ſuum poſſe iura defendere.* Non enim ſequitur: Qui ſacramento adſtringitur defendere iura, illius arbitrio non relinquitur alienatio. Defendere enim iurat non niſi contra iniuſtas inuaſiones, occupationes, poſſeſſiones aliorum, tantum abeſt, vt hoc iusiurandum modum alienationi poſuerit. Sane VRSTISIUS *Chronico Baſilienſi L. II. C. 6.* refert, ſub Imperatore Ottone I. decretum Imperii factum fuiſſe, vt nullum monaſterium priuilegiis conſtructum per manum regiam in proprietatem dare liceret, quamuis monaſteria in dominio imperatoris eſſent. Sed id auctoritate Iuris Canonici religionis, piique loci, fauore factum fuit.

Obiectioni occurritur e Spec. Sax.

XXV. An vero ſolus id imperator potuit, an cum conſenſu ſtatuum? Quod poſterius pleriſque in primis LIMNAEO *ad Capitul. Caroli V. art. VI. n. 5. & 9. ad verb. In ander wege vereuſſern*, & ad Capitulat. Leopoldi *Tom. V. I. P. p. m. 246.* placet. Mihi non liquet. Nec enim ad rem facit, ſi quis obiecerit, quod in Comitiis Herbipolenſibus anno 1216. ſtatutum eſt, nullum principatum poſſe vel debere commutari vel

An Imp. ſolus, an cum Statibus alienare potuit?

 alienari

alienari ab Imperio, vel ad alium principem transferri, ſine voluntate præſidentis principis illius principatus & pleno conſenſu eiusdem miniſterialium. Ex hoc enim colligo, ante hæc comitia id in uſu fuiſſe, hactenus autem per ſanctionem comitialem mutatum, vt in fraudem poſſeſſoris principis & ſine conſenſu miniſterialium poſthac non debeat licere. Ergo principatu vacante, vel feudo ad dominum reuerſo id licuiſſe conſequitur.

XXVI. Porro quod Henricus VI. Herbipolenſi epiſcopo, Auſtriæ & Bauariæ ducibus anno 1220. corporali fide præſtita promiſit, quod nunquam aliqua bona, quæ ab Eccleſia Laureacenſi ipſe poſſideret, alienaturus ſit, obligando, vendendo, vel infeodando, & ſiquidem alicuius ſuggeſtione circumuentus fuerit, quod aliqua bona prælibatæ eccleſiæ quocunque modo alienauerit, id nullum robur firmitatis habere velit, nobis non officit. Id enim eſt ex priuilegio, quod integre ex autographo exſtat apud CRVSIVM *Annal. Suecic. P. III. L. I. C. 5. fol. 19.* Vnde ſequitur, ius commune in contrarium fuiſſe.

Exempla alienationum a ſolo Imp.

XXVII. Nec deſunt nobis exempla quæ ſuppeditat horum temporum hiſtoria. Monaſterium *Alteich*, in ducatu Bauariæ, ad Imperium pertinens, Romanoque Imperatori annuum canonem, quem ſeruitium regale vocarunt, ſoluens, Aduocati eius, Comites de *Pogen* a Romano Imperio in feudum acceperunt, & uſque ad tempora Friderici I. Imperatoris, qui monaſterium vna cum Aduocatia, ob ſuperuenientem inopiam Eberhardo II. Epiſcopo Bambergenſi tradidit, poſſederunt: HVNDIVS *in Metropoli Salisb. Tom. II. ſub. Rubrica Altaich & prima parte des Beyeriſchen Stammbuchs, ſub rubr. Grauen von Pogen fol. 118.* Fridericus I. Abbatiam S. Mariæ in Patauia, cum omni integritate & honore, quo ad ipſum ſpectare dignoſcebatur &c. ad Epiſcopatum Patauienſem Beato Stephano contradicit, tali conuentione interueniente, ut epiſcopus & eius ſucceſſores ipſi, & eius ſucceſſoribus ſingulis annis 40. libras Ratisbonenſis monetæ regio fiſco de eadem abbatia perſoluerent, Monaſterium Vrſpergenſe Philippus imperator Berchtoldo de *Neuffen* oppignorauit VRSPERG *Chron. pag.*

pag. m. 237 CRVSIVS *Ann. Sueuic. P. II. L.* 12. *C.* 45. Fridericus II. Monaſterium Imperiale *Ober-und Nieder-Münſter* in vrbe Ratisbona permutationis contractu vna cum Aduocatia in ciuitatem Nordlingam, oppidum Oringam, eiusque Aduocatiam in Epiſcopum Conradum Ratisbonenſem tranſtulit. *Additionator* HVNDII *in Metrop. Salisb. T. III. rub. Obèr-Münſter zu Regenſpurg.* Arnolphus Imperator & Otto I. Abbatiam Imperialem *Moßburg* in Bauaria Epiſcopatui Friſingenſi. HVND. *Metrop. T. II. rubr. Mosburg. fol.* 504. Henricus IV. Monaſterium Imperiale *Büren* in Bauaria Epiſcopatui Friſingenſi. Fridericus I. Monaſterium *Niedern. Alt-Aich* cum omnibus pertinentiis, cumque Aduocatia & Miniſterialibus Eberhardo, epiſcopo Bambergenſi tradidit. Conradus II. Imperator Erneſto duci Sueuiæ Abbatiam Campidunenſem in feudum dedit. *Wippo in vita Conradi.*

XXVIII. In cunctis hisce alienationum exemplis, ne verbum de conſenſu ordinum adhibito, & mirum ſit, ni unus ſaltem & alter ſcriptorum monuiſſet, ſi neceſſario interponi debuiſſet, eum contra leges vel conſuetudinem fuiſſe neglectum. Inprimis non tacuiſſent clerici hiſtorias hasce tradentes, cum ſatis conſtat, quam ægre tulerint hasce rerum ſuarum alienationes. Porro nec inſtrumentum oppignorationis, quo Ludouicus IV. Imp. Aduocatiam Monaſterii Lindauienſis Hugoni Comiti Brigantino pignori dedit anno 1334. vllam conſenſus facit mentionem. Verba ita habent: *Wir Ludwig von GOttes Gnaden R. K.* &c. *thun kund allen denen die dieſen Brieff ſehen oder hören leſen, daß wir dem Edlen-Mann, Hugen Grafen zu Bregenz und ſeinen Erben die Vogdey vor Lindaw über das Frauen-Cloſter zu Lindaw verſetzet haben für* 200. *Marck Silbers &c.* Anno 1364. Cum Carolus IV. Comiti de *Helfenſtein* oppignoraret Præfecturam, *das Amman Ampt* Ciuitatis Buchauienſis verba inſtrumenti ita habent. *Wir Carle &c. thun kund &c. daß wir mit wohlbedachtem Muthe, mit rechtem Wiſſen, und mit Keyſerlicher Macht zu einen rechten redlichen Pfande eingeſetzet haben &c.* Simile inſtrumentum ſuper alio pignore eiusdem Imperatoris eidem Comiti datum, eadem formula fuit anno 1366. Eadem formula Wenceslai Imperatoris ex-

 ſtat

Digitized by Google

ſtat *über die Kellnhöfe vor Lindaw* 1394. Ruperti Imperatoris 1402. Quæ ſingula & alia AVCTOR *deductionis Lindauienſis* producit. Idem probat Priuilegium Caroli IV. Ciuibus Francofurdenſibus datum, ne liceat vrbem oppignorare, quod exhibet LIMNAEVS *L. VII. Iurispubl. C. 16. n. 14.* Cum Ludovicus IV. Imperator ciuitatem Egram Iohanni, regi Bohemiæ oppignoraſſet, ita ad Senatum & ciues Egranos reſcripſit Anno 1315. *Wir lan euch wiſſen, daß wir durch gemeinen Frommen und Ehre des Reichs, und auch durch Friede und Nutz der Chriſtenheit euch mit gewöhnlichen Dienſt und Unterthänigkeit, die Ihr Römiſchen Reich ſchuldig ſeyd, dem Hochgebornen Iohannes Könige von Böheim, und des Reichs getreuen Fürſten verſetzet haben.*

XXIX. Vnde concludo, pace manium LIMNÆI, qui ſuperſtes pati non poterat, vt quisquam a ſe diſſentiret, ante tempora Caroli V. fuiſſe in Imperatoris arbitrio, res Imperii oppignorare. Et hæc nimirum cauſa eſt, quare omnes Sueviæ ciuitates, vt & quædam ex Rhenanis ſe priuilegio de non oppignorando vel alienando munierint, quod ciuitates cunctæ imperiales in neceſſitatem Imperii ſeruarentur, qua emergente oppignorari inuitæ ab imperatore poterant, ut recte LIMNAEVS ſcribit SPRENGERVS *in Lucerna p. 228.* Neque enim verum eſt, quod ſibi ſumit Limnæus, Imperatorem noſtrum Imperii eſſe nudum tutorem, curatorem, adminiſtratorem, adeo argumentum, quod *n. 2. art. 6. Capitul. Caroli* a tutore pupilli priuati ad rempublicam pupillam nectit, ex arena vinculum eſt. Quod in congreſſu diſputationis amplius excutiemus. Ergo cum Carolo V. cœptum eſt, iure capitulationis, electorum conſenſum requiri. Quærit autem LIMNÆVS *Tom. V. Iurispublici p. m. 246.* an in eiusmodi alienationibus ſuæ quoque refutatur. ſint partes reliquis ſtatibus? Quod affirmat. Ego dubito.

XXX. Quamuis enim perſuadere velit, ac ſi a primis inde Reipublicæ Germanicæ initiis ad omnia ſummæ poteſtatis munia in publicis comitiis proceres omnes ſint tracti, nulla officialibus conceſſa prærogatiua, vsque ad ſeculum decimum tertium: id tamen, quia eſt facti, ſpecifice probare debebat. Neque enim hic concluſiuncula ex generali politica, veriſimilibus

libus & coniecturis effictæ ſufficiunt. In ſpecie, inquam, probandum id erat, de alienatione rerum Imperii particularium. Quod nondum vidi præſtitum. Deinde ponit quidem, at nec probat, rerum iſtarum particularium alienationes eiusmodi eſſe actus, qui ad ſummæ poteſtatis, vt talis, munia pertineant. Sane eſto, reliquos proceres iuri ſuo nunquam renunciaſſe. Obj. At prius erat, vt oſtenderetur, ius aliquod illorum fuiſſe. Longe alia ratio eſt, ſi violata Imperii iura ab exteris fuerint. Si integræ Imperii ditiones inuadantur. Nam cum vindicare ea incumbebat Imperatori, referre ad proceres Imperii eo Reſp. conueniebat, cum vt de ipſius cura & vigilantia conſtaret, tum, vt principes, ſi bello forte agendum, conſilia conferrent. Non ergo propter conſenſum ad alienationem impetrandum, ſed vel notitiæ gratia, vel ob erepta Imperii iura recuperanda, & quod res bellica ad ſtatus æque ac Imperatorem pertineret, ad hos iniuria ab exteris illata referenda fuit. Extra has cauſas, alienatio ad comitia non pertinuit. Quod exteri reges ſibi Inſtantia. ſatis cautum non putarint, ni omnium procerum conſenſus Lim. acceſſerit, ratio nimis debilis eſt. Non enim quæ maioris cau- Reſp. tionis & prudentiæ ſunt, ideo neceſſaria abſolute ſunt. Capitulationis verba, quæ ſolorum conſenſum Electorum poſtu- Obj. lant, tamdiu prout iacent, intelligi debent, donec contrarium liquido probetur. Diſtant enim præconſultatio & conſenſus a ſe multis oppido paraſangis. Si quod aliud ante Carolum V. obtinuit, id probandum eſt, non eſt enim de credendis. Sed hæc in acie diſputationis validius pugnabuntur. Et ſatis eſto de rebus, de quarum oppignoratione agitur.

Iohannes Stravchivs hoc loco magna exemplorum copia ſuffultus operoſe adſtruere conatur, ante Coroli V. tempora res imperii alienare, aut in feudum concedere, in imperatoris arbitrio poſitum fuiſſe. Contra Hermannvs Conringivs aliis argumentis ac rationibus inſtructus contendit, dudum ante Caroli V. ætatem eiusmodi alienationes imperatoribus ſolis fuiſſe denegatas, doctiſſimo *de finibus imperii* tractatu, Cap. XIX. §. 22. De antiquioribus temporibus nulla quæſtio vel lis inter hos

Digitized by Google

hos duumuiros fuit. nam ſub Carolingorum & Saxonum imperatorum temporibus diplomata, & ſcriptores illis coæuos pro alienationum iuſtitia loqui fere creditum eſt. Ego tamen obſeruandum omnino arbitror, a ridiculis, & elumbibus ad hoc probandum argumentis abſtinendum eſſe; in quibus hæc ſunt: Cæſarem eſſe mundi dominum, ac proinde & alienandi facultate non eſſe deſtitutum: Deinde Cæſarem in Italia, Cæſarem in Arelatenſi regno alienaſſe reuera, & potuiſſe alienare:

quod etiam a Strauchio non diſtincte ſatis obſeruatum fuit.

non enim ſi hoc etiam foret euictum ab illis regnis, quæ in pleno Cæſaris dominio eſſe potuerunt, ad regnum præcipue Germanicum nectere conſequentiam licebit. Sueuorum Cæſarum æuo quid licuerit, & an alienationes ſine ſtatuum conſenſu, an cum eorum approbatione factæ fuerint, magis videtur dubium. Conringius vir ſummus præcipuum ſententiæ ſuæ robur in Ottonis IV. iuramento,

quod fecerat, inquit MATTHÆVS PARISIENSIS ad A. MCCX, *cum a Papa ad imperium fuerat ſublimatus, quod videlicet dignitates imperii conſeruaret, & iura diſperſa pro poſſibilitate ſua reuocaret.* Huius ſacramenti memor, ipſi deinde Papæ grauis incubuit, iura imperii ex obligatione ſibi impoſita vindicaturus. Quare idem MATTHÆVS PARISIENSIS reſponſum Cæſaris Papæ non inticere datum hoc modo refert: *Si*, inquit, *ſummus Pontifex imperii iura iniuſte poſſidere deſiderat, a ſacramento quod tempore conſecrationis meæ ad dignitatem imperialem me iurare compulit, me abſoluat; quod videlicet diſperſa imperii iura reuocarem.*

Speculo Saxonico,

Lib. III. Art. 54. *Cum rex eligetur iureiurando imperio homagium præſtet, & iurare debet, ſe velle iuſtitiam confortare, & deſtruere iniuſtitiam, & imperii ſecundum ſuum poſſe iura defendere.* Speculum autem hoc Friderici II. ætate conſcriptum eſſe, CONRINGIVS alibi adſeruit.

& Wenceslai abdicatione ponit, cuius hanc potiſſimum Electores allegarunt cauſſam,

Leguntur hæc in ſententia exauctorationis apud VRSTISIVM Tom. II. e. chronico IACOBI KÖNIGSHOVII translata, p. 180. ſqq.

quod *Complures vrbes terrasque tam in Germania, quam Italia ad Imperium pertinentes alienauerit, parum penſi habens, vt eas retineret, quod pernicioſe mutilaſſet imperium, & mutilum red-*

di

di permiſiſſet, dum ex Vicario imperii creauit Ducem Mediolanenſem. Addiderunt alii decretum Friderici II. in curia ſolenni Herbipoli A. MCCXVI. ex Conſilio Principum emiſſum:

Diploma integrum publicauit HVNDIVS Tom. II. Metropol. Salisburg. *Niedermünſter* p. 591.

quod non liceat vlli Romanorum regi, ſeu imperatori principatum aliquem ab Imperio aliquo modo alienare, ſed omnes imperii Principatus in ſuo iure & honore illæſos obſeruare. Ad quæ dubia quid reſponderit STRAVCHIVS, hic videri poteſt. Sententiam exauctorationis vero intactam reliquit πολυμαθέστατος iurisconſultus, in quo tamen non nihil roboris eſſe CONRINGIVS exiſtimauit. Cui tamen IOANNES GVILELMVS ITTERVS,

De Feudis Imperii p. 351. ſeq.

occurrit, vir rerum patriarum & publici iuris peritiſſimus, diſtinguens, inter poteſtatem ac officium imperatoris. Subinde etenim contingere, vt, qui ſumma in republica poteſtate gaudet, ita ſe gerat, & eorum, quæ exſertis imperii regnique legibus vetita ſunt, nihil quidquam amittat, vtcunque forte officii ratio repugnet. *Finge* enim inquit, *ſumma quantumuis poteſtate præditum principem, qui ad populi ſalutem moderari imperium debebat, cuius tamen liberalitati in fundamentalibus regni legibus nuſpiam modus poſitus reperiatur, inconſultis largitionibus nunc ærarium exhaurire, & alia patrare, quæ in detrimentum reipublicæ cedant, hunc ſane licet in leges fundamentales forte non peccauerit, male tamen adminiſtrationi imperii præfuiſſe, & ſubditis quoque iuſte conquerendi anſam dediſſe, quis neget? Eodem modo imperator, cum imperii ſui rationes ad ciuium vtilitatem atque commodum dirigere teneatur, omnia illa ſummo ſtudio euitare debet, quibus reipublicæ vires franguntur atque eneruantur, aut vincula quoque ciuitatis paulatim laxantur: quod vti diſtractis & ab imperio diuulſis eius terris ditionibusque fieri nemo negat, ita Cæſareni, ſi non diſerta ſanctione, officii tamen ratione, quondam prohibitum cenſeo, ne perquam noxiis eiusmodi bonorum alienationibus rempublicam lacerare debuerit.* Adiicit deinde, *dubium adhuc inter iuris publici ſcriptores eſſe, qua auctoritate ſumta an accepta Electores nonnunquam ſolio deiecerint Imperatores,*

tores, vt ex eiusmodi exauctorationum diplomatibus aut nihil liceat colligere, aut ſaltem non omni exceptione argumentum maius.

BOECLERVS *Notit. Imper. L. IV, c.* 1. aliique exiſtimarunt, exauctorationes omnes rationibus politicis modo huius, modo illius principis, modo ſummi pontificis arcanis conſiliis, modo aperta vi ſubnixas, nullo modo defendi poſſe.

Mea ſic eſt ſententia: Exſtitiſſe iam ante tempora Caroli V. vel legem expreſſam, vel conſuetudinem rationi valde conformem inualuiſſe, de non alienandis imperii rebus. Nimis enim contorta eſt STRAVCHII ad *decretum Herbipolenſe* reſponſio:

Quid enim reſpondere potuiſſet STRAVCHIVS ad chartam Friderici II. quae eſt apud HEDAM *p.* 196. *Cum apud Franckenfort,* inquit Imperator, *in curia ſolenniter indicta præſideremus, per Principes, qui ibidem aderant, talis data fuit ſententia, & ab iisdem approbata: quod nullam auctoritatem, ſiue Warandiam telonii, in damnum vel præiudicium alicuius noſtra præſtare ſecuritas potuiſſet.* Comes certe Gelrenſis telonio ſuper Rhenum hoc modo priuabatur. Quid reponere idem vir clariſſimus quiuiſſet, ſi chartam Friderici I. apud FRIDERICVM A SANDE tract. II. ad *Conſuet. Gelr. p.* 96. legiſſet, in qua ſimilis ſententia in Theodoricum Comitem Cliuenſem fuit pronunciata. Puto ex eadem cauſſa Electores ad Rhenum non ſatis ſibi cautum putaſſe, niſi caput illud de concesſis oppignoratisque ſibi vectigalibus expreſſe in iurata Cæſaris Capitula referretur.

nimis coacta ſpeculi Saxonici explicatio: nimis denique laxa a factis alienationibus ſine concenſu ordinum ad earundem iuſtitiam probandam conſequentia. Non nego Rudolphum, Ludouicum Bauarum, Carolum IV. Wenceslaum, aliosque nulla ordinum mentione iniecta, alienaſſe ſæpe, oppignoraſſe, vendidiſſe: concedo id multis etiam principibus valde vtile fuiſſe, qui ad tantum potentiæ culmen alias vix potuiſſent peruenire: ſed nego tamen ſemper, id ſaluis legibus, ne dicam ſalua officii ratione, fieri potuiſſe. Leue quippe eſt, quod vrgetur, Sueuiæ ciuitates & quasdam Rheni priuilegiis de non oppignorando, vel alienando, ſe muniuiſſe: ergo oppignorare iſtas, ergo alienare ſine ſtatuum approbatione Cæſares potuerunt. Vnicum Francofurtenſibus a Carolo IV. conceſſum priuilegium, (quod eſt apud LIMNÆVM *de Iure publ.* lib. VII, Cap.

Digitized by Google

Cap. XIV, n. 14.) contrarium perſuadet: quo prouiſum eis, *daſſ ſie vor dem Kæyſer und das Reich niemand pfandbar ſeyn ſollen in keinerley Sachen, und daſſ der Kæyſer und das Reich keine Pfand-Brieffe über Sie geben, oder die gegebene Krafft haben ſollten.*

Addi poteſt ALBERTI ARGENTINENSIS notabilis locus apud VRSTIS. *Tom. II p. 161. Et deſcendit rex Moguntiam, comportant cum Gerlaco Moguntino, & capitulo potentium, quod reſtituta ſunt ſibi NOMINE IMPERII Oppenheim, Odersheim, oppida imperialia ſuper Rhenum cum caſtris & villis attinentibus, quæ obligata fuerant eccleſiæ Moguntinæ pro XC. millibus florenorum.*

Hic igitur expreſſa Cæſaris & imperii mentio occurrit, cuius conſenſus vtut requirendus, ab imperatoribus tamen ſæpe neglectus eſt, prout illi vel auctoritate & potentia valde eminebant, vel in Electorum ac Principum fauorem ex imperii patrimonio aliquid decerpebant. Sic nemo muſſitabat, cum Carolus IV. imperii vectigalia Electoribus oppignoraret, vt ſuum eligerent Wenceslaum,

ALBERTVS ARGENTINENSIS ad A. 1376. hæc tantum habet: *Anno Domini 1376. feria tertia, infra hebdomadem feſti Pentecoſtes electus eſt Wenzeslaus filius Caroli Bohemiæ imperatoris in Romanum regem patre ſuo adhuc viuente, & eandem electionem fieri procurante per omnes imperii Electores concorditer, non ſine magna pecunia.* Mutius vero fuſius & explicatius incedit lib. XXV. *Chron. p. 155. Incipit cogitare quo pacto poſſet filium ſuum Wenceslaum regem Romanorum facere; tentat igitur principum Electorum animos muneribus & officiis allicere, ad filium ſuum eligendum. Sunt auctores, qui ſcribunt, ſingulis Electoribus principibus centum millia florenorum promiſſa; poſt electionem vero cum pater Carolus ſoluendo non eſſet, Principibus Electoribus obligaſſe pignoris loco, vectigalia, oppida & telonia imperialia, &c.*

licet nemo non obſtreperet, cum Wenceslaus Galeacium ducis titulo honoraturus ei ſimul Mediolanenſe territorium concederet, venderetque. Si quæras, quo prætextu has domanii ac ærarii publici

Promiſcue hæc in Francis & Germanis vſurpabantur vocabula.

mutationes palliauerint, hic maxime occurrit; non vllam imperii partem hac ratione ab imperio iri ſeparatum, ſed id, quod donatum & venditum intra ſummam imperii iurisdictio-

Digitized by Google

ctionem, nihilominus ſubſtiturum, euidentem ferendi onera reipublicæ rationem, & tuendi imperatorium ſplendorem id ſuaſiſſe. Quæ cauſſa cum in aliis non inualida fuerit iudicata, in Wenceslao tamen illam ferre noluerunt Electores, cum parum ſibi ex illius alienationibus vtilitatis affulgeret; aliæque politicæ rationes iram & auerſionem inſpirarent. Hodie vero poſtquam nihil amplius eſt, quod oppignorari ab imperatoribus poteſt, expreſſis & claris adeo verbis

Vid. Capit. Leopold. & Ioſeph. art. 12. Immo etiam conſilia ſæpe agitata nouimus de reuocandis iis, quæ olim alienata & pignoris obligata fuere. Pertinet eo celebris oratio IVLII PFLVGII, de Republica Romana, quam GOLDASTVS Politicis imperialibus inſeruit, & quæ NICOLAVS CVSANVS L. III. de Concord. Cathol. C. 30. diſſeruit. Nec ignota ſunt, quæ in Weſtphalicæ pacis deliberationibus fuere diſputata. Quæ omnia tamen neque in hoc ſeculo, neque in futuro, hoc eſt nunquam effectum ſortientur.

alienandi licentia eſt reſtricta, vt nemo ſit, qui de eo dubitet aut dubitare velit. GVNDLINGIVS.

CAP. X.
De vera oppignorationis ſpecie.
XXXI.

De titulo alienationis.

IAm, vt promiſimus theſi XVII. de ipſo titulo huius noſtræ alienationis videamus. Sed numquid fruſtra? cum indicem ſui nomen pignoris ſecum ferat: minime ſane. Cum in diſcernenda contractus ſpecie ad intentionem & mentem contrahentium potius, quam ad nomen, quo contractus appellatur, reſpiciendum ſit. *l. fin. C. Quæ res pign. obl. l. 34.* ibi DECIVS *ff. de R. I.* MENOCH. *L. I. de Præſumt. l. 16. n. 7.* Exemplum eſt in *L. 15. §. ff. Loca,* vbi contractus, quo annua penſio remittitur, dicitur & vocatur donatio, cum ſit transactio. Alterum eſt in *L. 6. ff. de præſcr. verb.* vbi contrahentes vtuntur vocabulo, *vendidit,* cum venditio non ſit, ſed articulus do vt facias. Tertium in *l. 21. C. Locati,* vbi locatio vocatur, quæ ſecundum quosdam ſit contractus innominatus. Vide ARVMÆVM *L. II. D. 5. n. 74.* FRIDER. MARTINIVM *de Cenſu C. I. n. 152.* Valde autem dubitant Iurisprudentes, de genere contractus huius

huius, vtrum ſit merum pignus, an cum pacto antichreſeos, an emtio cenſus, an venditio cum pacto redimendi, an peculiaris contractus, quem impignorationem vocari ait MARTINIVS de *iure cenſuum n. 177.* an neſcio quid aliud. Etſi enim vocabula illa, *Pfandſchilling, Pfandſchaffi, Verpfændung*, ſi ad iuris intellectum redacta pignus ſonent, tamen cum proferantur eo modo, in quo interpretatio tam iuris, quam vſus communis loquendi haberi poteſt, tum potius accipienda erit interpretatio communis intellectus, quam iuris. *l. 38. §. 7. ibi* BARTOL. *de V. O.* ROMAN. *Conſ. IV. n. 6.* ARVMÆVS *P. II. D. 5. n. 74.* BESOLD. *Theſ. Pract. rubr. Pfandſchilling.* Non enim quod ſcriptum, ſed quod geſtum eſt, inſpicitur. *l. 3. C. Plus val. quod.*

XXXII. Et primo quidem merum non eſt pignus. Et hoc enim creditor ius percipiendi fructus non habet, adeo, vt ſi abſque domini voluntate ſaltem præſumta, pignore vtatur, furtum committat. *l. ſi pignori. ff. de furt.* PANORM. *c. 1. x. depoſ.* SYLVEST. *verb. pignus.* NAVAR. *Par Decr. C. 17. n. 204.* Et fructus perceptos, vt partem ſortis in ſortem imputare debet. *l. 1. C. de diſtract. pign.* THOMAS AQVINAS *22. Q. 78. art. 2. ad 8.* SVMMENHART. *de Contract. C. 2. concl. 5.* Quare nec pignus dicetur cum pacto antichreſeos. Nam cum pignore non liceat frui ſine hoc pacto, hoc vero, vbi additum eſt, ibi creditor fructus non vt penſionem ſeu reditum, ſed vt partem ſortis accipit, quod non ita fit in *Pfandſchaffien*, palam eſt, nec oppignorationes Imperii pignus antichreticum conſtituere.

Non eſt pignoris contractus merus.

non pactum antichreticum.

In Editione Gieſſenſi hæc adduntur, quæ aſteriſco notaui.

* Cur ita? accipit enim vt reditum, ſed non pro vſu ſortis, ſeu vſura, ſed iure dominii, ita vt in ſortem non imputet. *

XXXIII. WESENBECIVS, qui ICtus Germaniæ κατ᾽ ἐξοχὴν audit, *P. I. Reſponſ. 2. n. 90.* exiſtimat eſſe contractum emtionis venditionis alicuius vrbis, v. g. caſtri, præfecturæ, pagi, villæ, cum pacto retrouendendi. Ita & ZASIVS *Conſ. 12. n. 17.* MARTIN. VRANIVS *T. II. conſ. 6. n. 3. & conſ. 56. n. 5.* WEHNER. *in obſeru. pract. verbo Pfandſchaffi & verpfænden.* Conſilium Acad. Ingolſtad. *tom. 4. conſ. Illuſtr. conſ. 12.* ARVM. *L. II. deciſ. 5. n. 75.* GEORG. EBERHARD.

An venditio cum pacto retrouendendi.

Digitized by Google

BERHARD. *Conſ.54. n. 45.* BESOLD. *theſ. pract. rubr. Pfandſchilling.* MATTH. COLER. *conſ. 27. & 31.* Ego vero ex eo, quod actum eſſe formula concepta tinniat, contractus genus inueſtigandum fore, vt non negem: ſic pignus principaliter & primario contractum eſſe, ſi verbo hoc formula fuerit vſa cenſeo, quamuis emtioni-venditioni quam ſimilimum negocium hoc eſſe fatear. Quisquis enim contractus in eſſentia talis eſſe putatur, qualem figura literarum demonſtrat. BALD. *in c. 1. n. 2. de feud. dato in-uic. L. commiſſ.* Egregie Conſultationes Saxonicæ *L. 1. q. 52.* MYNSING. *Obſ. cent. 6. obſ. 70.* Producemus aliquot exempla formularum, ex quibus conſtet, qui acti ſit. Ea qua Ludouicus Bauarus Aduocatiam Lindauienſem oppignorauit, ita habet: *Daß wir die Vogdey vor Lindaw über das Frauen Cloſter zu Lindaw verſetzet haben für 200. Marck Silbers, alſo, daß er und ſeine Erben die inne haben ſollen und mægen mit allen Rechten, Ehren, Nutzen und Gewohnheiten, die dazu gehærend, und davon gefallen mægend, und ſind die Hæffe zu Reitnau, zu Schœnau &c. als lang wir oder unſere Nachkommen am Reich die vorgenannte Vogdey und Satz durch Recht, dazu gehærend von ihm oder ſeinen Erben umb die 200. Marck Silber gæntzlich wieder erledigen und erlæſen:* Formula Caroli IV. Procuratori Sueviæ Comiti de Helfenſtein edita: *haben ihm zu einem rechten redlichen Pfand eingeſetzt und verſetzt das Amman Ampt in der Stadt Buchaw und die gewæhnliche Steuern, die Sie uns jæhrlich von des Reichs wegen geben &c. umb 3000. Pfund guter Heller, als die im Lande gæng und gebe ſind, und ſoll er und ſeine Erben die vorgeſchriebene Ampt, Steuer, Leut und Gut inhaben und genieſſen, als da vor geſchrieben ſteht, als lang biß daß wir &c. dieſelben Ampt, Steuer &c. umb ſie gelæſen und geledigen.* Ita cum augeretur ſors credita, ita: *daß wir uff die Pfandſchafft, das iſt das Amman Ampt in dem Marckte zu Altorff das Amman Ampt in der Stadt Buchaw &c. mit den gewæhnlichen Steuren, die Sie uns und dem Reich ſchuldig ſind zu geben, jæhrlichen und mit allen Nutzen, die dazu gehæren, die Ihm vormahls von uns und dem Reich umb 3000. Pfund Heller verſetzet und verpfændet ſind &c. &c. 2000. Gülden von unſern ſondern Gnaden und mit rechten Wiſſen drauff geſchlagen*

Eſt pignoris ſpecies.

Probant id vetera inſtrumenta.

und verſchrieben. Geben und verſchreiben auch mit dieſem Brieff, alſo daſs er und ſeine Erben dieſelben Pfandſchafft alſo lang in rechtes Pfandweiſs, ohne allen Abſchlag der Nutz, inhaben, nützen und nieſſen ſoll &c.

XXXIV. Ex hiſce formulis claret, primo pecuniam ſubeſſe creditam, adeo ex mutuo, deinde creditam eſſe, ſub pignore in creditorem translato, tertio, ita translato, vt eius proprium fieret, vel irreuocabiliter; vel reuocabiliter, reſtituto nempe hoc caſu credito, & quarto, proprietate ita in creditorem translata, vt fructus rei pignoratæ ſuos faciat, nec in ſortem cogatur imputare. Nihil hic obeſt, quo minus pignus eſſe poſſit, nempe *Fiducia*. Nam regulariter iure Teutonico pignoris dominium tranſit in creditorem: Iure, inquam, Teutonico, non Saxonico ſolo: ſed & Sueuico. De Saxonico ſupra dictum, de Sueuico vide *ſpeculum Sueuicum c. 311.* Erant enim, ſaltem ſub Imperatoribus Sueuicis, duo regni Teutonici ſumma Prætoria ſeu tribunalia *Reichs Pfaltzen*, Saxonicum & Sueuicum. *Sachſen Sp. lib. 3. c. 64. Schwaben Sp. lib. 1. c. 108.* FABRICIVS *Lib. I. Orig. pag. 80 81.* ALBINVS *in chronico Miſnico T. XV. p. 92. 93. T. XVI. p. 204.* HEIDERVS *diſcurſu von Reichs-Vogdeyen p. 5. 7. 39. 40.* AVENTINVS *L. IV. p. m. 383. n. 30.* Sub Sueuico forum ſortiebantur Germania inferior ſeu Belgica, Lotharingia, Burgundia, & Arelatenſe regnum: Saxonicum forum competens erat, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Poloniæ, Littaviæ, Liuoniæ & Pruſſiæ. Hac de re ita ſcribit GOLDASTVS: *Nach Abſterben Keyſer Friederichs des II. als das Reich viel Iahr ohne einen gewiſſen Kœnig geweſen, auch eine Zeitlang gar œde geſtanden, ward das Reich beyden hohen Pfaltz-Graffen am Rein und Saxen, nach ihren habenden und tragenden Ampt befohlen, der Ertz Pfaltz am Rhein das Keyſerl. Hoff-und Cammer-Gericht, mit ſamt der gantzen Keyſerl. Hoffhaltung, Regalien, und andern Kœniglichen Hobeiten, auſſerhalb der Cron-und Fahnlehn, als den oberſten Richter des Reichs. Schwaben-Spieg. lib. 1. c. 24. §. 2. und lib. 2. c. 144. Gülden-Bull c. 5. in pr. Carolus V. in confirm. der Handlung des Vicariats fol. 242. der Ertz Pfaltz Saxen das Keyſerliche Hoff-Gericht zu Magdeburg. Ibid. und im Weichbild art. 10.*

Nempe ea, quæ in Cod. Theod. Fiducia.

Erant regni Teutonici duo ſumma tribunalia. *Reichs-Pfaltzen.*

art. 10. Quia itaque vtriusque Prætorii & Sueuici & Saxonici ius in eo conueniunt, vt pignoris dominium in creditorem alienatur, conſtabit, opinor, quod probandum ſuſcepimus, contractum non alium quærendum eſſe, quam Fiduciam, vbicunque mentio fit *einiges Pfandſchillings, Verpfændung, Pfandſchafft.*

CAP. XI.
Pignus non ſoli mutuo acceſſiſſe.
XXXV.

Pignus non ſoli mutuo: ſed & aliis negociis accedebat.

SEd id pignus, vt maxime fiebat frequentiſſime in ſecuritatem pecuniæ creditæ: non tamen putandum eſt, ſoli mutuo acceſſiſſe; ſed omni negocio, vbi cautio deſiderabatur. Sic Stratam Montanam Archi-Epiſcopus Moguntinus Dieterus Electori Palatino Friderico oppignorauit, ob præſtitum ſibi auxilium contra Adolfum Comitem Naſſouium, & ſumtus belli, atque proinde ex cauſa mandati, certe Negotii geſti, tam diu poſſidendam donec a ſede Moguntina centies mille floreni refunderentur. Quibus, ſuperioribus annis, refuſis ex diſpoſitione Pacificationis Weſtphalicæ *Art. IV. §. cum autem certæ.* Strata montana ad priſtinum dominium rediit. Similis cauſa hæc fuit. Cum Ferdinandus II. Imperator ſummam imperii bellici nomine ligæ Catholicæ in Bauarum conferret, inter alia conuenerat, vt ſumtus bellici, quos facere oporteret Bauarum, & ſi quid damni faceret, Cæſar ei reſtitueret. Hi ſumtus poſtea computati ſunt in ſummam XIII. myriadum, ſeu millionum Rhenanorum, quos Cæſar Bauaro deberet, & in ſecuritatem Auſtria ſuperior, *Oeſterreich ob der Enſſ* Bauaro pignoris nexu cedebatur. THEATR. EVROP. *Tom. IV. pag. 657.* Idem Ferdinandus II. Ioh. Georgio I. Electori Saxoniæ pro ſumtibus bellicis oppignorauit Luſatiam, quam anno 1635. hereditario iure ei ceſſit.

Strata montana *Bergſtraſſe.*

CAP. XII.
De Codice Theodoſiano.
XXXVI.

ERunt autem fortaſſe, quibus παράδοξον videbitur, ius fiduciæ, quod iam tempore Iuſtiniani exoleuerat, inque

que proprio ſolo natalicio dudum occubuerat, Teutonico ſolo aſſerere, & ex vmbris & cineribus Quiritum reſuſciatum Aboriginibus noſtris vindicare. Sed hi erunt fere, qui hiſtoriam iuris ex fontibus nunquam curarunt imbibere. In quorum gratiam prouinciam hanc in me ſuſcipiam, vt rem ab ouo repetam. Sub Regibus itaque Italiæ Gothicis, in Italia vim legis obtinuit ius Codicis Theodoſiani, Caſſiodoro totas ferme inde conſtitutiones referente. Vide IAC. GODOFREDVM *prolegom. ad Cod. Theod. pag. 191.* qui per partes oſtendit, vſum huius Codicis in Oſtro Gothis. Nam & Theodorici Edictum, quod 154. capitibus conſtat, totum ferme exinde collectum eſt, vt ipſemet teſtatur in fine eiusdem GELASIVS P. R. in decreto Iuonis *part. 1. c. 18.* ad Theodoricum: *Certe eſt magnificentiæ veſtræ leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum cuſtodiendas eſſe præcipit, multo magis circa beati Petri Apoſtoli ſedem pro ſuæ felicitatis augmento velle ſervari.* Vbi per Leges Romanas intelligit Codicem Theodoſianum. HINCMARVS RHEMENSIS *Ep. 4. c. 6.* editionis Moguntinæ: *Sextus decimus liber legum, quibus vna cum ſacris canonibus ſancta moderatur Eccleſia.* Is eſt 16. liber Codicis Theodoſiani. Non dubium igitur eſt, Codicis Theodoſiani vſum ſeculo V. tum in Oriente, tum Occidente fuiſſe uſque dum Iuſtinianus in Oriente, vſum eius minueret, imo obliteraret. In Occidente de Italia iam diximus, vbi quamdiu Gothi rerum ibi potiebantur ius Iuſtinianum nunquam eualuit. In occidentis partibus & quidem Galliis quæcunque pars adhuc Romanis poſt exterarum Gentium, Francorum, Viſigothorum, Burgundionum, irruptiones parebat, Theodoſianis legibus conſtanter vſa eſt, vt vel ex SIDONII APOLLINARIS loco *L. II. Epiſt. 1.* liquet. Scribit ibi ad Ecdicium Comitem & Magiſtrum militum Anthenii per Gallias, de Seronato ex Aturibus Aquitaniæ, quæ in poteſtate Gothorum erant, tanquam certiſſima patriæ ſuæ peſte, & iniuſtiſſimo incubatore, inter cætera ita: *Exſultans Gothis, inſultans Romanis; illudens Præfectis, colludensque numerariis, LEGES THEODOSIANAS calcans*

Codex Theodoſianus in Italia regnantibus Gothis obtinuit.

Et in Galliis quæ adhuc Romanis ſuberant,

cans, Theodoricianasque proponens, veteres culpas noua tributa requirit.

Secus in locis, vbi gentes aduenæ, & quid ibi.

XXXVII. Quæ vero prouinciæ in exterarum nationum iura migrauerant, vtroque iure regebantur. Romani enim exteris immixti Theodoſianas leges retinebant. Hinc Alaricus Viſigothorum Tholoſæ Rex Romanarum legum collectionem inſtituit, quibus Romani inter ſe diſceptarent, quam potiſſimum ex Codice Theodoſiano, tum ex Gregoriano, Hermogeniano, Pauli ſententiis, Caii inſtitutis, atque ex Nouellarum corpore per Anianum, Referendarium, ordinante Coiarico Comite, confecit, vt docet eiusdem Commonitorium. Hæc Codicis Theodoſiani epitome diu poſt Iuſtiniani corpus anno Domini 570. ſub Clotario Rege Francorum iuuentuti Galliarum prælegebatur, vt tradit GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. XL. C. 41.* vſque dum anno Domini 640. circiter Chindus Windus eius vſu interdiceret ſubditos ſuos *T. I. L. 2. LL. Wiſigothicarum.* Neque ſic tamen vſus eius penitus ceſſauit, vt Recisuindo filio denuo viſum fuerit vetare. Porro Burgundionum eadem per Gallias fuit ratio, vide *LL. Burgundionum tit. 60.* Et Sigismundi Regis additamentum *tit. 1. c. vlt.* Cum vero Franci rerum domini facti ſubactis Gothis anno 507. & Burgundionibus anno 532. & ipſi legibus Theodoſianis locum reliquerunt, adeo vt Clotharius A. D. 560. conſtitutione ſua, quæ exſtat *tom. 1. Concil. Galliæ* præcipiat, inter Romanos negocia cauſarum Romanis legibus terminare. Idem & reliqui Francorum Reges fecerunt, quod pulcre oſtendit Goldaſtus, præfatione *der Reichsſatzungen.* Ibi *Als Keyſer Carl der Groſſe an das Reich kommen, und zu Erhaltung Fried und Ruh durch alle ſein Reich eine* General-Reformation *fürgenommen, alle Stände geiſtlich und weltlich in eine beſtändige Ordnung zu bringen, hat er auch unter andern obgedachter* Alaricianum corpus compendium Codicis Theodoſiani; *der R. Keyſer aufs neue* reuidiren *laſſen, und* Alarici commonitorio tanquam a ſe profecto auctoritatem legis perpetuo valituræ *bey den Francken aus ſeiner Macht Vollkommenheit gegeben, wie zu Ende deſſelben* Commonitorii *geſchrieben ſtehet: Recognoui-*

Leges Theodoſianæ diu poſt Iuſtinianum valuere

Et quidem ſub Franciſ.

gnouimus. Dat. ſub die IV. Nonas Febr. anno XXII. Alarici Regis Toloſæ. Et iterum anno XX. regnante Carolo Rege Francorum & Langobardorum & Patricii Romanorum. Hucusque GOLDASTUS. Cum itaque Ius Iuſtinianeum in occidentem ante Lotharium Saxonem pedem nunquam poſuit, certe haut ſtabilem nec autoritate publica; a Francis vero penitus receptum non ſit, contra vero Leges Theodoſianæ in Galliis & omni regno Francorum per Carolum M. admiſſæ, inque Corpore Alariciano FIDVCIAE ius habeatur, quis dubitet, quin regno Teutonico ſi non nomen, res ipſa tamen recepta fuerit. Et hinc igitur fiduciæ pignus Iure Saxonico & Sueuico tranſit in proprietatem creditoris, vt ſupra diximus. Et hactenus de prohibita oppignoratione rerum Imperii.

Strauchius in hac diſſertatione erudite inquiſiuit in naturam oppignorationis Germanicæ, eamque toto coelo differre oſtendit a contractu pignoratitio iuris Iuſtinianei, & nihil aliud eſſe credidit, quam fiduciam illam veterem Romanorum, ope codicis Theodoſiani iam ſub Carolingis ad Germanos traductam. Sed iurisconſultus famigeratiſſimus in eo aliquid humani videtur paſſus, dum naturam pignoris ſepoſita lege ciuili non plene expoſuit, & inſuper praeteruidit, quod magna ſit differentia inter oppignorationem Germanorum, & contractum fiduciæ Romanum. Adde, quod nondum demonſtrauerit, oppignorationem hanc Germanorum mediante codice Theodoſiano in Germaniam eſſe introductam. Nam in fiducia Romanorum non tranſlatum fuit dominium in creditorem, cum non licuerit creditori fructus ex re oppignorata percipere, quod in pignore Germanico aliter ſe habet. Quale enim iſtud dominium foret, vbi creditori, ne quidem vllos fructus ex re per fiduciam tradita percipere licuit, ſed ſi quos percepit, illi in ſortem fuere imputati. PAVLL. *L. II. Sent. tit. 13. §. 2.* At, inquiunt, ſi non fuiſſet dominus factus, nulla poſſet ratio dari, cur debitor creditori non potuiſſet fiduciam vendere, cum tamen aliis uendere potuerit. PAVLL. *d. l. §. 3.* Ergo, dicunt, illa ſubfuit ratio, quod credi-

Digitized by Google

tor iam fuerit dominus. Sed & hic falluntur. Potius ratio fuit, quod creditor fiduciam contrahens deberet ex lege commiſſoria exſpectare tempus determinatum, ante tempus vero iſtud non potuerit ne quidem ſuppoſita perſona tertia iſtud ſibi adquirere PAVLL. *d. l.* §. *4.* Et parum cohæret iſta doctrina, dum mox fatentur eius auctores, quod dominium iſtud creditoris pendente lege commiſſoria adquiſitum ſit non proprie tale. Dominium enim improprie dictum dominium plane non eſt. Immo ne quidem poſtquam pignus in commisſum cecidit, dominium regulare pignoris adquiſiuit, quia poſt venditionem ſuperfluum coactus fuit reddere debitori. Neque adeo honoramus patriam, ſi putemus, eam ita fuiſſe ſtupidam, vt naturam contractus, qui tamen iuris gentium eſt, non ex propria ratiocinatione diſcere potuerit, ſed opus habuerit, eam demum a Romanis petere. Vnde iam facile reſponderi poterit diſſentientibus, qui putant fiduciam, quæ adhuc in codice Theodoſiano memoratur, vna cum Codice tranſiiſſe ad Francos, vtpote qui permiſerint populis Romanis, in Gallia deuictis, vt ius ipſis ſecundum codicem Theodoſianum diceretur. Nam (1) differentia ingens eſt, inter fiduciam Romanorum,& pignus Germanicum, vt modo dictum (2) Etſi cum codice Theodoſiano quædam ex Romanis moribus tranſierunt ad Francos, id tamen de Gallis ſeu Cis Rhenanis, non de Trans-Rhenanis ſeu Germanis intelligendum eſſe ex ALTESERRA *Rer. Aquitan. L. III. C. 8. ſeq.* monſtraui in *adpend. ad hiſt. iur. feud. German.* Vt taceam (3) formulas pignoris Germanici *in adpendice formularum* MARCVLPHI *formul. 50. tom. II Capit.* BALVZ *p. 463 & in formulis Sirmondicis form. 13. apud eund.* BALVZ *Tom. 2. p. 475 & in adpend act. veterum n. 148. dict. Tom. 2. p. 1551.* ſatis probare, fiduciam Romanorum neque a Franco-Gallis fuiſſe receptam, cum ex illis pateat, dominium & fructuum perceptionem translata fuiſſe ad creditorem. THOMASIVS.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Res imperii oppignoratæ an relui queant.

XXXVIII.

Nunc videamus de retentione rerum oppignoratarum, de qua Capitulatio Caroli articulo IV. *Und in alle wege ſollen und wollen wir die Teutſche Nation, das Heilige R. Reich, und die Chur-Fürſten, als die förderſten Glieder deſſelben, auch anderer Fürſten, Graffen, Herren, und Stände bey ihren Hoheiten, Würden, Rechten, Gerechtigkeiten, Macht und Gewalt, iedem nach ſeinem Stand und Weſen bleiben laſſen ohne Unſer und männigliches Eintragen und Verhinderniiß, und ihnen dazu ihre Regalien, Obrigkeiten, Freyheiten, Privilegien, Pfandſchafften und Gerechtigkeiten, auch Gebrauch und gute Gewohnheiten, ſo ſie biſſher gehabt haben, oder in Ubung geweſen ſind, zu Waſſer und Land, in guter beſtändiger Form ohne alle Weigerung confirmiren und beſtätigen, Sie auch dabey als Römiſcher König handhaben, ſchützen und ſchirmen, doch männiglich an ſeinen Rechten unſchädlichen.* Ita & ſecutæ Capitulationes Ferdinandi I. Rudolfi II. (Nam Capitulatio Maximiliani II. non habet) Matthiæ, Ferdinandi II. Ferdinandi III. Ferdinandi IV. Leopoldi, ſed hæ duæ poſteriores cum pluribus additionibus auctius. Vbi res oppignoratæ, puta, antequam prohibitæ eſſent oppignorari, creditoribus manere iubentur, reluitione ceſſante. Id quod confirmatur in Pacificatione Weſtphalica, *Art. V.* §. 9. his verbis: *Quod ad oppignorationes Imperiales attinet, cum in Capitulatione Cæſarea diſpoſitum reperiatur, quod Electus Romanorum Imperator, Electoribus, Principibus cæteriſque Statibus immediatis Imperii eiuſmodi oppignorationes confirmentur, atque illos in earundem tranquilla & quieta poſſeſſione defendere ac manutenere debeat, conuentum eſt, hanc diſpoſitionem, donec conſenſu Electorum, Principum & Statuum aliter ſtatutum fuerit, obſeruandum eſſe, atque propterea ciuitati* Lindau, *nec non* Weiſſenburgo in Noricis *reddita ſorte oppignorationes Imperiales ipſis ademtas illico & plenarie reſtituendas.*

Res ab Imperatoribus oppignoratæ non debent relui, capitulationibus Impp.

Et pacificatione nouiſſima vetantibus.

 XXXIX.

Diſcrepantia textus Germanici & Latini in inſtrumento Pacis.

XXXIX. Vbi obſeruandum, quod in vernaculæ linguæ exemplari, tam eo quod Lipſiæ apud *Timotheum Ritſchium anno 1648.* typis exſcriptum eſt, quam quod in Theatro Pacis quod Noribergæ *ab Endteris* prodiit *anno 1663.* nec non illo quod in theatro Europæo *parte 6. pag. 669.* repræſentatur, inſignis diſcrepantia reperiatur, circa reſtitutionis Lindauienſis cauſam. Loco enim verborum; *Reddita ſorte*, Germanicum exemplar habet, *bey Wiedererſtattung vorigen Standes*, id eſt, *reſtituto priſtino ſtatu.* Quæ duo nimium quantum inter ſe ſunt diuerſa. Item, quod in Latino eſt, *Weiſſenburgum in Norico*, Germanica editio exprimit, *Weiſſenburg in Nürenbergiſchen*, pro eo, quod debuit, *in Nortaw.* Nortgoia autem, vt ſcribit ZEILERVS *in Itinerario Germanico cap. 4. pag. 109.* non ſolum Noribergenſium ditionem, ſed & ciuitates, *Amberg, Neumarck, Cham, und andere zur Obern Pfaltz gehœrige Orth, wie auch den Egriſchen und Elnbogiſchen Creiß, item Bareut, Creuſſen, und andere Marggræffiſch-Culmbachiſche Ort, das Biſsthum Eichſtatt, die Reichs Stadt Weiſſenburg, die Gemein Stadt Weyden, das Sultzbach- und Hippolſteiniſche Gebiet und Landgraffſchafft Leuchtenberg &c.* complectitur. Confer. Atlantem, *von der Obern Pfaltz.* Ceterum de cauſa Lindauienſi ita habendum. Poſſederat Lindauia in inſula Acronii lacus ſita, vrbs imperialis, per annos ducentos ab Imperio iure pignoris, aduocatiam ſuper villas Colonarias, *Kölnhöfe*, in quatuor pagis Lindauienſibus, anno 1334. ab Imp. Ludouico Comiti Hugoni Brigantino pro 200. argenti marcis, & poſtea anno 1364. a Carolo IV. Comitibus Helfenſteiniis vna cum aliis iuribus pro ter mille libris Hallenſibus oppignoratam, a quibus ad ciuitatem Vlmenſem anno 1382. deuenit, quæ viciſſim Imperatori Wenceslao ceſſit, a quo anno 1394. Marquardo a Schöllenberg denuo oppignorata, eademque ſumma aliquoties aucta, & tandem anno 1430. florenis 1300. exſolutis ad ipſam ciuitatem rediit. Quorum manſorum ſiue Hubarum nomine poſtea inter ipſam ciuitatem & Abbatiſſam Lindauienſem de Jurisdictione territoriali & Aduocatiæ oppignoratæ iure lis mota fuit. Sub Imp. Maximiliano I. impetrauit Lindauia, ut Hubæ iſtæ in poſterum nec alienari, nec hypothecæ dari, nec

Oppignoratio der Kœlnhœfe vor Lindaw.

redimi

redimi debeant, niſi ab ipſo Imperatore & ad manus ipſius Imperii. Hoc vero non attento Ferdinandus II. anno 1628. Hugoni Comiti de Montfort Aduocatiam iſtam ciuitati anno 1430. nomine Imperii oppignoratam, conceſſit, qui exſoluto urbi oppignorationis pretio non ſolum aduocatiam, quæ ſola ad Imperium ſpectat, ſed etiam pagos cum Hubis ibi ſitis occupavit. Ciuitas vero demonſtrauerat Hubarum proprietatem ad Abbatiſſam, Juriſdictionem ad ciuitatem, ad Imperium non niſi Aduocatiam pertinere. Vicit itaque ciuitas & art. 5. Pacificationis reſtitui iuſſa eſt in Aduocatiam, quod euenit quoque. Vide *acta Londorpii continuata L. IV. p. 531.* De Weiſenburgo autem videri poteſt KNIPSCHILT. *Lib. III. de Ciuit. Imperial. c. 57.*

Oppignorata ciuitati Weiſſenburgo Noricorum.

XL. Quæritur itaque, an hæc promiſſio Imperatoris de iure ſubſiſtat? Si enim audimus IOH. de SELVA, & ex eo PARLADORIVM *II. rer. quot. cap. fin. p. 1. §. 7. n. 4.* ſuadebunt, ſignaturas, quas dederit Papa antequam exeat de conclaui, ubi electus eſt, nullius eſſe momenti. Cui conſonat, quod ſcriptum eſt apud PALATIVM RVBEVM *in rubr. de donat.* irritas fore donationes, quas in primis ſui principatus auſpiciis rex fecerit, ſi in ſuæ dignitatis, reive publicæ diſpendium cedunt, quem refert & ſequitur NEVIZANVS *in ſylv. nupt. L. VI. n. 55.* In his ergo caſibus ſuadent iudicibus, ne ſtatim exſequantur, ſed ad regem ipſum referant, ſecundamque exſpectent iuſſionem. Et quamvis alii hoc putent accipiendum, niſi in regiis literis adiecta fuerit clauſula: *Ex certa ſcientia; proprio motu; poteſtate abſoluta; legibus non obſtantibus,* de quarum clauſularum vi, vide Dn. Præſidis *Lexicon particularum*, in, *Motu proprio*, &; *Non obſtantibus legibus.* Minuendam tamen eſſe hanc ſententiam PARLADORIVS cenſet. Id quod eo firmius concluditur inde, quod Imperator in Capitulatione juret, *ſich auffs höchſte zu bearbeiten, und allen möglichen Fleiß und Ernſt fürzuwenden, dasjenige ſo vom Reich abkommen, als verfallene Fürſtenthum, Herrſchafften und andere, auch confiſcirte und unconfiſcirte merckliche Güter, die zum Theil in anderer frembder Nation Hand ungebührlicher weiß gewachſen, zum förderlichſten wieder dazu zu bringen, zueignen, auch dabey bleiben zu laſſen. Art. 9. Capit. Car. V.*

Promiſſio an ſit valida, qua ab Imperatore in Capitulatione fit.

Rat. dub.

Quo-

Quomodo ergo iurans oppignorata ſe reuocaturum eſſe, iurare poterit, ſe non paſſurum vt reuocentur? Præſertim cum neceſſitatem reuocandi demonſtrat IVLIVS PFLVGIVS, Epiſcopus Naumburgenſis in celebri oratione de Repub. Romana, quam Goldaſtus inſeruit politicis imperialibus, vbi inprimis vectigalia & cæterea pignora reuocari ſuadet.

XLI. Sed & NICOLAVS CVSANVS *L. III. de concord. Cath. c. 30.* in ſpecie hoc vlcus tangere videtur, his verbis: *Eſt inſuper alia imperii deſtructio: quoniam cum Imperator ſolum adminiſtrator in vtilitatem Reip. exſiſtat, ſæpe per pacta Electorum ſua quærentium intrat regimen. Et occupata contra ius imperialia, ob iusiurandum repetere non audet, telonia grauantia Remp. deponere, ac alias utiles ordinationes facere, & per anteceſſores inconſulte abſque omnium conuentu amoris inordinati aut affectionis vel ſanguinis tam in præiudicium imperii donata vel impignorata reuocare inhibetur. Et ſic fit, vt dum Electores ſua quærunt, ita ſibi credita poteſtate abutantur, quod eis conceſſa poteſtas pro bono imperii in eius deſtructionem conuertatur. Quoniam Imperatores non deberent permitti ab ipſis facere alienationes præiudiciales, imperatori ipſi aſſiſtere deberent, vt ſemper Auguſtus eſſet: ſed quia eum ligant, ne ipſis donata vel obligata aliquando ficte, vel per conſanguineos aut parentes, qui imperio præfuerunt; tacent dum idem facere vident Imperatorem, ne ſe ipſos damnent. O cæcitas maxima: non credant principes de bonis imperii diuites fieri, & permanere aliquamdiu? Curantibus enim omnibus ſua augmentare, imperio ad nihil tendente: quid ſequitur, niſi vniuerſorum deſtructio? Quoniam non exſiſtente potentia maiori conſeruatiua, & pacatiua imperii inuidia, eademque ſemper creſcente cupiditate, bella, ſchiſmata, diuiſionesque faciet, & tunc ſicut omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur inique collectum. Decipiuntur itaque Principes ſub imperio, dum ob illum finem attrahunt & colligunt vndique imperialia vt potentiores & fortiores fiant: quoniam poſtquam totam capitis & imperii poteſtatem membraque laniauerint & deglutiuerint, deſinet hierarchicus ordo: non enim eſt primus, ad quem concurratur. Et ubi non eſt ordo, ibi eſt confuſio, & vbi confuſio, ibi nullus tu-*

tus

Digitized by Google

tus. Et ſic nobilibus inter ſe altercantibus ius omne in armis propriis quærentes ſurgent: quoniam ſicut principes imperium deuorant, ita populares deuorabunt Principes.

XLII. Si iurat ergo Imperator Imperii beneficia ſeu feuda Imperio vindicare, quomodo iurare poterit, effecturum, vt poſſeſſores ea retineant? Nimirum Articulus IX. de duobus cauet, alterum eſt, ne Imperator res Imperii donet, hypothecæ ſupponat, oppignoret, & quibuscunque modis alienet. Alterum, vt quæ Imperio ſubducta, auulſa, inde alienata recuperare velit. Prius illud prohibet in futurum adeoque articulo tertio non obſtat, qui de præterito quid habendum circa res Imperii pignoratas ſtatuit. Poſterius, quid iuris circa iam alienata ſtatuit, vt ea nempe Imperator recuperet. Sed quænam illa? Non ſane quæ Status Imperii iuſto titulo ab Imperatore poſſident. Hæc enim in fine §. 9. diſerte excepta intelliguntur per verba: *doch männiglich an ſeinen gegebenen Priuilegien, Rechten und Gerechtigkeiten unſchädlich.* Nec alienata extra Imperium ſunt, quam intra Imperium ab Ordinum aliquibus poſſeſſa teneantur. Sed ea quæ Imperio ſubducta *ſo vom Reich abkommen, verfallene Fürſtenthum, Herrſchafften,* & huius generis alia, caduca, exſtincta, vacantia, vt & fiſco vindicata, & quidem ſi alicuius pretii, *merckliche Güther,* & in manibus exterorum iniuſte *ungebührlicher Weiſe* detineantur. Et de his intelligendum puto priuilegium Comiti Palatino Electori datum, & a longo tempore quæſitum, aque Cæſaribus confirmatum, vt loca & dominia Imperii a Cæſaribus extra Imperium alienata & oppignorata ipſi eodem pretio, eisdemque conditionibus reluere & redimere liceat, vt ſcribit FREHERVS *Orig. Palat. c. 16.*

Solutio dubii circa articulum nouum capitul.

Comitis Palatini priuilegium.

CAP. XIV.

Ius retinendi ad quæ pignora pertineat.

XLII.

QUæſitum & hoc memini, vtrum ius retinendi pignora pertineat ad res, quæ vel ex conuentione reluitionis ſunt expertes, vel de quarum etiam reluitione in inſtrumen-

Ius retinendi ad quæ pignora pertineat? Re-

luibilia an irreluibilia? ſtrumento nihil fuit expreſſum, *von unablöſslichen, oder ſolchen Pfandſchafften, bey denen keine Wiederlöſung bedinget worden.* An vero & ad eas, quæ reluitioni ſunt obnoxiæ? Limnæus ad Capitulationem Caroli putat, quæcunque nomen pignoris, *Pfandſchafft,* habeant, reluitionem admittere, idque per naturam pignoris. Igitur confirmationem ab Imperatore factam non poſſe reluitionem impedire. Non enim confirmationem extendi ad non expreſſam in confirmato. Diverſa eſſe oppignorationem confirmare, & reluitionem pignoris tollere. In Capitulationibus §. 4. confirmari oppignorationes: In §. vero nono immunitatem a reluitione ab Imperatore, ſed cum conſenſu Electorum tribui. Sed mutauit ſententiam propter Pacificationis recentioris *art. 5. §. 9.* Sed etſi absque Pacificatione eſſet, rationam LIMNAEVM fugiſſe facile oſtendi poſſit. Nam ne res, quas conſtat reluitioni obnoxias non eſſe reluantur, non opus erat Capitulationis ſpeciali proviſione, cum id, quod actum eſſet, oſtenderat ipſo & mero iure poſſeſſores tutos eſſe, & ſi de facto iniuria afficerentur, ad tribunal ordinarium recurrendum. Ideo recte ſcribit DANIEL HEIDERVS *in deductione Lindauienſi pag. 447. Daſs die Stände des Reichs ſolche* pignoratitias confirmationes *aus mitgefolgter* obſeruantz *biſsher dahin verſtanden, daſs ſie den ohnwiederruflichen* allodial *und* feudal *Regalien, Obrigkeiten, und Priuilegien, unter denen ſie* in confirmationibus promiſcue *geſetzet und erzehlet werden, diſsfals gleich zu achten, und derentwegen von* confirmirender *Kayſ. May. ſelbſt nicht zu* reluiren, *oder wieder aufzuheben ſeynd, bevorab die ienige, welche nicht von hoher Würdigkeit &c. zumahln auch in eines Standes Reichs-Anſchläge gebracht worden.* Falſum autem eſt, quod confirmatio §. *quarti* tantum contractum pignoris confirmet, vt Limnæo videtur. Imo poſſeſſionem: Verba: *Bey ihren Rechten, Gerechtigkeiten bleiben laſſen,* &c. *Sie auch dabey als Römiſcher König handhaben, ſchützen und ſchirmen.* Quod magis mirer iudicium Limnæi, qui cum propter verba Pacificationis mutaſſe ſententiam fateatur, mutare tamen propter verba Capitulationis noluit, quæ eadem ſunt, atque verba Pacificationis. Capitula-

LIMNAEVS ad non reluibilia refert.

ſed mutat ſententiam.

piculatio: *Ohne alle Weigerung* confirmiren *und beſtätigen, ſie auch dabey handhaben, ſchützen und ſchirmen.* Pacificatio: Confirmare atque Status in earum tranquilla & quieta poſſeſſione defendere ac manutenere.

Non adeo indubie Strauchius Limnæum accuſare videtur, quod ſententiam ſuam, quam de reluitione pignorum imperialium, inconſultis ſtatibus imperatori permiſſa, ad Capitul. Caroli V. fouerat, lecto pacis Weſtphalicæ inſtrumento reuocauerit. Non enim hæc eſt mens Limnæi, ſed ſi relata in fine ſecundum præcedentia intelligenda ſunt, prout ſunt, Limnæus n.19. nihil aliud reuocat, quam quod num. 17. & 18. ſtatuerat. Dixerat ſcilicet n. 17. imperatorem adeo poſſe reluere, vt etiam alteri hoc ius poſſit cedere, & eum in ſuum locum ſurrogare, modo iuxta n. 18. ex prudentia aliqua rectoria, quod Limnæus per modum conſilii ſuppeditat, facultatem reluendi non cedat alienæ religionis hominibus in odium alicuius alterius religionis in imperio receptæ. Et hanc ſententiam deinde ſolummodo reuocare videtur, non vero reliqua longe antecedentia. HARPPRECHTVS.

CAP. XV.
De effectibus oppignorationis.
XLIV.

POſtquam naturam & genus contractus huius & alia id genus vidimus, nunc effectus etiam quoſdam paucis pro inſtituto delibabimus. Et quia demonſtratum a nobis eſt, dominium pignoris in accipientem tranſire, conſequens eſt, vt & fructus perfecte faciat ſuos pignoris nouus dominus. *Dd. in l. 2. C. de pact. int. emt.* nec in ſortem eos imputare tenetur. MART. VRANIVS *T. II. conſil. 56. n. 5.* Non minus enim eſt dominus pleno iure, a quo reuocari poteſt aliquo caſu fundus, certa lege redhibendus. TIRAQVELL. *ad l. ſi vnquam C. de reuoc. don. n. 36. & ſeqq.* WESEMB. *conſil. 109. n. 75. & conſ. 123. n. 13.* Eſt enim regulare, vt fructus dominium ſequantur. ARGOL. *conſ. 55.* Nec ad rem facit, quod in pacto addictionis in Pignoratitius dominus ſeu creditor facit fructus ſuos.

 diem,

diem, vt & legis commiſſoriæ fructus reſtitui debeant: quoniam in oppignoratione non fit reſolutio contractus ipſo iure, ſed demum impleta poteſtatiua conditione, exercita nimirum lege reluitionis. TIRAQV. *de Retr. conuent.* §. *2. gloſſ. 1. n. 39. & ſeqq.*

Res pignorata eſt ſub iuriſdictione domini pignoratitii.

XLV. Porro quia res pignorata tranſit cum omni cauſa in creditorem, qualis fuit apud pignoris dominum *den Pfandherrn*, ideo ſi res Imperii oppignorata fuerit, quæritur, an iure aliarum prouincialium rerum iurisdictioni territoriali ſubiiciatur? Sane per hanc translationem non ſolum dominium, ſed etiam exercitium & commodum iurisdictionis, ſi qua eo loci fuerat, in rem pignoratam adquiritur. Conceſſo enim territorio vniuerſali, conceſſa eſt quoque omnis iurisdictio, vt notant Dd. BVTRIO; IASON & alii in *l. 1. & l. imperium* §. *1. de Iurisd.* late BALDVS *cap. 1. de Capitan. qui curiam vend. n. 1. cum ſeqq.* Sed quid in cauſa appellationis creditore habente priuilegium de non appellando. An ad Cameram nihilominus appellabitur? Videtur ita, quia alienatio rem cum ea cauſa transfert, qua eſſet futura, ſi apud eum, qui alienat, res manſiſſet *l. 18.* §. *2. ff. de pign. act.* quod in omni alienatione res cuiusque cauſa ſic tranſit, qualis eſſet futura, ſi apud eos manſiſſet. *l. 67. ff. de contr. emt. l. 20.* §. *1. ff. de acquir. rer. dom.* Quia translatum adhuc idem eſſe creditur. *l. filio quem. ff. de lib. & poſt.* AZEVEDO *L. IX. Conſt. Hiſp. tit. 17. l. 2. n. 41.* Sed in confeſſo eſt, quod ante oppignorationem immediate ad Cameram appellare potuerit: Priuilegium autem de non appellando ad Cameram contra Imperii ſupremitatem ab Impp. concedi non poſſit, ſed ſit ipſo iure nullum. Nulla enim pragmatica ſanctio, nulla ſacra annotatio, quæ iuri generali adverſatur, valet *l. fin. C. contra ius vel vtil.* PANORM. *in c. cum non liceat. n. 16. in fin. de præſcript.* Vbi dicit, quod Imperator non poſſit concedere priuilegium omnimodæ exemtionis, quia eſſet lacerare imperium, & abdicare a ſe iurisdictionem, quod non eſſet poſſibile *arg. l. pen.* §. *1. de Offic. Præſ. Vid.* GILMAN. *T. I. L. II. tit. XI. voto 5.* Hinc in oppignorationibus Auſtriacis appellationes Camera recipit apud MEISNERVM *T. III. D. 26.*

Quid in appellatione?

Digitized by Google

D. 26. ibi: *Non puto obſtare priuilegium Auſtriæ. Nam reſpondetur, Cameram ab antiquo eſſe in contraria poſſeſſione, appellationes am Landgerichte interpoſitas recipiendi. Conſ.* GILMAN. *T. II*[illegible]*. 2. vot. 8.* WEHNER. *T. VI. Symphorem. c. 2. n. 1.*

XLVI. Sed hæc opinio non eſt tuta. Juriſdictio enim computatur in fructu rei. Ideo ad creditorem tamdiu pertinet, donec ad priſtinum dominum reuertatur. *Vid.* WEHNER. *T. II. ſymphor. c. 7. p. 219.* & *in Obſeruat. Pract. Rubr. Pfandſchilling. p. m. 551.* vbi adducit exemplum ciuitatis Oppenhemii, cuius iudicium, vt vt Imperii eſſet, tamen appellatur ad Palatinum. Et ſic iudicatum refert in cauſa *Maintz* contra *G. Keeras und Conſorten, daſs die Sache durch geſchehene appellation ans Keyſerl. Cammergericht nicht erwachſen, ſondern ans Chur-Pfältziſche Hoffgericht gehörig.* Idque tanto firmius nunc concluditur, ex quo perfecta & inamiſſibilis alienatio pignorum per Capitulationem & Pacificationem facta eſt, per quam res pignoratæ vnitæ irreuocabiliter ſunt de territoriis tenentium eas. Inſeparabilis autem unio rem eiusque naturam alterat, & priorem quaſi confuſione quadam extinguit *per text. in Nou. 8. c. 2. & l. 20. §. tyrannæ. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* BART. *ad l. 36. C. de Appell. in fin.* Quemadmodum de Comitatu Valentinenſi & Dienſi iudicat GVIDO PAPAE *deciſ. 265.* Qua de vnione, augmento & acceſſione Doctores paſſim tractant. BALDVS *in cap. 1. §. præterea Ducatus, in quæſtione, quæ incipit; ſed quid ſi Marchionibus &c. circa fin. de probib. feud. alien. per Frid. Bartolus in L. in inſula. ff. de A. R. D.* GVILIEL. de CVNEO *in l. ſi conuenerit. ff. de pignor. act.* IASON. *in l. fin. verſ. ad prædicta. C. de V. S. Et l. 24. §. 2. in 1. nota ff. de Leg. 1.* PRAEPOSITVS *in c. 1. §. fin. de inueſt. de re alien. fact. Roman. conſ. 343. & 383.* MOLINAEVS *conſuet. Pariſ. §. 7. n. 32.* GVIDO PAPAE *deciſ. 489.* COVARRVVIAS *Pract. Quæſt. c. 1.* AZEVEDO *L. VI. ad Conſt. Hiſp. tit. 2. Rubr. n. 215.* ANGELVS *conſ. 247.* SOCIN. *iunior conſ. 28. n. 21.* CACHERANVS *deciſ. 22. n. 1.* CHOPPINVS *L. I. de LL. Andium c. 62. n. 3. & L. II. qu. 3. c. 1. tit. 1. n. 3. & 4.* CRAVETTA *de antiq. templ. P. IV. C. 1. n. 11. & Conſil. 454.* DECIANVS *conſ. 32. n. 29. L. II.* NATTA *conſil. 636. n. 88.* DECIANVS *reſponſo 123. n. 69. vol. 3.* REGNER. SIXTINVS *conſil. Marpurg. 14. n. 91. 98. 108.*

CARD. TVSCHVS. *Pract. Concl. 229. & ſeqq. & concluſione 142. verbo: Vnio & vnita Eccleſia.* Imprimis VIETOR, *de cauſ. exemt. concl. 19. & lib. 1. claſſ. 4. c. 17. a num. 95.* Quod diximus de iuriſdictione, idem etiam circa reliquas qualitates & onera dictum puta.

Ius patronatus rei op- pign. an in pignoratitium transeat?

XLVII. De iure Patronatus quid ſtatuendum? Id in creditorem non tranſire. *c. cum Bertoldus. x. de re iud. & ibi* ABBAS *num.* ait, hunc intellectum eſſe verum & communem. Sed iuuat ſpeciem eius Decretalis collata collectione tertia preſſius intueri. Bertoldus quidam miles curiam ſuam in Weſthuſen (ita enim legendum, vt compilatio III. diſerte præfert) cuidam Pelegrino, qui & ipſe miles, pignori dedit, excepto ſibi nominatim iure patronatus in eccleſia in hoc fundo conſtructa. Eodem P. ſublato de medio Artongus nepos eius, qui ſucceſſit eidem, Argentinenſis diœceſeos vacante Eccleſia eiusdem loci in Weſthuſen aſſerens, quod ius patronatus cum vniuerſitate tranſiuiſſet in eum, Brunum Clericum eiusdem diœceſis ad preces bonæ memoriæ C. Argentinenſis Epiſcopi (forte Conradi de Himenburg ſexageſimi numero Epiſcopi Argentinenſis) eiusdem loci Archidiacono præſentauit & inſtituit. Bertoldus, dominus feudi, aſſerens ſe retinuiſſe expreſſe ius Patronatus fundo obligato T. ſacerdotem memorato Epiſcopo præſentauit: Sed Epiſcopus admittere noluit. Mortuo Epiſcopo dictus T. egit aduerſus Brunum Clericum coram Argentinenſi Electo, a quo appellatum eſt ad Rhemenſem Archiepiſcopum Cardinalem, tunc Epiſcopum Præneſtinum, Apoſtolicæ ſedis Legatum. Is fuit Guido ex Abbate Ciſtericenſi Cardinalis, de quo in capitulo: *Dilectus x. de Offic. Legat. &c. Dilectus. x. de Præbend.* Archiepiſcopus abſoluit Brunum. Cauſa denuo ſubdelegatis mandatur a quibus Brunus ad Pontificem appellat. Pontifex dicto T. adiudicat Eccleſiam, quia conſtabat eum fuiſſe præſentatum a vero Patrono, nempe a domino feudi, cui inhærebat ius Patronatus.

XLVIII. Ex his conſtat, male Doctores negare, ius patronatus non tranſire in creditorem pignoratitium cum vniuerſitate. Caſus enim dicti *cap.* eſt de exceptione, nec regulam infringit.

Digitized by Google

fringit. Exceptionis iuſtitia in eo eſt, quod Bertoldus oppignorando fundum nominatim ſibi reſeruaſſet ius patronatus. Ergo eo non reſeruato tranſiiſſet cum vniuerſitate. *c. cum ſeculum & c. ex literis x. de iure patron.* Quare contracto ſecundum mores Germaniæ pignore & per vniuerſitatem dominio translato, etiam ius Patronatus transfertur. *Confer* FINCKELTHUSIUM *de iure patronat. C. 5. n. 11. & ſeqq.* Diſſentientes autem, inter quos eſt AUCTOR Conſiliorum ANDREAE GAILIO adſcriptorum *P. II. conſ. 16. n. 8.* loquuntur de pignore, cuius dominium in creditorem non tranſit. *Vid.* CUIAC. *ad d. c. 18. x. de ſent. & re iud.*

XLIX. Quæritur & hoc, cui competat ius confiſcandi re pignorata, debitori an creditori? Videbatur debitori, cum ſit inter regalia, quæ niſi ſpecialiter exprimantur, non tranſeunt. Nam princeps non poteſt alienare regalia per verba generalia, ſed ſpecialibus opus eſt, vt in *l. 1. C. ne ſine iuſſ. Princ. c. ſedes. 15. x. de Reſcript.* SOCIN. *conſ. 123. lib. 4.* GRAVETTA *conſ. 95. n. 10.* ZASIUS *epit. feud. par. 5. n. 11.* BALD. & ALEX. *in l. 1 ff. de Offic. eius, cui mand. eſt iurisd.* RIMINALDUS *in l. imperium. ff. de Iurisdict.* Sed & hic videndum quid acti ſit. Regalibus enim in genere oppignoratis, ſaltem mero imperio, niſi bonorum publicatio conſignate excepta ſit, & hæc quoque tranſit. Cui enim competunt Regalia eidem & Fiſcalia. Confiſcatio enim bonorum debet competere domino altæ iuſtitiæ, vt loquuntur Subbaſilicani. CHASSAN. *rubr. 2. de confiſc. §. 1. pr. n. 40.* MATTH. de AFFLICT. *c. 1. §. ſi quis aliquem. n. 16. de pace tenenda.* *Vid.* Argentoratenſes *conſ. 1. q. 1.*

Re pignorata ius confiſcandi habet creditor.

L. Quid vero? pignoratitius dominus an poterat religionem reformare, mutare, aliamue inducere? Hanc quæſtionem ventilarunt iam dudum Dillingenſes ICti, ſi modo ICti fuerint auctores, in compoſitione Pacis *c. 6. q. 30.* inque negatiuam iuere; ſiue Status aliquis Auguſtanæ Confeſſioni addictus ciuitatem oppignoratam reformare, ſiue ipſa ciuitas ſubditos ad confeſſionem Auguſtanam reducere velit, quos ſequi videtur & BESOLDUS *Theſaur. Pract. Rubr. Pfandſchilling. §. ac notandum.* Sed ex Pacificatione Weſtphalica videtur dominum vtilem ſeu pignoratitium creditorem reformare potuiſſe. Dum enim

Pignoratitius dominus aliam religionem introducere poteſt.

enim diſponit. *Artic. 5.* quod Dominus directus in terras ante hac pignoratas, & demum ad ſe reuerſas ſuæ religionis exercitium publice poſſit introducere, apparet dominum vtilem antea aliam religionem introducere potuiſſe. Quod apud Auguſtanæ confeſſionis vt & Reformatos Ordines tanto probabilius, quia religio territorium ſequitur. At diximus ſupra res pignoratas vniri territorio pignorantis. Quid? ſi in re aſſecurata inueſtitus creditor, iure feudi vt teneret, an reformandi ius habebit? Ita videtur. Cum enim per feudum vtile dominium territorialis poteſtatis transferri poſſit, vtique etiam transferetur religionis exercitium iuri territoriali inhærens, quod concedunt Dillingenſes *qu. 39. num. 91.* Sed hodie poſt nouiſſimam pacificationem ſi Pontificius vel Lutheranus Status religionem pro ſe mutare velit, alterutramque harum religionum amplecti, tenendæ ſunt regulæ Pacificationis, quod id ei liceat: Sed incolæ & ſubditi non coguntur ſolum vetere, aut ſuam religionem, in cuius, quacunque anni 1624. parte profeſſionem exercuerunt, deſerere. Quod ſi Lutheranus Status ad Reformatos, vel hic ad illos tranſeat neuter horum ſuæ religionis exercitium in territorium introducere poteſt, ſed ſuæ conſcientiæ ſolus ipſe relinquitur.

Quis teneatur ſpecificare res pignori nexas, dominus pignoris, an pignoratitius?

LI. Sed vt tandem finiamus, quæritur, quis indicare vel deſignare teneatur, quæ & quot ſint illæ res, quæ pignoris nexu domino pignoratitio oppoſitæ habeantur? Vbi Dd. pro regula tradunt, quod vaſallus, emphyteuta, vel quisquis denique confitetur, ſe ab alio poſſidere, ad id teneatur, alioquin omnes res, quas ipſe tenet, præſumuntur ex iſta cauſa teneri. HOSTIENS. *in Summa tit. de Feud. §. Quibusmod. verſ. Quid ſi vaſallus.* ALBER de ROSATE *in l. 2. n. 2. de act. emt.* Per *l. fin. ff. de pignor. act. Nov. XVII. c. 8. l. 4. In verbis. Referatur & nomen fundi. ff. de ſenſib. l. ſi quis argentum. §. ſi vero reditum. C. de donat.*. Hinc compellatus ad deſignandos fines, ſi non obtemperat, intelligitur in dolo eſſe. IACOB. de S. GEORG. *de feud. n. 12. verb. dictique vaſalli promiſerunt.* WEHN. *conſ. Francom. 72. n. 7. verb. adducitur hæc ratio.* Sed fallit regula quando ipſe poſſeſſor in probabili verſatur ignorantia. ALVAROT. *in c. ſi vaſallus. n. 10. ſi de feudo*

Digitized by Google

do fuer. controv. ZASIVS, *Epit. feud. pag. 7. n. 25.* AND. de ISERN. §. *illud quoque n. 4.* Quo caſu ſi adeſt expreſſio generalis pertinentiarum vel vnico manſo ſatisfieri poteſt, donec dominus plures pertinentias probet. ROSENTHAL. *de Feud. cap. 12. concl. 15. a pr. & n. 21.* Maxime ſi poſſeſſor rem per triginta annos poſſedit vt ſuam. THOMING. *Vol. I. Conſil. 10. n. 43.* Sed & poſſeſſorem hac demonſtrationis neceſſitate liberari Dd. communiter volunt, ſi iurato affirmauerit, ſe demonſtrare id non poſſe IACOB. de S. GEORG. *de feud. ver. dictique vaſalli. n. 15. ad fin.* SICHARD. *conſ feud. 6. n 65.* ROSENTH. *de feud. c. 8. q. 33. n. 4. in fin. & gloſſ. lit. B.* DN. TVBINGENSES *conſilio 180.* Et hæc quidem hactenus.

FINIS.

IOANNIS STRAVCHII
DE
CONDICTIONE TRITICARIA,
DISSERTATIO

RESP.

HENR. RVDLOFF.

HALENS. SAXON.

IENAE CIↃIↃCLXX.

PRAELOQVIVM.

Vires ſuas in tractanda quadam materia experturis ſolenne eſt, dignitatem ipſi, & ex dignitate laudem ab vtilitate partim, partim a difficultate eiusdem conciliare. Horum veſtigiis inſiſtendi ſi & mihi inpræſentiarum foret animus, dies citius quam dicendi copia deficeret. Tanta eſt condictionis triticariæ difficultas! Tanta vtilitas; Sed memor iſtius comici: Νέ(ος) ὢν ἀκύειν τῶν γεραιτέρων θέλε: lubentiſſime hic Angeronæ lito. Prodeunt ipſi

 The-

Themidos myſtæ venerandi, ſummi ICti, quibus ipſa iurisprudentiæ ſacraria adire contigit, nec quicquam tectum manſit aut inexploratum, & modo arduam, modo vtilem hanc eſſe materiam iunctis ſuffragiis fatentur. Omnium inſtar ſunto, qui apud omnes ingenioſiſſimi audiunt, ANTONIVS FABER & REINHARDVS BACHOVIVS, quorum teſtimonia, cum rem omnem conficere videantur, adſcribere haud pigrabor. Ita autem ille *in Error. Pragmat. IV. Dec. 84. in pr. Eſt autem multo vtilior tractatus, nec inſubtilior de condictione triticaria, de qua non dubitat quisquam vtrum neceſſaria ſit vel vtilis, adeo exploratum omnibus eſt, non ſolum vtilem eam eſſe, ſed etiam neceſſariam. Nec tamen vllus hodie in praxi eius vſus eſt, aut vlla fere mentio, quoniam in quo maxime vſus ille conſiſtat, ab interpretibus omnibus huc vsque ignoratum eſt, & conſequenter a pragmaticis, qui nihil eorum ſciunt, quæ interpretes noſtri, quos ſolos pro anteſignanis habent, ignorarunt.* Hic vero, REINHARD. BACHOVIVS *in Exercit. ad Error. Pragmat. ad d. Err. 4. Materiam,* inquit, *condictionis Triticariæ ego ſane propter obſcuritatem & incertitudinem aggredior & attingo innitus. Et ad Err. 3. Dec. eiusd. n. 9. inf. Sed enim quæ ſit vera natura condict. iſtius* (i.e. Triticariæ) *ingenue me ignorare profiteor.* Exactiſſimis iſtis tantorum virorum iudiciis, nec minus MAGNIFICI DN. PRAESIDIS, Patroni, Præceptoris ac Promotoris mei ſumma reuerentia colendi, auctoritate permotus, materiam iſtam de condictione Triticaria loco exercitii Academici elaborandam ſuſcepi, arbitratus, me, quanquam auſu Icario onus humeris meis impar ſubiiſſe nonnullis videbor, eo tamen minus fore culpandum, quo magis magnorum virorum conſilia atque arbitria fuerim ſectatus, eo magis excuſandum, quo minus nondum adeo perſpecta atque elaborata vulgatis & in triuiis notis poſtponenda. Si quando errata aut minus exaſciata deprehendet Lector beneuolus, ſciat, non ſimul quid fieri & perfici, nec ignoret, ſcripſiſſe talem, quem a quouis didiciſſe nondum pœnituit. Ratio methodi erit vulgaris. Explicata enim onomatologia, pragmatologiam accedam, & poſt propoſitam definitionem inquiram in cauſas, & diuidam, mox de officio

iudici-

iudicis & adiunctis quædam ſubnectam, finem labori impoſiturus. His præmiſſis, IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ad rem ipſam me accingo.

CAP. I.
Exhibens onomatologiam condictionis Triticariæ.

PLATO ille diuinus *in Cratylo ſuo* nomina, inquit, ſunt organa *διδασκαλικά τῆς ὀσίας*, & rurſus: *ἐςί τε καὶ ὀνομάτων ὀρθότης ἐῖναι δηλῶν οἷον ἕκαςόν ἐςι τῶν ὄντων.* Hinc omni laude maior ICtus, ANT. FABER *Error. Pragmat. 1. Decad. 83.* aſſerere non dubitat, ſe, ſicut omnia ex iuris ratione æſtimare ſoleat, ita & iuris rationem POTISSIMVM ex vi & proprietate verborum inueſtigare. Nos igitur de CONDICTIONE TRITICARIA quædam diſſerturi, antequam ipſam Pragmatologiam accedamus, nominum momenta perpendemus. Eſt autem CONDICTIO TRITICARIA terminus complexus, conſtans ex vno abſoluto & altero connotatiuo. Prius de abſoluto videbimus.

SECTIO I.
De etymologia condictionis.

§. I.

COndictio a condicendo dicitur. Condicere autem eſt denunciare priſca lingua §. 15. de *Action.* Hinc FESTVS. *Condicere eſt dicendo denunciare.* it. *Condictio eſt in diem certum* (alii legunt tertium) *eius rei, quæ agitur, denunciatio.*

§. II. Hic condicendi mos obſeruatus fuit olim in iure inaugurali, cum denunciaretur, vt ante diem tertium quis ad inaugurandum adeſſet, *auctore* SERVIO *ad locum illum Virgilii: Tertia lux claſſem &c.* ROSINVS & DEMSTERVS *L. IX. Antiquitatum Rom. c. 15.* inde *Status condictusue dies*, id eſt, denunciatus dies *in L. L. XII. & apud* PLAVTVM *in Curcul. Act. 1. Sc. 1. &* GELLIVM *L. 16. c. 4. Noct. Attic.*

§. III. Bellum quoque illaturi quondam Romani condicebant antea ſeu denunciabant hoſtibus, qualis denuncia-

Digitized by Google

tio habetur penes LIVIVM *L. I. Dec. 1. p. m. 17.* & meminit cuiusdam PLAVTVS *in Amphitr. Act. 1.* Quæ denunciatio fiebat ideo, vt prius verbis experirentur, an, antequam Marti arbitrium committatur, reddere vellent ea, quæ in hac denunciatione ſimul petebant. GROTIVS *de I. B. & P. L. III. c. 3. §. 7. n. 1.* ALEXANDER *ab* ALEXANDRO *Genial. dier. L. V. c. 3.*

§. IV. Idem in litibus ciuilibus obſeruatum fuiſſe ex iure noſtro deprehendimus: nam litigaturus denunciabat prius adverſario ſolenni more. *l. 1. C. Th. h. t.* Vnde ſolennes denunciationes dicuntur *l. vn. C. Th. Vtrum vi.* non priuata teſtatione, ſed per publicam conuentionem, per ſcripturam apud iudicem *Interpres vetus Cod. Th. ad l. 4. C. Th. de denunciatione*, adeoque apud acta. *l. 4. C. Th. de denunciat.* vbi pro *edicto* recte legit GODOFREDVS: *Ad Acta.* Vocato itaque in ius Reo, denunciatio, litis teſtatio ſuper inſtituenda lite, *l. 9. C. Th. de infirm. his quæ ſub Tyran.* lis conteſtata dicebatur. Poſt ipſam vero, & iudice a Prætore dato, Actor & reus certum diem dicebant, quo ſe ſiſterent. *l. 8. pr. qui ſatis cog. l. 4. 5. l. vlt. C. Th. de temp. curſu.* Hic condictionis terminus ex antiquo iure retentus eſt, & applicatus, & quaſi addictus actioni in perſonam, qua Actor intendit dari vel fieri ſibi oportere iuxta *§. 15. I. de Action.* Quem condicendi ritum non, vt quibusdam videtur, iam ante Iuſtinianum ſuſtulere Imperatores, Arcadius, Honorius & Theodoſius *in l. ſi quis deb. 6. C. Theodoſ. de denunc. vel adit. reſcript.* Hæc enim lex non pertinet eo, ſed ad temporis illa curricula, quæ poſt denunciationem factam interponebantur & intercedebant, priusquam litigatores in iudicio coram iudice allegationes ſuas interponerent. *d. l. 6. C. Th. de denunc.* Nimirum quædam erant cauſæ, in quibus talis mora, ſeu temporis interualla non habebant locum, atque adeo exceptæ eſſent a denunciationis neceſſitate, quas recenſet *l. 5. & h. C. Th. de denunc.* At ſuccedentibus temporibus ab vſu fori receſſerunt denunciationes, neque etiam de iure Canonico amplius ſunt neceſſariæ. FELINVS *ad C. nouit. ille 13. x. de iud. n. 13.*

SE-

SECTIO II.

De homonymia.

§. I.

IGitur condictio accipitur in iure noſtro generaliter pro more illo denunciandi apud acta, de quo in antecedentibus dictum, quod quia in ſolis actionibus perſonalibus vſu veniebat, vt notat DONATVS *in illud Phormionis Act. 1. ſc. 2. Et tibi ſcribam dicam:* A denunciatione, inquit DONATVS, in perſonam, ne diceret, non mihi denunciaſti; Hinc actiones in perſonam condictiones appellatæ, teſte TRIBONIANO §. *15. Inſtit. de Action.*

§. II. Specialiſſime vero ponitur pro ſolis actionibus, *quibus aduerſarium dare vel facere oportere intendimus, & aliis quibusdam modis* §. *1. I. de Action.* Vt enim in rem actiones proprium *vindicationis* nomen, ita perſonales *condictionum* ſortitæ ſunt *d.* §. *15. I. de Action.* DN. PRAESES *in diſſert. de condict. furt.* ante triluſtrium fere hic loci habita. *C. I. Th. 3. & 4.* Aliter alii. Vide HOTOMANNVM *ad h.* § DONELLVM *hic. n. 7. & L. XXIII. c. 2. ibique* HILLIGERVM, GIPHANIVM *&* RITTERSHVSIVM. *hic Adde l. 25. de O. & A.* Diſſentit BACHOVIVS *de Actionibus Diſp. IV. th. 1. lit. A.*

§. III. Non autem in omnibus in perſonam actionibus hac formula de dando vti poſſumus, ſed in iis ſaltim, in quibus non dominus agit aduerſus dominum (*excepta condictione furtiua*) & quemuis obligatum ad dominii translationem, quum dari ea nobis petamus, quorum dominium nobis abeſt: *dare* enim eſt dominium transferre, iuxta §. *14. I. de A. & l. 75.* §. *fin. de V. O.* Hinc actiones perſonales nomen certum habentes, veluti commodati, depoſiti &c. hoc ſpecialiſſimo ſignificatu condictiones non ſunt, ſiquidem in iis nec dari, nec fieri, ſed reſtitui aut tradi aliquid nobis oportere intendimus. BACHOVIVS *in not. ad Weſenbecium de reb. cred. num. fin.* FRANTZKIVS *Exerc. XIII. Qu. 5. n. 16. & ſeqq.* Vnde etiam *in l. 28. de V. O.* obligationes dandi nominatim ab obligationibus tradendi diſtinguuntur.

§. IV. Notandum hic, & tanquam hypotheſis nobis confirmandum eſt, quod verbum *facere* in formulis iam ſæpe dictis non accipiatur *in ſua latitudine & naturaliter,* pro quouis actu humano, vt *in l. 72. pr. de V. O. L. 175. de V. S.* vti volunt ANT. FABER *L. XIX. Coniect. 20. &* LVDWEL *ad §. I. 1. de Act. n. 3.* ita vt huic formulæ *facere oportere* in actionibus commodati, depoſiti, pignoris quoque locus ſit. Sic enim non tantum τὸ *dare* inutile eſſet in hac formula, ſed etiam verba ſubiecta: *& aliis quibusdam modis,* aut alio eſſent referenda, aut plane auferenda, quæ tamen ipſe LVDWEL cum Dd. communiter non de aliis actionum cauſis, vti nonnullorum eſt opinio, ſed de aliis agendi formulis, puta, *præſtandi, reſtituendi &c.* (*add. l. 3 de O. & A.*) accipit. *Vide* BACHOVIVM *Diſp. IV. de Act. th. 1. lit. b. & th. 4. inf.* BORCHOLT. *ad d. §. 1 l. de Action. num. 15.* Accipitur autem *ſtricte & ciuiliter* in oppoſitione ad dationem pro facto iuris quendam effectum relinquente, vt, ire Romam, exſtruere ædificium, vt *in l. 14. & 15. de V. O.* Confirmat hanc ſententiam, quod quicquid eſt in obligatione, illud etiam eſt in actione *arg. pr. I. de Action.* Iam vero Dd. communiter, & ipſe LVDWEL. *ad §. vlt. I. de V. O.* ea facta in obligatione eſſe dicit, quibus neque res, neque ius in ſtipulatorem (*per ſe ſcil.*) transferantur, vt, iter fieri, *l. 4.* domum ædificari, *l. 15. de V. O. Adde* FRANTZKIVM *loc. cit. n. 10.*

§. V. Nos noſtram condictionem in ſpecialiſſimo ſignificatu accipimus pro actione in perſonam, qua *dare* aut *facere* oportere intendimus. *Magnif.* DN. PRAESES *Diſſ. XXII. th. 5. ab init.*

SECTIO III.

De ſynonymia.

§. I.

Repetitio non eſt vocabulum ἰσοδυναμοῦν ſeu Συνώνυμον condictionis. Differunt enim vt latius & anguſtius. Nam condictio ex ſtipulatu non eſt repetitio, ſed petitio, qua petimus id, quod nunquam habuimus, nobis dari ab eo, qui

qui dare promiſit: repetere autem proprie dicimus ea, quæ iam antea poſſedimus, vt recte notat. BACHOVIUS *contra* ANT. FABRUM *Error. Pragm. 4. Dec. 83.*

§. II. In generali (non in ſpeciali, quatenus actionem in perſonam denotat, *Vide laudatam* DN. PAESIDIS *Diſſert. th. 2.*) acceptione condictioni æquipollet *denunciatio*, item *comperendinatio*, quæ eſt denunciatio in perendinum, *id eſt, in diem tertium: cum enim*, vt ſcribit ASCONIUS *in 3. in Verrem, in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem, qui dabatur poſt trigeſimum diem*, (HOTOMANNUS mauult legere tertium diem) *quo dato in perendinum diem, vt in iudicium venirent, inuicem denunciabant.* BRISSONIUS *de formulis populi Rom. lib. V. p. 365.* HOTOMANNUS *in comment. Verb. iuris, vocab. condicere.* Condictio denique ſeu denunciatio, quam adhibebant bellum illaturi, de qua ſupra dictum, vocabatur etiam *clarigatio*, eo quod clara voce fiebat. ALEXANDER *ab* ALEXANDRO *loco ſupra cit.*

SECTIO. IV.

De voce triticaria.

§. I.

Perſpecto vocabulo condictionis, de altero termino connotatiuo erimus ſolliciti. Deriuatur autem vox *triticaria a tritico*, quod a *terendo* dicitur, & ſignificat, non vt vulgo creditur, unicam illam eamque optimam frumenti ſpeciem, quæ in vernacula vocatur *Weitzen*, ſed quoduis frumenti genus, cuius a tritura prouentus eſt, & reſpondet generali vocabulo teutonico *Getreidig*, id quod etiam ab iſto latio originem duxiſſe videtur, hocque magis confirmat vox inferioris Saxoniæ, *Treidig. Magnif.* DN. PRAESES Præceptor & Patronus meus deuenerandus. Facit hûc *l. 94. de V. O.*

§. II. Vnde autem hæc condictio Triticaria fuerit appellata, dubia eſt inter Doctores lis. ACCURSIUS *ad rubr. h. t.* probabile eſſe ſcribit dictam fuiſſe ab auctore ſuo *Triticio*, quodam prætore, quem ſequitur etiam BARTOLUS, DUARENUS,

DO-

DONELLVS & alii *ad de tubr.* Reprobat hanc coniecturam BACHOVIVS *Exerc. ad Error: Pragm.* FABRI *1. Dec. 83. & de Act. Diſp. IV. th.* 13. quod nomen illius *Triticii* inter nomina familiarum, de quibus ſcripſerunt ANT. AVGVSTINVS, FVLV. VRSINVS, ONVFRIVS, non reperiatur. CVIACIVS, ſecutus STEPHANVM, Græcum interpretem, a triticó dictam mauult, hac vſus coniectura, quod qui primus hanc actionem dari ſibi poſtulauerit, ei forte res fuerit de æſtimando tritico. Id quod ob duas rationes non admittit FABER *loco ſupra alleg.* Sed non adeo abſurdum dicit BACHOVIVS *ibid. & de Action loco cit.* Alias diuinationes HOTOMANNI, ZASII, MOLINAEI *vide ap.* WISSENBACHEN *ad π. h. t.* Noua eſt opinio DN. LINDNERI *L. 1. Conciliat. 17. n. 12.* qui dictam ait a *trito,* id eſt, vſitato, eo quod frequens & quotidiana in Iudiciis occurrat. Omnium optime VIGLIVS; denominatam fuiſſe hanc condictionem a primis edicti verbis, quod ita fuerit conceptum: *Triticum, vinum, oleum, &c. ſi petatur, condictionem dabo.* Quem etiam laudat *Magnif.* DN. PRAESES *Diſſertat. ad ius iuſtin. XXII. th. 9. &* WISSENBACH *cit. loco.* Sed, vt BACHOVII verbis vtamur, *de nomine non valde eſt laborandum, modo conſtet de ipſa re, quæ hic nomine obſcurior eſt.* Quocirca ad Pragmatologiam pergemus.

CAP. II.

Proponens definitionem & cauſas condictionis Triticariæ.

SECTIO I.

De definitione

§. I.

QUum animaduertendum ſit ante omnia, quid ſit id, de quo quæritur, vt ſcite monet Imperator *in L. 13. §. vtrum ita. 3. de reb. dub.* ARISTOTELES *3. Metaphyſ. 8. &* CICERO *lib. 1. de Oratore,* nos quoque ne in incerto vagemur, primum id, de quo ſumus diſputaturi, explanabimus. Miſſis vero aliorum deſcriptionibus, quæ pro varietate auctorum ſunt variæ,

variæ, *condictionem Triticariam* definimus, quod ſit actio in perſonam ciuilis, qua actor dari ſibi rem ſiue certã, ſiue incertam, excepta pecunia numerata, oportere intendit, vt ſi arbitrio iudicis res non reſtituatur, in rei æſtimationem Iudex reum condemnet. *V.* HOTOMANNVM *in comment. Verb. Iuris, verbum condicere. Magnif.* DN. PRAESES *loc. cit.*

§. II. Antequam ad diuiſionem progrediamur, ſingula huius definitionis membra penitius paulo inſpiciemus, quandoquidem ſingula definitionum verba ſuum myſterium habent, ut ait *Gl. ad pr. I. de Action.*

§. III. Definitio conſtat *genere & differentia. Genus* eſt *Actio,* quæ vox & in rem, & in perſonam actionibus eſt communis, vt patet *ex* §. 15. *I. de A.* Et multæ dantur LL. in quibus condictiones nomine actionum dicuntur, *vt in l. 8. de vſufr. ear. rer. &c. l. 7. §. 1. & 2. de pact. l. 6. 9. & 16. de P. V. l. 27. §. vlt. de rec. qui arbitr. recep.*

§. IV. *Differentiam,* prout cauſalis eſt definitio, conſtituunt cauſæ. Quum igitur iuxta PHILOSOPHVM *1. Metaph. 3. Scire ſit rem per cauſas cognoſcere; nec,* teſte LOCAMERO *Diſp. de cauſ. Act. n. 4. vlla actio in iudicium recte deduci, nedum feliciter tractari in eo, aut finiri poſſit, niſi cauſæ, ex quibus naſcatur, ſint præcognitæ;* ordine ipſas proſequemur.

SECTIO. II.

De cauſa efficiente & fine.

§. I.

Diuiduntur cauſæ a Metaphyſis in *externas,* vt ſunt *efficiens cauſa & Finis & internas,* vt ſunt *materia & forma.* Primum diſpiciemus eſſe CAVSA EFFICIENTE. Hæc ſubdiſtinguitur in *principalem & inſtrumentalem.* PRINCIPALIS iterum eſt vel *proxima,* vel *remota,* vel *remotiſſima.*

§. II. *Proxima* ſeu *immediata eſt obligatio l. 42. §. 2. de Procurat. & defenſ. l. 1. pr. de O.* & A. non autem quæuis, ſed naturalis & ciuilis ſimul. ARETINVS *& alii poſt* BARTOLVM *in l. 10. C. de iur. & facti ignor.* IASON *ad pr. I. de A. & Dd. paſſim.* Ex

 natu-

naturali ſiquidem tantum nulla oritur actio. Nam pactum nudum obligationem naturalem quidem producit, *l. 2. in f. de Solut.* ſed nullam actionem in foro iuris Romani, *l. 7. §. 4. de Pact.* & naturalis minus proprie obligatio dicitur: *l. 10. de O. & A. l. 16. §. 4. de Fideiuſſ.* quod ſecus eſt de moribus hodiernis, vbi ex nudo pacto quoque oritur actio, vt quidam volunt ZOESIVS *ad π. de Pact. n. 60.* DN. STRVVE *Exerc. VI. th. 17.* CARPZOV. *P. 2. Conſt. XXXII. Def. X. n. 9.*

§. III. Hæc obligatio in ſua latitudine, quatenus & in rem, & in perſonam obligationes continet, vti ſumitur *in §. 5. I. de Except.* eſt vel *dandi*, vel *faciendi*, vel *præſtandi l. 3. de O. & A.* Condictio Triticaria non oritur (1) ex obligationibus *præſtandi:* (ſub quo vocabulo etiam verba *reſtituendi, reddendi,* &c. complectimur, de quorum differentia videri poteſt ZASIVS *ad §. 14. I. de A. & late* BARTOLVS *in l. ſtipulationes non diuiduntur. 72. de V. O.*) condictio enim noſtra ex earum actionum numero eſt, (vt ex ſupra dictis liquet) quibus *dare vel facere* oportere intendimus. E præſtandi obligationibus vero naſcuntur actiones, quæ dantur dominis, quibus dari res amplius nequit, *§. 14. I. de A. l. 14. §. 2. de Except. res iudict.* BORCHOLT *ad d. §. 14.* vt eſt actio *commodati, depoſiti, pignoratitia &c.*

§. IV. Nec (2) oritur ex obligationibus *faciendi*, ita vt ipſum factum condictione hac perſequi poſſimus. Præterea enim, quod per totum titulum facti non fiat mentio, etiam apud omnes interpretes, quod ad factum perſequendum detur, altum eſt ſilentium. Nec obſtat nobis, quod ſupra, vbi de Homonymia egimus, condictionem noſtram ad claſſem earum condictionum retulerimus, quibus *dare vel facere* oportere intendimus; ſunt enim verba disiunctiue concepta. Licet igitur hac condictione ad faciendum agere nequeamus, dantur tamen aliæ eiusdem generis, quibus ad factum agimus, v. gr. in ſtipulationibus facti, *§. non ſolum. 7. I. de V. O.* in actione P. V. qua Actor agit ad factum promiſſum explendum *l. 5. §. 2. de P. V.*

§. V. Non enim audiendi ſunt illi, qui ex obligatione facti agi ad factum non poſſe tradunt, ſed factum quidem

in ſo-

in ſolutione, id quod intereſt in obligatione eſſe. Quod eſt falſiſſimum, vt vt magnos habeat auctores, Bachovivm, wissenbachivm & alios, vara vibiam ſequente; vtique enim verborum obligatio efficax eſt ad pariendum actionem. Iam factum poteſt in verborum obligationem deduci. Ergo obligatio facti efficax eſt ad pariendum ſuper facto & ad factum actionem. Porro ſi in præſtatione duntaxat factum ſit, in obligatione non ſit, ſequeretur, aliud, quam quod debebatur, inuito creditori ſolui poſſe. In obligatione autem facti factum debetur. Ergo factum, quod eſt in obligatione, præſtandum eſt, aut aliud debebitur: aliud tamen invito creditori ſolui non poteſt. Et quamuis promiſſor non præciſe adſtringatur ad factum, ſed præſtando quod intereſt liberetur, non tamen inde conſit, ad factum agi non poſſe. Imo *ex l. 84. de V. O.* agi poſſe conſtat. Et quamuis facta eiusmodi mera ita ſint comparata, vt nullo modo ab inuitis obtineri poſſint, niſi per violentam impreſſionem, quam vt ſeruilem, & libertati ciuis Romani inimicam, auerſatus eſt legislator *l. 71. §. 2. de condit. & demonſtrat. l. 2. de homin. lib. exhib.* dvarenvs *ad l. 13. de re iud. & l. 72. de V. O.* giphanivs *ad l. 72.* (Quod aliter ſe habet in dandi obligationibus; ibi enim ſi debitor non dederit, citra impreſſionem in corpus res militari manu auferri poteſt *l. 68. de R. V.*) Hoc tamen non facit, quo minus factum ſit in actione, ſi actor adhuc illud deſideret præſtari. Quo facit *§. 1. & §. 15. I. de A.* vbi actiones in perſonam eæ dicuntur, quibus *dare* vel *facere* oportere aduerſarium intendimus. Quod ſi igitur ad factum agi nequeat, verbum *facere* fruſtra opponeretur *V.* zoesivm *ad π. de V. O. n. 53.*

§. VI. Oritur itaque ex ſolis *dandi* obligationibus: Datur enim non Domino, qui rem non ſuam petit, *arg. l. 1. in f. h. t.* & ita recte petit, vt ſibi detur, cum *dare* ſit transferre dominium, *§. 14. I. de A. l. 75. §. fin. de V. O.* & illa res data dicatur, quæ accipientis ſit *l. 167. de R. I.*

§. VII. Obiicere hic quis poſſet, quod iuxta *l. 1. h. t.* vſusfructus quoque & alia iura per *Triticariam* petantur: *iung. l. 22. §. 1. de condict. indeb. l. 1. de vſufr. leg.* Horum autem conſtitutio

ſtitutio conſiſtit in patiendo, vel non faciendo. *l. 15. de Servit. §. fin. I. ibid.* Hinc acturus contra promiſſorem non poteſt agere vt det, neque etiam vt faciat, ſed vel vt patiatur, vel vt non faciat. Et per conſequens falſum eſt, hanc *Triticariam* oriri e *dandi* obligationibus ſolum. Pro ſalvanda itaque lege dicendum, etiam *e faciendi* obligationibus hanc *Triticariam* oriri, quoniam non facere, ſeu non factum ſub facto continetur. §. *vlt. I. de V. O. l. 2. π. eod. l. 189. de V. S.*

§. VIII. Sed reſpondetur: Omnino vſusfructus aliæque ſeruitutes eadem formula, *dari oportere*, peti poſſunt *l. 56. §. 6. de V. O.* Quorumcunque enim dominium eſt, & nobis abeſt, ea recte petimus, vt dentur, ab eo, qui promiſit. Id quod extra controuerſiam. Vſus fructus autem & ſeruitutum eſſe dominium, diſertis verbis dicitur *in l. 3. π. Si uſusfr. pet. l. 15. §. 8. quod vi aut clam. in l. 8. pr. de bon. auctor. iud. poſſid. Nov. II. c. 4. verſic. ſed & diligent. Nou. XXII. cap. 45. verſ. ſed diligent.* Ergo recte petimus vſumfructum. (ſeruitutem aliam) nobis *dari* debere, non attendentes, quomodocunque hæc datio fiat, an reali traditione, vt ſit in rebus corporalibus, an vero quaſi traditione, quæ obtinet in corporalibus, vt in ſeruitutibus patiendo vel non faciendo, quia tangi non poſſunt, *§. 2. I. de reb. corp. & incorp.* adeoque nec realiter de manu in manum tradi. Quod autem porro dicebatur, *facere* ſub τῶ *non facere* contineri, verum quidem eſt, ſed facere tunc non eo ſignificatu diceretur, quo in formula accipitur, ſcilicet pro tali facto, quo nec res, nec ius per ſe in alterum transfertur. Vide quæ ſcripſi ſupra *C. I. Sect. II. §. 4.*

§. IX. Tantum de cauſa proxima. *Remota* actionis, & proxima obligationis cauſa eſt *contractus, l. 7. pr. de pact. l. vn. C. ſi ſeruus extero. §. 2. I. de O.* non autem, vt facile ex dictis colligere eſt, quilibet, quod hanc *Triticariam* ſpectat, ſed ii, ex quibus obligatur quis ad dandum, ſeu, quod perinde eſt, ex quibus non Dominus agit aduerſus debitorem. Talis eſt ſtipulatio, *l. 1. de condict. Trit.* mutuum, *l. 4. ib. it.* emtio venditio: Re enim nondum tradita venditor manet Dominus *§. 3. in f. I. de empt. vendit.* Caſibus quoque exceptis non oritur hæc

con-

condictio, ſed datur ex contractu illicito, puta furti, rapinæ & violentiæ. *l. 1. in f. l. 2. h. t.* Hæ enim ſunt cauſæ e quibus aliquis rem ſuam petere poteſt, *per d. l. 3. in f.* de quibus infra, vbi de obiecto agetur. Vide MEIERVM *ad h. t. n. 2.*

§. X. *Remotiſſima* vti omnium, ita & noſtræ actionis, & proxima contractuum cauſa eſt *Ius* partim *Gentium*, ex quo omnes pene contractus orti ſunt, *§. 2. in f. I. de I. N. G. & C.* partim *Ciuile. argum. d. §.*

§. XI. Controuertunt hic Dd. quod obligatio non ſit cauſa efficiens actionis, ſed potius contractus, propter *l. 7. pr. de Pact. & l. vn. C. ſi Seruus ext. &c.* ſed facilis eſt conciliatio. Verum eſt, quod contractus etiam ſint cauſæ actionum (ſunt enim cauſæ obligationum, iam vero cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati) ſed mediatæ, ſeu remotæ. Hæc ſi mens eſt illorum, facile largimur, ſin vero, contractus proximas cauſas eſſe, contendunt, negamus. Nam præter textus ſupra allegatos adſunt alii luce meridiana clariores *in l. 3. de rer. permut. toto tit. I. de L. O. l. 53. pr. de O & A.* verb: *ex vna obligatione.* At vero particula *ex* ſignificat cauſam proximam & immediatam *l. eo tempore. 50 in f. de pecul. ibique* GODOFREDVS. *Iuncta l. non dubium. 5. C. de LL.* Deinde in *l. 42. §. 2. de Procurat, & defenſ.* de obligatione dicitur, quod *pariat.* Verbum *parere* vero proprium eſt matrum. *Fonte Latinitatis,* CORVINVS *in verb. Pario.* Adeoque non poteſt dici de remotiori quodam parente, quanquam iis quoque ſuum debeat ortum genitus, non vero immediate, vt matri parienti. Tandem huc facit *pr. I. de A.* vbi actio dicitur ius perſequendi in iudicio, quod nobis debetur, id eſt, ad quod alter nobis eſt obligatus, non vero ſuper quo contraximus.

§. XII. Obſervatu dignum hic eſt, quod inuentiones humanæ procedant ad ſimilitudinem naturæ, & leges naturam ſemper imitari conentur, vt ſcribit BALDVS *ad l. 30. pr. verbo: nominatim imponenda. de* S. P. V. Habent enim ſeſe ad inuicem hæc tria, contractus, obligatio & actio, vt auus, mater & filia, vel quod eodem recidit, vt pater filia & neptis, vti tradunt NICOL. *de* NEAPOLITANO, FABER, ARETINVS, PORTIVS,

TOLLENT *& Dd. communiter. it. Gloſſa in §. f. I. de O. & in l. 11. pr. mand. ibique* SALYCETVS, *it.* ALBANVS *&* BALDVS *ad l. 42. §. 2. de procurator. & defenſ.* Sicut enim filia proxime a matre, remote ab auo ſuam cœpit originem; ita etiam actio immediate obligationi, mediate cotractui ſuos debet natales. Porro, quemadmodum non ſola mater ad pariendum ſufficit, ſed coniunctio ſeu cooperatio viri accedat neceſſe eſt: ita etiam non ſola naturalis obligatio, tanquam mater producere actionem pollet, ſed aſſiſtentia obligationis ciuilis, tanquam mariti opus habet, vti poſt BARTOLVM & alios declarat ARETINVS Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, cum primario ad inſtitutum noſtrum non faciant.

§. XIII. Vidimus hactenus cauſam efficientem principalem. *INSTRVMENTALIS CAUSA,* cuius beneficio actio in iudicium deducitur, eſt *LIBELLUS,* BACHOVIVS *de A. D. 1. th. 34. l. 1. de Edendo l. 3. C. eod.* Quum vero ad eſſentiam libelli tria requirantur, (1) facti, quod narratur, ſeu rei, quæ petitur, ſignificatio; (2) cauſa petendi, ſeu medium concludendi; (3) ipſa petitio ſeu concluſio: ZASIVS de *Action pr. n. 14.* vel breuius ea, quæ ſequenti verſiculo complexus eſt HOSTIENSIS,

Quis, quid, coram quo, quo iure petatur & a quo.

& vero hæc pro varietate contractuum varient, ideoque ad certam quandam ſpeciem reſtringamus hic libellum neceſſe eſt, vnica ſaltim formula exempli loco contenti. Caſus eſto talis; *Titius* ſtipulatus eſt a *Sempronio* centum amphoras vini Campani optimi, Calendis Ianuariis dandas. Tempore elapſo *Sempronius* promiſſo non ſatisfacit. Adit igitur *Titius* (olim Prætorem, vel alium magiſtratum) iudicem, eiusmodi exhibens libello intentionem ſuam hoc fere modo: Sempronius centum amphoras vini Campani optimi Calendis Ianuariis ex ſtipulatu dare mihi obligatus eſt, nec tamen tempore deſtinato dedit, peto, Dn. iudex, reum condemnari, & compelli ad centum amphoras vini Campani optimi mihi dandas, vel quod ſi non poſſit, peto, vt arbitratu tuo in æſtimationem earum eum condemnes. *Vid.* MEIERI *Collegium Argentorat. ad P. de*

Digitized by Google

de Edend. n. 17. & OBRECHT *ibi citatus*, TERMINEVS *in proceſſu, c. 149.*

§. XIV. Propoſita hoc modo actoris intentione, & auditis exceptionibus, Prætor aliique magiſtratus, qui ius dandi iudices pedaneos habebant, *Vid. l. 1. C. de iudic. Ped.* cum ipſimet non niſi raro & extra ordinem iudicarent, *Magnif.* DN. PRAESES *Diſſ. XX. aph. 14. e. g.* cum perplexa incideret quæſtio RAEVARDVS *Lib. ſing. Protribunalium c. 11.* vel ob certarum cauſarum & perſonarum ſingularem fauorem & conditionem, *Vid. l. 75. de iudic. l. 24. §. 2. de R. V. &c.* DN. STRVVIVM *S. I. C. Exerc. IV. th. 23.* cognoſcebant, an & qualis actio competeret; & cum cognouiſſent, dabant iudicem, in quem litigantes conſenſerant, (invitis enim non obtrudebatur) IACOB. RAEVARDVS *loc. cit.* & formulam concipiebant, ſecundum quam actor ageret, & datus iudex iudicaret. DN. STRVVE *d. Exerc. th. 44.* In noſtra actione forſan talis fuerit: Si patet, Titio Sempronium centum amphoras vini Campani optimi debere, neque arbitratu tuo dederit, condemna iudex.

§. XV. His mos dandi iudices Pedaneos (*teſte* BACHOVIO *Exerc. ad Error. Pragmat. II. Dec. 83.*) tempore Iuſtiniani & iam longe ante deſiit, & ipſi magiſtratus iudicare & ſententiam dicere cœperunt, *V.* DN. STRVVE *d. Exerc. th. 24.* vt adeo iure nouo Iuſtinianeo ipſi iudici libellus offeratur. *Auth. offeratur. C. de L. C.* Nou. *53. cap. 3. §. ſancimus. Nou. 112. cap. 1. Magnif.* DN. PRAESES *Differt. XXIV. aph. 5.* Tantum de cauſa efficiente.

§. XVI. *FINIS* Condictionis Triticariæ eſt vel *cuius*, vel *cui*. *Finis cui*, eſt ipſe actor, ſiue is, cuius nomine actio inſtituitur. *Finis cuius*, ad quem actio tendit, eſt vel res, vel rei æſtimatio, a debitore danda, & actori a iudice adiudicanda, vti partim ex definitione, partim ex intentione actoris in libello contenta liquet.

SE-

SECT. III.

De cauſa materiali.

§. I.

PErſpectis cauſis externis, ad internas progreſſum facimus, & I. quidem ad materiam. *MATERIA* triplex perhibetur a Philoſophis, *vel in qua, vel ex qua, vel circa quam. Materiam ex qua* accidentia non agnoſcunt. Præſentis igitur conſiderationis tantum erunt materia in qua, & materia circa quam.

§. II. *Materia in qua* ſeu *ſubiectum* iterum eſt *duplex, vel agens*, cui ius ſeu facultas condicendi competit, vel *patiens*, cui condicitur. Circa primum videndum, quinam condicere queant, vbi *duo requiſita* ſunt attendenda, vnum *generale*, condictioni Triticariæ cum reliquis actionibus *commune*, & alterum *ſpeciale & huic* condictioni *proprium. Generale ſeu commune* eſt, vt acturi obligari, contrahere & conſentire queant. Quinam vere hi ſint, qui obligari & contrahere poſſunt, vltro apparebit, vbi remouerimus eos, qui hac facultate deſtituuntur.

§. III. Denegatur ſcilicet hæc facultas vel per ætatem nondum capacibus, vt ſunt infantes; in iis enim perfectus rationis vſus ſeſe nondum exſerit, adeo, vt ne tutore auctore obligari poſſint. §. *10. I. de inutil. ſtipulat.* Vel per ætatem quidem capacibus, ſed propter extrinſecum quendam defectum impeditis. Defectus ille eſt vel naturalis, vel moralis, vel ciuilis. Naturalis eſt (1) in ſurdis & mutis, qui eiusmodi contractus celebrare nequeunt, vbi ſermone opus eſt, *l. 4. §. 1. de Pact. l. 48. de O. & A.* (2) in furioſis & mente captis, Vterque enim mente caret, §. *1. I quibus non eſt permiſſ. fac. teſtim.* & furioſus nec intellectum habet, §. *8. I. de inutil. ſtipul.* nec voluntatem *l. 40. de R. I.* Hinc etiam nec obligat, nec obligatur, *l. 1. §. 12. de O & A.* ne quidem curatoris autoritate. *l. 5. de R. I.* Si tamen dilucida habeat interualla, ea, quæ in furoris intermiſſione ſunt geſta, rata manent. *d. §. 1. I. quib. non &c. & l. 9. C. qui teſtim. fac. poſſ.* Moralis defectus eſt in ebriis extreme, hi enim

Digitized by Google

enim æquiparantur furioſis. Et SENECA *Epiſt. 83.* ebrietatem voluntariam inſaniam dicit. Ciuilis defectus eſt [1] in prodigis, quibus bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta eſt, *§. 2. I qu. non eſt perm. &c. l. 10. de curat. fur.* [non vero in prodigis moraliter tantum] eorum enim perinde vt furioſorum nulla eſt voluntas. *d. l. 40. de R. I.* Non tamen per omnia ſunt furioſis ſimiles, ſed in eo ſaltim, quod obligari nequeunt; in eo enim qua bona ſua furioſum faciunt exitum. *l. 22. in f. de tut. & curat. datis.* In obligando vero & acquirendo furioſis ſunt diſſimiles, & geſta eorum ſunt firma. *l. 6. de V. O.* [2] In Seruis; Hi enim ex ſua perſona nec obligant, nec obligantur *l. 14. de O. & A. l. 22. de R. I.* nec locum habent ſtandi in iudicio. *l. 6. C. de iud.*

§. IV. *Speciale* requiſitum *& proprium* huic condictioni Triticariæ eſt, vt acturus ſit *non Dominus:* Et hoc quidem regulariter. Irregulariter enim agit Dominus ex iis cauſis, ex quibus poteſt *l. 1. §. 1. & l. 2. de Cond. Trit.* Habet autem hanc actionem non ſolum non Dominus, ſed etiam eius hæredes. Eſt enim hæc actio perſonalis, perſonales autem actiones hæredibus quoque dantur, ſiue obligatio veniat ex contractibus licitis *l. 12. de Condict. indeb. l. 31. §. 5. de ædilit. edict. l. 2. §. fin. fam. erciſc.* etiamſi hæredum nulla facta ſit mentio *l. 13. C. de contr. ſtipul. l. 9. de probat. l. 8. §. 4. de pignorat. A.* niſi aliter ſit conuentum: tunc enim hæres agens exceptione pacti conuenti ſummouebitur *l. 56 §. 4. de V. O.* Siue ex delictis priuatis, tam rei perſecutoriis *l. 21. §. 5. rer. amot. l. 1. §. 44. de vi & vi arm. l. 13. pr. de dolo*; quam pœnalibus *§. 1. I. de perpet. & tempor. A. l. 1. §. 1. de priu. delict. l. 47. de furt.* excepta iniuriarum actione, & ſi qua alia ſimilis *d. §. 1. I. de perpet. &c.* niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata *d. §. & l. 87. 139. & 164. de R. I.* tunc enim hæc actio in hæreditate eſt, & in bonis computatur *l. 28. de iniur.* Actiones autem ex delictis extraordinariis ſeu publicis dantur quidem etiam hæredibus, ſed non vt hæredibus, verum vt cuiuis e populo *l. 5. §. 5. & vlt. de his, qui deiec. vel effud. l. 3. in f. de accuſat. l. ult. §. 1. C. ſi reus vel accuſ. mortuus* DN. STRVV. *Exerc. XLVI. Th. 85.*

Digitized by Google

§. V. Hæc de ſubiecto agente. *Subiectum patiens*, ſeu is, contra quem actio hæc ſeu condictio inſtituitur, eſt *omnis ille, qui ſeſe obligauit*, vel per contractum, vel interdum etiam per delictum, vt qui furatus eſt, vel rapuit, vel vi deiecit *l. 1. & 2. h. t.* ſiue habeat rei promiſſæ dominium, & hoc rurſus vel plenum, vel vtile tantum, vt qui fundum vectigalem dare promiſit *l. 1 h. t. de Cond. Trid.* ſiue minus, & ſic rei alienæ promiſſor. Nam difficultas præſtandi debitorem non liberat *l. fin. de A. empti l. 2. §. 2. inf. de V. O.* Sed ad incommodum promiſſoris, non ad impedimentum ſtipulatoris pertinet, alioquin & is dare non poſſet, qui Stichum alienum promiſit, vt eſt *in l. 137. §. 4. de V. O.*

§. VI. Non autem contra ipſos obligatos ſolum, ſed *etiam contra hæredes* eorum hæc actio protenditur. Hi enim in eiusmodi perſonalibus actionibus non tantum tenentur ad id quod ad eos peruenit, ſed in ſolidum, & quidem ſi plures fuerint, quilibet pro rata parte *l. 1. C. Si certum pet. l. 2. C. de hæred. A. l. 35. §. 1. de hæred. inſtit.* modo id, quod debetur, recipiat diuiſionem. *l. 2. §. 2. de V. O.* Niſi dolus interuenerit, tunc enim aliud in ſtricti iuris, aliud in b. f. obligationibus obtinet. In illis non tenentur hæredes in ſolidum, ſed quatenus ad eos peruenit *arg. l. 121. §. fin. de V. O. & l. 19. iudic. ſolui*, vt lucrum iniuſtum iis auferatur *l. 3. pr. de vi & vi arm.* ne fiant locupletiores damno alterius *l. 206. de R. I.* Excipe (1) ſi cum defuncto eſt conteſtatio litis facta, tunc enim in ſolidum tenentur hæredes, vti in actionibus ex delictis poſt litis conteſtationem *§. 1. I. de perpet. & temp. A. l. un. C. ex delict. defuncti in qu. hær. &c. l. 164. l. 39. l. 139. de R. I.* Per litis conteſtationem etenim contrahitur quaſi in iudicio *l. 3. §. 11. de pecul.* & actiones in tutum rediguntur *l. 24. de liber. cauſa* zoes. *ad P. de O. & A. n. 78.* (2) cum per ſtipulationem adiecta eſt clauſula; *Dolum malum abfuturum*; tunc enim etiam tenentur in ſolidum hæredes. *l. 121. de V. O. & l. 19. iudic. ſolui.* In his vero ſc. in contractibus b. f. in quibus præſtatio doli ineſt, hæredes ob dolum defuncti tenentur in ſolidum, ſiue peruenerit, ſiue minus. *l. 152. de R. I.* & iuxta hanc legem explicanda *l. 157. ib. l. 12. l. 49. de V. O.*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII. In arbitrariis actionibus, qualis & noſtra eſt, (*vt dicetur infra*) qua præſentem caſum idem obtinere putamus, quod in actionibus b.f. Eatenus enim iis arbitrariæ ſunt ſimiles, quatenus arbitrium iudicis in his tantum pollet, quantum in illis bona fides. ZAS. *ad* §. *31. de A. n. 4.* BACH. *de A. D. 7. Part. 1. Th. 1. inf. & Th. 2.*

§. VIII. Diximus de materia in qua, nunc etiam de *materia circa quam* ſeu obiecto agendum. *Obiectum* autem eſt duplex, *materiale* & *formale*. *Obiectum materiale* huius condictionis eſt res quæuis, tam certa & corporalis, vt Stichus, quam incerta & incorporalis, vt vſusfructus aliaque iura, tam mobilis, vt mercis quoddam genus, quam immobilis, vt fundus etſi vectigalis ſit *l. 1. & t. t. de Cond. Trit.*

§. IX. Diximus (1) obiectum huius Condictionis eſſe *rem quamuis*. Vbi notandum, controuerſum eſſe hoc obiectum inter Dd. quibusdam rem præciſe, quibusdam ſolam æſtimationem hac peti volentibus. Qui rem præciſe in Triticariam venire contendunt, hos inter eſt ANT. FAB. *Err. Pr. 1. Dec. 83. & Err. 7. & 10. Dec. 84.* Quam opinionem ſufficientiſſime refutauit BACHOV. *in Exerc. ad Err. Pr. & de A. D. 4. Th. 13. inf.* Digitum ergo huc ſaltim intendiſſe nobis ſufficiat. Qui vero ſolam æſtimationem obiectum huius Tritic. ſtatuunt, ſunt CVIACIVS *in Parat. h. t.* & qui ipſum ſequuntur. Quod qua fronte contra expreſſum textum *l. 1. h. t.* dicant, videant ipſi.

§. X. Diximus (2) *tam corporalis quam incorporalis*. De *corporalibus* non eſt dubium. *Incorporales* quod per Triticariam petantur, docet *lex 1. h. t.* Datur enim hæc condictio ad vſumfructum aliaque iura, quæ incorporalia ſunt, §. *2. I. de reb. corpor. & incorporal.* Et in eo differt a condictione certi, quæ vti ſaltim datur ad res certas, ita etiam ad corporales tantum. Iura enim vt iam dicetur, ſunt incerta. Obiter hic notamus, quod res corporales & incorporales accipiamus in famoſiori ſignificatu, quo accipiuntur *in d. t. inſtit.* non quatenus res corporalis v. g. pecunia vt certa quantitas ratione valoris conſiderata, rebus corporalibus opponitur, *vt in l. 46. de cond. indeb.* Hinc fruſtra reprehendit Cuiacium ANT. FAB. *Err. Pr. 4. Dec. 48.*

Uuuu 2 quod

Digitized by Google

quod per condictionem certi ſaltim res corporales, & per Triticariam incorporales quoque peti dixerit, cum tamen per illam, non autem per hanc pecunia petatur, quæ rebus corporalibus contradiſtinguatur *in l. 46. de Condict. indeb.*

§. XI. Diximus (3) *tam certa quam incerta. Certum* quid ſit, docet *l. 6. de reb. cr. & l. 74. de V. O* nimirum cuius ſpecies vel quantitas aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quæ nominis vice fungitur, oſtenditur. Nomine ſuo oſtenduntur ſpecies, i. e. ſubſtantiæ primæ, ſeu indiuidua, vt Stichus, quodſi tamen plures Stichos habeat v. g. promiſſor, alia inſuper adiicienda eſt denominatio, puta: Verna, hoſtis (*i. e. peregrinus*) nuper in bello captus, non ita pridem emptus &c. *dd. textus & arg. l. 75. de V. O.* Demonſtratione oſtenduntur quantitates, & quidem demonſtratione vel numeri ſolius, vt plerumque in pecunia numerata v. g. decem aurei [interdum enim quando pecunia vt ſpecies eſt in obligatione, qualitas quoque addi debet, v. g. centum aurei Rhenani] vel numeri & qualitatis ſimul; & tam eius, quæ ipſi rei eſt intrinſeca, quam illius, quæ extrinſecus ratione loci accedit v. g. centum modii tritici Africani optimi *dd. text.* Niſi quantitas promittatur vt ſpecies, puta, vinum, oleum, triticum, quod eſt in horreo, illud enim iam ſatis certum eſt, per relationem, vt Dd. loquuntur, nec alia demonſtratione indiget. *d. l. 75. §. 5. de V. O. V. Diſſert. ſupra laudatam de Condict. Furt. C. 3. Th. 1.* Quod autem res certæ per Triticariam petantur, iam conclamatum eſt. *Incertum* quid ſit ex oppoſiti cognitione iam ſatis eluceſcit. Res autem incertas per Triticariam poſtulari diſcimus ex *d. l. 75. §. 3.* vbi vſumfructum ſtipulatus incertum in obligationem deduxiſſe dicitur, ſub ampliatione, etiamſi fundi certi vſus fructus fuerit *Add. §. 7. d. l.* iam vero vſumfructum aliaque iura per Triticariam, peti, in terminis dicit VLPIANVS *in l. 1. h. t.*

§. XII. Denique (4) diximus *tam mobilis quam immobilis, vt fundus, etſi vectigalis ſit. l. 1. h. t.* Per fundum vectigalem intelligimus fundum emphyteuticarium. Hoc enim ſuadet Rubr. *Si ager vectigalis i. e. emphyteuticarius petatur.* Profert autem hæc verba *Vlpianus in d. l.* cum ſingulari emphaſi, præmiſſa

miſſa particula ETSI, quaſi dubium quoddam remoturus. Vnde non adeo inutilis erit inquiſitio, vt vt ab Interpp., in quantum ego quidem noverim, neglecta, in rationem illam dubitandi, quare fundus vectigalis hac actione peti nequeat. Videtur autem deſumi poſſe illam *ex l. 1. Si ager vectigalis &c.* vbi is, qui vectigalem agrum tenet, dominus eſſe negatur. Iam vero per hanc condictionem petimus dare oportere debitorem. Dare autem eſt dominium transferre §. 14. *I. de A.* Quod ſi ergo poſſeſſor fundi vectigalis dominus non eſt, nec poteſt fundus ab eo dari, neque per conſequens peti, vt detur. Ratio decidendi deſumi poteſt *ex l. vlt. C. de iure Emphyt. it. ex l. 71. §. fin. de leg. I.* imo partim *ex ipſa l. 1. Si ager vectigal. &c.* Ex illis enim apparet, quod qui hoc iure emphyteuſeos gaudet, idem pene poſſit quod dominus. Poteſt ius ſuum alienare, in teſtamento legare, vindicare. Inde *in l. 12. inf. C. de fundo patrimon.* dominus vocatur, & *in N. 7. C. 1. verſ. alienationis*, hoc ius non longe ab alienatione conſiſtere dicitur. Ad rationem dubitandi reſpondetur diſtinguendo inter dominium directum, & inter dominium vtile. Quoad dominium directum recte dominus eſſe negatur emphyteuticarius *in d. l. 1. Si ager vectigal. &c.* At quoad dominium vtile, omnino eſt dominus & eandem circa ius ſuum poteſtatem habet, quam dominus directus circa proprietatem propter textus pro ratione decidendi allatos. *Confer.* DN. STRVV. *Exerc. XI. Th. 54. 55. 68. 69. & 71.*

§. XIII. *Obiectum formale*, ſeu *modus conſiderandi*, eſt duplex: *Communis* cum aliis condictionibus, *& proprius*, ſoli Triticariæ. *Communis conſiderandi modus* eſt *quatenus res ad dandum apta*, ſeu quod idem eſt, *quatenus rei dominium ad petentem transferri poteſt.* Rem enim ſuam per Triticariam nemo petit *l. 1. §. 1. h. t.* imo per omnem condictionem, *V. l. generaliter loquentem ult. in fin. Uſufr. quemadm. cau.* cum omnis condictio (propriiſſime ſic dicta) non domino detur. DN. BRVNNEMAN. *ad P. de Cond. furt. in pr.*

§. XIV. Opponitur hic I. quod in *all. §. 1. h. t.* dicatur, *rem ſuam quem furi condicere poſſe* & *in l. 2. ib.* Dominus vi

 fundo

Digitized by Google

fundo deiectus fundum condicere poteſt, vel, ſi dominus non eſt eius poſſeſſionem, poſſeſſio autem dicitur reſtitui, non dari §. 1. *I. de Interdict. verſ. aut cum iubet ei, &c. &* §. 6. *ibid.* Eiusdem cum *d. l. 1. h. t.* tenoris ſunt *l. ult. in f. Uſufr. quemad. cau. &* §. 14. *l. de A.* Aut ergo res furtiua, quæ domini manet, amplius eius fieri poteſt, quod tamen eſt contra §. 14. *I. de A.* & fur id, quod nunquam habuit, in alium transferre valet, quod impoſſibile; aut vero ita adverſus furem agi nequit, quod tamen diſertis verbis in legibus oppoſitis dicitur. Hoc vtrinque feriens dilemma varias extorſit reſponſiones.

§. XV. *Gloſſa add.* §. 14. ita rem explicat, quod condictione quidem ad rem propriam agi poſſit his verbis, *dari ſibi oportere*, reapſe vero agi ad reſtituendum. Sequuntur *Gloſſam* ZASIVS *ad d.* §. 14. *n. 11. & ſeqq.* WISSENB. *ad P. de Condict. furt. Th. 1. & ex parte* BACHOV. *de A. D. 4. Th. 20. lit. A.* Reiicit hanc Explicationem FRANTZK. *Exerc. XIII. Qu. 5. n. 24.*

§. XVI. IAS. *in d.* §. 14. *n. 33. & 34.* ANGEL. *ibid. n. 2.* BART. *in l. 29. de V. O.* ideo dicunt hac formula contra furem agi, quod re extincta teneatur ad dandam æſtimationem *per l. 8. pr. de Cond. furt.* quam ſententiam probant IOH. FAB. *ad* §. 14. *n. 11. &* HOTOM. *ad d.* §. 14. *&* EPIT. *ad P. de Cond. furt.* §. 4. *p. L. 29. de V. O.* ex qua elicit, non ſimpliciter contra furem agi *dare oportere*, ſed ita: *quod ex cauſa furtiua dare ipſum oporteat.*

§. XVII. Sed & hæc enodatio non per omnia ſatis facit FRANZKIO *loco citato.* Quapropter *num. 29. & 30.* ipſam imperatoris rationem arripit *ex d.* §. 14. & dicit odium furis, quo pluribus actionibus teneatur, facere, vt ſpeciale quid & exceptio a regula conſtituatur. Idem ſentit DONELL. *ad d.* §. 14. *n. 16. quod ſc.* ex odio furis fingatur res in ipſum translata, quo ad dandum conueniri queat. Adſtipulantur *Donello* LVDW. *ad d.* §. 14. BORCHOLT. *ad d.* §. *n. 16.* ZOES. *ad P. d. Cond. furt. pr.* DN. BRVNNEM. *add.* §. *& nouiſſime ab P. de Cond. furt. n. 3. & ſeqq.* BACHOVIVS quoque *loco ſupra cit.* eo tandem inclinare videtur.

§. XVIII. Nec eſt quod dicatur, ſubinde tamen recurrere ea dubia (*r*) quod contra regulas & omnem rationem res alicu-

alicuius propria, adhuc eius fieri poſſit & (2) quod fur dominium, quod nunquam habuit, dandi facultatem habeat. Id quod ZASIVM permouit, vt *ad d.* §. *14. num. 13.* inuitis dentibus cogi ſe dicat arripere opinionem Gl. quod contra fuerem petatur res reſtitui, licet ex condictione, alias, *inquit*, nitemur ad impoſſibilia. Idem BACHOVIVM fere induxit, Ita enim ille *l. c. Sed quicquid etiam moueamus, incidere nos pene oportet in opinionem Gl. quod condictio &c.* Nam in eo conſiſtit exceptionis & ſpecialitatis formalitas quod irregularis eſt. Si enim condictio aduerſus furem ad regulam condictionum quadraret, non eſſet exceptio, nec tanquam ſpeciale quid ab Imperatore *in d.* §. *14.* proponeretur *Conſ.* DN. PR. *Diſſert. ſæpe alleg. c. 4. T. 5. & 6.* Neque adeo mirandum eſt, cum omnis condictio, iuxta tritum, contra furem degeneret. Hinc etiam datur contra regulam *in l. vn. C. ex delict. defuncti &c.* aduerſus hæredes in ſolidum etiamſi ad eos non peruenerit *per l. 9. de Cond. furt.* id quod tamen communi Dd. calculo confirmatur & confirmari debet propter expreſſum textum *d. l. 9.* vix vllo præter CVIAC. diſſentiente ZOES. *ad P. de Cond. F. n. 8.* Huc accedit quod in condictionem contra furem etiam veniat æſtimatio *l. 8.* §. *1.* fructus *d. l. in f.* & intereſſe *l. 3. de Condict. furt.* quæ omnino verbo *dari oportere* petenda ſunt.

§. XIX. II. Huic regulæ, quod nemo rem ſuam condicere poſſit, opponitur *l. 9.* §. *1. de reb. cr.* verb. *Competit hæc actio etiam ex legati cauſa &c.* Iam vero legatarius dominus efficitur & habet rei vindicationem *l. 1. C. commun. de leg. l. 64. de furt.* Ad hoc quoque dubium non vno modo reſpondetur.

§. XX. BACHOV. *D. IV. de A. Th. 10. lit. c.* dicit, legatarium & in rem & in perſonam actionem inſtituere poſſe, ſalva iſta regula, ſed diuerſo reſpectu: ita ſc. vt in rem actionem, ſeu rei vindicationem inſtituat, quatenus poteſtate iuris dominus eſt factus; in perſonam vero actionem, ſeu condictionem, contra hæredem, quatenus is ipſi per aditionem eſt obligatus §. *5. I. de O. quæ qu. ex contr. naſc. l. 5.* §. *2. de O. & A.*

§. XXI.

§. XXI. Placet præ aliis ZAS. *ad d. §. 14. n. 5.* qui hanc regulam limitat, quod tunc procedat, ſi res iam perfecte mea ſit, ſin vero mea ſit imperfecte & certó tantum reſpectu, nihil impedire, quo minus condicere queam. Licet enim res legata mea ſit ſubtilitate & poteſtate iuris ciuilis, nihilominus tamen ſolidius & perfectius dominium conſequi poſſim per realem apprehenſionem, ſi agam condictione vt mihi detur, idque confirmat exemplis *vaſalli, uxoris, mortis cauſa donationis &c.* Et hoc eſt, quod IAS. *ad l. 9. de reb. cr. n. 31.* ſcribit, condictionem non concurrere cum dominio directo & naturali, ſed bene cum dominio, quod nudo iure ciuili quæſitum eſt.

§. XXII. Egimus hactenus de formalitate obiecti condictionum in communi. *Proprius obiecti conſiderandi modus* in hac condictione eſt *quatenus res eſt æſtimabilis.* Hinc ratio petenda eſt, quare pecunia numerata excludatur ab obiecto huius condictionis *in d. l. l. 1. h. t.*

§. XXIII. Anxie nimirum diſquiritur inter Dd, quare ſola pecunia numerata per hanc Triticariam peti nequeat. Negant quidam rationem concludentem hic adduci poſſe, ſed cum hoc iuris ſit poſitiui ſufficere pro ratione voluntatem *V.* PORT. *de V. O.* CASTRENS. SALYC. *ad l. 1. h. t.* BARTOLVS *ad l. h. t.* ait, eum forſan, qui hanc Triticariam induxit, fuiſſe fratrem minorem ſeu Franciſcanum, qui omnes res accipiunt præter pecuniam, vel (cum hoc minus quadraret) aliquem Philoſophum cuius profeſſio fuit, vt pecuniam reſpueret. Luſum hunc eſſe Bartoli nemo non videt, præprimis cum meliorem afferat rationem, quæ etiam apud BALDVM habetur *in d. l. 1. & fin. h. t.* quod condictio Triticaria pro iis rebus detur, quarum æſtimatio ex tempore & loco variatur, in quarum rerum numero pecunia non eſt, cuius vna eademque certa & perpetua æſtimatio eſt *l. 3. de in lit. iur. l. 1. de contr. emt.*

§. XXIV. Reprobat hanc rationem MENOCH. *de Rec. Poſſ. Remed. 3. n. 2.* & dicendum putat, ideo non fuiſſe conceſſam hanc condictionem pro pecunia numerata, quia ſatis erat ſuccurſum certi condictione. Hæc ſententia eſt etiam TREVTLERI *ad*

Digitized by Google

RI *ad h. t.* quam tamen reiicit BACHOV. *ad eund. D. 23. Th. 2. lit. B.* quod hac ratione ad nullam rem dari poſſit Triticaria, quia etiam pro cæteris rebus ſufficeret Condictio certi vel incerti, & *de A. D 4. Th. 13.* hanc veram eſſe rationem tradit, quia pecunia per nullam aliam rem æſtimatur, ipſa autem res æſtimantur omnes *ſec. l. 42. in f. de F. iuſſor.* conſentit WESENB. *ad. h. t. n. 1.* WISSENB. *ad h. t. ibique alleg Dd.* LINDENER *concil 17. n. 12.* FRANZK. *ad h. t. n. 5.* DN. STRVV. *Exerc. 18. Th. 63 &* DN. BRVNNEM. *nouiſſime ad h. t. n. 3.*

SECTIO IV.
De Forma.
§. I.

HActenus de Materia actum fuit, FORMA Condictionis Triticariæ conſiſtit in eo, quod ſit *actio arbitraria in perſonam ciuilis V. C. A* MEIER. *ad h. t. n. 3.* Ita enim (1) quod *arbitraria* eſt, diſtinguitur a condictione certi & aliis quæ ſtricti iuris ſunt. WISSENB. *ad h. t.* Quod autem condictio certi ſtr. i. ſit, argumento nobis eſt §. *28. I. de A.* in quo iuxta commune Dd. inſtitutum omnes actiones b. f. enumerantur *V.* DN. PR. *Diſſ. 22 Th. 13. &* BACHOV. *de A. D. 6. Th. 3.* multis rationibus hoc demonſtrantem; inter eas autem ibidem non refertur condictio certi, neque etiam in arbitrariis locum reperit, ergo ſtricti iuris ſit oportet. *Nec obſtat. L. penult. de Cond. indeb.*

§. 2 (II) Dicitur arbitraria *in perſonam*, & ita diſcernitur ab actionibus arbitrariis *in rem*, vt rei vidicatione (quam *per l. 68. de R. V. & l. 5. de in lit. iur.* recte arbitrariam dicit CVIACIVS diſſentiente *ad rubr. de R. V.* ACCVRSIO) Publiciana, Seruiana, quaſi Seruiana §. *31. I. de A.* (3) Appellatur arbitraria *ciuilis* & per hanc particulam ſeiungitur ab actione de eo, quod certo loco, quæ eſt arbitraria Prætoria *. l 1. verba fin. de eo quod certo loco & Dd. commun. ad d. l.* Fuerunt quidem, qui omnes arbitrarias Prætorias eſſe contendere, ſed horum opinionem recte improbat. A. FAB. *Err. Pr. 5. Dec. 89.* & ſatis refutat exemplo rei vindicationis BACHOV. *D. 7. de A. Th. 6.*

Xxxx §. III.

Digitized by Google

§. III. Quod condictio Triticaria ſit actio in perſonam ciuilis in aprico eſſe autumo. Arbitraria quod ſit, magis eſt abditum, vt ergo etiam huic dicto ſua conſtet lux, operæ pretium erit rem paulo altius repetere. Supponendum ſcilicet (1) eſt iuxta celebratiorum opinionem, quod actiones arbitrariæ propriam & actionibus b. f. & ſtr. iuris contradiſtinctam ſpeciem conſtituant. Id quod patet ex §. *31. I. de A.* ex quo §. *28. d. t.* eſt ſupplendus DONELL. *ad* §. *28. I. de A. it. ex l. 5. de in lit. iur. & l. 3. §. 1. de Vſur.* DN. PR. *Diſſert. 22. Aph. 14.* Imo vel hoc ſufficienti eſt argumento, quod hæc diſtinctio actionum in b. f. & ſtr. I. ſit actionibus in perſonam propria vt oſtendit BACHOV. *de A. D. 6. Th. 1. & D. 7. P. 1. Th. 1. in f. &* FRANZK. *Exerc. 13. Q. 2.* arbitrariæ actiones vero & in rem & in perſonam eſſe dicuntur, *in d.* §. *31. I. de A.* (2) notandum quod arbitrariæ dicantur ab arbitrio, quatenus ſignificat iuſſum iudicis ſententiam definitiuam antecedentem §. *31. I. de A. iunct.* §. *27. I. ib. l. 18. de dol. mal. l. 68. de R. V.* BACHOV. *de A. D. 7. P. I. Th. 2.* LVDW. *ad d.* §. *31. n. 2. &* BORCHOLT. *ib. n. 3.* non vero quatenus denotat facultatem iudicis ex bono & æquo iudicandi, vt in *l. 7. de contr. empt. in l. 1. de leg. 2. l. 22. de R. I.* & aliis quam plurimis, ſic enim etiam actiones b. f. eſſent arbitrariæ, quia in iis quoque iudex liberam poteſtatem habet, ex bono & æquo iudicandi §. *30. I. de A.* quanquam etiam in arbitrariis iudex condemnans rationem æquitatis habere debeat, ſed, vt dixi, præcedente arbitrio alio, ſeu iuſſione quæ in b. f. iudiciis non requiritur. LVDW. *d. l. n. 15.*

§. IV. His ita præmiſſis dicimus condictionem Triticariam eſſe, actionem arbitrariam, vbi regulariter iuſſus iudicis ad dandum antecedit, & ſi non paretur, condemnatio iudicis ad æſtimationem conſequitur. idque (1) probamus *per* §. *31. I. de A.* verb. *& cæteris ſimilibus*, ex quibus plures arbitrarias enumeratis in *d.* §. dari colligimus. (2) *ratione:* Ideo enim in Tit. noſtro promiſcue & rei & æſtimationis ſit mentio, vt intelligamus & ad rem & ad æſtimationem pro re nata condemnare poſſe iudicem. Denique (3) nec auctoritatibus deſtituimur Doctorum, qui Triticariam noſtram inter arbitrarias

Digitized by Google

rias ſcripſere, vt ſunt CVIAC. HOTM. & WISSENB. *ad h. t.* BACHOV. *ad Err. Pr. 4. Dec. 84. n. 9.* BORCHOLT. *an §. 31. I. d. A. n. 5.* AEGID. HORTENS. *ad tit. de eo quod certo loco* IACOBVS GODOFREDI *in Manuali.* DN. STRVV. *Exerc. 46. Th. 73. V. C. A.* MEIER. *ad h. t. n. 3.*

CAPVT. III.
Tradens diuiſionem, officium iudicis & adiuncta.

SECTIO I.
De Diuiſione.

§. I

CONdictio vt genus plures ſub ſe complectitur ſpecies, & has inter etiam noſtram Triticariam, quæ eatenus ſpecialis dici poteſt. Alias obiectiue conſiderata, quatenus non vnam ſpeciem certi vel incerti pro obiecto habet, ſed promiſcue plures, rectius generalis audit BACHOV. *de A. D. 4. Th. 13.* Iſtæ vero condictionis ſpecies diuiduntur in *ſpeciales*, quæ non tantum differentia ſpecifica a genere, ſed etiam a reliquis ſpeciebus per proprium nomen & formam diſcernuntur, quales ſunt *condictiones ex mutuo, verborum obligatione, indebito* & reliquæ, vbi *dare, facere* oportere intenditur: & in *generales*, quales ſunt, quæ certo nomine ex contractu deſtitutæ exinde naſcuntur, quia in creditum itum eſt, & ſub hac conſideratione, quatenus in creditum itum eſt, concurrunt cum omnibus actionibus perſonalibus contractus nomen habentibus, ſi modo *dari fierive* intendatur. *l. 28. de iure i. V. Diſſert. ſæpe alleg. de Cond. F. C. 3. Th. 7. & 8.*

§. II. Eiuſmodi generalis condictio quoque noſtra Triticaria eſt, quam ratione obiecti hic *diuidimus in Triticariam certi,* qua res certas, & *in Triticariam incerti,* qua res incertas perſequimur. Non obſtat *l. 8. P. V.* in qua permitti videtur actio incerti pro pecunia, quæ tamen omnium conſenſu res certa eſt. Reſpondemus enim ex mente BACHOVII

Digitized by Google

Exerc. ad Err. Pr. 8. n. 1. & 2. in f. Dec. 83. actionem in *d. l.* incerti dici non ratione obiecti, ſeu in relatione ad pecuniam, ſed ratione cauſæ producentis hanc actionem, quæ cum ſit conuentio certo nomine & certa forma deſtituta, haud incommode incerti actionem i. e. P. V. producere dicitur. Sic etiam videmus Stichum peti poſſe eadem incerti actione *in l. 7. 2. de Pact.* It. id quod precario rogatum eſt *in l. 19. §. 1. de precario.* In precarium autem & res certæ & incertæ incidunt. *l. 3. 4. & 11. h. t.* Sed rectius dici puto, inde actionem incerti pro pecunia competere, quia contractus non purus, ſed conditionalis celebratus erat. Si de furto compertum non ſit, & dominus non ſeruum, ſed eius æſtimationem elegerit, quod quia tempore conuentionis adhuc erat incertum, ex eo actio incerti præſcriptis verbis naſcebatur, vt ita & obiecti ratione actio incerti ſit.

§. III. Offert ſeſe hic quæſtio, an etiam aliqua generalis incerti condictio detur, quæ perinde vt certi oriatur ex omni cauſa & ex omni contractu, ex quo incertum petitur? & negatiue reſpondemus cum BACHOV. *de A. D. 4. Th. 1. &* DONELLO *ibi alleg.* qui talem (vt mihi videtur) generalem incerti deſiderant: De hoc enim verum eſt, quod aiunt, nullibi in iure nominari. Si vero quæſtio ita proponatur, an detur condictio incerti generalis? citra abſurditatem affirmari poteſt. Quanquam enim ea non indeterminate neceſſario & ſemper cum omnibus actionibus incertum perſequentibus concurrat, concurrit tamen poſitis terminis habilibus cum actionibus ex contractu vel quaſi deſcendentibus; quandoque ſola datur tanquam ſubſidiaria in defectu aliarum actionum *V. dictam Diſſ C. 3. Th. 12.*

§. IV. Negant quidam concurſum cum aliis, ſubſidiarium concurſum ſeu rectius accurſum concedentes BART. ANG. SALYC *in l. 22. §. cum iter. de Cond. indeb.* moti (1) *pr. l. de V. O.* vbi condictio ex ſtipulatu, (non incerti,) ad rem incertam perſequendam datur. (2) *d. L. 22. §. cum iter.* vbi ad condictionem incerti recurritur, quia nec condictioni indebiti locus eſſe poteſt, cum fundus debeatur, nec condictioni ſine cauſa

ſa

Digitized by Google

ſa, quia fundus non ſine cauſa ſolutus eſt. (3) *l. 12. §. Neratius de cond. furt.* vbi is, cui pignus ſurreptum, quia non poteſt vti condictione furtiua, incerti condictionem inſtituit. Sed hæc nihil euincunt. Poſſunt commode ſtare, dari in ſubſidium & concurrere cum aliis. Vnius enim poſitio alterius excluſio non eſt, vt in eodem *pr. I. de V. O.* ideo, quod certi condictionem dat Imperator, vbi certum in ſtipulationem deductum eſt, non excluditur ſtatim Triticaria. (4) adducunt etiam *l. 16. P. V.* in qua condictio incerti datur, quando actio ex vendito locum non habet. Sed etiam hæc lex nihil probat. Non enim agit de tali condictione incerti, qualem nos intelligimus, ſed de actione P. V. ad id quod intereſt, vt patet ex verbo: *ciuilem actionem ſi iung. l. 1. in f. eod. it. l. 7. §. 2. de Pact.* & ex ipſa rubrica: ex qua actionem iudicamus, de qua dubitatur *l. Imp. 16. de in diem addict.* quæ (vt ſupra monuimus) ideo incerti dicitur, non tam quia ex contractu innominato deſcendit DN. STRVV. *Exerc. 16. Th. 38.* quam ex parte etiam obiecti, quia pro eo quod intereſt, actio omnis incerti, quia facti eſt *l. 26. §. vlt. Ex quib. cauſ. mai. l. 2. de I. & F. Ign.* Et hæc eſt reſponſio FVLGOS. quam poſtea ſibi vendicat BELLON. Aliter ipſe ANG. *ad h. t.*

§. V. Hæc ex negantium intentione. Plures ſunt qui concurſum cum aliis actionibus adſtruunt, vt *Gl.* NIC. *de* NEAP. FAB. ARET. BELLON. TOLLENT. *it. poſt.* AZON. *Gl.* IAC. *ab* AREN. BALD. ALBER. CASTRENS. ALEX. IAS. *& alii Dd. commun. in d. l. 22. §. cum iter. de Cond. indeb.* Argumentum palmarium deſumitur *ex l. 35. de S. P. V.* vbi condictio incerti cum actione ex vendito electiue concurrit. (2) Arg. petitur ex *l. 8. de A. empti vend.* partic. *etiam*, quæ eſt implicatiua. *Dd. in l. 1. C. qui admitt. ad bon. poſſ. &c.* & inuoluit quod detur etiam alia actio vltra incerti condictionem, nempe actio ex vendito. (3) arg. accerſitur *ex l. 22. pr. de Pignor. A. 1. l. 12. §. 2 de Cond. F.* ex quibus textibus claret, quod condictio incerti concurrat cum actione furti (4) arg. elicitur *ex l. 8. de Vſufr. ear. rer. &c.* vbi legatario actionem ex *l. 1. C. commun. de leg.* habenti datur inſuper condictio incerti.

§. VI. Poteſt etiam hæc Triticaria diuidi *in regularem*, qua *non dominus* agit aduerſarium dare vel facere oportere; & *irregularem*, qua certis in caſibus etiam *dominus* agit, vt ſibi detur, vt ſi agatur aduerſus furem, raptorem *l. 1. inf.* & eum, qui vi deiecit *l. 2. h. t.* Hoc enim fit præter naturam & regulam ex ratione ſpeciali, vt etiam res ipſa furi extorqueri poſſit, ne hac in parte ipſi faueatur; Ad exemplum rerum naturalium, vbi perſpicimus, corpus quoddam præternaturaliter ſæpe moueri ſpecialem ob cauſam, vt quando metu vacui aqua ſurſum, aer deorſum tendit, vtrumque motu non naturali.

SECTIO. II.

De effectu conditionis Triticariæ.

§. I.

Effectus huius Triticariæ eſt ex parte actoris realis vel rei, vel æſtimationis impetratio, quam antecedit ex parte iudicis actualis vel rei, vel æſtimationis adiudicatio. Exhibet ſeſe hic noſtræ tractationi officium iudicis ob æſtimationem rite ineundam ſcrupuloſum non minus quam operoſum. Duas nimirum iudex *plerumque*, cum arbitraria ſit hæc actio, pronunciat ſententias, vnam interlocutoriam, qua iubet & condemnat debitorem rem debitam dare, cui ſi reus paret, abſoluitur ab vlteriori eaque grauiori condemnatione BACHOV. *de A. D. 7. Th. 6.* Niſi rem aliam aut deteriorem offerat ea, quæ ex conuentione debetur, tunc enim iudex, quia actor aliud pro alio accipere non tenetur *arg. l. 2. §. 1. de reb. cr.* ad æſtimationem reum condemnat.

§. II. Notanter dixi *plerumque* (1.) quia hoc in caſu vbi reus paret, altera ſententia condemnatoria non eſt opus (2.) quia interdum vbi manifeſta eſt rei præſtandæ difficultas v. g. ſi res interiit, ſtatim ad æſtimationem condemnat iudex *l. 18. §. 1. de dol. mal.* Vtroque tamen caſu arbitraria eſſe exinde non ceſſat; Non priori, quia a iuſſu ſeu arbitrio primo arbitrariæ dicuntur actiones; nec poſteriori, quia fingitur hic talem iuſſum præceſſiſſe. Sin vero huic iuſſui non paret reus vel ob con-

contumaciam, quia non vult, vel ob rei interitum, quia non poteſt; non ſtatim iudex ad condemnandum in æſtimationem feſtinabit, ſed ſi res exſtat adhuc integra, manu militari eam auferre poteſt, *ſec. l. 68. de R. V.* Siquidem ſtultus ille iudex vocatur a Iuſtiniano, qui re debita præſente & in poteſtate debitoris exſiſtente ad æſtimationem condemnat reum, *in l. fin. C. de fideic. libert.* Sin vero hoc remedio vti nequeat, tunc demum ad alteram ſententiam definitiuam ſeu condemnatoriam, qua ad æſtimationem reum condemnat, progredietur PAC. *3. Antin. 71.*

§. III. Hæc æſtimatio, quomodo rite ſit facienda, quodnam tempus in ea ſpectandum, vexata eſt penes Dd. quæſtio. Hæc nimirum eſt labyrinthus, in cuius inextricabiles errores incidere quidem quam multi, nemo vero rediit Theſeus, i. e. qui numero innumeris caſuum diuerticulis feliciter ſuperatis, nunquam ſibi obuius atque contrarius portum feliciſſime attigerit. Hic eſt ille ſcopulus, ad quem teſte CVIAC. *ad Afric. L. 8. ad l. 37. inſ. mand.* non eſt hodie iudex vel patronus & ICtus qui non hæreat maneatque ſuſpenſus. Certe ingenioſiſſimus BACHOVIVS hic pene iurat ſibi non liquere, ingeniique ſatis non eſſe conqueritur *ad* TREVTL. *V. 1. D. 20. Th. 13. in pr. & f.* Digna proinde eſſet labore materia, ſed nimis quantum implicata ac per totum ius diffuſa inſtitutum noſtrum abrumpit, vt ſaltim ea, quæ methodus poſtulat ratione noſtræ Triticariæ, temporis pagellarumque anguſtia excluſi, perſequi cogamur.

§. IV. Iudex in æſtimatione facienda, qua Triticariam noſtram vt ſciat quodnam tempus ſit ſpectandum, bene multa inſpectione vtatur. Summa eſt, vt animaduertat an mora ſit commiſſa nec ne. Si mora nondum facta (vt ſæpe non fieri moram præſupponimus, cum etiam ad iudicium ſine mora quis prouocare poſſit *per l. 63. de R. I.*) porro videbit (1) an debeatur genus, an vero ſpecies (2) an debeatur ex contractu bonæ f. an vero ex contractu ſtricti iuris (3) an debeatur pure, an vero ex die vel ſub conditione (4) denique an locus ſolutioni ſit adiectus nec ne.

§. V.

§. V. Si genus debetur ex contractu ſtricti iuris v. g. mutui (nam in b. f. contractibus nunquam genus in obligatione eſſe videtur) & quidem ſi certo die locoque tunc in condemnando iudex ſpectare debet tempus locumque quo dare debitor promiſit *l. 22. de reb. cr. l. 3 h. t.* ratio in ea ſita eſt, quia ſtatim præſtituto die debetur abſque vlteriori monitione, cum ipſe dies pro homine interpellet *l. 12. C. de contr. & comit. ſtipul.* Opponitur *l. 22. de O. & A.* vbi in certum diem ſtipulatus eam temporis æſtimationem accipit, quo ſatis accepit, dato ſcilicet fideiuſſore. Reſp. Obligatio acceſſoria ſequitur principalem *§. 5. I. de Fideiuſſ.* Fideiuſſor itaque in eundem diem ſe obligaſſe intelligitur, quo principalis debitor ſoluere tenebatur, & ſic etiam in eam æſtimationem tenetur, quæ fuit eo tempore, quo debitor ſe ſoluturum promiſit, vt adeo dies, quo ſtipulatus eſt creditor & quo ſatis accepit, videatur eſſe vnus idemque *V.* CVIAC. *3. ad Afr. ad h. l. 22.* GIPHAN. *ib.*

§. VI. Si vero de die locoque nihil conuenerit, tunc locus & tempus vbi & quando petitur, i. e. litis conteſtatæ reſpiciendum. *l. fin. h. t. l. 22. de reb. cr.* Opponitur *l. 60. de V. O.* vbi dicitur, ſi quis Capuæ dari ſtipulatus ſit, eius temporis æſtimationem fieri debere, quo peti poteſt. At ex ſtipulatione pura confeſtim peti poteſt i. e. ſimul atque contractum eſt. *§. 2. I. de V. O.* Reſpondemus, hanc obligationem, vt vt primo obtutu pura videatur, pura tamen non eſt, ſed propter locum adiectum, tempus quoque tacite ineſſe videtur *§. 5. I. de V. O.* & quidem tantum, quantum requiritur, vt commode in illum locum promiſſor peruenire poſſit *l. 60. l. 73. in pr. & l. 137. §. 2. de V. O.* Hinc perinde eſt, ac ſi tempus certum fuerit determinatum. WISSENB. *ad P. de reb. cr. n. 12.*

§. VII. Si ſpecies debetur, tunc ſi tempus & locus adiectus eſt, idem obtinebit, quod in antecedentibus dictum eſt de genere. Sin pure debetur & quidem ex contractu b. f. tunc diſtinguendum eſt, an res exſtet an vero minus. Si exſtat, tempus condemnationis ſpectandum, *l. 3. h. t. l. 3. §. 2. Commode* opponitur *hic l. 37. pr. mand.* vbi tempus ſolutionis factæ ſpectatur. Reſpondemus, debitorem principalem ad plus fideiuſſo-

rinon

ri non obligari, quam quod ipſi abeſt, tantum vero ipſi abeſt, quantum ſoluit. CVIAC. *d. tract. ad h. l.* Sin vero res debita deſiit eſſe in rebus humanis, tunc, quia iudex rei non exſiſtentis æſtimationem tempore ſententiæ facere nequit, tempus mortis reſpiciendum ſed *ἐν πλάτει h. e. cum laxamento & amplitudine & cum aliquo ſpatio temporis nec minimo nec maximo, & quod magis intellectu quam elocutione percipi poſſit, vt dicitur in l. 12. §. 2. rem ratam hab. & in l. 13. de ſolut.* ne iudex cogatur nouiſſimum vitæ vel condemnationis tempus attendere, adeoque ad exiguum pretium æſtimatio redigatur *l. 3. h. t.*

§. VIII. Sed quid iuris erit, ſi forte caſus tertius contingat, vt res quidem exſtet, ſed deterior, adeo vt actor eius æſtimationem malit? Putamus eodem modo tempus deteriorationis eſſe ſpectandum, ſed ἐν πλάτει cum aliquo laxamento, vt æſtimetur quanti fuerit ante deteriorationem. Si vero ex contractu ſtr. I. debetur ſpecies, puta ex ſtipulatione, tunc litis conteſtatæ tempus ſpectandum eſt, *d. l. 22. de reb. cr. & l. fin. h. t. l. 37. §. aliter mand. l. 28. de Nouat.* Niſi nouatio fuerit celebrata & contractus prior ſit immutatus, tunc enim ea æſtimatio danda, de qua inter partes conuenit tempore nouationis ſ. contractus *d. l. 28. in f.* WISSENB. *loc. ſupr. cit.* Hæc dixiſſe ſufficiant de officio iudicis ante moram factam.

§. IX. Si mora iam eſt commiſſa, cum MÆSTERT. *in ſuis Sed. Sede de æſtimatione rerum &c.* hanc generalem ponimus regulam: *In omnibus tam b. f. quam ſtr. I. contractibus ſi mora eſt commiſſa, iudex æſtimabit quanti plurimi a tempore moræ res unquam fuit, ſiue reipſa mora fuerit commiſſa, ſiue ex perſona; ex qua regulariter mora commiſſa dicitur. Re ipſa* mora committitur (1) quando lex aliquem in mora conſtituit, vt furem *l. 8. §. 1. de Cond. F. it.* violentum poſſeſſorem *l. 1. §. 34. & pen. de vi & vi arm.* (2) quando ipſa conuentio quendam moroſum efficit, veluti eum, qui certo die debet; dies enim interpellat pro homine & debitorem ſtatim in mora conſtituit *l. 37. mand. l. 114. de V. O.* ZOES. *ad P. de Uſ. & fruct. &c. n. 49. & 50. Ex perſona* fit mora *interpellatione* cum *iudiciali* tum *extraiudiciali*, quando fit oportuno loco & tempore iuxta *l. 32. de Uſ. & fruct.*

 &c.

&c. l. 23. & 24. de V. O. & cum inſtantia *§. 1. d. l. 32.* (i. e. perſeuerantia in interpellando STRUV. *Exerc. 27. Th. 47. ibique Euolut. Controu.* ZOES. *d. l. n. 47. & 48.*)

§. X. De hac extraiudiciali obſeruandum, quod ad hunc effectum moroſitatis non tantum in obligationibus puris requiratur, ſed etiam in conditionalibus *arg. l. 24. quando dies. legat.* Obſtat (1.) *l. 18. de Vſur.* ad quam reſpondemus, interpellationem ideo fieri, vt debitor ſciat, quod creditor velit habere, & igitur in hoc caſu *d. l.* cum debitor ſeu venditor ex re ipſa ſit obligatus ad euictionem & pretium reſtituendum, interpellationem non eſſe neceſſariam. (2.) longe aliam in hac lege tractari quæſtionem, vti ex ipſo contextu apparet, *V.* DN. STRUV. *Euolut. Controuerſ. loc. cit. ad Th. 48.* (II.) Obſtat *l. 59. de V. O.* ad quam reſpondemus concedendo, quod tempus exſiſtentis conditionis, quo dies etiam veniſſe dicitur *l. 23. de V. S.* in æſtimando ſpectare iudicem oporteat, ſed ita, ſi ſtatim ſtipulator petierit, vel extra iudicium interpellando, vel in iudicio litem conteſtando. Hæc enim eſt ratio legis, quæ illis poſitis annectitur his verbis: *tunc enim ab eo* (i. e. debitore) *peti poteſt.* Alioquin neganda & perneganda eſſet hæc aſſertio, ob rationem diuerſitatis inter conditionem & diem. Die adiecto obligatio naſcitur, ſed ſuſpenditur petitio *§. 2. I. de V. O.* Aſt conditione adiecta obligatio dum demum oritur, quando conditio exſiſtit, & tunc quia obligatio purificatur, (conditione enim præſente perinde vt in puris obligationibus dies & ceſſiſſe & veniſſe dicitur, *l. 213. de V. S.*) etiam interpellatio æque ac in puris ad debitorem in mora conſtituendum, accedat neceſſe eſt. ZOES. *d. l. n. 50.*

§. XI. *Iudiciali interpellatione* committitur mora per litis conteſtationem *l. 82. de V. O.* cum per hanc fiat nouatio, & quaſi de nouo contrahatur in iudicio *l. 29. de Nouat.* Hinc etiam *in l. 31. de reb. cr.* dicitur, quod poſt iudicium acceptum omnis cauſa reſtituenda ſit, i. e. omne quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtandæ tempore ſolutum fuiſſet.

§. XII. Hæc regula generalis ſuperſtructa nititur fundamentis firmiſſimis ex legibus tam iuris Ciu. quam Canonici

petitis

petitis. Mora etenim ſua cuique debet eſſe nociua *C. 25. de R. I. in 6.* & nocet etiam cuique *l. 173. de R. I.* it. neutri ſua fruſtratio prodeſſe debet *l. 37. in f. mand.* Add. *l. 12. §. 3. Depoſ. l. 5. de reb. cr. & l. 5. l. 3. §. 3. & 4. de A. empti.* Vide etiam *l. 21. §. 3. de A. empt. l. 31. de reb. cr. l. 8. de Condict. F. l. 3. h. t.* verb. *in vtroque autem.* MÆSTERT. *l. cit. & in ſede de Mora;* & Auctores ab eo in vtraque allegatos.

§. XIII. Tantum de moræ materia ſatis vaga, quam certis limitibus definire in caſſum ſuſciperemus. Etenim an mora facta intelligatur nec ne, neque conſtitutione vlla, neque iuris autorum quæſtione decidi poteſt, cum ſit magis facti quam iuris, vt ſcite loquitur cum D. Pio. *Marcianus in l. 32. de Vſur.* Quo circa cum MENOCH. *II. Arbitr. Caſu 220.* rem iudicis prudentis arbitrio permittentes manum de tabula retrahimus.

SECTIO. III.

De Accidentibus, Concurrentibus & Affinibus.

§. I.

COgnouimus ex hactenus dictis in quonam officium iudicis conſiſtat in noſtra Triticaria. Reliquum ergo eſt, vt etiam de iis, quæ rubrica præfert, quid addamus, & primo quidem de accidentibus. ACCIDVNT autem vt omni ita etiam noſtræ condictioni, I. quod non infamat, *l. 36. de O. & A.* II. quod naturam imitatur actionis cum ea concurrentis ratione durationis, vt ſi ea ſit temporalis, ipſa quoque non ſit perpetua, vti in eo conuenire Dd. tradit BACHOV. *de A. D. 4. Th. 10.* Periodo *illud magis dubium.* (3.) quod ſæpe minus plena ſit, quam actio principalis, quia ſc. in ea nunquam veniunt, vſuræ, ex mora, *l. 1. de Cond. indeb.* BACHOV. *cit. l.* etſi condicatur ex cauſa L. Aquil. non creſcat actio per inficiationem. BACHOV. *cit. loc.* quem ſequitur *C. A.* MEIERI *P. ad L. Aquil. num. 21. in f.*

§. II. CONCVRRIT hæc Triticaria cum actionibus omnibus, quibus dari vel fieri oportere agi poteſt, in ſpecie vero cum condictione certi *Gl. ad pr. I. de V. O. & Dd. commun.* Obi-

ter hic occurrit, quod BACHOVIVM *d. D. 4. Th. 13.* male habet' quorſum tot actiones generales, & cui bono præter condictionem certi generalem condictio hæc, qua certum etiam petitur, propoſita fuerit? & recte (ſibi quidem ipſi non ſatisfaciens) reſpondet, introductam fuiſſe, vt eſſet aliqua actio generalis, qua incertum peti queat, etſi enim (id quod ſibi obiicit) res quoque certæ eadem petuntur, non tamen petuntur omnes, nec eo modo, quo per condictionem certi. Perſpicue eius vtilitatem docet WESENB. *ad h. t. n.* [illegible] *in f.* quod actor in ea non opus habeat euidenti deſignatione circumſcribere rem & demonſtrare eam eſſe certam quod in condictione certi eſt neceſſarium. Huc accedit, quod admodum frequens eſt in iure, ſæpe ad eandem rem plures dari actiones, vt benignior & laxior ſit agendi facultas, quod dicitur *in l. 67. § penult. de leg. 2.* & ex doctrina de concurſu actionum liqueſcit. Cæteroquin condictio certi Triticaria non ſunt actio eadem, vt contra Gl. pugnat TOLLENT. quanquam telo parum valido: quia per Triticariam ex cauſa furtiua contra furem agi poteſt *ſec. l. 1. h. t.* & etiam per condict. certi iuxta *l. vlt. in f. Vſuf. quem cav.* Differunt enim multifariam (1.) Condictio certi eſt ſtr. I. noſtra arbitraria eſt, id quod ſupra tactum. (2.) Condictio certi datur ſolum ad res certas, noſtra pro obiecto habet & certas & incertas præter pecuniam numeratam *l. 1. h. t.* (3.) Condictio certi perſequitur res tantum corporales, noſtra vero etiam iura & res incorporales petuntur. *d. l. 1.* Deinde in ſpecie Triticaria concurrit cum condictione furtiua *l. 1. in f. h. t.* Differt vero ab hac in eo, quod illa non ſecundum ſuam naturam, ſed ſpeciali ex cauſa & irregulariter contra furem agatur, hac vero regulariter & ex ipſo actionis inſtituto *t. t. de cond. f.*

§. III. AFFINIA noſtræ Triticariæ ſunt (I) *Condictio ob turpem vel iniuſtam cauſam* in vtraque enim debitor poſt rei interitum tenetur ad æſtimationem *arg. l. fin. C. de Cond. ob turpem cauſam.* Differt tamen hæc a Triticaria, quod pecuniam complectitur. *l. 5. l. fin. §. 1. P. d. t.* (II) *Condictio indebiti*, quia per hanc res corporales & incorporales petuntur, vt vſus fructus & iter *l. 12. & 22. de Cond. ind.* it. poſſeſſio *l. 15. §. 1. 16.* & alia iura

CLVD. *de Cond. ind. C. 7.* Differt itidem a Triticaria quod etiam pro pecunia competit *de l. 15. §. 1. l. 47.* & aliis in locis *h. t.* (III) *Condictio de eo quod certo loco.* Nam vtraque arbitraria eſt. Differunt autem ab inuicem (1) quod noſtra ciuilis eſt, hæc vero prætoria, vt dictum eſt *ſupr. C. 3. Sect. 4.* (2) quia noſtra datur ſiue locus, quo dari debuit, ſit adiectus ſiue non, itidem etiam ratione temporis tam adiecti quam non adiecti *l. f. h. t.* Illa vero ob temporis adiectionem conſtituta non eſt, quia temporis adiectio peculiare forum non tribuit, ſed competit actio ex contractu *l. 4. de eo quod &c.* quæ non obſtat, vt vult CVIAC. *Tr. ad Afric. 3. ad l: centum Capuæ 8. d. t. V.* DN. STRUV. *Exerc. 18. Th. 68. & 69.* Sed obtinet eo ſaltim in caſu, quando locus, vbi daret debitor contractui ſtr. I. eſt adiectus, & creditor alio in loco rem petit *l. 1. h. t.* (3.) In condictionem de eo quod certo loco venit pecunia numerata §. 33. *I. de A. l. 3. §. 6. & ſeqq. l. 6. & 8. h. t.* (IV) *Actio L. Aquil.* quatenus per vtramque æſtimatio rei impetrari debet. Differunt tamen (1) ratione cauſæ, quia noſtra regulariter ex contractu oritur, illa vero ſemper ex delicto. (2) ratione modi, quo obtinetur æſtimatio, in noſtra ſcilicet tanquam id, quod ipſam rem repræſentat, & in locum eius ſucceſſit, in illa vero tanquam pœna ex parte. *l. 9. I. de L. Aquil.* (3) Ratione ipſius æſtimationis faciendæ. Fit enim in noſtra, reſpectu habito ad tempus vel præſtitutum, vel petitionis, vel moræ, vt ex *Sect. præc.* liquet. In illa vero ſpectatur retro vel tempus annuum, vel 30. dierum a tempore damni dati *l. 2. l. 21. & 22. ad L. Aq.* (V) *Interdictum recuperandæ poſſeſſionis.* Vtriusque enim in recuperanda poſſeſſione vſus eſt *l. 2. de Cond. trit. §. 6. I. de interd. l. 1. C. unde vi.* Hinc etiam noſtram Triticariam inter remedia poſſeſſionis recuperandæ refert MENOCH. *Tr. de recup. poſſeſſ. remed. 3.*

COROLLARIA.

I. *Condictio certi quæ ex mutuo naſci dicitur in pr. I. quib. mod. re contr. obl. non eſt ſpecialis & contradiſtincta huic generali, de qua in l. 9. de reb. cr. eſt tamen ſpecialis, quatenus ſub generali continetur. Hoc eſt malum Eridos Dd. Galliæ & Italiæ.*

 II. *Con-*

Digitized by Google

II. *Condictio de eo, quod certo loco, eſt actio arbitraria æque ac aliæ, vbi iuſſus ſeu arbitrium iudicis antecedit & ſententia definitiua ſeu condemnatoria conſequitur. arg. l. 4. de eo quod certo loco.* LVDW. *ad §. 31. I. de A.*

III. *Stringitur Bartolus a nonnullis quod barberius dixerit pro tonſore, defendendus forſan, ſi dixiſſet barbarius a barba, propter Analogiam; Etenim a nota notarius, a capſa capſarius ab herba herbarius, &c. recte dicitur.*

IOANNIS STRAVCHII
DE
CONDICTIONE FVRTIVA,
DISSERTATIO

RESP.
IO. CASP. GARMANNO.
IENAE CIƆIƆCLVI.

CAP. I.
De Condictione in genere.
§. I.

Condicere quid ſignificet?

CONdicere priſca lingua, eſt denunciare, inquit Tribonianus §. 15. *Inſt. de act.* Ita eſt. Et ſunt hæc ipſa verba DONATI Grammatici, qui floruit, medio ſeculo quarto, præceptor Hieronymi, vnde procul dubio petiit Tribonianus, *Heautont. Act. II. ſc. 3.* Et in iure augurali condictionem eſſe denunciationem, cum denunciatur, vt ante diem tertium quis ad inaugurandum adſit, auctor eſt SERVIVS & FESTVS: *Condicere eſt dicendo denunciare. Condictio in diem certum* (alii legunt *tertium*) *eius rei, quæ agitur, denunciatio. Condictum, quod in communi eſt dictum.* Hinc Latinis condicere cœnam, cic. l. *Epiſt. 9.* SVETON. *Tiber.* cum quis denunciat alteri, *ſe cum eo cœnaturum, die Mahlzeit beſprechen*

ſprechen (quod ipſum eſt condicere) *ſich bey einem zu Gaſte bitten.* Idem SVET. *Claud. C. 21. velut ad ſubitam,* condictamque cœnulam. Ibi LAEV. TORRENTIVS. *Gloſſa Baſilicorum*: *κονδίκερε, παραγγεῖλαι,* quod eſt denunciare; *Gloſſa Cyrilli*: *συνταγὴ μετὰ παραγγελίας condictio. Et* PHILOXENVS: *condico, συντάσσομαι μετὰ παραγγελίας. Condictio, συνταγή.* Addit autem ibidem Tribonianus, nunc abuſiue dici condictionem, cum nulla hoc tempore denunciatio fiat.

§. II. Ergo olim iudicium præceſſit ſolennis quædam denunciatio? Omnino. Sed cui rei? An diei, in quem ſe ſiſtat reus in iudicio? Sic vult HOTOMANNVS, elegantiſſimus ICtus. *Comm. Inſt. §. 15. de act.* & SIGON. IV. *de iudic. 17. verſ. prima diuiſio.* CORAS. *I. Miſc. 7. n. 4.* quem ſequuntur cum alii, tum BACHOV. *ad §. 15. Inſt. h. t.* Et hanc denunciationem eandem eſſe quæ comperendinatio *Aſconio Verr. 3.* Erat autem comperendinatio ab vtrisque litigatoribus inuicem ſibi facta denunciatio, vt in perendinum diem in iudicium venirent. Quo pertinent notæ illæ apud VALERIVM PROBVM: I. D. T. S. P. *in diem tertium, ſiue perendinum.* Sed cum videret HOTOMANNVS ſuæ explicationi aduerſari, quod non in perſonalibus actionibus ſolum, ſed & realibus hæ tales eſſent comperendinationes, non bene ſe expedire poterat, quare hoc nominis illi ſoli quam huic potius actionum ſpeciei proprium factum fuerit. Quod amplius & inde inveriſimile, quod dicitur, condicere reo aliquid, v. g. pecuniam, vinum, animal, quod plane non conuenit denunciationi iſti de ſiſtendo in iudicio. Neque porro recte argumentabere: condictio eſt denunciatio: comperendinatio eſt denunciatio; igitur & condictio eſt comperendinatio. Sed nec intelligere Imperatorem illam denunciationem opinor, qua apud amicos appellare debitores, &, ni ſolverent, iudicium comminari ſolebant. Nam hæc interpellatio realibus itidem actionibus communis eſſe potuit, nec neceſſariam & perpetuam fuiſſe probari poteſt.

Non eſt idem atque comperendinatio.

§. III. Quid ergo? Nimirum vt actio in rem nomen proprium vindicationis ex actu ſolenni & legitimo petitoris habebat: Ita actio in perſonam ex eodem denunciationis legitimæ

Condictio ex ſolenni denunciandi ritu.

timæ

timæ & ſolennis actu condictio dicta eſt. In actione quidem in rem, non ſufficiebat denunciaſſe poſſeſſori, rem ſuam eſſe. Sed manum litigantes conſerebant.. Erat autem conſerere manum, de qua re diſceptabatur, in re præſenti, ſimul atque manum aduerſarii apprehenderet petitor, in ea re ſolennibus verbis (ita legendum, non omnibus) vindicare. Et vindiciæ erant correptio manus, in re atque loco præſenti, apud prætorem, vt docet GELLIVS *Lib. XX. c. 10.* Poſtea propagatis Italiæ finibus, cum prætores in longinquas res ire grauarentur, non amplius in iure coram prætore manum conſerebant ſed ex iure manum conſertum vocabant, vt patet ex Verſibus ENNII *L. VIII. Annal. p. m. 469. n. 15.* id eſt, alter alterum ad conſerendam manum in rem, de qua agebatur, vocabant, atque profecti ſimul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius, in vrbem, ad prætorem deferebant, & in ea gleba, tanquam in toto agro vindicabant, verba ſunt eiusdem GELLII *d. l.* Confer RAEVARD. *ad L. XII. C. 6.* HOTOM. *Orat. in Cæcin. fol. 356. & III. Obſ. 15.* CHAROND. *III. verſic. 1.* POLLET. *Hiſt. for. Lib. V. C. 4. p. 429.* MARCILL. *in L. XII. c. 11.* IAC. GODOFR. *ad Tabb. VI. p. 212.* SIGON. *de iudic. I. C. 21.*

Conſertio manus, quid? Vindiciæ.

§. IV. In actione autem perſonali cum eius natura non ſit, corpus aliquod noſtrum facere, ſed intendere, dare, fieri oportere, ideo nullo actu corporali, ſed nudis verbis, ſolaque denunciatione, ſed ſolenni, in iure auſpicabantur iudicium, poſt actionem impetratam: *Aio, te mihi dare facere oportere, Vid.* CVIAC. *VII. Obſ. 15.* Et hæc denunciatio inſinuatio dicitur, *l. 2. C. ſi. ex plur. tut. & cur.* ibi DION. GODOFR. Et de hac denunciatione eſt *T. 4. Cod. Th. L. II.* quam ibi Arcadius Honorius & Theodoſius Impp. abrogant. *l. 6.* Eſtque in honorem SYMMACHI locus *L. X. Epiſt. 52.* vbi Theodorus quidam, procurator in rem ſuam creatus, Flauianum quendam dicitur, denunciata lite, pulſaſſe.

Condictionis definitio.

§. V. Satis de nomine. Sunt autem condictiones actiones in perſonam, quibus dare facere oportere intenditur, inquit *Iuſtinian. in §. 15. Inſt. de Act.* Ex quibus efficitur, vt quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat, condictio-

dictiones ſint eiusmodi actiones in perſonam, quibus non dominus agit aduerſus dominum, quia, quod actoris eſt, id ei dari non oportet, cum magis eius fieri non poſſit, *d.* §. *14. Inſt. de Act. l. vlt. in ſ. ff. Vſufr. quemad. cau.* atque adeo hoc nomen non omnibus omnino in perſonam actionibus proprie tribui. Vel ſi maxime nomen generis ſit, vt videtur fere ex *l. 25. pr. ff. de O. & A.* huius tamen ſpeciei proprium factum eſſe, *vt adoptionis nomen & ſimilia*, vbi non dominus aduerſus dominum experitur.

§. VI. Porro cum condictiones ſint actiones in perſonam; omnis autem actio in perſonam deſcendat ex obligatione, *d. l. 25. pr. de O. & A.* §. *1. verſ. namque agit, Inſt. de Act.* & omnis obligatio vel ex contractu vel delicto, vel quaſi ex contractu aut quaſi delicto, etiam condictiones in ſpecie ſic dictæ ex his cauſis oportet oriri. V.G. ex contractu, condictio certi ad repetendum creditum, & ex ſtipulatione certi; ex quaſi contractu, condictio indebiti. An hæc ſola? Imo & aliæ. Vt condictio ob cauſam dati, & ſine cauſa. Nam cauſa, ob quam datum eſt, deficiens, omnino quaſi contractus eſt. Nam quaſi contractuum longe plures quam quas Imperator recenſet. *t. t. Inſt. de obl. quæ ex q. contr.* dari ſpecies, vel ex Imperatoris ipſius argumento liquet. Probaturus enim, præter obligationes ex contractu & maleficio, dari alias, in genere argumentatur ita *pr. Inſt. d. t. dantur obligationes, quæ non proprie ex contractu naſci intelliguntur: ſed tamen, quia non ex maleficio ſubſtantiam capiunt, quaſi ex contractu naſci videntur.* Ergo quæcunque obligationes fuerint, niſi proprie & vere ex contractu vel maleficio naſcuntur, quaſi ex contractu vel maleficio naſcuntur, aut Imperator recte non ratiocinatur. Idem argumentum repetit de ſingulis fere a ſe enumeratis ſpeciebus. De negociorum geſtione §. *1.* de tutelæ iudicio §. *2. initio.* De rerum communione. §. *3. ſub finem.* De aditione hæreditatis, §. 5. ſolutione indebiti, §. *6.*

Condictionum cauſa vel ſunt contractus

vel quaſi contractus

§. VII. Itaque præter ſex ibi poſita exempla, & finium communio inter negocia, quæ quaſi contractus ſunt, in quantum cauſa eſt præſtantionum perſonalium, ob vtilitates ex

controuerſa re perceptas, vel damnum ibi datum, vel ob impenſas ab altero in vtilitatem communem factas *l. 4. §. 1. F. R. §. 6. Inſt. de Off. iudic.* Et iudicatum *l. 3. §. 11. de pecul.* Detentio rei, ob quam alterius intereſt, eam exhiberi *l. 3. §. 3. ff. ad exhib.* Quibus accedunt & *iusiurandum, & cauſa ob quam datum eſt, deficiens,* vnde *condictio ob cauſam dati, & ſine cauſa* vt diximus. Eodem modo & plura ſunt quaſi maleficia, quam quæ exhibet *tt. Inſt. de obl. quæ qs. ex mal.* in quibus demonſtrandis eodem, quo ad probandos quaſi contractus, vtitur argumento *§. 3. Inſt. de obl. quæ quaſ.* Talis eſt turpis acceptio, vnde naſcitur condictio ob turpem cauſam. Ex proprio autem delicto deſcendit condictio furtiua, de qua in præſenti pluribus. Eſt autem condictio furtiua *qua rem noſtram furto ablatam dari nobis a fure vel herede ipſius petimus.*

Vt & quaſi maleficia. & maleficia vera.

CAP. II.

De Condictionis furtiuæ natura, & quatenus conſideratur, vt in bonis.

I.

De condictionis F. natura.

TRactationem præſentem duobus membris includemus, vt primo agamus de condictione, prout in bonis noſtris exſiſtens conſiderari poteſt; deinde vt in iudicio exercetur. In bonis noſtris vt fiat, oportet cauſam extrinſecus aduenire, quæ efficiat, vt naſcatur ius perſequendi aliquod, nec quodlibet, ſed propria ſpecie inſignitum. Videndum itaque de cauſa efficiente. Dubium autem vel maxime eſt, vtrum ex delicto proueniat, ſcilicet, vt cauſa proxima & per ſe, an vero occaſione delicti ex lege deſcendat, ita vt ſit ex lege datiua, non ex delicto natiua. *Ita poſt alios multos* BACCH. *de Act. diſp.* [illegible] *. 21. p 155. in fin.* Vel vt alii malunt, an condictio hæc naſcatur ex actus furtiui dolo ſeu vitioſitate, an vero ex amotione, ceu actus furtiui materiali: Vel etiam (terminus enim, materia, ambiguus) ex re, quæ domino per ſurtum abeſt. Sane nonnulli. Veterum ex variis cauſarum figuris

Cauſa efficiens, an delictum? variæ opiniones.

figuris oriri eam arbitrari ſunt, *vt gloſſ. in l. 1. pr. ff. de O. & A. & in l. ſi pro fure §. fin. in gl. fin. ff. de Condict. furt. & ibi* SALICETVS *&* AZO *in ſumma (de Condict. furt. n. 11. Itemque* ANGELVS ARETINVS *in §. omnium Inſt. de Act. n. 8.* IASON *ib. n. 49. & 50.* idque ſic explicant, quod ex parte actoris naſcatur ex dominio; ex parte rei ex maleficio. Eſt & alia ſingularis MARCI LYCLAMAE opinio, quod ſit ex quaſi contractu, vel quod ſit ex re furti vitio affecta, & corpore ac re omni quam habiturus esſet actor, ſi furtum ei non eſſet factum Breuiter ex eo quod domino propter furtum abeſt, *Lib. I. ſuorum,* non omnino *Benedictorum.*

§. II. Nobis Principum in Doctoribus veteribus ſententia nequaquam videtur deferenda, quod proxime & principaliter deſcendat ex maleficio, IOH. *de* RAVENNA, PETRI *de* BELLA-PERTICA ACCVRSII. *in l. 30. pr. ff. de Act. emt.* BARTOLI *in l. 1. pr. ff. de O. & A. col. 1. & in l. ſi pro fure §. fin. ff. de condict. furt. Item in l. ſi ambo §. quoties ff. de compenſat. & l. ſi mulier. §. hæc actio ff. rer. amot.* CYN. *ad tit. de cond. furt. n. 1.* DYNI *&* IOH. FAB. *§. omnino, Inſt. de Act.* ALB. *de* ROSATE *ad l. 9. §. 1. ff. ſi cert. pet. n. 4. & 12. not. 3. & in l. ſi pro fure §. condictio ff. de cond. furt.* vbi teſtatur, communiter ita tenere Dd. FVLGOSII, *qui hanc opinionem Doctores contra gloſſam tenere teſtatur in l. 1. C. de Cond. furt. n. 3.* Quam ex Neotericis CVIAC. *ad Paulum in l. 21. §. hæc actio, ff. rer. amot. & in l. 1. ff. de obl. & Act. & L. XIII. obſ.* 37. DONELL. *ad Rubr. C. h. t. & L. XV. C. 29.* HOTOM. *§. ſic itaque diſcretis, verſ. plane. Inſt. de act. & §. 17. Inſt. de oblig. quæ ex del.* WESEMBEC. *par. h. t. n. 7.* PACIVS *ad h. t. n. 2 & 3.* GIPH. *Comm. in Cod. ad L. vlt. C. rer. amot.* TIMAEVS FABER *ICtus accuratus Diſp. 26. th. 6.* OLDENT. *CL. VII. act. 4.* H. PISTORIS *P. I. q. 27. n. 1.* iuncto *n. 3.* LYCLAM. *I. Ecl. 18.* CLVDIVS *de condict. furt. C. 7.* ANT. FAB. *Rat. ad l. 7. §. 2. ff. h. t. Decad. 78.* Err. 1. amplectuntur.

Statuitur eſſe ex delicto auctoritate communis ſententiæ.

§. III. Eſtque ab hac ſententia *l. 10. §. 2. ff. de compenſ.* vnde ſic concludo: Quæ actio ex cauſa furtiua oritur, illa eſt ex maleficio. Condictio autem furtiua ex cauſa furtiua oritur. Propoſitio & aſſumtio ſunt ipſius ICti *in d. l. 10.* Propoſitio vbi ait: *quoties ex maleficio oritur actio, vt puta ex cauſa furtiva.*

Et rationibus reſoluitur l. 10. §. 2. de compenſ.

va. Ergo ex cauſa furtiua oriri eſt ex maleficio oriri. Aſſumtio ibi: *ſi condicatur ex cauſa furtiua.*

Explicationes eius legis, diſſentientium AZONIS.

§. IV. Hic quidem diuerſimode excipiunt diſſentientes. Alii reſpondent negando aſſumtionem. In ipſa enim *l. 10.* ſeparari condictionem furtiuam ab actione ex maleficio. Cum enim præceſſiſſet, compenſationem locum habere in actione, quæ naſcitur ex maleficio, ſubiicitur; idem eſſe compenſanti, ſi condicatur ex cauſa furtiua. Proinde aiunt, apparere condictionem non naſci ex maleficio, alioqui fruſtra prædicatum iri idem ius de condictione, cum ſatis iam dictum fuiſſet, & ſtulte denuo repeti. Sic AZO. Idem & LYCLAM. l. *Bened. C. 9. Et* IASON; ſenſum legis hunc eſſe, quod ſi agatur condictione furtiua, ita locum eſſe compenſationi, ſicut eſſet, ſi ageretur actione, quæ oritur ex delicto, puta actione furti. *At* ANGELVS: Primo poni regulam, quod quoties ex maleficio oriatur actio pecuniaria, poſſit fieri compenſatio, inde dari exemplum in actione furti, poſtea fieri extenſionem ad condictionem furtiuam. Ergo non comprehendi condictionem furtiuam ſub illa regula, alias non opus fuiſſe ibi loqui per modum extenſionis.

IASONIS.

ANGELI.

Reſpondetur AZONI.

§. Videamus, ne reſponderi poſſit. Et omnino, VT ANGELVS ait, principalis quæſtio eſt *in d. §. 2.* an actioni ex maleficio deſcendenti opponi poſſit compenſatio? Affirmat ICtus, ſiquidem pecuniarie agatur. Eiusque rei proponit exempla duo, ambo ex cauſa furtiua, actionis, & condictionis. Non itaque ſeparat, quaſi diuerſæ originis actiones, ſed potius ratione originis coniungit, tanquam ex cauſa communi, nempe furtiua, ortas; adeoque ex maleficio. Diſtinguit autem & diſcernit eas tanquam diuerſas ſpecies, ex communi tamen genere & cauſa. Nihil ergo agit AZO, nec ſtulte repetitur, idem ius eſſe in condictione, quod in actione furti, niſi quis itidem auſit dicere, quoties regulæ plus vno exemplo ſubiicitur, id fieri ſtulte. Ita enim colligit ICtus: Actioni ex maleficio pecuniariæ opponi poteſt compenſatio; at vero actio ex cauſa furtiua eſt actio pecuniaria ex maleficio. Hanc aſſumtionem oſtendit veram ratione totius generis, adeoque omnium

Digitized by Google

omnium ſub illo contentarum ſpecierum, quarum primo proponit eam, de qua magis poterat dubitari, vt eo. facilius obtineat, in altera minus dubitabili. Dubitari autem magis poterat de actione furti, quæ tota eſt pœnalis, & pœnæ mere perſecutoria, minus de condictione, vt quæ rem perſequitur.

§. VI. Et ita liquet, IASONEM verſari in ignoratione elenchi in eo, quod putet in præſenti lege actionem furti hactenus comparari condictioni, vt quemadmodum ibi locus eſt compenſationi, vbi ex maleficio oritur actio, ita etiam hic& multo magis, vbi agitur ex non maleficio, qs. argumentum ſit a comparato minus verſimili ad maius; *ſi compenſatio actioni ex maleficio ineſt, multo magis inerit actioni, quæ non ex maleficio.* Sed diximus, inuertendum fuiſſe, vt fieret calceus. Cum de condictione nemo, de actione facile quis dubitaret. Atque ſic deciſio ICti, quantum ad condictionem, prorſus fuiſſet de indubitabili. Quis enim dubitaret, facilius rei perſecutiuæ opponi compenſationem poſſe, quam pœnali actioni? Annon ridicule inferret aliquis? Actioni furti opponitur compenſatio, ergo & rei vindicationi. Facile enim contextum inſpicienti, conſtabit, quod hic ſit medius terminus, agi pecuniarie, æque ad condictionem, atque ad actionem pertinens. Et proinde argumentum nequaquam ex loco comparatorum, ſed parium petitum eſſe. Quare enim actioni ex cauſa furtiua opponitur compenſatio? Ratio dubitandi non eſt leuis, quod ex maleficio. Reſpondetur autem, quia agitur ex maleficio quidem, ſed pecunianiarie. Hanc concluſionem autem, quia & ad condictionem nullo alio concludendi medio adducto, applicat, oportet, vt eadem quoque dubitationis hic ratio fuerit. Alias inepta fuiſſet vel illatio vel ampliatio. Etenim in condictione furtiua agi pecuniarie quis dubitare poterat. IASONI ANGELO.

§. VII. Denique fruſtra eſt & ANGELVS quoque. Si enim per modum extenſionis, quod in actione furti diſponitur, porrectum eſt ad condictionem, vtique porrigetur propter paritatem vel identitatem, vt loquimur, rationis, ſeu propter eundem medium terminum, qui hoc loco non nude is eſt, quod

agitur pecuniarie. Quid enim opus erat, hoc monuiſſe, quod nemo dupondius ignorauit, etiam priusquam Theognis naſceretur. Sed quod agatur pecuniarie ex maleficio.

IIX. Alii aſſumtionem argumenti; *Condictio furtiua eſt ex maleficio*, limitant; BACCHOVIUS & aſſeclæ, quod non immediate, non principaliter, ſed velut ex cauſa ſine qua non, non natiue, ſed datiue ſit ex maleficio. Sed non probant, quod lex cauſa ſit ſolitaria & principalis, furtum, occaſio ſolum, quemadmodum rei furtiuæ vindicandæ cauſa, ſine qua non, furtum eſt.

§. IX. Contra vrget validiſſime quod condicere ex cauſa furtiua, vt habent verba ICti *d.* §. *2.* vi verbi & ῥήσεως notiſſimæ, nihil ſignificare poſſit aliud, ex perpetuo vſu iuris, quam furtum, ſeu obligationem ex maleficio furti, condictionis eſſe cauſam procreantem. Sic enim condicere ex cauſa *mutui*, ob cauſam *dati*; ob turpem *cauſam*, *ex cauſa indebiti*, ex *ſtipulatione*, nihil aliud ſignificat, quam *mutuum*, *non ſecutam aut turpem cauſam*, *indebiti ſolutionem*, *ſtipulationem*, eſſe principes & per ſe condictionum iſtarum cauſas, a qua ſignificatione vt hic recedamus, nec vlla paulo veriſimilis ſuadet, nedum neceſſaria aliqua cogit ratio. Nam quod ait LYCLAMA. I. Bened. 7. cauſam furtiuam ſignificare, rem non datam, furti vitio affectam, vel inde abſurdum eſt, quod dicitur a ICtis rem condici ob cauſam furtiuam, quod ſecundum Lyclamam eſſet, rem furtiuam condicere, ob rem furtiuam. Deinde, ſi res abſens, furti vitio affecta, eſſet condictionis cauſa, neceſſe foret eam competere aduerſus quemcunque, etiam B. F. poſſeſſorem. Poſita enim cauſa, vtique effectus ponendus eſſet. Quod abſurdum & falſum. Ideoque ex materia furti, ſeu re ſubrepta abſente, aut, vt loquitur LYCLAMA, ex corpore & omni quod habiturus eſſet actor, ſi furtum factum non fuiſſet, non poteſt eſſe condictio. Quamuis autem aliud ſit materia rei contrectatæ, aliud materiale contrectationis furtiuæ; tamen idem eſt, ſi quis non ex furti dolo, ſed ex ablatione, tanquam materiali contrectationis furtiuæ, naſci condictionem dicat. Nam ſic ſub regula huius §. non contineretur condictio. Aliud enim

Probatur delictum eſſe cauſam natiuam.

In quantum eſt delictum & ſub ratione formali.

enim eſt ex maleficio oriri, aliud ex mero actu amotionis, *materialiter*, quod cauſam non magis furtiuam, quam aliam quamuis vllius maleficii continere poteſt. Vt iam prætereams, ex ſolo actus materiali, tanquam mere paſſiuo, neque moraliter & iuridice effectum poſſe gigni. Demto enim animo & fine, qui formæ locum tenet, omnes actiones ſunt indifferentes, quibuscum nihil eſt iudici. Quod ſi dicas, materiale iſtud lege impraegnari & formari, iam velis nolis, eadem hæc erit opinio, cum priori, eorum qui datiuam eſſe condictionem volunt. Imo ſic plane nihil remaneret condictioni, ob quod furtiua dicenda eſſet. Non forma, ex qua deſcendere negant diſſentientes, nec materiale, quippe quod non amplius vel furti, vel ſubreptionis furtiuæ materia manet, ſed nouæ, a lege vel vndecunque ſuperuenientis formæ materia fit, a qua denominatio petenda foret.

§. X. Deinde datur hæc actio odio furum, §. *14. inſt. de Act.* id eſt, odio actus vitioſi. Quod verum non eſſet, ſi ex ſola ablatione, remoto omni dolo, oriretur. Non enim odio furum ſed fauore domini dari, dicendum erat. Odium enim furum nullum eſt, poſita nuda ablatione, præciſa omni iniuria & dolo, vt diximus, adeo vt nec furtum eſſe intelligatur *l. 23. de furt.* Et propter nudam ablationem, & damnum domini, non condictio ſed actio L. Aquiliæ competit. *d. l. 23.* Sed odium furti quod eſt, ex actu vitioſo & vetito eſt, contrectationis fraudulosæ. Ob quam contrectationem, quia competit condictio *l. ult. ff. h. ubi propterea contra furem, re fataliter extincta, datur condictio, quia ſemel inuito domino contrectauit,* hæc contrectatio formaliter autem furti ratio eſt, vt ex definitione liquet; Igitur ex delicti formali ratione condictio naſcitur. Alia probatio.

§. XI. Aliter reſpondere ſatagit LYCLAMA *C. 9.* aliud nempe eſſe ex maleficio oriri actionem, aliud, ex cauſa maleficiorum pecuniaria admitti compenſationem. ICtum non docere, vnde naſcatur actio, vnde condictio furtiua, ſed docere, quod cauſa pecuniaria, ad quam ex delicto agitur, admittat compenſationem, vndecunque tandem origo actionis repetatur. Reſpondetur LYCLAMÆ.

tur.

tur. Et paulo poſt, quamuis aliud ſit ex cauſa furtiua oririri, aliud ex cauſa furti *l.1.§.6.de V.& V.A.* nempe vt oriatur actio furti ex maleficio, condictio ex cauſa furtiua; tamen vtramque & actionem & condictionem *in d.l.10.* dici ex cauſa furtiua oriri, ſolius compenſationis ratione, non originis. Sed quid cauillari leges eſt, ſi non hoc eſt. Verum eſt, ICtum tradere, quod, vbicunque agatur pecuniarie, ibi locum habeat compenſatio, non attenta origine actionis. Hinc dicit, ex maleficio orientibus etiam actionibus, opponi eam poſſe. Quid hic clarius, quam ICtum tradere, quaſdam actiones oriri ex maleficio? Quid ergo nugatur LYCLAMA, ICtum non agere de origine actionum? Pergit autem ICtus, & explicat, quæ oriantur ex maleficio, nempe quæ ex cauſa furtiua oriuntur & ſubdit, condici quoque ex cauſa furtiua. Et ſunt meræ Buttabattæ Næuii, quod LYCLAMA rhetoricatur, actionem & condictionem dici ex cauſa furtiua oriri reſpectu compenſationis. Quid compenſationi cum origine actionum? Quæ præter pecuniam vtrinque debitam, vndecunque origo debitionis ſit non curato, nihil requirit. Hactenus primum receptæ explicationis argumentum firmauimus & vindicatum dedimus.

Secundum argumentum, quod condictio naſcatur ex delicto.

§. XII. Deinde probatur ſententia communis per *l. 21.§.5 ff.rer.amot.* Vbi quæritur; An actio rerum amotarum anno finiatur? Ratio dubitandi pro affirmatiua, quia eſt ex delicto. Ratio autem decidendi pro negatiua, quia ſit rei perſecutoria ex delicto, ſicut & condictio furtiua. Excipiunt diſſentientes, comparationem inſtitui, non ratione originis eiuſdem, ſed ratione durationis. Quod ſi quæras, quæ ratio ergo tam parilis durationis? Reſpondent: Quia vtraque rei perſecutoria, etſi ex diuerſis cauſis rem perſequuntur. Sed ſi hoc tantum voluit ICtus, nimirum, docere, actiones rei perſecutorias eſſe perpetuas, poterat quamuis aliam actionem ad iſtam comparare. Sed ita nihil reuera egiſſet. Cum enim dubitaretur, an rerum amotarum actio, id eſt, rei perſecutoria ex delicto deſcendens, ſit perpetua, non ſufficiebat probaſſe, quaſuis alias, aliunde, quam ex delicto, deſcendentes, eſſe perpetuas. Ita enim non ſoluebatur dubitandi ratio, ſed erat probandum exem-

Diſſentientium exceptio.

Diluitur.

exemplo actionis, ſimiliter ex delicto deſcendentis perpetuæ, quod faciebat ICtus, exemplo condictionis furtiuæ. Et id iam olim animaduertit CARCASSINA, Additionibus ad IASONEM; qui ſolutiones ANGELI & IASONIS propterea appellat verbales.

§. XIII. Porro probatur hæc ſententia ex *l. 13. §. 2. ff. de iurei.* vbi qui iurauit, ſe furtum non feciſſe, videtur de toto iuraſſe, inquit ICtus. De quo toto? Furtone? At illud non poteſt fieri pro parte. De toto ergo, ſcilicet negotio vel toto iure ex furto naſcente, de tota cauſa furtiua. Et infert ICtus, eum proinde neque actione furti, neque condictione teneri. Quod perperam fieret, vt eiurato furto & condictio auferretur, niſi ex furto oriretur. Tertium argumentum.

§. XIV. Nunc videamus & aduerſæ partis rationes. Agmen ducit, quod condictio furtiua non contra hæredes detur in ſolidum. Vnde ſic colligunt: Nulla actio ex delicto deſcendens datur aduerſus hæredem in ſolidum. Condictio autem furtiua datur in ſolidum. Quod argumentum tanti videtur BACCHOVIO, *de Act. Diſp. IV. th. 21. p. 155.* vt putet, non poſſe reddi rationem, cur hæredes in ſolidum conueniendi ſint, ſi ſtatuatur eſſe ex delicto actio. Sed ſatis bene conſtat nobis ratio. Nam propoſitio argumenti nequaquam eſt vniuerſalis, ſiquidem non ſolum exceptionem admittit, lite conteſtata, ſed & vbi mora commiſſa eſt. Moræ enim effectus eſt, vt hæredes obliget in ſolidum, etiam re apud furem extincta. *l. 7. §. 2. h. t.* Fur autem perpetuam moram facit, *l. 8. §. 1. h. t.* Et hæc nimirum eſt ratio, quæ BACCHOVIO, cum hæc ſcriberet, non ſuppetebat. Sed de hoc pluribus infra. Argumentis diſſentientium reſpondetur. Ad primum.

§. XV. Aliud argumentum proponit AZO, *ſumma Cod. h. t. n. 11.* quia condictio furtiua non datur in manumiſſum *l. 15. ff. h.* cum tamen reliquæ actiones ex delicto ita dentur. *l. 42. in f. pr. ff. de furt. l. 1. C. de nox act. l. 4. C. an ſeru. pro ſuo fact. l. 14. & O. & A.* Formula argumenti hæc eſt: Actiones ex maleficio ſerui dantur in manumiſſum; non itaque condictio eſt ex maleficio ſerui. Sed vitium eſt in propoſitione, & quidem illud, quod illæ demum actiones ex maleficio in manumiſſum expetant, quæ pœnam perſequuntur, ne alioqui delicta maneant Ad ſecundum.

 im-

impunita. Condictio autem furtiua, vtut ex delicto, tamen quia rei perſecutoria eſt, naſci non potuit ab initio contra ſeruum, cum quo nulla actio eſſe potuit ciuilis, *l. 107. de R. I.* Hinc fit, vt dominus in quantum ad eum peruenit teneatur *l. 4. h. t.* Ergo neque nunc demum, poſt manumiſſionem naſcatur; niſi denuo contrectauerit *d. l. 15.* Eſt ergo elenchus cauſæ. Quod enim non detur contra manumiſſum, non eſt in cauſa, quod ex maleficio non oriatur; ſed quod nunquam fuerit nata, nec naſci contra ſeruum potuit. Quibus ita firmatis facile occurritur LYCLAMAE quoque, qui idem iſtud urget *Lib. I. B. c. 7. ad fin.*

Ad tertium. §. XVI. Denique LYCLAMA, etſi in Membranis ſuis *Lib. I. eclog 18.* operoſe contenderat, condictionem hanc ex delicto eſſe, in Benedictis tamen, quæ appellat, ſibi non conſtans, contra ita: Qui iurauit furtum ſe non feciſſe, furti actione non tenetur, condictione tamen tenetur, ſi furis hæres exſiſtat *l. 13. §. 2. ff. de iurei.* Ergo non tenetur ex furto. Formula ſic erit: ſi condictio naſcitur ex furto, ſequitur quod eiurato furto ceſſet condictio. Sed non ceſſat condictio eiurato furto. Ergo ea non naſcitur ex furto. Verum animaduertendum hic, etſi qui iurat, ſe furtum non feciſſe iurat de toto, nec vlla actione tenetur, tamen id verum hactenus tantum eſt, & hactenus ceſſat furti perſecutio, in quantum formula iuriſiurandi ſeſe extendit. Si itaque iuraſti, te furtum non feciſſe, nihil aliud inferri poteſt, quam te iurantem non eſſe furem, et ſic nec contra te, vt furem, agi poteſt. Non autem & illud ſequitur; furtum omnino factum non fuiſſe, teque furis hæredem non eſſe. Teneberis ergo non vt fur, ſed vt furis hæres. Facile ergo patet ſolutio argumenti. Nam quod ad aſſumtionem, vtique eiurato furto, ceſſat condictio, qua iuratum eſt, nempe non competit aduerſus iurantem, tanquam furem ipſum. Minime ergo *per d. l. 13.* probata fuit aſſumtio, quod condictio furtiua non ceſſet contra eum, qui iuraſſet, ſe furtum non feciſſe, quod tamen probandum erat, vt valeret argumentum.

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII. Tandem pro quaſi contractu inſubide argumentatur LYCLAMA *l. B.c.8.* Condictio furtiua non datur ex maleficio, vel quaſi. Ergo ex quaſi contractu. Sed ex hactenus diſputatis ſatis apparet Lyclamam τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι. Sed ne quis ſcrupulus relinquatur, videamus, qua ratione antecedens ſuum probet I. ait: I. Bened. c.7. Condictio F. non concepta eſt in delictum vel dolum. Ergo ex alia cauſa dari videtur. *fac. l.9.§.1. Quod fal. tut.* Reſpondeo, eadem ratione effici, ne actio quod metus cauſa ex delicto ſit, quia nec ipſa perſonam, vim facientis coërceat *l.9.§.ult. ff. Quod met. cauſ.* ſed in rem ſcripta ſit. Sed ſæpius iam dictum, ex eo, quod actione aliqua perſequimur, de origine eius certos non fieri nos. (2) *Pergit Lyclama:* Condictio F. nomen habet non ex furto, ſed ex furtiua cauſa. Ergo eſt ex alia quam furti obligatione. Reſpondetur, ſic efficiam, vt ne actio furti ex furto ſit, quia dicitur ex cauſa furtiua eſſe *l. 10. §. 2. ff. de Compenſ.* Et quid, quæſo, impediat, quo minus condictionem, quam furtiuam dicimus, non æque recte ex furto dicamus? Quod vero ad colorandam theſin paulo poſt ait LYCLAMA, cauſam furtiuam eſſe rei furto ablatæ conditionem *arg. l. ult. de V.S.* quæ a furto diſtinguitur *l.30. de A.E. l.20.§.1. de Iurei. l.94.§.2. de ſolut. l.9.§.6. de ſolut.* ceu res cum ſua acceſſione, & quod nuſpiam dicatur dari ex furto, ſed ex facto, a furto diuerſo. *l.76. ff. de Furt.* omnibusque iuris locis ex cauſa furtiua; eo, inquam, parum promouet. Sane quandoque in iure cauſa rei & res ipſa diſcernuntur ita, vt cauſa rei ſit acceſſio, ſecundum *l. ult. §. ult. ff. de V.S.* Sed ita hoc loco non poteſt accipi cauſa. Non enim dicimur rem condicere cum cauſa furtiua, ſed ob cauſam furtiuam, vbi non ſignificat obiectum, quod perſequimur, cauſa, ſed cauſam, quæ facit vt perſequamur. Sed & illud largimur, ex furto eſſe, & ex furtiva cauſa, inuicem diſtingui, non hac tamen ratione, quaſi, quod dicitur ex cauſa furtiua eſſe, non ſit ex delicto, ſed vt diſcernantur actiones ex eodem delicto deſcendentes, ſed ad idem non tendentes. Hac fini diſtingui in locis obiectis ex adſpectu liquet. Quod autem actio furti & condictio ex diuerſis factis dicantur oriri in *l.76.§. ult.*

Non eſt ex quaſi contractu. Refutatur LYCLAMA.

in f. de furt. hæc ingens eſt Lyclamæ auidentia. Quæritur enim ibi, ſi fur furi furtum fecerit, an dominus cum vtroque agere furti poſſit, an condicere, ſcilicet vtrique. Reſpondetur poſſe, quia ex diuerſis factis, vterque ex ſua ſcilicet contrectatione, tenetur. Non ergo condictio F. & actio furti ex diuerſis factis competunt, ſed vterque fur ſiue actione ſiue condictione conueniantur, ex diuerſis, ratione agentium, ſed ex iiſdem, ratione ſpeciei, factis tenentur. Breuiter vtrique furi ex ſuo cuiusque facto, adeoque diuerſis factis condicitur.

§. XIIX. Tertio ait LYCLAMA: Dominus dicitur extrinſecus habere perſecutionem §. *19. Inſt. de obl. quæ ex del.* Ergo extra cauſam delicti, vel quaſi. Quemadmodum ſcilicet vindicatio contra furem poſſeſſorem datur, non vt furem, ſed vt poſſeſſorem. Sed nullam reperimus hic conſequentiam. Cur enim neceſſario, extrinſecus habere, ſit extra cauſam delicti habere? Imo textus ſibi ipſi interpres eſt. Præceſſerat enim, quod actio furti ſolum pœnam perſequatur, cui ſubiicitur, qua ratione res ipſa recuperari poſſit, nimirum extrinſecus, extra actionem furti, quæ mera pœnalis, vindicatione & condictione. Extrinſecus, non intrinſecus, vt in rei perſecutoriis mixtis; vbi, & pœnæ & rei ipſius perſecutio ineſt actioni.

§. XIX. Ait *Lyclama* IV. In furti, L. Aquiliæ, ſimilique actione, quæ ex delicto & ad pœnam datur, ex pluribus delinquentibus ſinguli in ſolidum tenentur *l. 11. §. 2. ff. ad L. Aq. l. 1. C. de Cond. furt.* In condictione F. quod vnus ſoluit alterum liberat, *d. l. 1* ſed bene, quod addit Lyclama, quæ ad pœnam datur. Hoc enim addidiſſe reſpondiſſe eſt. Nam condictio non ad pœnam, ſed ad rem. Quæ non niſi ſemel dari poteſt. Reliqua referre operæ non duco. Quæ vel dupondius ex dictis hiſce iugulet. Denique hoc vno ſeruato, quod aliud ſit, *oriri ex delicto*, aliud *pœnam perſequi*, cum alterutro poſito, tamen alterum non neceſſario ſequatur, vim omnem argumentorum Nicholtanorum fregeris. Inde enim eſt, *quod damno furti per pactionem deciſo, furti agere amplius non licet.* l. 13. C. de furt. l. 17. §. 1. de pact. *ſed agi condictione poteſt* l. 7. ff. h. t. non quod diuerſam habeant originem, ſed quod ad diuerſa tendant. Indidem

didem eſt, *Quod liberi hominis nomine furti actio ſit, condictio non ſit* l. 38. §. 1. de furt. *Quia* illa pœnam, hæc rem in commercio & dominio noſtro poſitam, in quo non eſt liber homo, perſequatur. Nec ſufficit *vnam efficientem cauſam in actu poni* (hoc enim argumento itidem vtitur Lyclama) *vt effectus ſequatur*, ſed materia etiam idonea requiritur, quæ formam recipiendo ſit. Hinc *is, cuius ope, conſilio furtum factum, furti tenetur*, quia pœnam vtique meruit, condictione non tenetur, quia rem non habet. Sed plus ſatis de his.

CAPVT. III.
De Materia condictionis Furtiuæ.

§. I.

MAteria condictionis huius eſt res certa, id eſt ſpecies vel quantitas, quæ aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit oſtenditur, *l. 6. ff. ſi certum pet.* Species, inquam, vt ICti ha ne vocem accipiunt, id eſt, ſubſtantia prima. Quæ ſpecies, etſi natura ipſa propriis conditionibus indiuiduantibus a reliquis eiusdem generis ſpeciebus eam diſcreuit, in commercio tamen adhuc amplius demonſtrationem hominis deſiderat, vt quodnam ex omnibus indiuiduis intelligatur, ſciri poſſit. Id, eoque Paulus ait, certum fieri aut nomine ſuo, vt Stichus, Pamphilus, aut demonſtratione nominis vice quæ fungatur. Quantitas autem certa fit, demonſtratione numeri & qualitatis. Numeri, vel ſolius, in pecunia numerata, vt decem aurei: Vel numeri pondus menſuramue numerantis, vt in reliquis quantitatibus v. g. decem modii tritici, vini amphoræ centum, olei pondo viginti. Sed nondum id ſatis eſt, niſi & qualitas exprimatur: vt tritici afric. optimi modii centum, vini campani optimi amphoræ tres, imo & in pecunia numerata quandoque opus eſt, qualitatem adiicere, vt centum aurei Rhenani, Vngarici, centum thaleri Imperiales, *vid l. 74. §. 1. & ſeq. de V. O.* Niſi quantitas promittatur vt ſpecies, puta vinum, oleum, triticum, quod in horreo eſt, neque iſtud ſic ſatis cer-

Digitized by Google

tum eſt, ſine quantitatis ac qualitatis demonſtratione *d. l. 75. §. 5. ff. de V. O.*

Condictio furtiua eſt certi.

§. II. Ergo condictio furtiua regulariter certi eſt, quandoquidem perſequitur ſpeciem non aliam, vel quantitatem, quam furto ablatam. Contrectari autem niſi corpora ſeu ſpecies, nihil poteſt. *§. 1. Inſt. de reb. corp. & incorp.* ſecundum πολυθρύλλητον LVCRETII. *Tangere vel tangi niſi corpus, nulla poteſt res*, & ARNOBII *L. VII. adv. Gent. quod non habet robur & ſubſtantiam corporalem, contrectari a ſubſtantia non poteſt.* Adde TVLLIVM *in Top. C. V.* GELLIVM *V. 15.* Sed quia quandoque accidit, vt per ſpeciem & quantitatem, aliud quod ius in ea competens furto interuertatur, qua ratione furti agunt commodatarius, creditor pignoratitius; B. F. emtor, conductor, *§. 14 15. 16. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.* & in genere cuiuscunque intereſt *§. 13. Inſt. eod.* fieri poteſt, vt mediate ſpeciem ſeu rem certam, immediate vero incertum quid perſequamur, puta quod intereſt, vel poſſeſſionem, vel quid ſimile. Quare miror, cur TREVTLERVM ſugillet BACCH. *de Act Diſp. IV. th. 23.* quod condictionem ab obiecto certi aliam, & aliam incerti fecerit. Non enim video quid ſit, quo minus, ſi incertum in actionem venit, obiectum actionis ſit, etſi obiectum contrectationis furtinæ non ſit. Sufficit, ſi cum re certa actori & id, quod incertum, abeſſe cœperit.

An condictio furtiua quandoque ſit incerti.

Affirmant Recenſiores.

Non item Veteres.

§. III. Dubium autem eſt apud Dd. an incertum in hanc condictionem veniat? Ita tradunt recentiores CVIAC. *ad Pap. in l. 5. ff. Rer. amot.* HOTOM. *Comm. Inſt. ad h. t.* DVARENVS *c. 1. in f.* VAVDVS *I. quæſt. 34.* PACIVS *ad Rubr. C. h. t.* TREVTL. *P. I. Diſp. 22. th. pen.* BACCH. *de Act. Diſp. IV. th. 23.* VVLT. *II. Juriſpr. 19. n. 25.* cuius opinationis fundus eſt *l. 12. §. ult. h.* in qua creditori, ſurrepto pignore, incerti condictio datur. Et *l. 22. pr. ff. de pign. act.* Sed veteres aliter ſentiunt, cum quibus facit ANT. FAB. *Dec. 81. Err. 4. 6. 5.* qui non incerti furtiuam, ſed peculiarem incerti actionem intelligunt, *Gloſſa*, ALB. de ROS. BARTOL. CASTRENSIS *& plerique alii*, teſte BARTOL. *ad l. 12. §. vlt. ff. h.* Quare de tota re prolixius tractandum.

§. IV.

Condictiones ex conuentione deſcendentes, omnes vel certi vel incerti ſunt.

§. IV. Opinamur autem ex omnibus illis obligationibus ex contractu vel quaſi, in quas æque certum atque incertum venit, & certi & incerti condictionem competere. De Verborum obligatione res clara *pr. Inſt. de V. O.* ſic & datur condictio indebiti æque incerti *l. 22. §. 1. de cond. indeb.* atque certi *l. 19. cum l. ſeq. §. 1. de cond. ind.* Ob cauſam dati cauſæ non ſecuta, *l. 4. de cond. cauſ. dat.* Et condictio ſine cauſa. *l. 3. ff. de cond. ſine ca.* Idem oſtendi poteſt in his contractibus, quæ propriam actionem habent. Nam concurrere cum propria actione condictionem modo certi, modo incerti, certum eſt. *l. 9. pr. & §. 3. ff. de reb. cred.* Sic actio ex vendito & condictio incerti concurrunt, *l. 35. ff. de S. P. U.* actio ex conducto & condictio ſine cauſa *l. 2. ff. de cond. ſine cauſa* ſic in ſpecie *l. 3. ff. de cond. ſin. ca.* competit condictio ſine cauſa, & incerti. Inde concludimus, quod tam certi quam incerti condictiones non tantum ex propriis cauſis, ſed ex omni omnino obligatione alia, etiam propriam ſuæ ſpeciei actionem producente *l. 9. §. 3. ff. de reb. cred.* naſcantur, dummodo intentio ſit, dari, fierive.

Condictio & certi & incerti eſt, vel generalis, vel ſpecialis.

§. V. Quibus conſequens eſt, vt condictio certi pariter atque incerti recte diuidatur in generalem & ſpecialem. Et quia generalis ambigue dicitur, miſſa Citramontanorum cum Vltramontanis contentione priſca (quorum balbutiei interpretem agere, ſit otio ſuo abuti. Vide ſis ZASIVM *ad l. certi condictio n. 9. ff. de reb. cred.*) Rem ita euoluo: condictio, ceu genus ſubalternum, tot ſub ſe complectitur ſpecies, quot dantur cauſarum ſpecies diuerſæ, propriam ſuam formam habentes, vnde ſingulæ naſcuntur obligationes, hinc condictio ex mutuo, ſtipulatione, ſoluto indebito & deinceps, ſunt ſpecies ſui generis, quod eſt condictio generalis. Et hæc generaliter ita concepta condictio, ex obiecto alia certi quo[illegible] alia incerti eſt. Sed quia eſt merus conceptus mentis, a ſingulis condictionum ſpeciebus mente abſtractus, vt ſunt genera omnia, ideo extra intellectum non ſubſiſtit, neque in bonis noſtris eſt, neque concurrere cum ſpeciali alia, neque omnino in iudicium deduci poteſt, niſi per ſpecies, ZAS. *l. 9. de reb. cred.*

Condictio certi generalis tripliciter accipitur.

Ex

Et hæc vna eſt acceptio condictionis generalis, quæ apertius ac planius dici potuiſſet, generica.

Alia acceptio condictionis generalis. §. VI, Porro, quia, vt dixi, omnis obligatio ex propria ſua vi & forma, quam habet ex certa contractus vel maleficii ſpecie, actionem ſuæ ſpeciei propriam, peculiarem & ſingularem, nomen ſui contractus habentem, producit v. g. actio commodati, depoſiti, pignoratitia, emti, venditi, tutelæ, communi diuidundo, & deinceps: Sed & præter hanc, ex ſolo facto commutationis ſeu crediti certi vel incerti, quod omni contractus ſpeciei ineſt, quæ vtut non, niſi poſito facto, certam formam & ſpeciem contractus habente, prouenit; tamen non prouenit ex ea ratione formali contractus, v. g. quatenus emtum, venditum, permutatum, indebite ſolutum eſt, ſed ex ratione communi, qua in creditum itum eſt, quacunque tandem ſpecie facti, vel contractus forma. Et hæc quoque eſt condictio certi generalis, non vt prior, quod habeat tantum communem & genericam quandam naturam, quæ omnibus condictionibus ſpecialibus ex æquo inſit, atque adeo certum aliquod in idea contineat; ſed quod certum perſequitur, non ſub ratione ipſa formali & ſpecifica, qua eſt in creditum itum, emto, vendito, permutatione, indebite ſoluto, ſed ſub ratione generica, in quantum in creditum eſt itum, dummodo dari fieri oportere intendatur. ZAS. *ad l. 9. ff. ſi cert. pet. n. 10.*

Tertia acceptio condictionis generalis. §. VII. Denique quia certi, quod condictionibus perſequimur, diuerſæ ſunt ſpecies, vt & incerti. Alia enim res certa eſt corpus, alia quantitas. Sic incerta ſunt genus, facta, res incorporales. Hinc quædam condictiones generales appellantur, quæ non vnam ſpeciem certi vel incerti pro obiecto habent, & perſequuntur, ſed promiſcue plures, vt condictio triticaria, & ſine cauſa, quæ ſpecie quidem diuerſæ ſunt ac ſeparatæ, a reliquis condictionibus, & ſic ſpeciales, obiectum tamen habent diuerſarum ſpecierum, cujus ratione generales perhibentur.

§. IIX. Quando itaque diximus, condictionem recte in generalem ac ſpecialem diuidi, mens non eſt, condictionem diuidi in genus & ſpecies. Nulla enim datur talis diuiſio, qua

res

res diuidatur in genus & ſpeciem: ſed res in genere accepta, diuiditur in ſuas ſpecies. Ergo non loquimur de condictione in primo ſignificatu. Neque intelligimus condictionem, quæ pro obiecto habeat plures certi ſpecies & quæ vnam tantum, quæ erat tertia acceptio, ſed dicimus, quod ſpecies condictionum aliæ dicantur generales, quia certum nomen ex contractu non habent, qua ratione innominatæ & communes forſan ſignificantius dici poſſent, nihilominus tamen non ex facto in genere, ſed ex hoc & ſic credito, naſcuntur & concurrunt cum actione perſonali, contractus nomen habente, qualibet, vbi dari fieriue intenditur, *l. 28. §. ff. de iureiur.* Aliæ vero dicuntur ita ſpeciales, vt non tantum differentia ſpecifica a genere, ſed & a reliquis ſpeciebus, per certum nomen & formam propriam diſcernantur, quales ſunt condictiones ex mutuo; verborum obligatione, indebito, & reliquæ vbi dare, facere oportere intenditur.

Condictio generalis eſt ſpecies condictionis in genere acceptæ.

Condictione in genere accepta diuiditur in generalem & ſpecialem, quæ deſcribitur.

§. IX. Vt reuertamur ad propoſitum, iam conſtat, obligationem ex conuentione quamlibet, pro conditione eius quod perſequitur producere condictionem, modo certi modo incerti, & tam certi, quam incerti modo generalem, modo ſpecialem. Quam generalem incerti, recte, ſiue communem, cum reliquis actionibus perſonalibus nominatis, in quibus incertum venit, concurrentem agnoſcit poſt Gloſſ. BALDVS, P. de CASTRO *in d. l. ſed et ſi.* ANGELVS *pr. Inſt. de V. O. n. 4.* IASON. *in l. ſed etſi 22. §. cum iter. ff. de cond. ind. n. 9. per l. 8. 5. §. 1. ff. de act. emt. l. 35. ff. de S. V. P. l. 5. §. 1. l. 8. ff. de uſufr. ear. rer.*

Concurrit condictio incerti generalis cum actionibus aliis perſonalibus.

§. X. Diſſentit ſane BARTOLVS *in d. l. 22. §. cum iter*, cum SALICETO, quos ſequitur DONELLVS *ad l. 9. de reb. cred. n. 9.* & BACCH. *de Act. diſp. 4. th. XI.* Equidem BARTOLVS *d. loc.* recenſet tres diuerſas opiniones, addens, ſe eſſe in quarta. Et eius ſententia hæc eſt, quod quidem exſiſtat peculiaris condictionis ſpecies, quæ incerti ſit, ſed non concurrere eam cum aliis actionibus, ſed in ſubſidium duntaxat dari. Probat inde, quod ſicut condictio ex ſtipulatu facit ceſſare condictionem incerti ſecundum AZONEM *in ſumma ſua* & Gloſſam, quam BAR. allegat; Ita & quæuis alia actio ordinaria.

Diſſentit BARTOLVS.

Diſtinctio BARTOLI.

§. XI. Ideoque ſic diſtinguit BAR. Aut petitur illud quod eſt incertum, ſed venit certificandum per ſententiam, vt intereſſe, tunc locum ſola habet condictio certi: Aut petitur illud quod eſt omnino, & durat incertum, nec per ſententiam venit certificandum, & tunc, ſiquidem ad id eſt altera actio prodita ordinaria ex contractu, vel teſtamento illa agendum, nec competit condictio incerti *pr. Inſt. de V. O. l. permiſiſti, ff. de præſcr. verb.* Vt maxime lex diceret agi incerti. Senſum enim eius fore, non quod hoc ſit actionis eius nomen, ſed factum ita demonſtrari, nimirum, quod ordinaria actio ad incertum competat: Sin obligatio non cadit in ſpeciem alicuius contractus, vel quaſi, tunc, ſi quidem illud quod eſt geſtum inter partes eſt tale, quod conſueuit parere condictionem, recurrimus ad condictionem incerti. Concedit ergo BARTOLVS, quod detur ſpecies quædam condictionis, quæ dicatur, incerti, ſed non niſi ex iis negotiis, ex quibus condictiones proprie & in ſpecie ſic dictæ naſci poſſent ſubſidiariæ.

Perperam accepta a BACCHOVIO.

§. XII. Male ergo aut cepit BARTOLVM, aut exponit BACCHOV. *d. tr. Diſp. IV. th. XI.* ac ſi neget dari condictionem generalem & vagam. Quod amplius refellitur verbis Bartoli ſequentibus, quando ait: Iſtæ condictiones ob cauſam indebiti & ſine cauſa non oriuntur, niſi aliquod negotium ſit inter partes geſtum. Negotio tamen geſto, inter eos oritur condictio dicta (nempe incerti) non ſecundum id quod agitur, ſed extra id, id eſt, extra propoſitum agentium. Non ergo negat huius condictionis incerti generalis exſiſtentiam, ſed negat indeterminatum concurſum. Et ſic eum intelligit etiam P. DE CASTRO & ANGELVS, ille *in d. l. ſed etſi.* hic vero *pr. Inſt. de V. O. n. 4.* Ratio autem Bartoli & petit principium & concludit a particulari. DONELLI autem & BACCHOVII ratio falſa eſt, quod nuſpiam de tali condictione generali in iure noſtro agatur, & ſi talis ſit, oporteat ex omnibus cauſis dari, hoc autem nuſpiam eſſe proditum. Quod ex his, quæ iam dicta, facile redargui poteſt, etſi omnimodum concurſum non admittimus. Ergo cum actionibus ex contractu vel quaſi, deſcendentibus concurrit condictio generalis & incerti, ita ſcilicet, vt non ne-

Reſpondetur BARTOLO, DONELLO, BACCHOV.

Modus quo concurrat condictio incerti generalis cum actionibus ſpecialibus.

ceſſario

ceſſario & ſemper concurrat, ſed poſitis terminis habilibus; quandoque autem ſola actio ordinaria competat; quandoque ſola incerti condictio, velut ſubſidiaria.

§. XIII. Iam ad quæſtionem ſupra n. 3. propoſitam: An detur condictio furtiua ſpecialis incerti? Dixi, veteres pleroſque negare, & *in d. l. 12. §. ult. ff. de cond. furt.* intelligere incerti generalem. Pro quibus quid dici poſſit videamus. Primo incertum, quod ex cauſa furtiua perſequi poſſumus, vel eſt rei vſusfructus vel poſſeſſio, *§. 1. Inſt. de obl. quæ ex del.* ſed ob neutrum competit condictio. Vlpianus enim, *l. 14. §. 16. ff. de furt.* docet, omnibus quorum periculo res alienæ ſunt, veluti commodati, locati, pignoriſue accepti, ſi hæ ſubreptæ ſint, furti actionem competere, condictionem autem ei demum, qui dominium habet. Itaque (2.) porro certi iuris eſt, quod condictio datur ſoli domino *l. 1. ff. h. t. l. fin. ff. uſufr. quem car.* Et fruſtra excipitur, quod argumenta hæc loquantur de ſola condictione certi. Nam ex ea, quam primo loco poſuimus, ratione efficitur, ne omnino incertum in hanc actionem venire poſſit.

Non datur condictio F. incerti ſpecialis.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

§. XIV. Quid enim euidentius hac conſequentia: Si, quorum periculo res alienæ ſunt, actionem furti habent, condictionem non habent, ſequitur, quod condictio incerti ſpecialis nulla detur. Ratio conſequentiæ eſt, quia ſi daretur condictio incerti, vtique ſolis daretur illis, quorum periculo res alienæ ſunt, quod ipſi diſſentientes affirmant. Ridiculum etiam eſſet, dominum rei ſuæ nihil niſi vſum aut poſſeſſionem perſequi. At non datur his incerti condictio, quod vi oppoſitionis ex dicto textu demonſtratur. Aut enim in eo opponuntur dominus & hi quorum periculo res ſunt, quod illis condictio his non condictio, ſed ſola furti actio detur, aut plane nihil eſt, cuius ratione opponantur.

§. XV. (3) Condictio furtiua eſt condictio ipſorum corporum, non ſane corporum, prout in iis ſpectamus vſum vel poſſeſſionem, ſeu quod noſtra intereſt, ea non eſſe interuerſa, ſed ſignate, IPSORVM. *l. 8. pr. de Cond. furt.* Et nihil agit BACOH. *de Act. Diſp. IV. th. 23.* quod condicendo poſſeſſionem

Ratio tertia.

Replicatur per BACCHOVIO.

per conſequens ipſum corpus conſequamur. Nam ita non diceret recte ICtus corpora ipſa condici, quæ vtique non condicimus, ſi poſſeſſionem condicimus, ſed per conſequentiam tantum, qua poſſeſſio non niſi corporis eſt, conſequimur. Altera autem eiusdem BACCH. reſponſio adhuc peior eſt, quippe petens principii. Hæc enim ſub iudice adhuc lis eſt, vtrum detur condictio alia quam certi. Et indefinite ICtus, & vniuerſaliter pronunciat; condictionem furtiuam corpus & ipſum quidem illud, perſequi, dummodo exſtet. Vbi vero exſtare deſiit, ſi non ſit purgatum furtum per oblationem, durat condictio æſtimationis *d. l. in re furtiua.* Sed & ipſa certi, cum dicat Vlpianus, etiam re peremta durare condictionem, nempe eandem. Durare enim eſt idem numero ſupereſſe, ergo condictionem certi.

Ratio IV. §. XVI. Porro condictio F. propterea inuenta, vt conſequi dominus per eam poſſit, quod per actionem furti & rei

Ratio V. vindicationem nequit, nimirum rem ipſam. Quæ condictio procul dubio danda nunquam fuiſſet, ſi actio furti pœnalis mixta fuiſſet. At vero condictio illa incerti credita idem perſequitur, quod actio furti. Non itaque eſt furtiua. Denique quomodo hæc, quam fingunt, incerti condictio poterit eſſe ipſa furtiua, quæ nihil habet commune cum vera illa certi, quam diuerſam eſſe volunt, furtiua. Nam neque datur domino hæc incerti, vt certi, neque contra ſolum non dominum, ſed & dominum ipſum, v. g. debitorem, ſi pignus creditori ſubripuit, neque corpus perſequitur, vt vera illa certi, neque odio furum comparata eſt vt vera, quia ea quæ odio furum comparata, datur domino, vt intendat rem ſuam ſibi dari oportere. *§. ſic itaque Inſt. de Act.* ſed illa, quæ creditori datur, cui pignus ſubreptum fuit, datur non domino, cui nullo modo intendere licet dari oportere. Neque perſequitur æſtimationem, quanti plurimi, ſed quod intereſt, relata condemnatione ad ſummam pignoris *l. 15. pr. de furt.* Nec furem hæredemque eius obligat periculo rei furtiuæ, quia quod intereſt, perire non poteſt *l. 11. C. ſi cert. pet.* Deinde quidquid ubique de furtiua dicitur, nihil eorum ad hanc pertinere poteſt, neque

que eius vſpiam in iure fit mentio, nec illis quidem duobus locis, de quibus mox agemus. *Vid.* ANT. FAB. *Deciſ. 81. Err. V. p. m. 203.*

§. XVII. Quod igitur attinet *l. 22. pr. ff. de pign. act.* quærit ibi Vlpianus, an creditor, cui res ſubrepta, quidquid perceperit a fure, condictione, imputare debito cogatur, quod affirmat autoritate Papiniani. Ponamus ex mente recentiorum, condictionem furtiuam incerti hic intelligi. Aſſumamus ergo quod tradunt, quod hac condictione incerti non niſi poſſeſſionem, nempe factum illud poſſeſſionis, creditor perſequatur. Imputare ergo creditor poſſeſſionem ſuam debebit debito; hanc enim condictione furtiua incerti percepit. Satis ridicule, cum illa non magis debito poſſit imputari, quam debitori reſtitui, quando ſemper interſit creditoris pignus habere, *l. 12. §. 2. ff. de furt.* SCHIFERDEC. *Tract. I. Lib. 2. q. 6.* Quare verius putamus, quod veteres pro certo tradunt, condictionem F. incerti *in d. l. 22. vt & l. 12. §. fin. h. t.* nullam eſſe, ſed condictionem incerti generalem ſeu communem intelligendam ibi. **Reſpondetur ad l. 22. pr. de pig. act.**

CAP. IV.

De Fine condictionis furtiuæ, quæ eſt rei perſecutio.

§. I.

FInis, qui dominum mouet, vt condictitia actione experiri velit, eſt rei ſuæ recuperatio. Non enim pœna furis tam expetitur, quam afficit proprietas. Πρός ἡδονὴν γὰρ ἀμύθητον ὅσον διαφέρει τὸ νομίζειν ἴδιόν τι. Μὴ γὰρ ἐ μάτην τὴν πρὸς αὑτὸν αὐτὸς ἔχει φιλίαν ἕκαστος, ἀλλ᾽ ἐστι τοῦτο φυσικόν: *id eſt, vt* HEINSIVS παραφράζει; *Verbis exprimi non poteſt, quanto ſit iucundius habere quædam propria, quam omnia communia. Non enim temere eſt, quod quisque ducitur amore ſui, cum id a natura omnibus inſitum ſit*, ait PHILOSOPHVS *L. II. Pol. c. 5. Et c. 4.* δύο ἐστιν ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι, τοὺς ἀνθρώπους, καὶ φιλεῖν; τό τε ἴδιον, καὶ τὸ ἀγαπητόν. *Duo ſunt potiſſimum, quæ curam & amorem inter homines conciliant, ſi quid habeant aut proprium, aut vnice dilectum.* **Finis, rei ſuæ recuperatio.**

§. II.

Digitized by Google

Condiĉtio eſt rei perſecutoria. §. II. Quare cum actione furti meram quis conſequatur pœnam, cui tamen res ſua longe carior, danda fuit actio ex delicto rei perſecutoria. Qualem eſſe condictionem F. iam porro aſſeremus. Et quidem interpretum veterum nemo dubitauit, quin rei perſecutionem haberet condictio, idque *per l.* §. *2. ff. de cond. furt. vt &* §. *19. Inſt. de Obl. ex del.* vbi ipſius rei perſecutionem extrinſecus habere dicitur dominus, quam aut vindicando aut condicendo poteſt auferre. Et Paulus *II. Sent. T. 31. furti manifeſti actio, præter pœnam quadrupli ipſius rei perſecutionem genere vindicationis & condictionis continet*, id eſt, *vt* CVIAC. *recte, quem ſequitur* GODOFREDVS, extra pœnam eſt rei perſecutio, quam aut vindicando aut condicendo dominus auferre poteſt.

Diſſentit LYCLAMA. §. III. Sed tamen contra tendere primus cœpit LYCLAMA I. *Memb. 18.* Qui quidem *d. l. 7.* §. *2. de cond. furt.* ſic accipit, quaſi rei perſecutionem habere nihil aliud ſignificet, quam eam ſimul, ſed tamen non ſolam continere. Adeoque rem

Refutatur. quidem perſequi doceat, ſed ita, ne pœnæ perſecutionem excludat. Bene eſſet, ſi LYCLAMA, qua facilitate ait, ea probet, hanc eſſe Vlpiani mentem, ſed præterquam quod habere, nequaquam vi propriæ ſignificationis, denotat, ſimul, vna habere, vel continere cum aliis, ſatis refutatur hæc explicatio *ex d.* §. *19. Inſt. de furt.* vbi extrinſecus, extra actionem furti pœnalem rem perſequi condictio dicitur. Ergo non perſequitur pœnam cum re, ſed rem extra pœnam.

§. IV. Nec audienda LYCLAMAE explicatio, cui perſecutionem habere idem eſt, ac non habere ex ſe, naturave ſua, ſed iure extraordinario. Quod tamen nequaquam probat *l. fin ff. vſufr. quem cau.* vbi nemo dicitur rem ſuam condicere, niſi furi. Ehodum, ſequitur? Sola condictio F. datur domino, ergo non eſt rei perſecutoria per naturam, ergo omnis actio rei perſecutoria datur non domino? Hoc enim neceſſario ſequitur. Quaſi vero commodati, depoſiti, ex emto, locato non ſint ſui natura rei perſecutoriæ §. *17. Inſt. de Act.* & dominis tamen dantur.

§. V,

§. V. Quod ſi propoſitionem forte non de omni actione, ſed ſolis condictionibus intelligi velit, quaſi omnis condictio rei perſecutoria detur non domino, vt ſcilicet per contrapoſitionem concludat: Ergo quæ non datur non domino, non eſt rei perſecutoria; poſtulabimus ante omnia, vt liquido & ſolide probet, quod qualitas rei perſecutoria in condictionibus peculiarem hunc effectum ſortiatur, quem neque in actionibus realibus, interdictis plerisque & actionibus perſonalibus habet, vt nimirum dentur ſoli non domino. Nos ſcimus & certa iuris ratione edocti ſumus, quod condictiones regulariter dentur non dominis, id eas habere ex propria natura, nempe quia intenditur aduerſarium dare oportere, quod nemo poteſt niſi non dominus. Minime ex eo, quod rei perſecutoriæ ſint, quia id eſt communis conditio actionum tam realium & interdictorum, quam plerarumque perſonalium, quæ omnes competunt dominis, nihil ergo facit ad id, vt condictio regulariter detur non domino, rei perſecutoriam eſſe.

Non eſſe verum oſtenditur, quod condictio, in quantum rei perſecutoria eſt, detur non domino.

§. VI. Etſi vero condictio furtiua a natura condictionum hactenus degenerat, qua domino datur contra non dominum, odio ſcilicet furum, quo degenerant omnes actiones, non tamen continuo, & iſthanc qualitatem, quæ omnibus condictionibus eſſentialis, exuit, vt rei perſecutoria eſſe deſinat. Sic enim plane deſineret condictio eſſe, quarum nulla non rei perſecutoria eſt. Ergo non niſi hoc vnum in condictione furtiva ſingulare reperitur, quod datur domino ob odium furum. Quid vero *ex l. 1. ff. rer. amot.* exſculpere velit Lyclama, hariolando aſſequi non poſſumus. Certe id volebat, quod rei perſecutio iure extraordinario inſit condictioni. Id ſiue ex iis verbis, quibus rerum amotarum ſingulare iudicium perhibetur, ſiue ex eo, quod conſtituto iure furti actio non eſſe dicitur, elici putat, oppido fallitur. Eique iam dudum ſatisfecit SCHIFERD. *Lib. II. Tract. 1. q. 7.*

L. 1. ff. rer. amot. nihil probat.

§. VII. Reſtat, vt videamus, nunquid propterea rei perſecutoria habenda non ſit condictio F. quod res ext[illegible]a æſtimetur quanti unquam fuit plurimi. Sane æſtimationis præſtatio, quia in locum rei ſuccedit, non poteſt aliud, quam rem ipſam

Non propterea eſt pœnalis C. F. quia continet æſtimationem quanti plurimi.

ipſam repræſentare? Nec enim ſubrogatum aliam, quam cuius in locum ſuccedit, referre rem poteſt. Quia æſtimatio quanti plurimi, nihil aliud eſt, quam rei ipſius præſtantia pretio menſurata, ad rationem certi temporis, quo domino ea interuerſa furto abſuit, ſane non magis apparet in ea quam in communi æſtimatione, quid pœnæ ſubeſſe poſſit. Aliter atque in actione L. Aquiliæ. Nam in ea fit æſtimatio, quanti res plurimi fuit, non intra illud tempus, quo actio naſci cœpit, ſed relatione ad anterius tempus facta, quo ex delicto nondum adhuc debitor exſiſteret, quod nil niſi pœnam redolet. Et hæc de natura Condictionis ſufficiant. Reſtat vt iam porro, quomodo ſe habeat condictio iſta in iudicium deducta, videamus.

IOANNIS STRAVCHII
DE
CONTUMACIA
DISSERTATIO

RESP.

ECBERTO FEL. MEYERHOFF, Sternb. Weſtph.

IENAE CIↃ IↃC LXXII.

EA proh dolor Beneuole pariter ac Sincere Lector, eſt mortalium malitia ac peruerſitas, vt ſemper omittenda faciant, facienda vero omittant, vnde illud veriſſimum Ovidii:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.

Hinc ne filius quidem parenti obtemperat, nec ſeruus domino obſequium præſtat, imo, quod horrendum, ipſi Deo creatori ſuo homo debitam denegat obedientiam, quare non adeo admirandum erit, quod & ſubditum magiſtratui ſuo & illi, qui in eum poteſtatem ius dicendi habet, refragantem quotidie videamus. Et ſane non ſolum particularis œconomicus, ſed & politicus, imo etiam eccleſiaſticus inde in totum inuerteretur ſtatus,

Digitized by Google

ſtatus, ni iuſtiſſimis adhuc locus ſupereſſet pœnis, quibus in omnibus hiſce ad ſuum refractarii compellerentur debitum ac officium. Ingentia quoque hac de materia conſcribi poſſe volumina, nemo facile, qui modo ſanioris mentis erit, inficiabitur; quod tamen, cum noſtri nec inſtituti ſit, nec ratio poſtulet, nec tempus permittat, vnicum nobis argumentum ſufficiet, ſi de ea nimirum inobedientia, quæ *Contumaciæ* nomine in ſpecie apud ICtos venit, loco Inauguralis Diſputationis quædam pertractabo. Quod autem antequam fiat, ad Te, o Triune DEVS, tanquam fontem omnium bonorum ſupplex confugio, ardentibus precibus a ſumma tua maieſtate deuote contendens, velit mihi in hoc negotio diuina gratia ſua aſſiſtere, ac ita calamum dirigere, ne a veritatis via deflectat. A Beneuolo vero Lectore officioſe rogito, vt hiſce auſis meis faueat; Sit itaque

CAPVT I.
Definitionem ac Diuiſionem Contumaciæ exhibens.

§. I

Contumacia, ſi eam in ſua genuina ſignificatione conſideramus, in genere omnem inobedientiam ſiue contemtum potiorum denotat. Quale exemplum eſt in *l. vn. C. de ingrat. liber.* Vbi contumacia pro omni iniuria parentibus a filiis vel filiabus illata ſumitur. Sed eam huius vocis generalem acceptionem fori obſeruantia vix admittit, eam tantum inobedientiam pro *Contumacia* reputans, quæ committitur erga iudicem a parte legitime citata.

§. II. Dupliciter autem conſiderari poteſt: *Generaliter* ſcil. vel *ſpecialiter*; ita quidem, vt in genere denotet omnem ab Actore vel Reo in prima vel ſecunda Inſtantia, ante vel poſt litem conteſtatam quoquo modo commiſſam erga iudicem competentem inobedientiam. NICOL. *in Proc. P. 1. C. 32. n. 1.* In ſpecie vero ſit hæc; quando quis tribus edictis aut citationibus vel vno peremptorio pro tribus literis vocatus, præſentiam

Digitized by Google

tiam ſui facere contemnit. Et de hac loquitur *l. 53. §. 1. ff. de re iudic. vid.* NICOL. *loc. cit. ibique allegat.* DN. TABOR.

§. III. Hinc talem vtramque ſub ſe continentem ponimus definitionem: *Contumacia eſt erga iudicem a parte legitime citata commiſſa inobedientia.*

§. IV. Cum autem non ſemper de admittentis cotumaciam dolo & citationis ſcientia conſtet, diſtinguere eam Doctores ſolent in veram & præſumtam. Contumacia vera eſt, quando conſtat, vocatum citationis ſcientiam habere, nec tamen, cum venire potuit, compareat. Et hæc eſt vere punibilis, adeoque de ea potiſſimum ſermo erit.

Præſumta autem eſt, quoties non conſtat, an citatus citationis emiſſæ ignarus abſit, nec ne. VMM. *Diſp. 6. n. 3.*

CAPVT II.

A quibus & quomodo Contumacia committatur, demonſtrans.

§. I.

CUm iam ex dictis ſatis conſtet, quid in foro contumacia κατ᾽ ἐξοχήν denotet, neceſſum erit, vt de perſonis eam admittentibus, & variis modis committendi quædam addamus.

§. II. Et cum cuilibet ſit notum tam actorem, quam reum a iudice legitime vocandum eſſe, vtpote cum iam vetus ille modus in ius vocandi, quippe, qui nimis durus fuit, dum etiam inuitum & reluctantem adverſarium quis propria autoritate obtorto collo ad iudicem trahere potuit, ſit ſublatus, vterque etiam hisce obſeruatis, ſi citationi non obtemporet, contumax exiſtet. Quo tamen caſu actor ſemper in graviori delicto verſatur ac reus, vnde & eius conditio in obligatione ad pœnam deterior eſſe ſolet, vti ex *Cap. ſeq.* patebit. Per alium quoque cum agere nec non defendere nos poſſimus, veluti per procuratorem, & hic obſequium debitum non præſtando contumaciæ ſit reus.

§. III.

§. III. Diximus, illum eſſe contumacem, qui ad citationem legitime factam non comparet, vnde quilibet facile perſpicere poterit, quod diuerſa ſint, contumacem eſſe & non obtemperare ius dicenti. Nam etſi tam hic, quam ille debitam deneget iudici obedientiam, diuerſo tamen modo hoc faciunt. Is enim ius dicenti non obtemperaſſe videtur, qui quod extremum eſt in iurisdictione non fecit, hoc exſecutioni obſiſtit, & eam non patitur. *l. vn. §. 1. ff. ſi quis ius dicenti non obtemp.* DN. STRVV. *Exercit. IV. theſ. 85.* Contumax autem, vti ex antea dictis apparet, quis toties exſiſtit, quoties legitime citatus competenti iudici, debitam denegat obedientiam *l. 53. §. 1. ff. de re iud.*

§. IV. Fit autem hoc variis modis, & quidem primo, quando citatus perſonaliter vel ad domum, & citatio (ſiue per literas ſiue alio quocunque legitimo modo facta) peruenit ad eius notitiam, plane non vult comparere *arg. l. 53. §. 1. de Re iud.* add. MARANT. *de ordin. iudic. de contum. M. II. n. 8.* Notitiam autem ſola etiam nuncii aſſertio probat, ſi affirmet, ſe citaſſe. *arg. l. 5. de exactorib. Tributor.* Et ſi ex Actis non conſtet de nuncii relatione, ipſa citatio non valet. vid. poſt alios WESEMB. *ad tit. ff. de in ius voc. n. 13.* Vnde quoque nec ipſa contumacia, quoad effectum ſcil. pro admiſſa habebitur. Quomodo alias citationis notitia probari poſſit, vid. MASCARD. *concluſ. 292.*

§. V. Non ſolum vero non comparens, ſed & ille, qui comparuit quidem, ſed poſt comparitionem ſine vlla neceſſitate, cui naturaliter reſiſtere potuerit, & quae eum compulerit ad recedendum, receſſit, contumax exſiſtit. TVSCH *pract. concl. iur. P. II. concl. 1024.* Fundamentum eſt in *l. 36. ff. de reb. aut. iud. poſſ.* in qua & ille latitare dicitur, qui, ne ſecum aliqua actio moueatur, recedit ſeu ſubterfugit. Huc & ille pertinet, qui poſtquam quidem venit, iudici ſe non praeſentat. *arg. l. 7. §. 13. ff. quib. ex cauſ. in poſſ.*

§. VI. Porro, cum & is, qui dolo fecit, quo minus id haberet, quod habere eum oportet, pro eo habeatur, ac ſi acceperit *l. 157. §. 1. ff. de R. I.* & hic, qui dolo facit, atque per

 indire-

Digitized by Google

indirectum procurat, quo minus citatio ad eum perueniat, merito pro contumace habendus erit.

§. VII. Idem plane dicendum eſt de eo, qui interrogatus omnino non reſpondet. *l. 11. §. 4. ff. de interr. in iur. fac.* Nihil autem intereſt, neget quis an taceat interrogatus, an obſcure reſpondeat, vt incertum dimittat interrogatorem. *d. l. 11. ff. de Interrog. in iur. fac.* Quod ad illum quoque, qui non eo modo reſpondet, quem ſtylus curiæ præſcribit, Dd. extendunt. vid. IVST. MEIER. *Colleg. Argentor. tit. ſi quis ius dicent. non obtemp. §. 20.*

§. VIII. Deinde etiam contumaciæ reus eſt ille, qui rationes exhibendas non exhibet. *l. vlt. §. 1. ff. de appell.* item ille, qui delato iureiurando, iurare detrectat. *arg. l. 38. ff. de Iureiur.*

§. IX. Solent etiam nonnulli ex *l. 68. §. de Rei vind.* & *l. 8. ff. de in lit. iur.* eum huc referre, qui iuſſus rem reſtituere, eam non reſtituit. Verum etſi in generali acceptione etiam contumacia ſubſit, magis proprie tamen dictum puto, ſi is ſimpliciter ius dicenti non obtemperans appelletur, ſiquidem non tam ad citationem inobediens eſt, quam id, quod eſt extremum in iuriſdictione non facit. Contumacem autem eſſe & ius dicenti non obtemperare, in ſenſu iuridico diuerſa eſſe, iam ante §. 3. probatum eſt.

§. X. Denique, cum in iure paria ſint non facere & non legitime ſeu recte facere; in genere omnem, qui ſui quidem copiam facit, ſed non legitime comparet. V. g. ſi ſtipatus tot ſatellitibus, vt iudicio eam ob cauſam ſit formidabilis IVST. MEIER. *loc. cit. §. 20.* contumaciæ reum fieri, vix erit dubium *arg. l. 6. ff. qui ſatisd. cog.* iunct. *l. 2. ff. de auct. tutor. & curat.* Vnde alia contumaciæ genera, quæ modo excogitari poſſunt, quilibet facile intelligere poterit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Finem, effectum, & ipſas pœnas contumaciæ pertractans.

§. I.

OMne delictum, cum ſemper præſupponat & intendat aliquod prohibitum, neceſſum quoque erit, vt & contumacia malum habeat propoſitum finem; vnde etiam eius effectus facile colligi poterit.

§. II. Finis autem nihil aliud eſt, quam tum iudicii tum partis aliorumque fruſtratio.

§. III. Fruſtratio vero iſta proficiſcitur ex dolo, qui parit delictum, quod ad pœnam obligatorium eſt. Vnde effectus in genere eſt obligatio, & ex ea deſcendens actio ad pœnam legibus conſtitutam, vid. MEIER. *l. c.* §. *22. & 23.*

§. IV. Varie autem pœnæ irrogantur, ita quidem, vt aliter coërceatur contumacia actoris, aliter rei. Et in vtroque tempus commiſſæ contumaciæ bene conſiderandum venit, an videlicet ante, an vero poſt litem conteſtatam commiſſa ſit.

§. V. Deinde quoque bene a ſe inuicem diſtinguendæ ſunt actiones, quibus quis conuentus fit contumax. Alia enim pœna ſtatuta eſt ei, qui in ciuilibus actione reali, alia vero ei, qui perſonali conuenitur, vid. SCHNEIDEVV. *ad Inſt. tit. de Interdict.* §. *1. n. 13. 14.* Alia rurſus pœna plectendus eſt contumax in criminalibus.

§. VI. Quod actorem concernit, cum eius contumacia grauior ſit quam rei, TVSCH. *concluſ. 1030.* durius quoque cum eo proceditur. Vnde etiam ante litis conteſtationem reus ad intentionis ſuæ probationem per teſtes aut alia documenta, per quæ abſolui poterit, admittitur, & ſententia fertur *c. 3. X. de dol. & contum.* ita, vt denuo agere volentem, exceptione rei iudicatæ repellat. ZOËS. *ad alleg. c. n. 5.* quod ſecus eſt in contumace reo, quia ad definitum non peruenitur, niſi lite conteſtata. *per c. 5. x. vt lit. non conteſt.* GAIL. *L. I. obſerv. 59. num 5.*

§. VII. Alias vero non punitur actor ad aliam pœnam, niſi quia abſoluitur reus ab obſeruatione iudicii ſiue inſtantià (quæ abſolutio etiam fit, quando a reo ineptitudo libelli, fori incompetentia, aliæque dilatoriæ exceptiones fuerint oppoſitæ & probatæ. DN. CARPZOV. *P. 1. def. forenſ. C. 3. def. 16. n. 4.*) & actor condemnatur in expenſas. *l. 13. §. 2. C. de iudic. & l. 15. eod.* MARANT. *in ſpec. aur. p. 6. de contumacia n. 37.* Vt autem hoc fiat, requiritur, vt reus actoris contumaciam accuſet. Nunquam enim proceditur contra contumaciam ad aliquem actum, niſi altera parte inſtante, vti poſt BART. *in auth. ei qui appell. in fin. C. de temp. appell.* tradit MARANT. *l. c. n. 15.* Et hoc ſi a parte omiſſum ſit, citatio tantum circumducitur & nulla eſt *l. 73. §. 1. ff. de iudic.* & licet alias iuſta cauſa abſentiæ vt e. g. aduerſa valetudo vel maioris cauſæ occupatio ab ipſa contumacia excuſet per *l. 53. ff. de re iud.* tamen non excuſat a circumductione termini, ne ea in ſuſpenſo maneat GAIL. *L. 1. obſerv. 49. n. 2.* qui etiam eodem loco *n. 3.* in cauſis appellationum circumductionem termini obſtare negat, ſed poſtea absque noua citatione procedi poſſe, aſſerit per *Ordin. Camer. p. 3. tit. 12. §. ult.* Add. MYNSING. *cent. 2. obſerv. 63.*

§. IIX. Non tamen confundenda cum abſolutione ab inſtantia abſolutio a tota cauſa. Poſteriori namque formula omnis perimitur actio. Priori vero perimitur ſaltim Inſtantia, & ſalua manet actori ſua actio. CARPZOV. *Proceſſ. Iur. Saxon. tit. 8. art. 1. n. 9.* quam tamen non prius intentare poteſt, quam impenſæ ab eo ſint refuſæ. MARANT. *loc. cit. n. 37.* Quarum nomine etiam veniunt impenſæ in aduocatos & procuratores factæ. *l. 15. C. de iudic.* A qua ſententia recedit HARTM. PISTOR. *obſ. 140.* qui tamen à DN. CARPZOVIO *loc. cit. n. 46. & ſeqq.* ſufficienter refutatus eſt.

§. IX. Et quod de reſtituendis hiſce impenſis dictum, id adeo verum eſt, vt ne quidem ab eis actor immunis ſit, etiamſi vlterius agere nolit, vt poſt HARTM. PIST. tradit DN. CARPZOV. *l. cit. n. 37. & ſeqq.* per textus generalitatem *in cap. I. x. de dol. & contum. in 6to.* Neque hoc æquitati contrarium, ſed

plane

plane conſentaneum eſt. Factum enim cuique ſuum, non vero alteri nocere debet. *l. 155. ff. de R. I.*

§. X. Si vero actor contra reum experiri vlterius velit, refuſio expenſarum non ſufficit, vt rurſus audiatur, ſed hoc inſuper requiritur & exigitur, vt cautionem de lite proſequenda præſtet. *c. 1. x. de dolo & contumac. in 6to.* Si vero de facto forte, hiſce non obſeruatis, iudex actorem rurſus audiat, & ad præſtanda non compellat, ex ſua ſubſtantia detrimentum læſis reſarcire compelletur. *l. 15. C. de iudic. in verb. quod ſi hoc prætermiſerit.*

§. XI. Non autem quis putet, quod hactenus dicta ad primum tantummodo terminum, qui litis conteſtationem præcedit, ſint reſtringenda. Allegati enim iuris textus de contumaciæ pœna generaliter & indefinite diſponunt, cui generalitati tam diu ſtandum, donec ſpecialis exceptio demonſtretur. *add.* DN. CARPZOV. *loc. cit. n. 65. 66. & 67.*

§. XII. Sed quomodo præterea hodie contra actorem in contumaciam procedatur, videri eſt ex *Nou. 112. cap. 3. & auth. qui ſemel. C. quom. & quando iudex.* Qui textus hoc volunt: quod ille, qui ſemel actionem proponit, ſiue conuentione iudiciaria, ſiue precibus principi oblatis, iudicique inſinuatis, & per eum aduerſario cognitis, neceſſe habeat, vsque ad finem litem exercere, ſi vero cauſam diſtulerit, detur pulſato i. e. reo licentia, iudicem apud quem lis cœpta eſt, poſtulandi, vt ab eodem iudice actor ad iudicium aut per ſe, aut per legitimum procuratorem venire moneatur. Qui, ſi huic admonitioni non pareat, tribus edictis citatur per interualla triginta dierum. Ita vero vocatus, ſi adhuc litem detrectet, aliud inſuper ei anni ſpatium indulgetur, intra quod ſi ceſſat & ſuam intentionem non proſequitur, iudex auditis allegationibus præſentis & perquiſita veritate pronunciat. vid. *Colleg. Argent. ad tit. ff. ſi quis ius dicenti non obtemp.* ibique allegat. VMM. *Diſp. 1. th. 3. num. 9.*

§. XIII. Sed etſi actor ante litem conteſtatam incipiat contumax eſſe; & tribus edictis præſcripto modo citatus ſit, adhuc in rei arbitrio eſſe, an velit vlterius in contumaciam actoris,

ctoris, an vero in cauſa principali procedere, litemque negatiue conteſtari, & ſententiam definitiuam petere, nullum forte erit dubium, per *c. 3. x. de dol. & contum.* Quo tamen caſu non ſtatim ſecundum præſentem pronunciatur, ſed interdum vel abſens ſe bonam cauſam habuerit, vincet *l. 73. in pr. ff. de iudic. l. 1. C. quom. & quando iudex.* Si vero ex actis de iuſtitia & rei veritate non conſtet, iudex tantum tenetur reum ab obſeruatione iudicii abſoluere, damnato actore abſente in expenſas. *l. 13. §. 2. C. de iudic.* Quid in Camera obtineat vid. apud GAIL. *Lib. 1. obſ. 59.*

§. XIV. Cæterum, quod ſupra dictum, durius procedi cum actore, quam reo, illud Doctores eo extendunt, vt ne citatio quidem contra reum contumacem, quæ alias præſcriptionem interrumperet, quicquam operetur, actore non comparente. TVSCH. *P. II. concl. 1030.* ideo, quod citatio contra reum contumacem, ſi actor quoque non comparet, non inducat litis conteſtationem vid. TVSCH. *loc. cit.*

§. XV. Denique & hoc notandum, quod, cum alias condemnatione iudicis grauatus appellare poſſit. *l. 30. C. de Apell.* per contumaciam ex peremptorio abſenti hoc beneficium denegetur *l. 73. §. fin. ff. de Iud.*

§. XVI. Hactenus diximus de actore contumace, in cauſa ciuili. In criminalibus aliud plane dicendum erit; Nam etiamſi in eis actor emaneat, tamen reus non habet facultatem petendi, vt ab obſeruatione iudicii abſoluatur, ſed iudicis officium accuſatoris vices ſupplet, ita, vt in cauſa principali omnino, ſi magiſtratus ipſe velit, ſit procedendum vid. HERMANN, VULTEI. *Lib. II. Iuriſpr. Rom. cap. 30.* IVL. CLAR. *L. V. ſent. §. fin. q. 51. v. 9. & 11.* Sed hæc de actoris contumacia ſufficiant.

§. XVII. De reo itaque (quomodo videlicet puniatur) quædam dicenda erunt. Vbi ſtatim initio diſtinctio illa attendenda inter actionem realem & perſonalem, cuius mentio facta eſt *§. 5. ſupra hoc cap.* Nam, cum reo contumace actor ante litis conteſtationem mitti ſoleat in bona contumacis *l. 8. C. quom. & quando Iudex.* & *l. 2 pr. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* indiſtincte tamen illud accipiendum vix erit. Actor enim, a

quo

quo reali actione conuentus eſt reus, ſi [illegible]tumaciam eius accuſat (quæ accuſatio & hic ſumme neceſſaria eſt) mittitur in poſſeſſionem ipſius rei petitæ. *c. 5. §. in aliis. x. vt lit. non conteſt.* Si vero conuentus actione perſonali contumax fiat, actor quidem etiam in poſſeſſionem mittitur, ſed tantum pro modo debiti in libello petiti & declarati. *d. c. 5. x. vt lit. non conteſt.* Quo caſu tamen ordo in *alleg. cap.* præſcriptus ſeruandus eſt, ita, vt primo actor in mobilium, & ſi forte mobilia non habeat, in immobilium demum poſſeſſionem mittatur. Add. SCHNEIDEWIN. *ad Inſtit. de Interdict. §. 1. n. 14.* Quodſi vero nec immobilia ſufficiant, ad iura ſeu nomina etiam deuenitur *arg. l. 15. §. 2. ff. de re iud.* vid. B. DN. UNGEP. *ad tit. X. de eo, qui mitt. in poſſeſſ. cauſ. rei ſervand.* vbi pluribus hæc deducit.

§. XVIII. Per miſſionem in poſſeſſionem autem [illegible]ic intelligimus eam, quæ fit ex primo decreto, qua miſſus nec dominium nec veram rei poſſeſſionem, ſed tantum cuſtodiam ſiue detentionem acquirit per *l. 5. pr. ff. vt in poſſeſſ. legat. & fideicommiſſ. ſervand. cauſ.* vnde nec dominus poſſeſſione priuatur. *l. 15. §. 20. ff. de damn. infect.* ſed ius pignoris actor ſolum nanciſcitur *l. 26. pr. de Pignorat. act.* idque non tantum verum eſt in actione perſonali, ſed & reali, per ea quæ tradit ZOES. *ad tit. de eo, qui mitt. in poſſeſſ. cauſ. rei ſervand.* Primum decretum vero dicitur primus iuſſus judicis, quo mandat bona propter contumaciam rei, in pœnam contumaciæ obtinere. SCHNEIDEW. *loc. cit. n. 15.* Ideo autem a iudice interponitur vt reus, tædio perpetuæ cuſtodiæ affectus, iudicio ſe ſiſtat, cautionemque actori præſtet, & damna actori, quæ paſſus eſt, reſtituat. *d. l. 5. pr. ff. vt in poſſeſſ. legat. vel fideicomm. ſervand. cauſ. & Auth. Et qui iurat. C. de bon. autorit. iud. poſſidend.* & hoc, ſi reus intra annum fecerit, primum decretum tollitur, & reus res ſuas ſuſcipit, *l. 8. §. penult. C. de præſcript. trigint. ann; Auth. & qui iurat. C. de bon. aut. Iud. poſſidend.*

§. XIX. Si vero reus in contumacia perſeuerat, & intra ſtatutum tempus non comparet, proceditur contra eum

 ad

ad miſſionem in poſſeſſionem ex ſecundo decreto, quo iudex iubet bona propter contumaciam rei poſſideri *per l. 15. §. 16. ff. de damn. infect. add. §. 21. ibid.* quæ antea ex primo decreto in effectu tantum detinebantur. vid. *l. 15. §. 20. ff. de damn. infect.* Neque contumax priuatus poſſeſſione, poſtea comparens eam recuperat. Auditur tamen de principali quæſtione de dominio actionem inſtituens, & ſic contumaciæ ſuæ cauſa ex reo fit actor. GOTHOFRED. *in Not. ad l. 2. in fin. C. vbi in rem actio exerc. deb.*

§. XX. Miſſio tamen hæc, quæ fit ex ſecundo decreto, maxime obtinet in petitionibus perſonalibus. In realibus enim ſecundo decreto opus non eſſe, ſed annum duntaxat exſpectandum, quo elapſo verus poſſeſſor, qui miſſus eſt, efficiatur, probabiliter defendi poſſe videtur, per ea, quæ tradunt HARPRECHT. *Proceſſ. Iud. Dec. IV. concl. 8. n. 2.* GAIL. *de Areſt. Imper. C. 1 n. 17.* MARANT. *de ordin. iudic. P. VI. n. 12.*

§. XXI. Cum etiam interdum eueniat, quod quis in non reſpondendo poſitionibus, vel in nolendo iurare, contumax exſiſtat, & huic certa pœna ſtatuenda fuit; Hinc cautum eſt, vt ſi actor noluerit ſacramentum calumniæ ſubire, non liceat ei penitus ad litem peruenire, ſed cadat ab inſtituta actione quaſi improbus litigator, & triſtitia (i. e. Seueritas) iudicum ei cum ſumma interminatione occurrat, & a iudicio eum quam longiſſime expellat. *l 2. §. 6. C. de iureiur. propt. calumn.* Reus autem pro confeſſo habetur, & licet Iudici ſententiam proferre, quemadmodum ei ipſa rei qualitas ſuggeſſerit *d. l. 2. §. 7. C. de iureiur. propter. calumn. c. fin. x. eod.* Si vero poſt præſtitum veritatis aut calumniæ iuramentum reus poſitionibus ab aduerſario ſibi factis interrogatus iuſſusque a iudice reſpondere abſque rationabili cauſa recuſet, aut nolit, haberi quoque debet ſuper iis, de quibus in iiſdem poſitionibus interrogatus exſtitit, pro confeſſo *cap. 2. de confeſſ. in 6to.* Vnde qui in vno capite pro confeſſo habetur, non habetur ſtatim pro confeſſo in alio. Vid. TVSCH. *concluſ. 1025. per tot.*

§. XXII.

§. XXII. Commune quoque quid habet reus contumax cum actore contumace. Nam, cum hic non prius audiatur, quam expenſæ refectæ, & cautio de lite proſequenda præſtita ſit, ita & ille non prius audiendus erit per generalitatem textus *in l. 15. C. de iudic.* idque adeo verum eſſe, vt teneatur de iudicio ſiſti, ſi primum decretum reuocari petat, etiamſi immobilia poſſideat, putat MARANT. *l. c. n. 22.* Quod tamen non omni dubio carere exiſtimo, cum ſatisdatio immobilia poſſidentibus generaliter ſit remiſſa *l. 15. pr. ff. qui ſatiſd. cog.*

§. XXIII. Aliæ quidem eæque variæ adhuc ſuperſunt pœnæ, quibus rei contumacia de iure ciuili coërcetur. Verum, cum temporis anguſtia non permittat, ea pertractare, videri poſſunt de eis MENOCH. *L. II. arbitr. iudic. quæſt. caſ. 365.* MARANT. *loc. cit. & alii plures.*

§. XXIV. Ius Saxonicum vnicam tantum agnoſcit pœnam, qua contumax ſtatim litis damno coërcetur. CÖLER. *de Proceſſ. exſecutiv. P. I. C. 2. n. 14. 15.* NICOL. *in Proceſſ. C. 34. n. 5.* Non tamen ſtatim ad exſecutionem deuenitur, ſed reus contumax condemnatur prius ad legitima impedimenta *biß auf die Ehehaffi.* h. e. ad deductionem impedimentorum. DN. CARPZ. *Proceſſ. Iur. tit. 8. art 2. n. 6.* vbi *n. 10.* hanc formulam ſententionandi addit: *Auf Klage und beſchuldigten Ungehorſam* N. N. *Klægern an einem* N. N. *Beklagten anders theils erkennen wir, daß Klæger ſeine Klage und Zuſprüche wider Beklagten biß auf Ehehaffi und behelffliche Wiederrede erſtanden und erlanget hat. V. R. W.* Quæ autem ſint legitima impedimenta contumaciam excuſantia, ex cap. ſequenti patebit.

§. XXV. Sed quid de procuratore contumace dicendum erit? Et huius contumaciam domino præiudicare, maxime in iis, quæ ad iudicii proceſſum pertinent, probatur per *l. 10. C. de procurat.* Et ſi fortean res iudicata ſit, non poterit reſcindi, ſed dominus procuratorem rurſus conuenire more iudiciorum poteſt. *d. l. 10. C. de Procurat.*

§. XXVI. Cum etiam procurator ſpeciale mandatum ad præſtandum iuramentum calumniæ habens, in propriam

Digitized by Google

quoque animam iurare teneatur, *l. 2. pr. C. de iureiur. propt. calumn. dand. c. 2. §. procuratores eod. in 6to.* quæri ſolet, an & hæc contumacia, ſi procurator hoc iuramentum præſtare nolit, domino noceat? Et cum Doctores circa hanc quæſtionem varient, arridet mihi ſententia HARPRECHTI, quam habet *l. c. Dec. IIX. concl. 3. n. 3.* quod nimirum in cauſis magni præiudicii domini conditio, ſi culpa careat, ſit melior. Procurator autem pecuniaria pœna afficiendus, vel etiam audientia ei deneganda ſit. *l. 14. §. 1. C. de iudic.* add. GAIL. *L. I. obſ. 89.* REYGER. *in Proc. Iud. diſp. 5. ſub concl. 9. ad fin.*

§. XXVII. Hoc tandem addendum, quod minor, etiamſi quaſi contumax condemnatus ſit, habeat tamen reſtitutionis in integrum beneficium. *l. 8. ff. de minor.* ſed an reſtitutus expenſas aduerſario reſtituere teneatur? adhuc controuertitur. De qua controuerſia videri poteſt FACHIN. *L. X. controuerſ. C. 2.* vbi eam affirmatiue decidit. add. ANT. FABER. *in rationalib. ad l. 8. ff. de minorib.*

CAP. IV.

Excuſationes Contumaciæ adumbrans.

§. I.

Conſtat ex antecedentibus, quod ille demum contumax exſiſtat, qui legitime eſt citatus. Vnde facile apparet, quod in genere nullus illegitime citatus non comparendo ad pœnam ſe obliget; quo præprimis etiam pertinet incompetentia iudicis. Extra territorium enim ius dicenti impune non paretur, *l. ult. ff de iurisdict.* Quot modis autem fiat illegitima citatio, cum temporis rationem habentes hic deducere nequeamus, videri poſſunt apud TVSCH. *concl. 230. & ſeqq. Colleg. Argentorat. ad tit. ſi quis ius dic. non obtemp. n. 27.*

§. II.

§. II. Alias igitur easque ſpeciales excuſationes, quæ videlicet nullo reſpectu ad citationem habito, actorem vel reum a pœna contumaciæ liberant ex ſequentibus videbimus. Reperimus autem earum varias, inter quas non infimo loco ponenda videtur illa, quam nobis ſuppeditat *l. 53. §. 2. & l. 60. ff. de re iudic.* morbus nimirum ſonticus, qui cuiusque rei agendæ impedimento eſt. Quare excludendus erit iſte morbus, qui ita corpus non afficit, quo minus quis rebus ſuis ſupereſſe non poſſit. *arg. d. l. 60. ff. de re iudic.*

§. III. Morbus autem non ſolum proprius, ſed & conſanguineorum a contumacia excuſat per interpretationem Doctorum. vid. MARANT. *l. c. n. 3.*

§. IV. Plures & quidem potiſſimas excuſationes ſubminiſtrat nobis *l. 2. ff. ſi quis caut. in iud. ſiſt. per tot.* Quarum quædam ſunt ſequentes: *vis hoſtium, locus peſtilentiæ, fluminis impetus, vis tempeſtatis* & ſi quæ ſunt ſimiles, quas omnes recenſere ſuperuacaneum eſſe iudico. Et ſi quæ plures excogitari vel inueniri poterint, cum DN. CARPZOV. *proceſſ. iudic. tit. 8. art. 2. n. 43.* iudicis arbitrio relinquo, quænam impedimenta pro ratione temporis, cauſæ, & qualitate perſonarum pro legitimis ſint habenda, vel non.

§. V. Hoc tamen bene notandum, quod ſi Iudex ſciens releuantem excuſationis cauſam, i. e. infirmitatem ſeu morbum ſonticum partis non comparentis, ſententiam contra huiusmodi abſentem ferat, ipſo iure ſit nulla, vt docet *iuxta Paul. de Caſtrenſ.* MYNS. *Cent. IV. obſ. 57. n. 2.*

§. VI. Cum denique legitima impedimenta ſint facti, non prius excuſant, quam ſi probentur. Si vero probata fuerint, cauſa ad priſtinum ſtatum redit. vid. DN. CARPZOV. *loc. cit. n. 71. & ſeqq.*

Poſſent equidem beneuole ac infucate Lector, adhuc multa eaque vtiliſſima de hac alias ſat fertili materia in medium proferri; Verum cum ineuitabilia quædam impedimenta in tanta temporis anguſtia vlterius progredi prohibeant,

ant, ad tuam confugio beneuolentiam, officioſe rogitans, vt, quæ hic conſcribere potui in meliorem interpretari partem velis. Tibi autem o Triune DEVS deuotiſſimas perſoluo gratias, pro diuina tua clementia, qua mihi indigno ſecundum miſericordiam tuam adſiſtere voluiſti. Sit igitur diuinum tuum nomen benedictum in omnia ſecula. Deuote quoque a te contendo, vt ita me ſemper dirigas, ne vnquam erga diuinam tuam maieſtatem citatus a Spiritu ſancto contumax reperiar. Si vero contumax fuero, fac, vt me Chriſti vulnera abſoluant.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

ABſens quis olim Romæ dictus ſit? pag. 164. ſeq.
Acceſſio quid? 420 ſeq.
Acetum apud Romanos quotuplex fuerit? 31 ſqq.
Acta natiuo & laxo ſignificatu quæ dicantur? 713. ſtrictiori ſenſu ib. libri & tota volumina hoc vocabulo nominantur 713. ſeq. iſta ſunt vel *publica* vel *priuata* 714. an inter acta & geſta ſit diſcrimen 713. 714.
Acta *publica* triplici ex cauſa dicuntur. 714. 715. ratione perſonarum & loci aſſervationis ſic dicta variam habent denominationem 715. ad Acta *bringen, legen,* quid ib. ſq. Acta an? & an iuſta præſumantur? 716. diuiduntur varie ib. ſq. Acta *leuteratoria* quænam? 717.
Actorum cauſa principalis & primaria an ſolus iudex habilis & competens? ib. quando invalida ib. eorum cauſa inſtrumentalis eſt Actuarius ſ. Notarius 718. qua ratione legaliter conficiantur? 719. ſq. a regulis conficiendi an excipiantur leviſſimæ cauſæ? 720. an teſtes ad acta requirantur? ib. modus ſcribendi acta 720. ſq. Materia Actorum *circa quam*, ſ. *obiectam*, ſunt negotia iudicialia ſ. *proceſſus* 721. recenſentur hæc negotia 722. diſcrimen inter hæc negotia ib. *locus*, vbi confici & conſeruari acta debent, ib. 723. cui acta iudicialia ſint edenda ib. transmiſſio actorum vel ad collegium Iurid. vel ad ſuperiorem iudicem ib. quid transmiſſionem præcedere debeat? 723. quæ illam ſequantur? ib. ſq. horum rite confectorum & repoſitorum actorum *effectus* 724. ſq. actorum interitus quotuplex? & quid in tali caſu iuris ſit 725. ſq.
Acta patrum 714
diurna ib. *in acta principis iurare* quid apud Romanos? 773. *in acta mittere*, quid? 715
Actio ex ſtipulatione remedium contra novum opus 336 actionis & nunciationis differentia 337 actionis ciuilis & prætoriæ differentia 699. ſq.
Actio in factum 701. ex emto & redhibitoria differunt 660. ſq. 667. ex ſtipulatu 336. 700. de dolo. 700. ædilitia. vid. *ædilitia actio*. redhibitoria vid. *redhibit: actio*. æſtimatoria, vid. *æſtimatoria* actio.
Adoptio armorum traditione facta 71
Adquirendi modus, de quo in l. C. 20 qui in ratione victum & amictum parandi conſiſtit, duplex eſt. ib. 38.
Aduenarum antiquitus ſignum nauis fuit 3. 4
Adulterium ſeruorum 268
nocturno tempore commiſſum quomodo puniendum 599. ſq.
Ædilium duo erant genera 649
plebeiorum nomen vnde? quo tempore creati, & quodnam eorum officium? 650. ſq. *Curulium* etymon & officium ib. viarum curam habebant 702. & hinc prohibebantur animalia ferocia ita habere, vt nocere in via poſſint ib. ſqq.
Ædilitiæ cautiones duæ 657
conſtabant regulariter nuda repromiſſione 658
Ædilitiæ actiones. Vnde nomen eorum? 649. quinam methodicis tractatibus ædilitias actiones expoſuerint 656. ſq. an recte diui-

 dan-

dantur in ciuiles & prætorias 663
carum requiſitum ad viarum curam ſpectans 708

Ædilitium edictum 651. ſq. 654. ſq. a Graecis mutuatum 652. quinam commentariis olim illuſtrauerint illud 655. ſq. pœna huius edicti variat pro obiecti diuerſitate 708 an cicatrices puellarum in æſtimationem veniant? 709. an etiam ad circulatores, qui ſerpentes, leones &c. circumferunt, edictum pertineat? ib. ſq.

Ærarii Imperii Germanici cura incumbit ſenatui iſtius 364

Æſtimatoria actio, ſ. *quanto minoris*, eſt duplex 684. 685. ædilitiæ æſtimatoriæ actionis definitio 685. conuenit cum redhibitoria in quam plurimis ib. vtraque actio eſt arbitraria & directa ib. utraque eſt in Perſonam ib. utraque tantum eſt honoraria, neutra ciuilis. ib. dari etiam actionem æſtimatoriam ciuilem, falſe a quibusdam adſtruitur 685. ſqq. conuenit iam cauſis cum redhibitoria, & quidem in reticentia 688. actionibus his locus eſt non niſi ob vitia emtionem præcedentia, non obſequentia ib. ſq. emtor redhibitoria agens mancipium exhibere debet 689 quid ſit exhibere ib. dubia gloſſæ ſolvuntur ib. quid ſi ſervus prouincialis fuerit & barbarus 690. ſq. ex dicto promiſſoque quando agi poſſit? 691. ſqq. ſervus veterator non debet vendi pro nouitio 692. ſq. quid ſi venditor dixerit, ſervum eſſe ſpecioſum, qui deformis, domum bene ædificatam, quæ mala? 693. quid ſi dixerit eſſe probum, dicto obedientem &c. 694. Nonnunquam æſtimatoria non minus quam redhibitoria competit ex conuentione ib. datur quoque emtori eiusque heredibus aduerſus venditorem eiusque heredes 695. De quibus rebus datur redhibitoria, de iisdem etiam actio quanto minoris ib. vtraque competit, ſi venditor non repromittit emtori ea, quæ in rebus venalibus edictum ædilitium repromitti iubet 694. Conuenit vtroque fine, vt occurratur fallaciis vendentium & emtoribus ſuccurratur 695. Venditor licet ignoret vitia tenetur. ib. ſeq. Non competit æſtimatoria actio, quando actum fuit redhibitoria, & vice verſa, cur? 696. quandoque neutra actio competit ib. Redhibitoria ſemel, æſtimatoria ſæpius competit ib. 698. differunt nomine 697. differentia ex cauſa vitii ib. differunt effectu 698. differunt duratione ib. Non datur actio quanto pluris, ſi res melior appareat? 699. differunt forma agendi ib. actiones redhibitoriæ affines ib. ſqq. vt, actio emti, actio ex ſtipulatu & actio de dolo. ib.

Æſtimatio non locum habet circa cicatrices puellarum 709

Agraria lex qualis 614

Agricultura Germanorum 26. 27. 42

Albertus Auſtriacus Imp. quo iure conceſſerit Galliæ regi regnum Arelatenſe? 107

Alebarda quid? 73

Alienatio rerum Imperii vid. *Imperii res*

Alodium quid? vocis orthographia, origo. 740. ſq.

Alterum tantum 469

Ancon ſ. Angon, teli genus 52. 73

Amictus Germanorum 37

Anglia qualis in illa vſus Iuris C. 545

Anne-

Digitized by Google

IOANNIS STRAVCHII
Quondam in Academia Ienenſi Iuriſconſulti Celeberrimi

OPVSCVLA
IVRIDICO-HISTORICO-PHILOLOGICA
RARIORA
XXV.

IN VNVM VOLVMEN COLLECTA

I. De Indigenatu Germanorum.
II. De Modis acquirendi priſcorum Germanorum.
III. De Armis Germanorum priſcorum eorumque ad rempublicam vſu.
IV. De Regno Arelatenſi.
V. De Feudo nobili.
VI. De Centum lapidibus ſuburbicariis.
VII. In Legem Codice vtroque de Votorum oblatione Commentatio.
IIX. Ad L. IX. D. de L. Rhod. de Iactu Commentatio.
IX. De Noui operis nunciatione.
X. De Præſenti imperii periodo.
XI. De Hoſtenditiis.
XII. De Centeſimis vſuris & fœnore vnciario.
XIII. De Competentia fori.
XIV. De Auſtregis.
XV. De Annatis ad Inſtr. Pac. Weſtph. Art. V. §. 5. verſ. ſi quid annat.
XVI. De Iuris Naturalis & ciuilis conuenientia.
XVII. De Iure tenebrarum.
XIIX. De Munimentis retinendæ poſſeſſ. imperior. iure belli acquiſitorum.
XIX. De Aedilitio edicto. Diſſertatio prior.
XX. De Aedilitio edicto. Diſſ. poſterior.
XXI. De Actis iudicialibus.
XXII. De Oppignorationibus rerum imperii. cum notis Thomaſii, Gundlingii, Harprechti.
XXIII. De Condictione Triticaria.
XXIV. De Condictione furtiua.
XXV. De Contumacia.

CVRA
CAR. GOTTLIEB KNORRII
I. V. D. ET PROF. PVBL. ORD. IN REG. FRID.

Acceſſerunt

I. CONRADI FRIDERICI REINHARDI
quondam Iur. & Philoſ. D. & P. P. in Reg. Frid.

Præfatio *de Commentatoribus in Cornel. Taciti Germaniam.*

II. INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

Halæ Magdeburgicæ, Apud Ioannem Chriſtophorum Krebſium, 1729.

Digitized by Google

Digitized by Google

Bauariæ Electoris lis cum Palatino de iure Vicarii Imperii 359. ſq.
Belgia qua ratione ius Ciuile recipiat? 545
Belli duces olim armis ſunt creati 71
Bellum perpetuum noxium 370. ſq. iuſtum eſt Iuris C. & N. 584. ſq.
Bier. vnde nomen hoc? 29. 30
Bliteræ ſeptumanorum 84
Bohemiæ rex an habeat ius eligendi? 115
Bonorum Eccl. reſtitutio in Germania 357. defenſio cum cæde eſt Iuris N. 585. an licita illa ſit I. C.? 586
Boſo primus regni Arelatenſis rex 97 eius aduerſa fata ib.
τα βοτα, vota Chriſtianorum 298
Britannorum origo 16. defectio a Conſtantino Imp. 87. de facto hoc iudicium fertur 88. 89
Bulla Innocentii X. 528
Burgundiæ regum ſedes 80. cum Arelatenſi regno coniunctio 98. 99
Burgundicum regnum ſub Parlamento Aquenſi 101. huius regni diuiſio in comitatum & Ducatum 111. horum poſſeſſores ib. vid. *Arelas.*
Burgundicum Ducatum quo prætextu rex Galliæ teneat? 114
Butter. Hoc nomen apud Germanos olim non in vſu fuit 23
Butyri nomen & confectio apud veteres 23. 24
Buzſecarli, germanice *Botsknechte* 60

C.

CÆſar Iul. diſcipulus Apollonii Rhodii 312. Collegia noua in republ. Rom. diſſoluit 282
Cala, armorum genus apud Germanos 54
Camera Imperialis an iudicet de feudis regalibus 132. an in poſſeſſorio horum feudorum? 133. an de feudis minoribus immediatis? ib. eius & Tribunalis Rothw. differentia 366. ad illam appellatur a iudicio Auſtregarum 505
Cancellariæ, (*Cantzeleyen*) 723
Cancellariorum denominatio & origo vnde? 104. officia 105
Cancer, inſtrumentum 62
Canes, quid iure cautum de illis? 702 ſqq. ad quid adhibiti 703. ſq. eorum variæ ſpecies ib.
Capitulationes. Imperii Germ. Senatus perpetuam meditatur 361. 362. origo earum ib. quot? ib. Capitulationum articuli Cæſarem obligant vt coronam imperialem a pontifice requirat? 401. ſqq.
Carmina ſunt inter antiquiſſima monumenta 5. 6.
Carminum germanicarum quis meminerit 9
Caro, quomodo iſta vſi fuerint germani antiqui? 25. porcina quomodo vendita ſit apud Rom. 274. 277. grata fuit Romanis ib. Lampridius de hac materia explicatur ib.
Carolus M. quomodo Imperator Rom. factus. 94. 95
Carolus Craſſus auctor itionis Vaſallorum cum Imperatore 392. ſeq.
Carolus V. noui cuiusdam periodi auctor 341. ſq.
Carolus Craſſus infelix adoptione Ludouici Boſonis filii factus 97. ſq. eius de ritu coronationis Conſtitutio an ſit genuina 398. ſqq.
Carolus IV. Imp. quo iure regnum Arelat. conceſſit regi Galliæ. 108 in Imperii detrimentum Vectigalia publica diſtraxit 109. ſq.
Carolus IX. crudelis fuit in Arelatenſes? 79
Caſei formandi antiquitas 23
Caſtigatio libertorum fuſtibus 158 vocatur queq; fuſtium admonitio ib.

Digitized by Google

Caſtigatio ſeruorum, quæ fit flagellis 551
Caſtratio. Qui puerum caſtrauit, an ad edictum ædilitium pertineat 710. ſqq.
Cauſas ignorare quid 346
Cattus, funda, 63
Cateia, genus armorum apud Germanos priſcos 54
Centenarius Iuſtiniano quis? 156. in Lege Papia 157
Centeſimæ vſuræ etymologia, verusque ſignificatus 433. ſqq. centeſima vſura eſt fons & caput reliquarum 435. centeſimas aſsium vſurarum nomine fuiſſe notatas probabile 436. ſq. centeſimæ vſuræ ad aſſes applicantur & vncias 438. centeſimæ ac partium eiusdem vocabula noſtris temporibus accommodata 442
Cereuiſiæ nomen vnde? 28. 29
Cicero diſcipulus Apollonii Rhodii 312
Circularis Senatus in Germania 361
Circuli in Germania quot? 363
Ciuilis doctrina cauſa reipublicæ 311
Choreæ nocturnæ an abrogandæ? 596
Clerici vbi conueniendi? 487
Clitæ, Clidæ, Clitellæ 62
Clypeus 54. an differentia inter Clypeum & clupeum? 55
Collectandi modus in Imp. Germ. duplex 411. quinam ex his præſtantior? 412. ſqq.
Collegia vetita in Republ. Rom. 281 illorum origo ib. noua fuerunt factiones 282. Electorum & principum in Germania 361
Coloniarum deductionis origo & lex 80. ſq. diuiſio, iura &c. 614. & municipiorum differentia 81. 83. in quem locum illas deducere liceat 83. cenſus ib. 84. deductionis cauſæ apud Romanos 622. ſqq. deductionis exempla apud Europæos & Aſiaticos 623. effectus 624. quædam genera 80. 84
Colonorum Romanorum & Latinorum iura 81. 82
Comitiorum in Germania vſus 103 loca ib. habendorum tempus ib. quis ea indicere debeat? ib. frequentia 103. ſq.
Comitia obriaca 305
Comitis Palatini priuilegium circa dominia a Cæſaribus oppignorata 767
Comminari quid? 158
Commiſſoriæ legis effectus 733. an Conſtantinus hanc legem primus ſuſtulerit 734. ſq.
Communio bonorum an laudanda 578. ſq.
Comperendinatio quid? 813. differt a condictione ib.
Concilia Conſtantinæ ſub Conſtantino Imp. & Carolo M. habita 91. 93
Conciliis veteres Germani armati intererant 69. ſq.
Concordata R. I. d. A. 1500 524
Condictionis etymon 777. quid illa in genere ib. 779. 812. 814. Condicendi ritus antiquus 778. quo tempore ritus iſte ſublatus ib. ſpecialiſſimus eius ſignificatus & condictionis formula 779. in quibus actionibus in perſonam hæc formula adhibenda ib. *dare* & *facere* in hac formula quid? ib. ſq. ſynonymia huius vocis 780. ſq. diuiſio 801. Condictio non eſt idem atque comperendinatio 813. cauſæ 815. ſq. condictionum ex conventione deſcendentium diuiſio 829. ſq. condictio incerti generalis concurrit cum actionibus aliis perſonalibus 831. ſq. modus quo concurrat 832

Condi-

Annona quid? 274. eius cura in Imperio Germ. pertinet ad Circulos 278

Annatæ earum origo 510. ſqq. definitio nominalis & realis 512. ſq. harum indictionem Papa ipſo facto exercet 513. ius eas exigendi ſummæ poteſtati competere deberet, quia eſt acceſſorium iuris circa ſacra. ib. primus earum finis ſatis ſpecioſus 516. vſus fini non reſpondet 517. ſq. quinam annatas ſolvere teneantur 518. ſqq. ingens earum ſumma ex Gallia miſſa 519. it. ex Germania 520. qua ratione & quando exacta ſint? 520. ſq. In Gallia abrogatæ 522. Galliam hac in re ſecutum eſt Baſilienſe Concilium ib. poſtea plures reges id fecerunt. 523. In Germania quoque ex parte ſunt abrogatæ 524. fruſtra vero Germaniæ principes omnem liberationem tentarunt. 525. ſq. tandem apud Proteſtantes valor earum exſpirauit 526. ſq. 538 etſi impedire hoc Papa allaborauerit 527. ſqq. In quibusdam tamen Proteſtantium locis certis conditionibus Papa illas accipit 528. 529. exactio earum eſt Simonia 529. ſq. Pontificii, vt caput ſuum hoc crimine eximunt, variis argumentis rem excuſant, ſed fruſtra 530. ſqq.

Annus felix quando? 295. communibus votis olim aperiebatur, 296

Antiquitates Conſtantinæ vrbis 93. 94

Antonini Pii Imp. reſponſum legi Rhodiæ additum 313. 315. quæ inter illum & legem oppoſitio 315

Apothecarii 357

Apoſtoli in iudiciis 725

Aquarioli quinam? 353

Aquilæ Imp. Germ. ſ. domus Auſtr. laus 356. ſq.

Ara perfugium ſeruorum Rom. 151

Araris fluuius 76

Arcadii & Honorii lex de inſcriptione & ſubſcriptione 292

Archi-Cancellariorum origo & officia 105. vbi officia hæc ſint recepta ib. titulum vnde habent electores Treuirenſes 104

Archiduces in Germania 360

Archi-Epiſcopi vel Electores, vel non Electores in Germania ib.

Archiuæ quæ? 723

Arelatis, vrbis, denominatio vnde? 76 79. ſq. ſitus 76. ſq. bellica fata 77. ſq. 79. moneta 78. 86. cognomina, quæ a Coloniis habet 80. 84. cognomina alia 85. 86. Conſtantinæ nomen hæc vrbs a quo acceperit? ib. emporium eſt optimum ob loci opportunitatem 86. metropolis a Conſtantino facta eſt 86 87. Eccleſiaſtica dignitas 90. 91 clara eſt conciliis Eccl. ſub Conſtantino & Carolo M. habitis 92. 93. 103. Xenotophium ibi erectum 93. quæ ibi ſunt viſu digna ib.

Arelatenſis Epiſcopi ſuperioritas 90 91. defenſa a Comprouincialibus eius contra Viennenſem 91. 92

Arelatenſe regnum vnde nomen? 76 multas continet prouincias 94. eius origo 96. 97. primus in illo rex ib. Coniunctio eius cum regno Burgund. ſub Rudolpho Burgundiæ rege 98. tempus a quo ſub Germaniæ regum poteſtate exſtitit, quoq; rurſus in prouinciam redactum, 99. 100, 101. Quomodo hoc factum ib. An Henricum Friderici Barbaroſſæ filium, & Ottonem IV. habuerit reges 101. Clientelari titulo a Rudolpho Habsb. Cæſare conceſſa eſt Carolo regi &c. 106. An venditum ſit Valeſio regi Galliæ ib. 107. quid Adolphus Cæſar fruſtra

ftuſtra contra illud conatus ſit? 107 Quo iure ad Galliæ reges peruenerit ib. 108. An hi pleno iure iſtud poſſideant 110. 111. & quid hodie ex illo? ib. 112. quæ eius pars ad domum Auſtr. ib.
Areopagitæ quinam? 591
Arietes 62
Argentifodina prima in Germania 41
Argentarius. Cur huic beſſes conceſſæ? 272. 456
Ariſtocraticus ſtatus in Germania electione conſtat & ſucceſſione 360. ſq.
Armorum etymologia 42. 43. homonymia 43. ſynonymia 44. materia ex qua apud veteres 46. ſqq. finis 48 genera apud priſcos germanos ib. ſqq. quibus modis vtendi illis facultas ſit adquiſita 65. ſqq. fabricationis iſtorum breuis hiſtoria 45 46. varius apud antiquos vſus 68. ſqq. ſtudium cauſa fuit ſtupendæ potentiæ Rom. 619
Armamentarium Arelatenſe 93
As. quid? 436. Romani ad aſſem omnia redigebant ib. partes aſſis 438. Manutii error de partibus aſſis 441. annuus 446
Aſyla ſeruorum 151 152
Athalaricus rex Gothorum Arelati vrbis ad tempus poſſeſſor 78
Atheiſmum deteſtatur Ius N. 566
Athenienſibus & Lacedæmoniis quid exitio fuerit? 627. 628
Auena Romanis pro vitio frumentum fuit 27. eius ſatio ib.
Aulicum Iudicium Imperii Germ. 364. ſqq. 490. eius origo 364. quid tractet ib. eius aſſeſſores ib. 365. iurisdictio iſtius 365. Archicancellario Imperii iuramento adſtrictum ib.
Auguſtus collegia noua in Republ. Rom. diſſolvit 282, an pro ſtrenis ſimulacrum mercatus? 300
Aurigarum ſ. agitatorum genera 279
Auſpicium ex armis captabatur apud veteres 69
Auſtregarum iudicium 368. 491. ſqq. etymologica & ſynonymica definitio 492. vox varie ſumitur ib. 493 diuiſio in legales & non legales 493 non legalium quædam recenſentur ib. origo, & de illa controuerſia 494. ſq. a Camera Imperiali ordinantur 495. rei, qui hoc iudicio fruuntur 495. ſq. actor in hoc iudicio 497. iudex qualis perſona eſſe debeat? ib. 498. cauſæ quæ in hoc iudicio tractantur, ſunt ciuiles 498. an etiam cauſæ feudales? ib. an criminales? 499. an Matrimoniales? ib. iurisdictio, eorum an ordinata vel delegata? 500. modus procedendi in hoc iudicio 501. ſqq. Quid ſi primi ordinis in Imper. Germ. perſonæ hic conueniuntur inter ſe? ib. ſi a ſecundi ordinis perſonis conueniuntur primi ordinis 501. ſq. ſi ſecundi ordinis perſonæ conueniuntur 503. ſq. finis huius iudicii 504. effectus 505. reconuentio etiam in hoc iudicio locum habet 505. etiam prorogatio hic admittitur 506. qua ratione locum non habeant Auſtregæ? ib. cauſæ ad Auſtregas non pertinentes. 407
Auſtregæ ſuum ſingulare habent forum 487
Auſtriaca domus Imperatoriam dignitatem quamdiu tenuerit? 358 ſq.

B.

Bamme. Germanica vox quem habeat originem? 33
Baſilius quis iſte, cuius Arcadius & Honorius in Tit. de oblatione votorum mentionem faciunt? 292

Bauariæ

Digitized by Google

Condictionis *furtivæ* natura 816. cauſa efficiens an delictum? ib. ſq. variæ hac de re opiniones examinantur 816. ſqq. delictum eſſe cauſam natiuam tribus probatur argumentis 810. ſqq. differentium exceptiones diluuntur 821. ſqq. condictio furtiua non eſt ex quaſi contractu 825. ſqq. eſt certi 828. an quandoque ſit incerti? ib. non dari condictionem furtiuam incerti ſpecialem, probatur 833. ſq. finis huius condictionis 835. eſſe illam actionem rei perſecutoriam, contra diſſentientes probatur 836. Condictionem, in quantum rei perſecutoria eſt, dari non. Domino, 837. Condictio furtiua non eſt pœnalis ib. ſq.
Condictionis *triticariæ* vocis de[illegible]uatio 781. appellatio vnde? ib. ſq. definitio 783. cauſa principalis immediata ib. non oritur illa ex *præſtandi* & *faciendi*, ſed ex *dandi* obligationibus 784. cauſa remota actionis eſt contractus ex quo quis obligatur ad dandum 786. ſq. anne contractus potius quam obligatio ſit cauſa efficiens 787. inſtrumentalis cauſa eſt *libellus* ad certam ſpeciem reſtrictus 788. Quam formulam prætor dederit iudici 789. finis ib. duo requiſita iſtius, qui condicere vult, generale & ſpeciale 790. 791. datur actio heredibus ib. & contra heredem 792. obiectum eſt duplex 793. *materiale* res quæuis corporalis & incorporalis ib. tam certa quam incerta 794. tam mobilis quam immobilis ib. ſq. *formale* modus conſiderandi duplex vel *communis*, 795. ſqq. vel *proprius* 798. quare ſola pecunia numerata per triticariam peti nequeat? ib. ſq. cur hæc actio *arbitraria*? 799. ſq. Cur arbitraria in perſonam *ciuilis*? ib. Eſt *certi* & *incerti* 801. an ſit fundata hæc diuiſio ib. ſq. an detur condictio incerti generalis 802. diuidi poteſt in regularem & irregularem 804. effectus ex parte actoris & iudicis ib. ſententia; eſt interlocutoria, & definitiua [illegible]4. ſq. æſtimatio, quomodo rite facienda, & quodnam tempus in ea ſpectandum? 805. quid ſi mora commiſſa? 807. accidentia, concurrentia & affinia huius condictionis recenſentur 809. ſq.
Coniunctio viri & mulieris eſt Iuris N. & C. 547. ſq.
Connexæ res quæ? 485
Conſertio manus quid 814
Conſtantinæ vrbs, vid. *Arelas*.
Conſtantinopoleos præfectus 542
Conſtantinus Imp. Arelati iura condidit 87. imperii ſui lapſum expertus ib. cauſa huius excidii ib. 616. ſq.
Continentes res, quæ? 485
Contractus locus, ſi inter abſentes per literas contrahitur, is dicitur vbi litteræ acceptatæ 478. traiectitius 457. ſq.
Controuerſiæ inter ipſum Dominum & Vaſallum coram quo finiendæ? 135. ſq.
Contumacia in genere 839. illa quam fori obſeruantia admittit ib. huius diuiſio 840. committitur tam ab actore quam a reo ib. contumacem eſſe & non obtemperare ius dicenti diuerſa ſunt 841. varii contumaciæ [illegible] ib. ſq. finis iſtius & effectus 843. pœna tam reſpectu actoris quam rei ib. obſeruandum, an ante, an poſt L. G. commiſſa ſit? ib. ſq. Item, an quis in ciuilibus, an vero in crimi-

nalibus contumax fuerit 843. actoris contumacia grauior quam rei ib. 846. & ea commiſſa reus ab inſtantia abſoluitur 844. non accuſata non nocet ib. iuſta cauſſa ab ea excuſat ib. actor ſi vlterius experiri velit refuſis expenſis de lite proſequenda euincere debet 845. quomodo hodie contra actorem in contumaciam procedatur? ib. quid ſi actor ante L. C. contumax ſit? ib. ſq. ſi actor in criminalib. ſit contumax, reus non ſtatim abſoluitur 846. Contumacia rei coercetur miſſione ex primo decreto quæ tantum cuſtodiam tribuit 847. ſi in ea perſeuerat actor mittitur ex ſecundo decreto ib. ſq. ſi actor detrectat iuramentum calumniæ actione cadit, ſin reus habetur pro confeſſo 848. qui eandem pœnam incurrit ſi poſitionibus reſpondere recuſat. ib. Contumaciæ pœna ſec. Ius Saxon. ib. Quid ſi procurator ſit contumax? ib. ſq. *minor* ob contumaciam condemnatus reſtituitur 850. excuſationes legitime probatas iudex accipere tenetur 851

Conueniri quando & vbi debitor poſſit 478. ſq. illo loco poteſt, vbi res ſita, de cuius poſſeſſione aut proprietate agitur 482. ſq.

Coronatio Cæſaris Romæ 392. ſqq. hodie inuſitata 400. collectiones huius cauſa inſtitutæ ſunt mutatæ. 411

Corrigere quid? 158

Corporati quinam? 277

Crimen læſæ maieſtatis diuinæ prohibet Ius N & C. 565. læſæ Mai. humanæ contrarium eſt Iuri N. & C. 575

Criminalis iuriſdictio an detur 145

Criminum cognitio penes quos olim apud Romanos fuerit? 144. ſqq.

Culter ſubularis 73

Curatores Coloniarum deducendarũ 81. minorum poſſunt nunciare nouum opus 326. remouendi ac puniendi ius prætor Vrbanus habebat 271

Curia Imperii Germ. triplex. 361

D.

DAre quid? 779

Damnatio in metallum, in opus metalli & in opus publicum differunt 159. ſq.

Daniæ leges an ex Iure C. fluant 545

Defenſio in ſe ſpectata an Iuris N. & C? 560. ſeq. it. pudicitiæ & famæ? ib. 562

Delictum exſpectet iudicium in illo territorio, in quo commiſſum 480

Delinquens licet extra domicilium deliquerit, an iudex domicilii nihilominus contra eum procedere poſſit? 481 quid de remiſſione delinquentium ſentiendum; ib. 482

Denarius quid? 276

Denunciatio litis 778. belli ſ. clarigatio 777. ſq. 781

Deportatus olim quis? 161. quid amiſerit ib.

Deportandi ius ante Seuerum quis habuerit? 161 ſq.

Diffamatus habet priuilegium impetrandi citationem 473

Dies anni primus lætis precationibus ap. Rom. cœptus 296

Dies III. poſt Kal. vota appellabatur 298

Dii merentes, meriti 291

Dolus Iure N. & C. prohibitus eſt 572

Domicilii originis ratio & effectus 475. domicilium habitationis quid conſtituat & vnde colligatur, ib. 476. Quid ſi plura rei domicilia concurrant? 476

Dominica poteſtas eſt Iuris C. & N. 576 ſqq.

Dominorum nimia apud Romanos poteſtas 150
Dominium terræ an Iuris N. & C. vt & I. G. 578. ſqq.
Dominus ſævus ſervum certa conditione vendere iuſſus eſt 150. dominorum ſænitia in ſeruos 152
Donatio armorum 72
Doti dederunt arma Germani ib.
Duces belli apud Germanos armis adhibitis creati 70

E.

Eccleſiaſticorum bonorum in Germania reſtitutio 357. ſq.
Eccleſiæ quatenus Hoſtenditiis præſtandis ſint obligatæ? 395. ſub principibus Chriſtian perfugio eſſe cœperunt 151
Effractores nocturni 601
Electio Imperatoris in Germ. quomodo fiat? 358. ſqq. Archiepiſcoporum, &c. 360.
Electitii ſtatus Monarchici in Germania ratio 358. ſqq. quamdiu durauerit 358
Electores Germaniæ Vectigalia Imperii quomodo acceperint? 109 ſq. eorum collegium 361. officia publica 369. ſq.
Emancipatio armorum traditione facta 72
Emtio venditio 38. eius lex apud Athenienſes 652. ſq.
Emtor. vid. *æſtimatoria* & *redhibitoria* actio.
Epiſtolæ ad Leonem M. Papam pro iure Archiepiſcopali Arelat. contenta 91. ſq.
Eſus carnis ante diluvium 41
Euangelium in Galliam allatum per quem? 92
ſub exagio vendere quid? 277
Exhibere mancipium quid? 689

F.

Fabius Cilo quis? 147
Fabricæ armorum apud veteres 45
Fabricenſes 46
Factiones in republ. Rom. vid. *collegia noua.*
Facere quid? 780
Fahnen-Lehn, quid 128
Famæ defenſio cum cæde an Iuris N. & C? 585. ſq.
Feiræ latinæ 140
Feudorum origo in Germania 85
Feudum hauberticum 59. 393
Feudum nobile quid; 118. variæ de eo opiniones & deſcriptiones ib. ſq. diuiſio huius Feudi in regale & nobile 120. deſcriptio regalis 121. exempla huius in Germania ib. poſterioris deſcriptio 121. ſqq. ad vtrumque conſtituendum quid reſpectu concedentis & accipientis requiratur? 124. ſqq.
Feudi regalis Iudex 131. ſqq an in poſſeſſorio de feudis regal. ſolus iudicet Imperator 132 ſq. minorum Feud. Iudex 133. ſeq. coram quo controuerſia de feudis inter ipſum Dominum & Vaſallum finiri debeat. 135. ſq. requiſita ad iudicium de feudis inſtituendum 136. ſqq. lites feudales non acceſſario ipſe dominus vel pares curiæ dirimunt 137. ſeq.
Feudi dominus quatenus habeat ius in Vaſallum? 376
Feudum in tali pacto conſtitui poſſit, vt pro eo fides præſtari non debeat? 377. ſq.
Feudi Loricæ origo 393
Feudum amiſit, qui militarem operam Domino non præſtitit, quomodo? 396 ſq.
Feudali inueſtitura ſimul iura feudo ſemel inhærentia ad novum poſſeſſorem transferuntur 127. ſq. per illam nobilitas non transfertur 129. ſeq.

Fidelitas in Iure Feudali 377. ſq.
Fides de eſſentia feudi ib. in quo conſiſtat? 379
Fiducia, pignoris ſpecies, quid? 729 vbj de illa agatur 730. transfert dominium 730. ſqq. a Conſtantino non abolita eſt 735. cum commiſſoria lege confunditur ib.
Filtrum, Filtz 73. ſq.
Fiscales cauſæ ad quod forum? 486
Fisci nomen quomodo olim vſurpatum 741
Fisci Imperialis cauſæ in prima inſtantia coram camera Imperiali tractantur 486 bona quæ ad tuendam dignitatem & maieſtatem Imperatoriam pertinent, quæ? 739
Fiscaliorum, bonorum priuatorum in Imperio quæ ratio? 740
Fœderum fides eſt Iuris N. 552
Fœnoris difinitio 424 varius ſignificatus ib. annuum fœnus quid? 431. nauticum fœnus ib. 458. ſq. quaſi nauticum 460. neutrum fœnus Iure Canonico videtur permiſſum ib. 461
Fœneratorum fraudes variæ 467. ſq. earum pœna 469. ſq.
Forma reipublicæ non eſt cauſa vitii ſed perſona 352 ſq.
Forum competens quid? 472. quando? ib.
Domicilii, quotuplex 473. commune ib. ſq. proprium ſ. priuatum duplex eſt 475. 1) originis ib. huius ratio eſt effectus ib. qui in Germania hodie non obtinet ib. 2) habitationis 475. ſq. vxoris viduæ, libertorum & hæredum 477
Ex *contractu* duplex eſt ib. 1) ex prorogata iurisdictione, quod tamen non ſemper obtinet 477 ſq. 2) vbi contractus de negotio ciuili celebratus 478. 3) tacite quoque quis nanciſitur forum ex contractu ib. 4) ſortitur forum quis vbi promiſit ſe ſoluturum ib. modo tempore iudicii inſtituti ibi reperiatur 479 cui non obeſt priuilegium de non euocando? ib. Huic foro aliquando locus non eſt ib.
Delicti vbi? 480 ſq. Rei ſitæ 482 pertinet ad res mobiles & immobiles 483. concurrit quoque cum foro domicilii ib. Continentia cauſarum 484. ſq. Priuilegiatum conſiderandum tam ratione cauſarum 485. ſq. quam ratione perſonarum 486. ſq.
Framea haſtæ genus apud Germanos 51. ſqq.
Franciſca, teli genus ib.
Franci, quomodo Arelatum vrbem acceperint 78
Franciæ potentiæ conuulſæ cauſæ 95
Francorum Imperii diuiſio inter tres Ludouici Pii filios, horumque hæredes ib. ſq.
Fratrum vno tempore dignitate parum exempla 294
Fructuarius quatenus ius nunciandi habeat? 325
Funeratio Germanorum antiqu. 72
Furem nocturnum occidere an liceat. 599
Furtum contra I. N. & C. 574. ſq.

G.

GAlea, armorum tegentium ſpecies apud Germanos 59
Galearius ib.
Galea, nauis 60
Galeotæ ib.
Galeæ Germ. Brynn, vel Brenn 61
Gallia auro exhauſta per Annatas 519. ſq. Euangelium per S. Trophimum accepit 91. ſq. reges Galliæ quo iure acceperint regnum Are-

Arelatenſe? 107. ſq. 110 ſq.
Gallia Riparienſis 86.
Galli ſæpiſſime ad Ius C. recurrunt ob ſterilitatem aliarum legum 543 exteris quoque ius Ciuitatis dant 612. an vites olim habuerint 30
Gallicarum prouinciarum defectio a Conſtantino Imp. 87 hoc facto an bene ſibi conſulerint 88. ſq.
Gambeſa, Gambeſores 73
Gallula Roma 86
Gentiles quid de homi[illegible]etu ſentiant? 1. 2
Germaniæ antiquæ facies 4
Germanicæ ſcribendi artis apud veteres ratio 7. ſq.
Germanicorum antiqu. carminum quis meminerit? 9
Germanos indigenas eſſe Taciti aſſertum illuſtrat 2. ſqq.
Germani claſſibus caruerunt 3
Germanorum origo 9. ſq.
Germ. Gentium priſcarum nomina 11. ſq.
Germanorum antiquorum Hercules 14. habitus corporis 16. ſqq. modus adquirendi naturalis & artificialis 20. ſqq. pecora & pecuaria 22. Carnis vſus quis 25. agricultura 26. ſq. panis & potus vnde ib. ſq. arborarii fructus 27. vitis cultura 31. Venatio & Venatoria inſtrumenta 31 ſqq. raptus ſ. Latrocinii quæ ratio? 36. permutatio 38. 40. numi 40. ſq metallifodina prima 41. armavaria 48 ſqq. machinæ 61. ſqq. modus adquirendi armorum ius 66. poſſeſſionem armorum quomodo Germani adquiſiuerint? 67. vſus armorum apud Germanos 68
Germanicum regnum in circulos diſtributum quo tempore? 112 361, 362 vitium quod huic diſtributioni adhæret 113
Germanici Imperii a Carolo V. vsque ad finem triginta annorum belli facies 342. ſqq. periodus a fine huius belli initium ſumens quam habeat cauſam 347. forma Monarchico-Ariſtocratica 352 an hæc forma ſit cauſa renitentiæ inter Cæſarem & ſtatus 352. conditio quatenus exteros reſpicit 355. ſq. ratio interregni tempore 359 ſenatus quid deliberet? 361. ſqq. Auſicum Iudicium imp. Germ. deſcribitur 364. ſqq. religio triplex Imperio probata 357. ſtatus regiminis 358. ſq. Imperatoris in Germania emienntia præ ſtatibus 358. electio ib. ſqq. ambiguus ſtatus vnde 372. ſq.
Germani vtuntur Iure Ciuili 542. ſq.
Gladii Germanorum priſcorum deſcriptio 49. quomodo Germani illum geſtarint 50 Gothicarum literarum inuentor quis 8
Grammatophylacium quid 723
Grauamina Statuum in Germanico Imperio deliberationibus ſenatus remouentur. 363.

H.

HAlebarda 73
Halsberga, quid? 393
Hauberticum feudum 59. 393
Hæreditas vbi petitur, vbi ſita eſt 483
Hæres ſequitur forum defuncti 477, de Heluetiorum republ. iudicium 629
Helmus, quid? 61
Henricus Friderici Barbaroſſæ filius, an rex fuerit. Teutonicorum Arelatenſium 101
Hercules quot 13. Herculis & Martis differentia 14
Herminones qui? 10. ſq.
Hiſpanorum grauitas ab æquitate juris C. non aliena eſt 549

Hiſpani qua ratione imperium ſuum conſeruent? 622

Homicidium eſt contra I. N. & C. 570. ſq.

Hoſtenditiarum vocis deriuatio 374. ſq. definitio 375. ſq. cauſa efficiens 376. origo 394. quantitas, quæ requiritur ib. ſq. iſtius determinatio ib. 410. ſqq. Hoſtenditiæ ne ipſas quidem Eccleſias excludunt 395. quinimo nec reges. 396. finis ib. qui operam hanc militarem non præſtitit feudum amiſit 398. beneficium, quod ex præſtatione earum oritur ib.

Homo vnde ortum ſuum habeat ſecundum paganorum opinionem 1 ſq. male definitur per animal rationale 336. eius & brutorum actiones differunt qua in re ib. duplex in illo natura artificio quodam combinata eſt ib. ſq.

Hoſtem lædere permiſſum eſt 610

Humanitatis officia actionem in Iure C. non pariunt 587

Hurnin Seyfried vnde nomen 56

Hungariæ leg[illegible] an ex I. C. 745

Hypotheca cedere quid 733

I.

ILluſtres perſonæ apud Romanos quæ 454. ſingulare habent forum in Imperio Germ. 487

Impenſas actor contumax reo reddere tenetur 844

Imperator an ipſe inter ſe & Vaſallum poſſit eſſe iudex 135. ſq. an teneatur Romam expeditionem facere vt coronetur a Pontifice? 400 ſqq.

Imperatoris Germ. reſeruatum eſt feudum nobile conſtituere [illegible]

Imperatorum quædam epiſtolæ 147. ſq.

Imperium ſeptem prouinciarum 87. 89

Imperium & iurisdictio differunt 145

Imperii Germ. antiquisſima conſtitutio quando Germanice prodierit? 7. ſq.

Imperii ſub Conſtantino facies 88. cauſa excidii huius imperii 626. ſq.

Imperii diuerſa notio 341

Imperii bello acquiſiti amorem, deuictis ine[illegible] iurium ac libertatis co[illegible] 620. ſq. aliam adhuc [illegible] in imperii conſeruatione hæc communio apud Romanos habuit 621. quid exitio ſit imperiis, exemplis illuſtratur 626 ſq. *ſtabilimenta* generalia 630. ſqq. ſtudioſa & armata pax neceſſaria eſt ib. ſq. hanc ſequatur iniuriarum abolitio 631. allaboret princeps, vt ex conſenſu imperet 633. ſq. maneat quantum poſſibile, antiqua reipubl. forma ib. ſq. caueat princeps, ne omnia ſimul ac ſemel emendet 635. ſq. poterit & ipſa reipubl. forma mutari relicta imagine & vmbra 636. princeps ſe accommodet genio populi ib. tempeſtatum in republ. prognoſtica & cauſas ſcire, magni refert 640. quid faciendum, ſi democraticum imperium populis deuictis fuerit? 641 quid ſi Ariſtocraticum ib. aut regium 642. Machiauelli remedium ib. ſatellitio rex nouus indiget ib. mores regni deuicti aſſumat ib. ſq. media retinendæ poſſesſionis quodammodo violenta 643. ſq. dominiũ an in victos adquiratur irreuocabile? 644 ſq. longa poſſesſio dominium tribuit irreuocabile 645. imperium pro derelicto non habendum, ſi ſine ſummo detrimento reip. amiſſæ recuperari nequeat 647.

Imperii Germ. *res* quotuplices 738. ſq harum *oppignoratio* per capitulationes prohibita 737. ſq. res. & priuatæ & fiſcales Imperii ante Caroli V. tempora poterant oppignorari 740. 742. ſqq. 748. an Imperator ſolus an cum ſtatibus alienare potuerit? 745. ſq. falſum eſſe ante Caroli V. tempora res imper. alienari potuiſſe obſeruat. Gundlingius 749. ſeq. res imper. oppignoratas relui vetant Capitulationes & pacificatio Weſtphalicæ 763. an Imperatoris promiſſio ſit valida? 765. ſeq. ſolutio dubii circa articulum IX. Capitulationes Caroli V. 767. Ius retinendi ad quæ pignora imperialia pertineat? reluibilia, an irreluibilia? 767. ſq res Imperii oppignorata eſt ſub iurisdictione domini pignoratitii 770. Ius patronatus rei oppignoratæ an in dominum oppignoratitium transeat? 772. re pignorata Ius confiſcandi habet creditor 723. pignoratitius Dominus aliam religionem poteſt inducere 773. ſq. quis teneatur ſpecificare res pignori nexas, dominus pignoris, an pignoratitius? 774. ſq. vid. *pignus.*

Imperii veneratio eſt Iuris N & C. 955. ſqq.

Imperium maris an iur. N & C 582. ſq.

Inceſtus eſt contra I. C. & N. 567

Incola an poſſit nunciare opus 326

Ingævones 10. ſq.

Inſignia nobilium priſcorum unde? 57. ſq. & tituli præfectorum priſcorum 143

Inſtitores qui? 455. cur his beſſes conceſſæ? 456

Inſtrumenta publica ſunt acta 715 cur publica? ib.

Inſtrumento pacis Weſtphalicæ ineſt quædam diſcrepantia textus German. & latini circa reſtitutionem Lindau. 764

Interdicere quid? 280. quibus locis rebusque præfectus poterat 281

Interdictum Prætorium reſtitutorium hæredes & ſucceſſores an teneat? 334

Interdictum, *quod vi aut clam* 336

Interdictum, *vti poſſidetis* 337

Interregni tempore in Germania apud quem imperium? 359

ad Inueſtituram reuerentia quid faciat? 383 ſqq.

Iſtæuones 10. ſq.

Italia omnis an ſub præfecto vrbis fuerit? 166. ſq. Iuris Ciuil. vſus in Italia haud exiguus? 443. ſq.

Itio actualis Vaſallorum cum domino 392 ſqq. ſplendor & periculum, itineris, quod imperatores Romam faciebant 396. origo huius itionis 398

Iudex habilis an ſolus principalis & primaria actorum publ. cauſa? 717

Iudex controuerſiarum de feudis *regal.* 131. ſqq. *minoribus* 133. ſq.

Iudex inter ipſum dominum & Vaſallum quis? 135

Iudicium Aulicum in Germania 364 ſqq. vid. *Aulicum* iudicium 490 Palatinum, quid de eo ſentiendum? 360. ſq. Auſtregarum. vid. Auſtregæ. eius origo 368. iurisdictio ib. tale, quo vita, dignitas & territorium ſtatuum Imperii Germ. agitantur, non fert Imperium hoc 368 ſq. Rothwilenſe 365. ſqq 491. Spirenſe 365 490

Iudiciales actus an de nocte apud Romanos exerceri potuerint 591 ſq an iudiciales ſententiæ eo tempore ferri poſſint? 592. ſq.

Iulia & Papia lex de ſucceſſione patronorum 156

Iura-

Iuramentum eſt Iuris C. & N. 565. ſq. fidelitatis & ſubiectionis differunt. 376

Iurare in acta principis, quid? 713

Iurisdictio & imperium differunt 345 criminalis nulla datur ib.

Ius, quatenus facultas quædam moralis quid requirat? 322

Ius, quo reſpectu ſæpius antiquum aut novum appelletur? 451 eius ſingularis quædam, quatenus naturalibus rebus tribuitur, diſtinctio 536

Iure belli lædere poſſe hoſtem licitum eſt 610. prætendit victor dominum ſuper res in bello acquiſitas, & perſonas in eo captas ib.

Ius Ciuitatis Rom. olim omnes Imperii ſubditi habebant 474 primarum inſtantiarum non admittit, vt quis ſtatim in ſupremo iudicio conueniatur .474. reuocandi domum quid? ib.

Ius Ciuile an ſit aliquod? 533. ſqq. eius fons eſt ipſa natura 534. quid ſit jus Ciuile & vnde? 539. ſq. In quo conuenientia I. C. & I. N. conſiſtat in genere 540. ſqq. Ebræorum, Græcorum, Romanorum vnde? 541. ſq. Iuris C. vtilitas in Pruſſia Polonia Suecia &c. 542. ſqq. Conuenit cum I. N. in religione 546. ſq. Coniunctionem viri & mulieris I. C. habet ex I. N. 547. ſq. vt & reuerentiam in parentes 549. ſq. nec minus curam teneræ ætatis ib. obligationem ex beneficio habet ex I. N. 551. it. pactorum fidem 552. Conuenit cum I. N. etiam in contractibus actiones dirutas vtrinque producentibus 553. ſq. it. in contractibus actiones contrarias producentibus 554. in quaſi contractibus 555. in contractibus innominatis ib. in Imperii veneratione ib. ſqq. in defenſione abſolute & in ſe ſpectata. 560. ſq. in ſanctitate legatorum 562. ſq. in pœnæ merito 563. ſqq. deteſtatur non minus quam I. N. crimen læſæ Maieſt. diuinæ 565. it. Atheiſmum 566. ſq. inceſtum, Sodomiam & peccatum contra naturam 567. ſq. thori alieni violationem 569. ſq. homicidium 570. ſq. dolum 573. tyrannos 573. crimen læſæ Maieſtatis hum. ib. ſq. furtum 574. approbat patriam & dominicam poteſtatem 575. ſq. an conueniat cum I. N. in dominio terræ 578. ſqq. an in Imperio maris? 582. ſqq. it. in actu vtilitatis innoxiæ? 584. it. in bello iuſto? 584. ſq.

Ius Naturæ an ſit aliquod? 533. ſqq. eius fons eſt ipſa natura 534. ſq. regula ex qua Ius N. deducitur ib. eius finis 535. cum brutis nobis commune ib. diſtinctio Iuris N. gubernantis & gubernati 537. an ſit rationis, an vero ratiocinationis dictatum dicendum? ib. eſt vel præcipiens vel permittens, 538 an recte Pufendorf *licitum* negligat? ib. an prima iſta naturæ notio, *ſe ſuaque diligere* e I. N. remouenda ſit rationale rationem adhibet ib. brutorum non item 535. ſq. permittens agit de eo quod *licitum* eſt, adeoque non ad ſolas *iuſtitiæ* regulas referendum 538. vid. Ius *Ciuile*.

Ius repreſſaliarum eſt Iuris N. 585 tenebrarum 588. ſqq. vid. *tenebræ*.

K.

Kalendis Ian. Vota apud Romanos fiebant 296. Kalendæ Gentilium feſtæ erant, Chriſtianorum

ſtianorum non item ib. fora quieſcebant ib. in acta principum iurabatur 297. die III. poſt Kalendas has vota fiebant pro principe ib. Kalendarum celebritates paganorum abrogatæ ſunt a principibus Chriſtianis 367. ſqq.

L.

Lac Germanis cibo fuit 13. Concretum quid Tacito? ib. 24
Lancea germanorum, (*Lantz-Knecht*) 51. 72
Landſaſſerey 123
Lapilli iactus in confirmationem nunciationis verbalis adhibetur 334. ſq. Donelli & Hottomani coniecturæ ib.
Lapis centeſimus quid? 163. ſq. 266. ſq.
Latrocinia apud Germanos an infamia fuerint 36
Las Croux, campus lapideus inter Arelatum & Marſiliam 94
Latinæ Coloniæ 81. ſq.
Legatorum ſanctitas eſt Iuris C & N. 562. ſq.
Lex & princeps an ſint oppoſita 315 ſq. de fugientibus ad ſtatuam explicatur 151
Leo X. Papa Carolum M. ſalutauit Imperatorem occidentalem 95
Leones venari non cuilibet olim licitum fuit 706. ſq. occidere tantum ſalutis cauſa 707
Leopoldus & Mahumet IV. eundem habent natalem 355
Lenocinium quid? 153
Leuteratoria acta quæ 717
Libra auri, quantum? 301. reductio eius ib. 302
Liberi nobiles in Imperio Germ. quod ius habeant? 122. an ſint inter Imperii ſtatus numerandi? ib. 123
Libelli accuſatorii eſſentia 788
Libertus tenetur patronum alere 155 quomodo liberto ſucceſſerit patronus ib. ſq. iureiurando adigebatur a patrono neduceret vxorem 156. parentes & liberos patroni alere tenetur maxime ſi ægri 157. quomodo in libertum iniurium animaduerſum ſit? ib. ſqq. liberto non licuit nubere patronæ 169. libertorum furum 473. 477. ſq.
Ligato ſermonis genere antiquiſſima monumenta Germani compoſita habuere 5. ſq.
Lindauienſi ciuitati ob Aduocatiam ſuper villas Colonarias mota lis quem exitum habuerit? 764. ſq.
Lites apud Germanos armis finitæ 69
Litis denunciatio 778
Lorica quid? 58. eius ſignificatus Germ. 59
Loricæ feudum 393
Ludouici, Boſonis regis filii, fata 97 ſeq.
Luminarium trium vſus in Iure 607
Lupulus quando & cur cereuiſiæ additus? 30
Lupus ab ædilibus olim ſecuritatis cauſa e publico proſcriptus 705. remedia, quibus ab agris arcendi lupi ib.

M.

Machinæ, præcipue bellicæ, Germanorum 61. ſqq.
Mahumet IV. eundem cum Leopoldo habet natalem 755. Germaniæ hoſtes ib.
Magiſtratus veneratio eſt Iuris N. & C. 555. ſqq. & diuini 559. ſq. in Germania duplicis generis 369. Magiſtratus extraiudicialis repræſentant Vicarii & Electores vt & circulorum directores ib. magiſtratuum officia in Imperio Germ. ſub

ſub Impp. Saxonicis patrimonialia facta ſunt 370
Maleficia & quaſi maleficia. 816
Mamiliaria cognominatur Arelatis vrbs 85
Mancipium exhibere quid 689
Mangonella, funda, 63
Mannus 9. an Adam 10. eius tres filii ib.
Manu impedimus in noſtro novum opus quomodo? 355. ſq.
Manumisſionem poſtulare poterant ſerui ſua pecunia emti 154
Marchiones in Germania 361
Maris imperium an Iuris N. & C. 582. ſqq.
Maritus non poteſt conueniri in illo loco vbi dotem accepit 479
Matrimoniales cauſæ ad quod forum? 486
Maximilianus I. Imp in circulos diſtribuit Imperium Germ. 112. item habuit cum Ludou. XI. Galliæ rege de Burgundiæ ducatu 114 ſq.
Mediana, ſub vrbanum 293
Mediolanum, metropolis Italiæ fuit 292. & præfecti in illa 146. diuerſa eius lectio 293
Meiſterſaenger 9
Memoriæ appellatione quid intellexerint veteres 5
Menas nonnullis perſonis nomen commune 416
Mercator quo tempore non posſit conueniri 479
Meſſala primus apud Romanos præfectus Vrbic. 141
Metallifodina prima in Germania 41
Metropoles quæ vrbes. 789
illarum ius apud Rom. ib. ſq.
Metropolitanum Ius apud Romanos 89. ſq.
Militares,coloniarum Rom. genus 84
Militaria Vaſalli ſeruitia domino debita 387. ſq. quando ſint præſtanda? 388 ſqq. præſtatio hæc illis indicenda ib. 388 contra omnes, paucis exceptis, ſunt præſtanda 390. ſq.
Militaris diſciplinæ neglectus nocet 371
Milites ſtationarii cui vſui apud Romanos præfecto vrbis fuerint? 279
Milites ſingulare forum habent 487
eorum multitudo pacis tempore nocet 371
Militum Rom. ſummum præmium 84
Milliare apud Rom. quid? 163. ſq.
Milliarium cur lapis dictum? ib. eius in Æmilio Macro diuerſa lectio. ib.
Milliaris menſuratio Iure Saxonico 265
Minor an nunciare posſit novum opus 316
Miſerabilium perſonarum forum 486
Misſilia, Germanorum arma 51
Monarchicus electirius ſtatus Imperii Germ. deſcribitur 318 ſq.
Moneta primum a Germanis cudi cœpta ſub regibus 41
Monumenta antiquisſima ligato ſermone 5
Morbus & vitium in Iure an differant? 664. ſeqq. morborum & vitiorum quædam genera 667. ſq.
Municipes qui? 614. primi qui? ib. vnde ſic dicti 615. disſimilitudo inter eos ib. primum eorum genus ib.
Municipia differunt a coloniis 82. ſq.
Mutuum quale pactum requirat, & cuinam contractui ſit adiectum 461. ſqq.

N.

NAtura & fons iuris C. & N. 534. ſq. agit, prout illi a Deo datam

tum 535. ſq. prima naturæ notio, *ſe ſuaque diligere.* 534. an hæc notio ratione ſit contraria? 539
Naufragorum bona an & quam bene proſcribi & adimi a principibus & aliis poſſint? 316 ſqq.
Nauigiorum apud veteres ratio 15
Nauis aduenarum antiquitus ſignum 3. ſq.
aNuium priſcarum deſcriptio 64. ſq.
Nautica re Inſula Rhodia excelluit 312
Neceſſitas aliena deſtruens an Iuris N. & C. 586
Negotiatores Iuſtiniano qui? 456. his beſſes conceſſæ ſunt 456. vltimi qui ib.
Nobile feudum quid in genere? 118 in ſpecie dictum, 121. ſqq. poſterius tres Vaſallorum ordines tenuiſſe cenſentur 122
Nobiles liberi & immediati Imperatorem ſolum pro ſuo Magiſtratu agnoſcunt licet in alterius principis territoria eorum prædia ſint ſita? 123
Nobilitatem non tribuit poſſeſſio feudi nobilis 126. ſeq.
Nobilitandi voluntas per feudum quotuplici ratione declarari poſſit? 115. ſq. poteſtas ib.
Notarius, eius etymon, requiſita & officia 718. ſq.
Nouum opus quando dicitur? 323 quid requiratur, vt obiectum fiat nunciationis. vid. nunciatio ib. ſq. manu in noſtro impedimus illud quomodo? 335. impediendi remedia varia 334 ſqq.
Nouitius ſeruus quis? 692
Numæ originem debent collegia apud Romanos vetita 282
Numi Romani veteres 40. bigati 41 ferrati ib. germanorum 38 ſq.
Nummularii qui 272. differunt ab argentariis ib. eorum erat certum corpus, certaque negotia ib. ſq.
Nunciatio noui operis quid? 324 quis nunciandi ius habeat 325. ſq. cui ea fieri debeat? 326. nunciandi modus & forma 327. ius ex nunciatione proueniens 328. ſq. tollitur morte nunciantis, non eius cui nunciatum 330. nuncians intra tres menſes de iure ſuo docere debet ib. Quo non facto ſatisdatio ædificaturi de opere demoliendo admittitur ib. quid ad remiſſionem nunciationis requiratur? 332. ſqq. quid ſi nunciationi non pareat nunciatus? 334 dantur & alia remedia, quibus nouum opus impedimus ib. ſqq.
Nundinarum tempore nemo ad illas veniens de debito alio tempore contracto poteſt conueniri 479
Nuptiæ nobilium puellarum duello apud Germanos ſunt demeritæ 69
Nycteparchus quis? 591

O.

Obligatio quotuplex? 784. anne ex obligatione facti ad factum agi poſſit ib. ſq. ex beneficio eſt Iuris N. & C. 552. nominum ſine ſtipulatione vnde? 273
Obruſſa vid. Obryza.
Obryzatus ſolidus 303
Obryzæ vocis etymon 304. comes 305
Officinæ armorum 45
Olybrius quis? 293. eius parentes ib. ſq. vnde nomen eius? 295
Onuphrius quis 293
Opus, quatenus obiectum nunciationis, quid? 323
Ornamenta pro armis 44

Oſtraciſmus quid,? 280

P.

PActorum circa eſſentialia diſtinctio 378. fides eſt Iuris N. 552
Pacta de retrouendendo, reuendendo & redimendo 659
Palatinus Elector cum Bauaro litem habet de iure Vicarii in Imp. Germ. 359. ſq.
Palatini iudicii valor quantus? 366 ſqq.
Pantheræ etymon 706
Παράδειγμα quid? 158
Parentum conſenſus nuptiis accedens eſt Iuris N. permiſſiui 586 officia erga liberos Ius C. habet ex I. N. 549. ſq.
Parlamentorum in Gallia origo & vera ratio 101. ſqq.
Parlamentum Angliæ eſt cauſa felicitatis huius regni 255
Papa an poſſit, Imperatorem a coronationis opere abſoluere? 403 ſqq. eius poteſtatis maximæ primus fons 514. circumciſa autem poteſtas hæc tandem fuit 575. ius paſſagia indicendi ad ſe traxit Papa 517. Iuriſdictio eius ſ. poteſtas circa ſacra apud proteſtantes euanuit 526 etſi id impedire voluerit 527
Paſſagium quid? 516. ſq. ius illud indicendi quis habent? 517
Patria poteſtas eſt I. N. eamque I. C. modo extendit, modo coarctauit 575. ſqq.
Patronus in quantum & quomodo liberto apud Romanos ſucceſſerit? 155. ſq. lege Iulia & Papia 156 conſtitutione Iuſtin. ib.
Pax Osnabrugo-Monaſterienſis multæ in Imperio Germanico felicitatis eſt cauſa 370
Pecuaria antiquiſſima 21. Germanorum ib. ſqq.
Pedaneum iudicem dandi mos quo tempore deſiit? 789
Perfugium ſeruorum 151. ſq.
Peregrinus an poſſit nunciare opus 326
Periculum quod in nauigationibus creditores debebant ſuſcipere 458. ſq.
Periodus origo huius vocis & varius ſignificatus 334
Permutatio duplex antiquior & recentior 38. cur Germani antiquiorem tamdiu retinuerint? 40
Pfand Schilling, Pfandſchafft, Verpfandung quid? 758
Pignoris natura in ſe, remota lege poſitiua 728. traditio transfert poſſeſſionem ib. Iure C. pignus quandoque dominium transferebat ib. ſq. quid iuris e pignore, Iure Prætorio Rom. 729. genus quoddam eſt *fiducia* vid. fiducia. 728. ſq. 730. ſqq. quibus modis olim Debitor pignus non potuerit recipere 731. ſqq. Iure Saxonico dominium pignoris tranſiit in creditorem 736. Saxones & alii populi contra tertium poſſeſſorem actionem pro pignore non dederunt ib ſq. Oppignoratio rerum Imperii non eſt pignoris contractus merus, nec pactum antichreticum 755. an venditio cum pacto retrovendendi ib. eſt contractus ſpecies, quod probant vetera Inſtrumenta 756. & quidem fiducia 756. hoc pignus non ſolo mutuo ſed & aliis negotiis accedebat 758. Thomaſii hac de re ſententia 761. *Pignoratitius* dominus ſ. creditor facit fructus ſuos

Digitized by Google

ſuos 769. res pignoratitia res eſt ſub iuriſdictione domini pignoratitii 770
Pœna metalli, quæ libertis imponebatur 159 ſq. aliæ pœnæ, quibus iidem afficiebantur ib. fœneratorum 468. ſq. meritum eſt Iuris N. & C. 563. an pœnarum ſpecies iure Euangelii improbatæ ſint 564
Pœtauia vrbs 76
Politicorum principiorum ratio 349
Poloni qua ratione extenderint ſuam rempubl. 622
Polonia ſtatum habet Monarchico-Ariſtocraticum 355. Ius Ciuile non poſt habet 542
Polygamia eſt Iuris N. non I. C. 586
Populus, popularis, quid apud Rom. ſignificet? 278
Porcellettorum domus Conſtantinæ, quæ viſu digna exhibeat? 93
Poteſtas quid? 284
Potus Germanorum priſcorum 27. ſq. eius varia nomina ib.
Præbere quid? 776
Præfecturæ Vrbicæ origo 139 ſq. ante Auguſtum illa temporaria tantum & extraordinaria fuit 141. ſub illo vero ordinaria & perpetua fiebat ib. dignitas illa fuit omnibus præſtantior ib.
Præfectura prætorio olim equitibus Rom. tantum deferebatur 417. ſq.
Præfectus feriarum latinarum c uſa conſtitutus 140
Præfectus primus perpetuus 141. cur Villicus urbis olim dictus & eius nomina græca 142. Conſtantinopolitanus ib an hic conſularem tit. ſimul habuerit ib. Præfecti urbis dignitas 142. tituli & inſignia ib. 143. officia, quæ ſub eius diſpoſitione 143. ſqq. criminum cognitionem ſibi omnem vindicauit ib. territorium quousque? 145. 163. an extra urbem? ib. 146. ſq. 163. ſqq. ſervos de domino querentes audit 148. ſqq. 193. relegandi & deportandi potentiam habet 160. ſqq. an hoc inconſulto principe facere poſſit ib. an omnes Italia ſub fuerit 166. adulterii ſervorum cognitio ad illum pertinebat 168 ſqq. in curatores & tutores malos animaduertit 271. vt Nummularii & argentarii negotia ſua fideliter gererent iurare debebat 273. curam carnis aliarumque rerum huc ſpectantium habebat 273 ſqq annonæ & rerum venalium cura ad eum pertinebat 274. nec minus quies popularium & diſciplina ſpectaculorum, 278. ſq. milites ſtationarios habebat ib. interdicere potuit variis rebus 280. ſqq. collegia illicita inhibere potuit 282 terminos ſuos egreſſus nullam habebat poteſtatem 283
Præfectus Vigilium duplex 590. eius officium & poteſtas ib. ſq. odioſum nomen 591
Præfectus Auguſtalis 618
Præfecti prætorio in orienti interdum bini interdum tres eligebantur 417 dignitas eorum & poteſtas 418. officium nullo certo tempore definitum ib. ſq.
Prælati in Germania Principes & non Principes 360
Præſides prouinciarum qui? 616. ſq. illis fœnerare olim prohibitum erat 454. ſq.
Prætor. vid. præfectus, quomodo ei potuerit nunciari 327. Prætor plebis in vrbe Conſtantinop. loco

 Præ-

præfecti vigilum tempore Iuſtiniani fuit 591
Præcationes Romanorum, quæ die anni primo fiebant 296
Princeps an legibus ſit ſolutus 558. ſq. illum tanquam maleficum punire aut occidere impium eſt 559. ſq.
Principales apud Romanos qui? 306. ſq.
Principum in Germania collegium 361
Proba Faltonia mulier 294
Probinus quis 293. eius pater ib.
Proceſſus in iudiciis quid? 721
Proconſul apud Romanos 617
Procurator Cæſaris quis? 618
Profeſſio apud Rom. quid? 281
Propola quis? 456
Proponere quid? 375. ſq.
Proſa oratione quis primus ſcripſerit? 5. an hæc antiquior ligata? 6
Protagenes ſummus pingendi artifex 311
Prouincias deuictas quomodo retenuerint Romani? 619. ſq. prouinciarum harum amiſſarum cauſa erat Conſtantini M. diuiſio imperii 626. ſq.
Pruſſiæ ſtatuta Iuri C. plurima debent 542
Pudicitiæ defenſio etiam cum cæde eſt Iuris N. 585. ſq. an etiam I. C.? 561. 586
Puls Germanorum priſcorum 26. ſq.
Pupilli quale habeant forum? 486

Q.

Quæſtor prouinciarum quis 619
Quantitas quid? 420
Quanto minoris actio. vid. *æſtimatoria actio*.
Quaſi contractus 815. ſq.
Quinquageſimæ de vſuris non recte vſurpantur 435. ſeq.
Queri quid in Iure R. 149

R.

Ratio & ratiocinatio differunt 317
Reconuentus forum rei ſortitur 478
Reconuentio etiam in Auſtregarum iudicio locum habet 505
Redhibitoriæ actionis etymon & definitio 658. ſq. an illa ſit propria actionis ſpecies? 659. opponitur actioni ex *empto* 660. ſq. 667. an ſit prætoria actio 661. ſq. an arbitraria 663. naſcitur hæc actio ex reticentia morbi aut vitii 664 667. quando redhibitio ceſſet? 668. an detur ob non indicata animi vitia 668. ſq. datur ſi dictum promiſſumue in vendendo non fuerit præſtitum ib. In quibus caſibus non detur 670. quando emtori detur? 670. datur permutanti ib. an & conductori 671. ſq. etiam ad longum tempus 673. Quid ſi procurator emerit rem, quam Dominus ſciebat vitioſam? 673. donatario ea non competit ib. datur quandoque contra fideiuſſorem, & hæredes 674. datur de mancipiis, iumentis & omni pecore quibusdam exceptis 674. ſqq. imo in genere de omnibus rebus vitioſis 677. ſq. de vitio quoque acceſſionis & rebus, quæ ſeparari ſine incommodo non poſſunt 670. ad ſimplarias venditiones non pertinet, nec ad venditiones fiſci &c. 680. Qua ratione emtor venditori rem redhibere debeat 681. Quid ſi plures res ſimul emtæ, vnamque emtor redhibere velit 681. ſq. Venditor

Digitized by Google

tor tenetur pretium, & quod acceſſionis nomine datum eſt, reſtituere 682. tempus intra quod actio redhibitoria inſtitui debet 684
Regalia feuda 120. ſq. eorum nomina germanica 121. iudex in controuerſiis de his feudis 131. ſqq.
Regeſta, ſ. regiſta, ſunt acta 7.5
Regiones vrbi vicinæ apud Rom. quæ? 163. finitimæ ib. regio Romana 165. ſuburbicariæ regiones 165. ſq.
Regiminis deuictarum a Romanis regionum in Italia & extra illam ſitarum forma 614. ſqq. variæ vsque ad Impp. fuerunt 616. ſq. quænam tempore Auguſti 617. ſq.
Relegatus apud Romanos quis? 161
Relegandi jus ante Severum quis habuerit ib. non inconſulto principe quis relegari potuit ib.
Relegatio hodie vſitata quæ 280
Religio in Germania quomodo conſeruetur? 357. ſq. eius triplex exercitium ib.
Religio eſt Iuris N & Ciuilis 546 ſq. apud Ethnicos triplex ib quomodo ratio ſibi illam conciliet? ib. Chriſtianæ religionis a naturali differentia 547
Remiſſio delinquentium quando locum in Iure habeat 401. ſq. nunciationis quid? 332. ſit duplicíter ib. quando? ib.
Repetitio in Iure quid?
Reſpublica Rhodia celebris ob rem nauticam 312
Reipublicæ *forma* vnde æſtimanda? 349 determinatur vel ab initio vel mutatione veteris 350. Conſenſus aut violentia facit rempubl. ib. quomodo mutatur ib. Quando eius ſtatus felicior 351.
forma liberior præferenda ib. ſq.
Reſpublica mixta quæ? 354. optima eſt 355
Reſtitutio operis ſequitur ſi nunciantem ius prohibendi habuiſſe iudicatum ſit 331. quid ſi non reſtituat iudicatus? ib.
Reuerentia Vaſalli ergo Dominum 179. quæ ex illa fluant? ib. ſqq.
Reuerentia erga parentes eſt Iuris C. & N. 549. ſq.
Rhodus Inſula inclaruit artificiis & literarum ſtudiis 311. ſq.
Rhodiæ legis natales ib. explicatio ib. ſqq. an ea abrogata ſit 317
Rhodiæ leges Nauticæ 312. ſq. dicuntur quoque leges Rhodiæ de iactu, cur? ib. explicatio huius legis 314. ſq. quæ in illa mundi & maris, legis & Imperatoris oppoſitio 315. legum harum vſus practicus 316. ſqq.
Riparienſes milites qui? 86
Reus vbi conueniri poſſit? 473. ſqq.
Rolandi turris Conſtantinæ 93
Romæ magna alias fuit carnium vilitas 276
Romani antiqui an pelliceis fuerint induti 32 ſq.
Romani multas leges a Rhodiis mutuati ſunt 312
Romani Imperii translatio ad Germanos 94 ſq.
Romanus populus, tempore XII tabularum, diuitiarum copiis non redundauit 444
Romani ante Xviros exercuerunt nauigationem 447. qua ratione prouincias iure belli acquiſitas conſeruarint 613. ſqq. & amplificarint 619
Romanorum ſtupendæ potentiæ cauſa fuit armorum ſtudium 619
Romani quondam bellum illaturi hoſti-

Digitized by Google

..hoſtibus denunciabant cur? 777 ſq.
Ræmer-Zug quid? 398
Rotwilenſe Tribunal quid tractet 365 ſeq. 491. ejus fundator ib. ejus & Cameræ differentia 366
Rudolphus III. Burgundiæ regnum partem Imperii Germ. fecit 100
Rudolphus Habsburgicus clientelari jure prouincias Arelatenſes Siciliæ regibus conceſſit 105. ſq.
Runicarum literarum antiquitas 8

S.

SÆvitia Dominorum Rom. olim in ſeruos 152
Salyorum Colonia 84
Schamir, vermis fabula 48
Scepter-Lehn quid? 121
Scriptura menſæ quid? 273
Scoti antiqui carmina compoſuerunt, 6
Scutorum antiquitas materia & forma quæ? 54. ſqq.
Scutagium Britannorum quid? 375 ſq.
Secretarii etymon, requiſita & officium 718. ſq.
Senatoribus Rom. olim fœnerare prohibitum fuit 454. ſq.
Senatores ſingulare habent forum 487
Senatus Imperii Germ. quotuplex 361. ſqq. quid deliberet ib.
Septem prouinciarum nomen vnde? 87. imperium 89
Septimania prouinciæ nomen vnde ibid.
Septumanorum Bliteræ 84 89
Seruos de dominis querentes qua ratione audiuerit præfectus 148. ſqq. illis non licuit dominum accuſare 149. ad ſtatuam prius confugere debebant, quam quererentur 150. ſq. jus vitæ & necis dominorum in ſeruos reſcripto quodam temperatum eſt ib. 170 imaginem Cæſaris ſerui præferentes impunes incedebant quamdiu? 151. ad aſylum confugæ ſervi quando auferebantur? 152. Servi ſua pecunia emti qui? 153. ſq. liberi ſi pronunciabantur, ſi poſtulabant 154. caſtigatio ſeruorum flagellis quomodo facta ſit? 158. ſq. omnem conjunctionem cum proprio ſeruo prohibuit Conſtantinus 169. hine nec libertum ducere licebat patronæ ib. non poterat ſervus ante Marcum adulterii poſtulari ib. an potuerit relegari? ib.
Servi pileati 701. ad Caſtoris venales ib.
Sextanorum Colonia 84
Servitutem realem qui habet an opus nunciare poſſit 325. an tempore tenebrarum illam exercere liceat 591 ſq.
Sicilia quando primum a Romanis occupata fuerit 616
Sigefrido Vangionum regis genere vnde nomen? 56
Siliqua quid? 467
Siliquatici onus quod? ib.
Simplariæ venditiones quæ? 679 ſq.
Simulacrum Herculis Germanici 14
Socius an ſocio poſſit opus nunciare? 325. an non ſocio vicino 326
Sodomia eſt contra I. N. & C. 567. ſq.
Solidus quid? eiusque valor 301. ſqq. 709. vnde nomen eius 303. Obryzatus quid? ib.
Species quid ſint apud Rom.? 461 827
in Spectaculis olim ſingularis erat armorum vſus 71. illis Romæ præerat Tribunus voluptatum 279

Spirenſis Tribunalis deſcriptio 365 490
Sportula quid? 467
Statio militum 279
Stationarii qui? 457
Statuæ ad quas ſerui fugiebant 151
Status in genere quid? 345
Status in Germania, qui feuda immediata, non annexa dignitate regali tenent, quale ius habeant 122. ſeq.
Statuum in Imperio Germ. poteſtas quæ? 358. ſeruitia 392
Status Monarchicus electitius in Germania qui? 358
Stellionatus crimen 701
Stipulatio quid? 462. ſq.
Stipulationis in N. O. N. formula 331
Strenæ etymon & antiquitas 299. a quibus & quibus miſſæ ſint? ib. prohibitæ ſunt a Tiberio ib. reſtrictæ ſunt ab Imperatoribus noſtris 300
Studioſi ſpeciale forum habent 487
Suarii immunitatibus olim apud Romanos gaudebant 277
Sueciæ ſtatus qui? 355
Suffragia armis olim in comitiis probabantur 70
Suburbicariæ regiones quæ? 165. ſq.
Super illuſtres perſonæ apud Rom. quæ? 454

T.

Taciturnitas in Vaſallo requiritur 379. illuſtratur 385. ſq.
Talpa, funda 63
Tela 44
Templa quænam olim aſylo fuerint? 151
Tenebrarum tempore an actus iudiciales exerceri 591. ſq. & ſententiæ ferri poſſint? 593. an & quatenus ſeruitutes exerceri poſſint? ib. ſq. quomodo tenebræ alteri per ſeruitutes conſtitui poſſint? 594. contractus nocturno tempore omnes fere celebrari poſſunt 595. nuptias nocturno tempore celebrare an licuerit? 595. ſq. an teſtamenta, transactiones, arreſta, collatio beneficiorum, donationes, ſatisdationes reſignationes &c. de noctu expediri poſſint 597. fur nocturnus an occidi poſſit? 599. recenſentur varia delicta noctu commiſſa & de eorum pœnis diſquiritur 601. ſeq. Si delictum tempore obſcuro commiſſum, quando terminus noctis incipiat & computari debeat? 605 Capturæ, torturæ, exſecutiones nocturno tempore fieri poſſunt 606
Terminus quid? 283. vrbis Rom. ib. ſq.
Terra ſancta expeditiones in illam 517
Terræ dominium eſt Iuris N. & C. 578 ſeqq.
Teſtimonium aduerſus dominum dicere Vaſallo an liceat? 381. ſq.
Teutonici regni erant duo ſumma Tribunalia ſub Impp. Sueuicis, nempe Saxonicum & Sueuicum 757
Theodoſianus codex vim legis obtinuit ſub regibus Gothicis 759. vt & in Galliis, quæ adhuc Romanis ſuberant 759. ſecus in locis, vbi gentes aduenæ 760. leges Theodoſ. diu poſt Iuſtianianum valuere & quidem ſub Francis ib. ſq.
Tituli & inſignia præfectorum 143
Togatæ qui? 165
Tonſura ſignum ſeruitutis ap. R. 160
Traiectitius contractus 457. ſq.
Trebuculi, vel Tribuceta, machina 63
Treuirenſis Elector vnde nomen habeat

Hhhhh

beat Archi-cancellarii 104. an per Galliam & regnum Arelat. Archi-cancellarius fuerit conſtitutus 109
Triebeboek, machina 63
Tribunus fori ſuarii apud Rom. 277 voluptatum ib.
Tribunal Spirenſe 365. Rotwilenſe ib
Triticum quoduis frumenti genus denotat 781
Triticaria condictio. vid. condictio.
Trophimus Petri Apoſt. diſcipulus euangelium in Galliam attulit 91. ſq. ſedes eius Arelati ib. eius corpus in Arelati templo reconditum 92
Tuiſcorum Germanorum 2. 9. ſq.
Turci Ius C. an contemnant? 546
Turduli qui? 6
Tutores mali apud Rom. puniebantur 271
Tutores poſſunt nunciare opus 326
Tyrannos deteſtatur Ius N. & C. 573

V.

Valuaſini qui? & eorum iura 122 ſqq.
Vaſallus quo reſpectu ſit ſubditus domini territorii 123. eius iura ib. ſq. quem iudicem in controuerſiis feudalibus habeat 131. ſqq. quis iudex controuerſiarum inter illum & dominum 135 ſq. an fidelitatis iuramentum illi remitti queat? 377 fides ei non remittitur ib. Ius in perſonam Vaſalli quatenus dominus habeat? 376. ſq. ad quæ obligatus ſit? 379. ſqq. quæ ex reuerentia domino debita fluant ib. ſqq. Vaſallus ad taciturnitatem eſt obligatus ib. 385. ſq. vtilitatem domini omni ratione promouere debet 386. Vaſallorum Imperii germ. omnis ordinis ſeruitia & officia 392. ſqq. ſeruitia vaſallo an remitti poſſint 387. - in quo conſiſtant ib. quæ militaria eius ſeruitia 388. ſqq.
Vectigalia reipubl Rom. *die Reichs-Zælle*, quomodo & quo tempore ad Electores peruenerint? 110. ſq.
Vecula in Canone concilii Antetiod. quid? 308
Veltraga, canis 704
Venas Metallicas præcipue argenti & auri an habuerint Germani priſci? 39
Veneta reſpubl. antecellit reliquas cur? 355. aliter de illa ſentiunt alii 629
Venalium, vendendorumque leges apud Rom. a quo data. 652. ſqq.
Venandi ius quo tempore apud Germanos inter regalia receptum 35
Venatio Germanorum 33. ſqq.
Verres in edicto ædilitio qui & quatenus ſint prohibiti 704. ſq.
Vertacus ſ. Vertragus eſt canis 704
Veterator ſeruus quis? 692. ſq
Viarum cura apud Romanos ad quos pertinuerit 707. ſqq.
Vicarianæ vrbes apud Rom. quæ? 167. ſq.
Vicarius vrbis ib.
Vicarii in Imperio Germ. interregni tempore regnant 359. quis Vicarii ius habeat in Germania ib. ſq.
Vicinæ regiones vrbi Rom. quæ fuerint? 165
Victum parandi ratio Germorum 20 ſqq. 31.
Viduæ & earum quæ his annumerantur, forum 477. 486.
Vindiciae 814
Vindicatio rei remedium contra nouum opus 337
Vinum apud Gallos & Germanos antiquos confectum quibus locis & quan-

Digitized by Google

quando? 35
Virgatores olim qui? 159
Vitigius Gothorum rex 78
Vis, quid 170
Vlyſsis errores 14. ſq. an in Britanniam appulerit 15
Vncia, quantum 301. 436. eius diuiſio 438. centeſima Salmaſii 441 vnciarum foenus differt a centeſimis 442. ſqq. ſynecdochice dictum 445. ſq.
Vocardi in ius modus ap. Rom. 840.
Voluptatum tribunus 229
Voluſius Moecianus quis 311
Votorum oblationis titulus C. Theod. & Iuſt. varie legitur 290
Votum quid? 16. eſt nomen tributi 16. ſq. oblatio votorum quando facta ſit 296. ſqq. Vota ſoluere & facere an diuerſa ſint 290 ſq. Vota quæ Diis fiebant genubus eorum affigebantur. 292. quando pro principe facta ſint? 297. formula huius voti ib. Vota appellebantur dies III. poſt. kal. 298 Chriſtianorum quæ ib. Votis die III. poſt kal. adiiciebantur pollicitationes 299 ſq. quid oblatum ſit, dum vota obrulerint? 298 ſqq. quantum? 299 ſqq. 305 ſq. quoties illa imperatores & principes ſibi fieri voluerint? 306 ſq. abrogata ſunt a principibus Chriſtianis. 307. ſq.
Vrbica præfectura vid. præfectura.
Vſuræ vocis deriuatio & acceptio varia 420. definitio ib. vſuræ neque id quod intereſt, neque nudum tantum lucrum ſunt 421 ſq. cur vſuræ dicantur præſtari ob vſum? 422. vſurarum menſtruarum fons & origo ib. cur publicis legibus ſint definitae 423. duæ vſurarum ſpecies 424. earum & eius quod intereſt, differentia ib. an damnari queant vſuræ? 425. ſq. ob abuſum omnes tolli optandum eſſet 426. fruſtra autem vetantur 427. cauſa impulſiua Conſtitutionis de vſurarum diminutione 428 ſq. modus vſurarum olim definitus eſt 429. creditoris habenda ratio in vſuris determinandis 430 apud quos vſuræ menſtruæ fuerint 431. ſq. vſura in ſingulos dies 432. vſura centeſima vid. *centeſima vſura.* ib. vſura vnciaria 440 ſq. vnciæ vſuræ quæ? 441. a quibus non exigantur vſuræ 453
Vtilitatis innoxiae actus eſt Iuris N. &c. 584
Vſus quid de eo in ædilitio edicto cautum 705
Vulpecula, funda 63
Vultus, armorum genus apud priſcos Germ. 55
Vxor ſequitur forum mariti. 477

X.

Xenotaphium Arletaſenſe 93

Z.

Zythus quid? an ex pane ib.

FINIS TOM. I.

) o (

ANT 13.13958

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google